BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
C
357(1
NAPOLI

Digitized by Google

Racc. Vill.
C. 357. 9
Digitized by Google

Digitized by Google

605719

IO. GOTTLIEB HEINECCII,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS
Quondam a Conſil. Sanctior., Iur. ac Philoſoph. in ill. Academ. Frideric. Profeſſ. publ. ord.

OPERVM

AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM, PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES

Pertinentium,

TOMVS OCTAVVS.

Continens,

I. COMMENTARIVM AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM.

II. ELEMENTA IVRIS NATVRAE ET GENTIVM.

* * * * * *

NEAPOLI MDCCLXXV.

SVPERIORVM FACVLTATE, AC PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

AVGVSTVM, ſaeculis omnibus memorandum principem, *maximis omnium gentium viris magnitudine ſua caliginem induxiſſe*, Iove non iniquo olim judicauit VELLEIUS PATERCULUS (a), aſſentator ille quidem maximus, et cui omnia principum honeſta atque inhoneſta laudare mos fuit, ſed cuius tamen adulationi in uno Auguſto materiam defuiſſe dixeris. Nam ut alias, quibus hic princeps pace belloque enituit, virtutes praetermittam: vel illa, quae in legibus ferendis elucet, prudentia tam admirabilis in eo fuit, vt vix gentes vniuerſae in annalibus ſuis reperturae videantur principem, quem alteri iſti rei publicae Romanae conditori ac parenti ſine rubore opponant. Inciderat ille in ea tempora, quibus procax libertas ciuitatem miſcuerat. Bellorum civilium, quae aemulatio inter Caeſarem et Pompeium conflauerat, exitus ſane triſtiſſimus ex altera parte caedem, ex altera produxerat dominatum, quem nec parari, nec retineri bonis artibus poſſe, inter omnes conſtat. Hinc ipſe Caeſar, quamvis animi vigore acerrimus, quamvis manu fortiſſimus, & magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientiaque periculorum Alexandro, ſed ſobrio, nec irato, ſimillimus, tamen quum et malis artibus uti nollet, nec bonis poſſet, partum tot ſudoribus imperium vix in quintum menſem tuebatur, fato ſuo documento futurus poſteris, facilius parari, quam retineri imperium. Eo interemto, tantum abeſt, ut fluctus illi civiles conſederint, ut ex Charybdi in Scyllam incidiſſe videretur res publica. Nova enim illico bella, quorum exitus civibus praeſtantiſſimis proſcriptionem et caedem, libertati et legibus interitum, aerario eluuionem, ipſique principi terrarum rei publicae deteriorem omni tyrannide triumuiratum adferebat. Ita vero actum fuiſſet de maieſtate Romana, et ne ipſa quidem ſalus populum, in ſua viſcera per tot annos ſaeuientem ſeruare potuiſſet, niſi Auguſti illuxiſſet ingenium ſine exemplo maximum, iſque vir pru-

(a) *Lib. II. cap.* 85.

Digitized by Google

dentiſſimus, remotis aemulis, ſubverſo Lepido, Antonio ad Actium devicto, cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepiſſet.

Is enim rerum potitus primo omnium de republica conſtituenda cogitabat, et quum facile intelligeret, ſtare non poſſe principatum, qui magis armis et terrore, quam legibus et iuſtitia, niteretur: a ſexto conſulatu potentiae ſecurus animum ad ciuitatem legibus temperandam adiiciebat, et TACITO (*a*) teſte, *dabat jura, quibus pace & principe uterentur*. Quam arduum hoc fuerit et difficile, quantiſque cum impedimentis ipſi fuerit colluctandum, primum ex temporum illorum perturbatione, et populi Romani ingenio colligas. Rem publicam ſane acceperat non modo diſcordiis ciuilibus feſſam, ac prope enectam, non ſolum ciuibus, viribus opibuſque exhauſtam, verum etiam ita comparatam, ut nec libertatem ferre poſſet, nec ſeruitutem. Intolerabile erat ciuibus Romanis regium nomen, quod ante tot ſaecula ſerio eiurauerant: et tamen diſcordanti ciuitati non aliud ſupererat remedium, quam vt ab vno regeretur. Confugiſſe in Auguſti ſinum videbatur res publica; ſed eadem tamen quidquid dominatum redoleret, auerſabatur quam maxime, aegrotis illis ſimillima, qui nec morbum pati poſſunt, nec remedia. Talis erat Romanae rei publicae facies, quum Auguſtum acciperet principem. Quod ſi itaque vere cecinit PINDARVS (*b*):

Ῥάδιον μὲν γὰρ πόλιν σεί-
σαι χαὶ ἀφαυροτέροις. ἀλλ' ἐπὶ χώ-
ρας αὖθις ἔσσαι, δυσπαλὲς
Δὴ γίνεται ἐξαπίνας,
Εἰ μὴ θεὸς ἁγεμόνεσσι κυβερ-
νάτηρ γένηται.

Facile quippe eſt, civitatem concutere, etiam imbecillioribus: at in ſedem iterum collocare, difficile
Vtique eſt, repente
Niſi deus principibus gubernator fuerit.

quis quaeſo in conſtituenda ciuitate Romulo plus negotii fuiſſe dixerit, quam Auguſto in eadem inſtauranda? Quiſue eum ſuffecturum fuiſſe crediderit tot morbis ſanandis, niſi ei diuinitus conceſſa regnatrix prudentia

(a) *Annal. Lib. III. cap.* 28.
(b) *Pyth. IIII.*

dentia adſuiſſet? Hac vero fretus, ita inſtruebat ſcenam, ut ſenſim mutaretur res publica, nec tamen mutari illam populus ſentiret, ſexcentis libertatis ſimulacris deluſus. Hinc nec *regem* ſe vocari patiebatur, quum eſſet παμβασιλεύς, nec *dictatorem*, quum eſſet ſine prouocatione, nec *dominum*, quum ei omnes ſeruirent. *Principis*, *pontificis maximi*, et ſimilia vocabula, liberae quoque Romae non ignota, imperio praetexens, diuina humanaque omnia ſuo arbitrio moderabatur, et ſolo clementiae auctoramento ſenatum populumque non minus ſibi habebat obnoxium, quam ſi triſte Tarquinii Superbi exemplum ſequutus illum exhauſiſſet caedibus, hunc terrore, metu, & laboribus oppreſſiſſet. Primum hoc eſt et praecipuum, in quo Auguſti prudentia eluxit, cui et alterum non minus admiratione dignum accedit. In rerum publicarum conuerſionibus id quoque euenire ſolet, ut veteris rei publicae leges nouo ſtatui non magis plerumque conueniant, quam puero Herculis cothurni. Nam, ut recte vidit ARISTOTELES (a), aliae ſunt leges, quae ſtatum popularem conſeruant, aliae, quibus principatus vel imperium optimatium continetur, nec fieri poteſt, ut eaedem proſint et imperio paucorum, et ſtatui multitudinis. Et tamen quum nullam mutationem aegrius ferant homines, quam legum, quibus ab incunabulis innutriti ſunt: quis dubitet, quin Romanis ea mutatio accidere debuerit moleſtiſſima? Nihil erat iure Quiritium praeſtabilius. Vnuſquiſque paterfamilias domi erat familiae princeps, et jure vitae et necis in omnes, qui poteſtati eius ſubiecti erant, utebatur. Idem in ciuitate erat veluti ſacroſanctus, a cuius capite et tergo leges Valeriae & Porcia omne ſupplicium omnemque iniuriam remouerant. In foro et comitio non minore auctoritate, ac ſummi magiſtratus, una cum ciuibus reliquis de pace, bello, foederibus, ſuffragia ferebat, leges figebat refigebatque, quin & de capite et fortunis ſummorum virorum iudicabat. Particeps erat honorum et ſacerdotiorum omnium, quin ſaepe, qui hodie aratrum tenens agellum ſuum colebat, perendiae ciuium juſſu paludatus exibat in prouinciam, et maximis exercitibus ſummo cum imperio praeficiebatur. An ea iura tam facile dimiſiſſent Romani? an non quodcumque pro iis certamen ſubiiſſent? Quid vero Auguſtus? Quum animaduerteret, ea omnia parum conuenire principatui, cuius ex TACITI (b) ſententia *ea conditio eſt, ut non aliter conſtet ratio, quam ſi uni reddatur*: primum conſtituto praefecto vrbi negotium dabat, vt et ſeruitia et ſaeuitiam dominorum coerceret, id eſt imperium illud domeſticum paullatim intra fines coerceret; deinde honores quidem a populo deferri patiebatur, ſed non niſi a ſe electis. Pro-

uin-

(a) *Polit. Lib. III. cap. 7. Lib. IIII. cap. 1. Lib. V. cap. 9.*
(b) *Annal. Lib. I. cap. 6.*

Digitized by Google

uinciarum porro potentiſſimarum curam ſibi ob poteſtatem proconſularem vindicabat, eoque mittebat, quorum perſpectam exploratamque habebat fidem et promtum ad quaeuis obſequium. Denique et novas leges ferebat, *ὁ μέντοι πάντα ἐθελογνωμόνων νομοτιθεὶς ἀλλά τινα καὶ ἐς δημόσιον προτιθεὶς, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσῃ ἐπανορθώσῃ*, *non omnia ſuo ſanciens arbitrio, ſed plura etiam populo promulgans, ut is, ſi quid minus placeret, emendaret*, uti refert ZONARAS (*a*): ſed non erat, quod ſuffragia populi metueret, annona et congiariis prius deliniti. Ita plures pertulit leges, etiam ſeueriſſimas, et ad principatum ſtabiliendum comparatas, nec ullam promulgatam ab eo antiquatam nouimus, praeter Iuliam noſtram de maritandis ordinibus, quam et ipſam tamen poſtea non ſolum pertulit, ſed et fremente necquidquam equeſtri ordine acrioribus vinculis altera rogatione Papia Poppaea muniuit. Erat et aliud, quod Auguſtum poterat ſollicitum habere. Libera re publica regnum forenſe penes praetores et aediles erat, qui non modo iura reddebant, verum etiam edictis ſuis illa ſuo fere arbitrio mutabant. Quamuis enim negarent ſe legislatores eſſe, et quidquid agerent, *adiuuandi, ſupplendi, corrigendique iuris ciuilis gratia* facere fingerent (*b*): vere tamen auguſtam illam poteſtatem *νομοθετικὴν* ſibi arrogabant, *οὔτε πάντα δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διατεταγμένα, οὔτε τὰ γραφέντα τηροῦντες, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μεταγράφοντες, καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν ἢ κατ' ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰθικὸς, ποιοῦντες*; *neque id ius, quod ad contractus dirigendos poſitum erat, obſeruantes, neque ſcripto iuri ſtantes, ſed ſaepenumero ea variantes, crebroque per gratiam vel odium certorum hominum, vt fieri adſolet, multa ſtatuentes* (*c*). Unde et *legislatores* eos vocare non dubitat IVSTINIANVS noſter (*d*). Atqui principatus ea conditio eſt, vt nullam partem legislatoriae poteſtatis magiſtratibus poſſit concedere. Viuas hos eſſe oportet leges, non legum auctores et arbitros: eorum eſt, reddere iura, non ea conſtituere, et mutare pro lubitu; ita denique fungi munere ſuo, vt qui ſe principi rationem reddituros ſciant. Quid hic Auguſtus? Tarquinius ſane aliquis magiſtratus omnes uno edicto abolere, praetorem et aediles tribunali et ſella curuli depellere, eorum edicta albo detrahere, et vna ſpongia delere non dubitaſſet: at dubitabat Auguſtus, vt qui non euertere, ſed reſtituere velle rem publicam videri cuperet. Procedebant ergo more maiorum conſules, iiſdem, ac olim, dignitatis ſuae inſignibus conſpicui: ſublimes, vti antea, e tribunali ius dicebant praetores, e ſel-

(a) *Tom. I. Annal. Lib. X. p. 533. edit. Cang.*
(b) *L. 7. §. 1. D. de iuſt. et iur.*
(c) DIO CASS. *Lib. XXXVI. pag. 21.*
(d) *Nouell. XXV. praef. et Nou. XXVI. cap. 1.*

Digitized by Google

e ſella curuli aediles de redhibendo et euictionibus praeſtandis non ſecus, ac libera adhuc re publica, pronunciabant. Quaeſtorum quoque, immo et cenſorum, et tribunorum plebis, audiebantur nomina, et inſignia, ſi qua antea habuerant, conſpiciebantur: ſed ſimulacra haec tantum veteris rei publicae erant, non eadem, quae olim, res publica, vel, vt eleganter ait TACITVS (a), *eadem magiſtratuum vocabula: nihil vſquam priſci et integri moris, quum omnes, exuta aequalitate, iuſſa principis adſpectarent.* Nam primo, quo plures partem adminiſtrandae rei publicae caperent, noua officia excogitabat, curam operum publicorum, viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidundi, et, quae maxime euertendo praetoris regno excogitata fuerat, praefecturam vrbis (b). Deinde et iureconſultis, non Labeonibus, incorruptae libertatis viris, ſed aliis ſibi obnoxiis, et quorum obſequium dominantibus magis probaretur, facultatem de iure reſpondendi dabat, in ſpeciem quidem, vt eo maior eſſet iuris auctoritas, ſed re vera, vt et leges antiquas interpretationibus ſuis ad praeſentem ſtatum paullatim detorquerent, et formulario praetorum iuri obicem ponerent, quippe illam quoque nacti praerogatiuam, vt iudices, olim, formulae praetoris, tamquam glebae, adſcripti, *ab eorum reſponſis iam diſcedere non poſſent* (c). Nec minus callidum hoc erat inuentum, quod magiſtratibus ſub ſpecie honoris alia plane munera demandaret, veluti curam aerarii, ludorum, et ſpectaculorum publicorum, orationum, et epiſtolarum in ſenatu legendarum. Ita enim fiebat, vt, quum his nouis inhiarent, vetera amitterent, ſolo vocabulo conſules, praetores, aediles, quaeſtores, et principi non magis, quam vmbrae, metuendi. Periculoſiſſimi denique, qui rei publicae incubuerant, morbi erant vitia publice gliſcentia, et res anguſta aerarii. Vtramque peſtem vel maxime aduexerat bellorum ciuilium furor. Quotidiana per vrbem et prouincias erant furta, rapinae, adulteria, ſtupra, caedes, et vt paucis dicamus, tanta vbique peccandi licentia, vt corrumpere et corrumpi ſaeculum vocaretur. Nulla iam amplius matrimonii religio, nullus lecti genialis honor, nullum liberos tollendi educandique ſtudium, ſed promiſcua et nefanda Venus, ſimulatae adoptiones, et maxima orbitatis pretia. Cum his monſtris confligandum erat nouo Herculi, et quidem non gladio et ſecuribus, (quam ſane ſeueritatem in nouo domino populus vix tuliſſet,) ſed iis virtutibus, quae quidem in Auguſto ſummae erant, iuſtitia, et prudentia. Sed quid efficeret prudentia, quantumuis magna, pecunia tamquam neruis deſtituta? Videbat Auguſtus, non poſſe diuturtur-

(a) *Annal. Lib. I. cap.* 3.
(b) SVETON. *Aug. cap.* 37.
(c) §. 8. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciuil. L.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.*

Digitized by Google

turnum eſſe, quod terrore et truculento ſatellitum vultu contineatur, imperium. Ipſe aliam viam ingreſſus, eos, qui ingenio et virtute eminerent, ſpe honorum atque opum; militem donis; populum annona et congiariis; cunctos dulcedine otii pellicere decreuerat. At ſic verum eſſe experiebatur, quod ait DEMOSTHENES (a): Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων: *opus eſt opibus, nec ſine iis quidquam fiet, quod opus erit.* Tot ſane largitionibus, quas populus a principe flagitabat, vix Croeſi opes ſufficere videbantur, nedum aerarium, tot Pompeii, Caeſaris, Bruti, Caſſii, Antonii, aliorumque turbulentorum ciuium rapinis exhauſtum. Et tamen ciues, quorum animis atrox priſtinae libertatis memoria inſederat, tributis et vectigalibus ad mendicitatem redigere, prouincias exactionibus et rapinis vexare, aerarium calumniis, delationibus, et crimine eorum, qui crimine vacarent, locupletare, inciuile, nec ſui ſaeculi eſſe intelligebat. At nec hic defeciſſe videmus Auguſti prudentiam. Vitiis in dedecus publicum gliſcentibus partim exemplo, partim legibus ſaluberrimis de iudiciis publicis, medicinam parabat. Et ſane quum ipſe clementia, benignitate, diſciplina domus, temperantia omnibus praeiret exemplum: quem ciuium fuiſſe exiſtimes tam improbum, vt non pudore ſaltim in officio contineretur? *Flexibiles in quamcumque partem*, inquit PLINIVS (b), *ducimur a principe, atque, vt ita dicam, ſequaces, ſumus. Huic enim cari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperauerint diſſimiles: eoque obſequii continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus.* Quis deinde ſublata ſpe impunitatis, vitia non horreat, niſi ad omne ſcelus profligatus? Denique de aerario quid dicamus, quod bonis artibus ita explebat Auguſtus, vt iam non ſpoliarium eſſet, ſed aerarium, ſed templum, et immenſarum tamen opum receptaculum? Inuenerat iam ante ſe inſtitutum vectigal centeſimarum rerum venalium; ipſe viceſimas hereditatum addiderat, *tributum*: vt PLINIVS (c) vocat, *tolerabile, et facile heredibus, dumtaxat extraneis*. Quae antea magiſtratuum largitionibus interierant, praedas, agrorum publicorum penſiones, metalli fodinarum reditus, ipſe in publicum iſtum theſaurum conferebat. Legibus, Aelia Sentia et Fuſia Caninia libertatibus modum ponebat, vt eo locupletiores eſſent domini et patroni, tantoque plus viceſimarum nomine aerario penderent. Pleraque crimina, quae alioquin legiſlatores vltore ferro perſequuntur, ipſe ſaltim in opulentioribus deportatione in inſulam expiari iuſſerat, vt eadem opera et clementiae daret exemplum, et opes ſceleratorum hominum in aerarium

(a) *Olynth. I.*
(b) *Paneg. cap.* 45.
(c) *Ibid. cap.* 37.

Digitized by Google

rium influerent (*a*). His artibus Auguſtus opes immenſas congeſſit, his et tot ſuffecit largitionibus, quae fere fidem hodie ſuperant, et tot magnificis operibus exſtruendis, quibus marmoream ex lateritia Romam reddebat, et tot alendis legionibus, quae pace belloque pro rei publicae ſalute excubarent, et iis demum gerendis rebus, quibus omnibus omnium gentium viris induceret caliginem (*b*).

Cum omnes autem Auguſti leges admiratione digniſſimae ſunt, tum inprimis LEX PAPIA POPPAEA, quam iam ſenior incitandis caelibum poenis, augendoque aerario poſt Iulias rogationes ſanxit. Nihil illa lege Roma vidit prudentius ſcriptum, nihil, vt ita dicam, πολιτικώτερον, nec errare eum dixerim, qui eam rogationem praecipuum fuiſſe cenſeat principatus ab Auguſto inſtituti firmamentum. Cauſſa ferendae legis honeſtiſſima, vt Romani adulteriis et vagae Veneri adſueti praemiis et poenis ad ducendas vxores, et prole locupletandam rempublicam adducerentur. Et eo tamen obtentu et auctoritatis ſuae edebat ſpecimen, et ius antiquum maximam partem ad ſtatum praeſentem inflectebat, et aerarium, praecipuum illud dominatus ſubſidium, in immenſum locupletabat. Auctoritatis ſuae numquam dedit experimentum luculentius, quam quum legem ſemel antiquatam, et vix auctis praemiis, lenitaque parte poenarum perlatam (*c*), fremente necquidquam ordine equeſtri (*d*), multo, quam antea, ſeueriorem ſuffragiis populi ſubmitteret. Non placuerat ea lex ſenatui (*e*): equites eius abolitionem flagitantes parum a tumultu abſuerant (*f*): ipſi conſules, legem aduerſus caelibes et orbos rogaturi, nec mariti, nec parentes erant (*g*), adeoque, quod facile eſt ad intelligendum, ita rogabant, vt diſſuadere malle viderentur, ſi per ſaeculum licuiſſet. Et tamen ea omnia perrupit Auguſti conſtantia et prudentia plane ſingularis, effecitque non vi, ſed auctoritate, vt lex omnibus exoſa omne tamen punctum ferret. Et quaenam vero lex? Non ſane illis antiquis ſimilis, quae ciuium Romanorum iura adaugeret, non tribunicia, quae plebi aduerſus magiſtratuum potentiam praeſidia circumponeret: ſed iuris antiqui expultrix, noui auctor, et, vt paucis dicam, vere μοναρχικὴ. Arctiſſimis limitibus circumſcribebat matrimonia, vt eo plures dotes publicarentur. In petendis gerendiſque magiſtratibus eos, quibus plures liberi eſſent, praeferri iuſſerat, vt ſemper eſſet in manu principis, quos vellet magiſtratus crea-

(a) *L.* 1. *pr. D. de bon. damnat.*
(b) TACIT. *Annal. Lib. III. cap.* 17.
(c) SVET. *Aug. cap.* 34.
(d) DIO *Lib. LVI. pag.* 572.
(e) DIO *Lib. LIIII. pag.* 532.
(f) DIO *Lib. LVI. pag.* 572.
(g) DIO *Lib. LVI. pag.* 573.

Digitized by Google

creari. Si enim duos caelibes et vnum maritum, vel duos orbos et vnum parentem, vel duos pauciorum vnumque plurium liberorum parentem commendaſſet populo: quis dubitet, quin iam praeſcire potuerit, quem reliquis praeferri oporteret? Dum porro haec lex coniuges, niſi certis caſibus, inter ſe capere vetuit, dumque quoſdam nihil, alios ſolidum non capere paſſa eſt: permultum derogauit veteri illi ciuium Romanorum priuilegio: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT DE PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. Nec minus veteri connubiorum iuri multum deceſſit circumſcripta diuortiorum licentia; patriae poteſtati iniuncta parentibus neceſſitate elocandi liberos: iuri libertinorum auctis patronatus iuribus. Sic nulla fere lex per plures iuris vniuerſi articulos ſe diffudit, nulla plura nouauit, et ad ſtatum monarchicum inflexit, quam PAPIA POPPAEA. Quid dicam de aerario, in quod maximam priuatarum facultatum partem migrare oportebat, tot publicatis dotibus, tot conſtitutis bonorum generibus, quaſi caducis, caducis, ereptitiis, vacantibus: tot denique praemiis curioſitati delatorum propoſitis. Et tamen nulli vis fiebat, nulli innoxio ſtruebantur inſidiae, ſed laſciuis, qui vagam Venerem honeſtae coniunctioni anteferrent, ſed ſtolidis et malis ciuibus, qui parere nollent legi ſaluberrimae. Quae, tantum abeſt, vt iniqua viſa ſint viris bonis, vt hoc inter bonos maloſque principes diſcrimen ſtatuerit PLINIVS (a), quod ſub illis *fiſcum et aerarium Voconiae et Iuliae leges*; ſub his *ſingulare maieſtatis, et vnicum crimen eorum, qui crimine vacant, locupletare ſoleant*.

Talis eſt lex illa, quam illuſtrare conati ſumus, celeberrima. Et quamuis praeſtantia eius vel ſola me mouere potuiſſet, vt in ea exercerem ingenium: fuere tamen et alia, quae currenti calcar adderent. Obſeruaueram, praeter CELSVM, qui obiter hanc legem ſeptem Pandectarum libris expoſuerat, ſex iureconſultos, TER. CLEMENTEM, IVNIVM MAVRICIANVM, MARCELLVM, CAIVM, VLPIANVM, et PAVLLVM iuſtos ad illam commentarios ſcripſiſſe. Videram, ex iſtis operibus centum nonaginta nouem in Digeſtis ſupereſſe fragmenta, per omnia fere iuris capita diſperſa. Intelligebam, ante IACOBVM GOTHOFREDVM, qui primus legem hanc ordini integritatique ſuae reſtituere conatus erat, pleroſque interpretes iſtos textus vel plane non intellexiſſe, vel ſaltim ad ſpecies genuinas fere numquam retuliſſe, adeo, vt aliquando tribus quatuorue adhibitis in conſilium, repetere cogaris illud Demiphontis apud TERENTIVM (b):

Feciſtis

(a) *Paneg. cap.* 42.
(b) *Phorm. act. II. ſcen.* 4. *v.* 18.

Feciſtis probe:
Incertior ſum multo, quam dudum.

Non ignorabam porro, potiſſimum interpretationis momentum in iis, quae antecedunt, quaeque conſequuntur, locisque ſimilibus, vel, vti HVGO GROTIVS adpellare ſolet, in coniunctis re et loco, poſitum eſſe, nec accurate intelligi poſſe verba ex medio textu decerpta, niſi in ſuam quaeque ſedem locumque reſtituantur. Poſtremo noueram equidem, virum eximium, et huius myſterii probe gnarum, IAC. GOTHOFREDVM, legi noſtrae hanc operam nauaſſe, vt ſingulos iuris textus ſuo quosque capiti aptaret: ſed experiundo tamen deinde didiciſſe mihi videbar, eumdem in multis haud leuiter alucinatum. Dum enim varias leges Papias confudit: dum aliqua ex legibus Iuliis de adulteriis et iudiciorum publicorum Papiae Poppaeae adſuit: dum quaedam maximi momenti capita praetermiſit, quaedam in ſenſum plane alienum detorſit: dum SCta atque interpretamenta ICtorum veterum ab ipſa lege non ſatis accurate ſecreuit: dum denique ſibi omnia indulſit in emendandis, fingendis, refingendisque legum inſcriptionibus: fieri profecto non potuit, quin poſt meſſem eius magnum aliis idem ſaxum voluturis ſpicilegium ſupereſſet. Quae quum ita ſint, operae pretium mihi videbar facturus, ſi pulcherrimae legi aliquid temporis darem, et hunc commentarium conficerem, non verboſum illum quidem et diffuſum, ſed tamen non inutilem, vti ſpero, verae iuris prudentiae ſtudioſis futurum.

Ne autem, quid a me praeſtitum ſit, ignores, primo non GOTHOFREDI hic repeto commentarium, aut eumdem obſeruationibus quibusdam ex adverſariis meis augeo: ſed primo LEGIS noſtrae hiſtoriam prioribus libri primi capitibus quam accuratiſſime expono, in eam ſemper ingreſſus ſententiam, eſſe hoc in vniuerſa iuris prudentia addiſcenda inprimis vtile ac frugiferum, legum iuriumque cauſſas et origines perſpecta habere, vt inde, quid rei publicae noſtrae rationibus conueniat, quidue extra vſum ſit, colligamus. Quod et laudatiſſimo IAC. GOTHOFREDO ita viſum, qui in *praefatione* eruditiſſimae *diſſertationis ad L. Quiſquis C. ad leg. Iul. maieſt.* non abs re optat, *vt iurium politicae et hiſtoriae rationes ex imperii Romani ſtatu diligentius eruantur, vnde iudicium facile fieri poſſit, an et quatenus ea in vſus hodie derivari queant.*

Deinde oſſa huius legis, vt ita dicam, cum cura legi, adhibitisque veterum teſtimoniis omnibus, et maxime ICtorum fragmentis, nec non in parte poſteriore *lege vnica C. de caduc. toll.* capita iſtius ordini integritatique ſuae reſtitui. Qua in re quam taedioſum deuorarim labo-

rem, ii demum intelligent, qui vmquam ſimili in argumento exercuerunt ingenium. Nimirum quum iuuenis, factis primis iuris prudentiae ſtipendiis, legendo meditandoque me interiori et acroamaticae artis noſtrae intelligentiae praeparare coepiſſem: illico ſane deprehendi, fundos iuris prudentiae noſtrae praecipuos eſſe EDICTVM PRAETORIS et AEDILITIVM, variaſque leges, veluti IVLIAM et PAPIAM POPPAEAM, AELIAM SENTIAM, FALCIDIAM, AQVILLIAM, IVNIAM NORBANAM, IVNIAM VELLEIAM, CORNELIAS item, POMPEIAS, IVLIAS, et FABIAS de iudiciis publicis, praeterea SCta quaedam celebriora, veluti MACEDONIANVM, VELLEIANVM, SILANIANVM, TREBELLIANVM, TERTVLLIANVM, ORFITIANVM, et ſimilia: poſtremò libros quoſdam veterum ICtorum, puta SABINI, LABEONIS, ALFENI, PLAVTII, VITELLII, MINVCII, IVLIANI, CELSI, PAPINIANI. Hos, inquam, videbam iuris prudentiae noſtrae fundos eſſe, quia veteres iuris conditores ea ſcripta omnia certatim ſuis commentariis illuſtrarunt, ex iiſque maxima pars legum in Pandectis ſuperſtitum decerpta eſt. Coepi itaque de reſtituendo eorum monimentorum ordine cogitare, conſiderataque textuum ex eodem libro ſuperſtitum ἀλληλουχίᾳ fragmenta ad ſuam quaeque ſpeciem, ſuumque locum et titulum referre: Quumque iam pridem in ſcriniis mea latitarint *edictum perpetuum, edictum aedilitium, leges Iulia et Papia, Aelia Sentia, Iulia de adulteriis*, itemque *libri Sabini*, *Alfeni*, *Plautii*, *Celſi*, *Iuliani*, *Vlpiani*, *Marciani*, ita diſpoſita, vt, quae ſingulis libris capitibuſque doctrinae pertractatae, quaeque fragmenta inter ſe coniungenda coaſſandaque ſint, paucis notarim: ſpecimen huius induſtriae meae iam dare decreui LEGEM PAPIAM POPPAEAM, tum quod plura ad eam monda viderentur, tum quod eam paullo pleniorem fuiſſe exiſtimarem, quam a IAC. GOTHOFREDO datam memineram.

Hinc porro dedi operam, vt, ad quae legis capita, quin et verba capitum, ſinguli veterum textus, ex eorum commentariis ad hanc legem in Pandectis ſuperſtites pertinuerint, quaeque ipſis ſpecies ſubiicienda ſit, breuiter oſtenderem.

Praeterea ſingula legis capita ita expoſui, vt non modo iura traderem, ſed & iis, quae alioquin obſcura eſſent, ex philologia et antiquitatibus Romanis lucis aliquid accenderem, imitatus magna in arte noſtra nomina, ALCIATOS, CVIACIOS, BRISSONIOS, BALDVINOS, HOTOMANOS: MERILLIOS, GOTHOFREDOS, HVBEROS, NOODTIOS, et qui etiamnum maleulae iſtius atque elegantioris iuris prudentiae laudem in Belgio noſtro tuentur, BINKERHOEKIOS, SCHVLTINGIOS, ECKIOS, OTTONES, WIELINGIOS,

Nulla dies vmquam memori quos eximet aeuo.

Nos

Digitized by Google

Non ſolent haec ad paatum eſſe iis, qui ſolius Bartoli deliciis paſcuntur: meminique, quum *Antiquitatum Romanarum ſyntagma* in vſum auditorum edidiſſem, cauſſidicum veteranum, καλαμοβόαντα, omniaque ſpecula ob faciem Silenianam, praeter illud Durandi, peroſum, hunc libellum ferre non potuiſſe. Sed non inuideo iſtis labellis ſuas lactucas, quibus recreatus ipſe ne Ioui quidem ambroſiam ſuam inuidere ſolet. Abundare illum patior iudicio ſuo, tam a reliquorum hominum ſenſu abhorrente, vt quum libellum, quem edidit, lepidiſſimum ad piper et thus damnarit ſaeculum hoc faſtidioſiſſimum, meus, quem ad Garamantas relegandum putabat, emtorem vbique repererit, vt iure dicere poſſim cum MARTIALE (a):

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe poetam:
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Denique, tantum abeſt, vt belli iſtius Sabelli irae ſuccenſeam, (nec enim ignoro, quantae ſint animis caeleſtibus irae,) vt potius ipſi apprecer bonam mentem, clienteſque multos, diuites, quin et, ſi ita mereantur, tam ſtolidos et litigioſos, vt ei velint capita et fortunas credere, cui forte nemo calceandos commiſiſſet pedes.

Ad inſtitutum noſtrum vt redeamus, in legum interpretatione ita verſati ſumus, vt ab emendationibus, niſi res ipſa poſtulare videretur, abſtineremus, ſaepius eas ab aliorum vi maiore defenderemus. Aliquando tamen et ipſi aliquid auſi ſumus, non criticum adfectantes acumen, ſed veniam ſperantes coniecturis, quos et modeſtia plerumque commendabit, et excuſabit neceſſitas.

Idem et in aliorum auctorum locis aliquando fecimus, parum veriti, ne falcem in alienam meſſem immitteremus. Publica enim ſunt haec ſacra, non eorum propria, qui myſtarum in illis munere funguntur, iniuriae merito poſtulandi, ſi alios, qui ſplendidum criticorum nomen nec adfectant, nec ferunt, abſtentos reddere, et ſibi ſolis haec myſteria vindicare auderent.

Haec ſunt, LECTOR CANDIDE, quae te volui. Tu faue, iſis, adeſtoque animo, et rem cognoſce, vt pernoſcas, ecquid ſpei ſit reliquum, et poſthac, ſi quos fecero de integro commentarios, legendi, an exigendi tibi ſint prius. VALE. *Franequerae Friſior. Kal. Octobrib.* cIɔIɔccxxv.

NB. Dedicatio inter alteras Dedicationes in Sylloge IIII. reperietur.

IN-

(a) *Epigr. XVIII. 194.*

INDEX CAPITUM.

L I B. I.

De Legis Iuliae et Papiae hiſtoria.

Cap. I. *De variis Legibus Papiis, a Papia Poppaea diſcernendis.* pag. 1
Cap. II. *De variis variarum gentium, in primis Romanorum, inſtitutis, quibus πολυτεκνίαν promotum iuere.* 13
Cap. III. *De occaſione legum Iuliae et Papiae, totiuſque illius legislationis hiſtoria.* 30
Cap. IIII. *De M. Papio Mutilo, et Q. Poppaeo ſecundo coſſ. et utriuſque gentibus & familiis.* 41
Cap. V. *De legis Papiae Poppaeae partibus et capitibus, et quomodo ea ordini ſuo reſtituenda ſint.* 49

L I B. II.

Ad legem de maritandis ordinibus.

Cap. I. *De ſenatorum, eorumque liberorum et reliquorum ingenuorum, nuptiis.* 83
Cap. II. *De* iiſdem. 108
Cap. III. *De ſexagenariis, quinquagenariis et ſpadonibus.* 121
Cap. IIII. *De concubinatu.* 131
Cap. V. *De ſponſalibus.* 140
Cap. VI. *De poenis iniuſtarum nuptiarum.* 149
Cap. VII. *De priuilegiis maritorum et parentum in gerendis petendiſque honoribus.* 155
Cap. VIII. *De immunitate ob liberorum numerum.* 164
Cap. VIIII. *De iure Quiritium ob liberos conſequendo.* 171
Cap. X. *De liberti liberatione ab operis ob numerum liberorum.* 181
Cap. XI. *De liberatione mulierum a tutela ob numerum liberorum.* 186
Cap. XII. *De diuortio libertae probibito.* 194
Cap. XIII. *De tutore mulieri dotis cauſſa dando.* 202
Cap. XIIII. *Ad leges decimarias.* 205
Cap. XV. *De ſolidi capacitate.* 218

Cap. XVI. *De legatis et libertate data ſub conditione caelibatus.* 233
Cap. XVII. *De iure adfinitatis inter vitricum vel nouercam et priuignos, ſoceros item et generum vel nurum.* 243
Cap. XVIII. *De priuilegiis abſentium reip. cauſſa, et indulgentia ſenatus.* 249
Cap. XVIIII. *De diuortii modo et poena.* 255
Cap. XX. *De cogendis parentibus ut liberos elocent.* 263
Cap. XXI. *De poenis caelibatus et orbitatis.* 265
Cap. XXII. *De iuribus patronatus.* 273

L I B. III.

Ad legem caducariam, vel de caducis.

Cap. I. *De nomine, fine et capitibus legis caducariae.* 283
Cap. II. *De aditione hereditatis, et quando dies legatorum cedat.* 295
Cap. III. *De iis, quibus caduca deferuntur.* 301
Cap. IIII. *De his, quae pro non ſcriptis habentur.* 305
Cap. V. *De cauſſa caduci.* 311
Cap. VI. *De caducis.* 316
Cap. VII. *De bonis ereptitiis et vacantibus.* 325
Cap. VIII. *De fraudibus aduerſus h. l. admiſſis.* 332
Cap. VIIII. *De iure adcreſcendi, tranſmittendi, et de tacitis fideicommiſſis.* 337
Cap. X. *De praemiis delatorum et oneribus fiſci.* 347

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. GOTTLIEB HEINECCII
AD LEGEM IVLIAM
ET PAPIAM POPPAEAM
COMMENTARIVS.

LIBER I.
DE LEGIS IVLIAE ET PAPIAE HISTORIA.

CAPVT I.
DE VARIIS LEGIBVS PAPIIS, A PAPIA POPPAEA DISCERNENDIS.

I*Nſtituti ratio.* I. *Lex* PAPIA *de virginibus Veſtalibus. Mos capiendi virgines antiquiſſimus. Capiebantur initio a regibus, deinde a pontificibus maximis. Quid noui inuectum ſit lege Papia? Olim virgines Veſtales e ſolis patriciis puellis lectae, poſt legem Papiam etiam e plebeiis. An Veſtale ſacerdotium ſemper manſerit in poſſeſſione patriciarum?* Paullus Merula *notatus. Virginum electio et ſortitio a Papio inuenta. An eius lex ſit pars Papiae Poppaeae?* Paulli Merulae, Iac. Gothofredi, *et* Iani Vinc. Grauinae, *ſententia expenſa. Lex Papia anterior Auguſti imperio, et lege Ogulnia de ſacerdotiis non multo poſterior eſt.* II. *Lex* PA-

PIA *de ſociis nominis Latini in ſuas ciuitates remittendis. Latini ſaepe irrepere conabantur in tabulas cenſuales. Latinorum magiſtratuum querelae.* Lex CLAVDIA *ea de re lata, nec non lex* LICINIA *et* MVCIA. *Cauſſa belli Marſici et ſocialis. Lex haec Papia perperam exploſa a* Steph. Vin. Pighio. *Ab aliis cum lege Papia de peregrinis perperam confuſa. Quando illa lata ſit?* III. *Lex* PAPIA *de peregrinis. Eius hiſtoria, et cauſſae. Iniquum de illa Ciceronis iudicium. Saepe peregrini ob inteſtinos tumultus vel annonae grauitatem vrbe exceſſe iuſſi. Lex* IVNIA *Penni.* IIII. *Lex* PAPIA POPPAEA. *Varia eius nomina.* Κατ' ἐξοχὴν *veteribus dicitur* LEX, NOMOΣ, vel NOMOI. *Ea per multa ſaecula recitata in ſponſalibus.* Terentius, Clemens, Caius, Vlpianus, Marcellus, Mauricianus, Paullus, *eam commentariis illuſtrarunt. An et* Octauenus? Torrentii, Lipſii, Fr. Balduini, Io. de Parera, Ramez de Manzano, Iac. Gothofredi, M. Vertranii Mauri, Ferd. Paez, Ian. Vinc. Grauinae, *aliorumque commentarii ad illuſtrandam hanc legem comparati. Huius legis capita ius tantum non vniuerſum peruadunt. Tractationis ordo et partitio.*

LEGEM PAPIAM POPPAEAM, qua vix vlla in principe terrarum ciuitate celebrior exſtitit, paullo accuratius expendere, conſilium eſt. Ad id vero priuſquam accingar, facturum me arbitror operae pretium, ſi hoc capite de aliis, quibus gens PAPIA nomen fecit, legibus, quaedam praemittam, maxime quum diuerſas illas Papiorum rogationes non ſatis ſegregare ac diſtinguere ſoleant viri ceteroquin eruditiſſimi, ſed eas aliquando cum ipſa lege PAPIA POPPAEA perperam confundant. Quare magnopere noſtra refert, leges, quarum veteres paſſim meminerunt; PAPIAS accurate ſecerni, expendique, quantum fieri poteſt, diligentiſſime.

I. Vetuſtiſſima, omnium, ex mea quidem ſententia, eſt lex PAPIA DE VIRGINIBVS VESTALIBVS, de qua luculentum hoc exſtat A. GELLII (a) teſtimonium: *ſed* PAPIAM LEGEM *invenimus, qua cauetur, ut pontificis maximi arbitratu viginti e populo virgines legantur, ſortitioque in concione ex eo numero fiat, et cuius virgo ducta erit, vt eam pontifex maximus capiat, eaque Veſtae fiat.* Quibus GELLII verbis vt aliquantulum lucis adfundamus, primum, quid ſancitum cautumque ea lege fuerit, ac deinde cuius illa aetatis ſit, paucis diſpiciemus.

Errore procul dubio grauiſſimo ſeſe obſtringeret, qui ipſum ſacerdotes Veſtales capiundi ritum ex hac demum lege Papia arceſſere non dubitaret. Morem enim illum ſaltim a Numae temporibus conſtanter viguiſſe, inter omnes conſtat. Quemadmodum enim alii ſacerdotes in comitiis CREARI, alii ab ipſo collegio COOPTARI, alii PRODI ſolebant: ita flamines diales, (b) augures, (c) et virgines Veſtales, ex Numae inſtituto, CAPI, id eſt, vti GELLIVS (d) interpretatur, *manu prehenſos prehenſasue, ab iis parentibus, quorum in poteſtate erant, veluti* BELLO CAPTOS CAPTASVE

AB-

(a) *Lib.* I. *cap.* 12.
(b) LIV. *Lib.* XXVII. *cap.* 8.
(c) *Ibid.*
(d) *Ibid.*

Digitized by Google

ABDVCI, oportebat. Quem ritum a Numa poſteris veluti per manus traditum eſſe, vel inde patet, quod illum religioſiſſimum principem quatuor puellas Veſtae cepiſſe tradunt auctores grauiſſimi, PLVTARCHVS (*a*), et DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*b*).

Neque exiſtimandum porro ius iſtud capiundi Veſtales hac demum lege ad pontifices maximos fuiſſe deuolutum. Tametſi enim Numa ipſe illam ſacrorum Veſtae procurationem puellis mandabat, eodemque exemplo et ſucceſſoribus ſuis ius virgines legendi eſſe cupiebat, et hinc diſerte ſcribit DIONYSIVS (*c*): Αἱ δὲ θεραπεύουσαι τὴν θεὸν παρθένοι τέτταρες μὲν ἦσαν κατ' ἀρχάς, ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ αὐτὰς ΑΙΡΟΥΜΕΝΩΝ, ἐν οἷς κατεστήσατο δικαίοις ὁ Νομᾶς: *virgines autem, quae Veſtae deae ſacris operabantur, quatuor erant ab initio, et ius eas* CAPIVNDI, (ita vertendum illud αἱρουμένων, non vti a FRIDR. SYLBVRGIO factum, OPTANDI,) PENES REGES *eſſe Numa voluit*: abrogato tamen regibus imperio, hunc morem ipſa ſoluit neceſſitas, eaque cura ſtatim penes pontificem maximum eſſe occoepit. Sane iam circa a. v. c. *336.* nondum centum annis ab eiecto Tarquinio elapſis, pontificem maximum, tamquam Veſtalium antiſtitem, cauſſas earum cognouiſſe, animaduertiſſe in ſontes, innoxias abſoluiſſe, eaſque ad digniores ſacerdotio mores cohortatum eſſe, vel Poſtumiae, ſacerdotis Veſtae, exemplum apud LIVIVM (*d*), ſatis ſuperque euincit.

Quae quum ita ſint, duo in primis ſuperſunt, quae antiquo iuri ſurrogauit lex Papia, quorum alterum ad virginum capiendarum perſonam, alterum ad ipſum capiundi ritum videtur pertinuiſſe. De illa permulta veteri iure pontificio, GELLIO (*e*) teſte, prodita fuerant, veluti ne caperetur minor annis ſex, maior annis decem, nec quae non ſit patrima et matrima, vel quae lingua debilis, vel ſenſu aurium deminuta, aliaue quauis corporis labe inſignita, vel quae denique ipſa, cuiusue pater emancipatus eſſet, vel cuius parentes ambo alterue ſeruiiſſent, aut in ſordidis verſati eſſent negotiis. Enim vero et haec omnia e Numae regis commentariis videntur promanaſſe. Hunc enim creato a ſe pontifici maximo talia exſcripta exſignataque attribuiſſe, tradit LIVIVS (*f*), additque DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*g*), multa in his ſacris Numae commentariis πρὸς τοὺς ἐπιμεληθησομένους ἱερῶν ἱερεῖς, ἁγνείας τε καὶ θρησκείας, καὶ καθαρμοὺς, καὶ τὰς ἄλλας θεραπείας καὶ τιμάς, *ad ſacerdotes, qui ſacra curarent, eorum ſanctimoniam, caerimonias, luſtrationes, alioſque deorum cultus* pertinuiſſe. Nihil itaque hactenus noui ex lege Papia manauit. Id vero initio dubium atque ambiguum videbatur Romanis, poſſetne ſaluo iure pontificio et plebeii ſanguinis puella Veſtae capi? quandoquidem in vniuerſum voluerat Romulus apud DIONYSIVM (*h*), ΙΕΡΑΣΘΑΙ τοὺς εὐπατρίδας, καὶ ἄρχειν, *vt* SACRA CVRARENT *magiſtratuſque gererent patricii*. Quare nec ſacra Veſtae obibant puellae, niſi patricia nobilitate inſignes. Anno ſane ab *v. c. 453. Q. Appuleio Panſa* et *M. Valerio Coruo coſſ.* diſcorde ſecum ipſa ciuitate, et inteſtino inter patres plebemque flagrante odio, P. Decius Mus, tribunus plebis, ſacerdotia communicaturus cum plebe, graui oratione vrget, *plebem iam*

(a) In *Numa pag. 66.*
(b) *Lib. II. cap. 68.*
(c) *Ibid.*
(d) *Lib. IIII. cap. 44.*
(e) *Lib. I. cap. 19.*
(f) *Lib. I. cap. 20.*
(g) *Lib. II. cap. 65.*
(h) *Lib. II. pag. 83.*

in poſſeſſione eſſe VNIVS *ampliſſimi* SACERDOTII, *decemuiroſque ſacris faciundis carminum Sibyllae, et fatorum populi Romani interpretes, antiſtites Apollinaris ſacri, caerimoniarumque aliarum etiam e plebe legi* (*a*). De ſacerdotio Veſtae nihil addit Decius, tanto minus illud, ſi iam promiſcuum fuiſſet, omiſſurus, quanto illud Romae erat honorificentius. Itaque ſaltim ad illum annum 453. nondum ſibi plebeiae viam in Veſtae atrium emuniuerant. Nec deinde lege Ogulnia, quae eodem tempore perferebatur, aliud cum plebe ſacerdotium communicatum legimus, quam pontificatum et auguratum (*b*). De virginibus Veſtae tum e plebe captis, nec LIVIVS, nec quiſquam veterum aliquid memoriae prodidit. Fortaſſis nec ea de re magnopere laborabant plebeii, quum ſplendidum iſtud Veſtae ſacerdotium cum maximo puellarum taedio, et cum incredibili parentum dolore coniunctum videretur.

Verum operoſa illa ignis perpetui cuſtodia, qua defungendum erat Veſtalibus, plebeiis demum cum patriciis communis eſſe coepit per hanc ipſam LEGEM PAPIAM, qua cautum fuiſſe ait GELLIVS, *ut pontificis maximi arbitratu viginti virgines* E POPVLO *legerentur. Populi* autem adpellatione *vniuerſos ciues ſignificari*, CONNVMERATIS *etiam* PLEBEIIS, nec dupondii ignorant (*c*). Quae quum ita ſint, allucinari merito dixero PAVLLVM MERVLAM (*d*), et, qui illum ſequuti ſunt, alios, dum ex plebe vmquam aut Potitos, aut Pinarios, aut Lupercos, aut fratres aruales, aut curiones, aut virgines Veſtales fuiſſe negant, eaque ſacerdotia ſemper in poſſeſſione patriciarum gentium permanſiſſe, magna adſeueratione contendunt. Quos ſane vel lapides in viam potuiſſent reducere, in quibus laudantur FL. MANILIA, V. V. MAX. (*e*) TERENTIA RVPILLA, V. V. MAX. (*f*) COELIA CLAVDIA V. V. MAX. (*g*) Gentes autem *Maniliam*, *Terentiam*, *Coeliam* plebeias fuiſſe, inter omnes conſtat, et pluribus probatum eſt a V. C. FVLVIO VRSINO (*h*). Accedit, quod circa Auguſti tempora ſancitum fuiſſe refert DIO CASSIVS (*i*) *καὶ ἐξ ἀπελευθέρων γεγεννημένας ἱερᾶσθαι, ut eo Veſtae ſacerdotio et ex* LIBERTINIS *natis fungi liceret*. Quis vero non gradu, ſed praecipiti curſu ad hunc infimum ordinem itum eſſe, ac Romanos prius libertinas, quam plebeias ingenuas et honeſtiore loco natas ad focum vrbis vigilemque pro imperio flammam cuſtodiendam admiſiſſe, ſibi perſuaſerit?

Primum hoc eſt, quod de perſona Veſtalium ſanxerat lex PAPIA: alterum ad ipſum capiundi modum pertinuiſſe diximus. Iam inde ab vrbis incunabulis virgines impuberes, etiam inuitae, capi, et e parentum ſinu atque amplexibus in Veſtae atrium, tamquam ad ſupplicium, abripi conſueuerant. Flebile hoc ſpectaculum parentibus, quibus cariſſima pignora religionis obtentu inuitis extorquebantur: multoque flebilius ipſis puellis, quibus intercepta propemodum nuptiarum ſpe, Veſtae delubrum viuis loco ſepulcri erat futurum, quibuſque grauiſſimus imminebat diri ſupplicii horror, ſi vlla in re defuiſſent officio, vel cum viro, tam lubrica et procliui ad peccandum aetate, conſueſſent. Quare procul dubio ipſi parentes ſollliciti de

(a) LIV. *Lib. X. cap.* 8.
(b) *Ibid. cap.* 9.
(c) §. 4. *Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.*
(d) *De leg. Rom. Lib. II. cap.* 11.
(e) GRVT. *pag.* 319. *n.* 5.
(f) *Ibid. pag.* 312. *n.* 3.
(g) *Ibid. pag.* 310. *n.* 2.
(h) *De famil. Rom. p.* 79. *et* 273.
(i) *Lib. LV. p.* 643.

de ſuarum ſalute quam maxime abhorrebant ab hoc ſacerdotio, manibuſque et pedibus obnixe omnia faciebant, ne qua filiarum ſuarum Veſtae caperetur a pontifice. Diſerte ſane ſcribit Dio (a); *Οὐ ῥᾳδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς τὰς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς Ἑστίας ἱερατείαν ἐπεδίδοσαν: ingenui*; (male Xylander, iam a Lipsio notatus, vertit *nobiles*,) AEGRE *ſuas filias ad ſacerdotium Veſtae dabant*. Et Svetonivs (b) refert, quum Auguſti temporibus in demortuae Veſtalis locum alia capienda eſſet, AMBIISSE *multos*, NE *filias in ſortem darent*. Ne itaque Veſtae ſacra deſtituerentur, ipſaque Veſtalium electio paullo moleſtior parentibus accideret: prudenter hac lege ſanxerat Papivs, primum, VT VIGINTI E Popvlo Virgines legerentvr, quo ſors ita per plures ſparſa eo leuior accideret: deinde vt ea electio Pontificis Max. arbitratv fieret, ne forte virgo, cui per ius pontificium Veſtae ſacra facere, flammamque peruigilem nutrire haud liceret, iſtud contaminaret ſacerdotium: tum porro, VT EX VIGINTI ILLIS SORTITIO IN CONCIONE FIERET, quo virgo, cui ſacerdotium forte eueniſſet, quaſi diuinitus lecta crederetur: denique, VT CVIVS VIRGO SORTE DVCTA ESSET, EA CAPERETVR A Pontifice, et Vestae fieret, ne quid antiqui moris et inſtitutorum ab ipſo Numa rituum temere omitteretur. Ita fere legis Papiae rationes acute expoſuit Ivstvs Lipsivs (c) cuius obſeruationibus hoc addo, ob hanc ipſam ſortitionem Coeliam Claudianam, virginem Veſtalem maximam, in marmore Romano apud Grvtervm (d) vocari A DIIS ELECTAM, ET QVAM MERITO SIBI TALEM Antistitem Nvmen Vestae reservare volverit.

Haec de ipſa lege. At obſcurior craſſiſſimiſque inuoluta tenebris eſt quaeſtio, quo tempore, et a quonam Papio ea perlata fuerit? Pavllvs Mervla (e) inter primos conieciſſe videtur, eam non tam ſingularem quamdam legem, quam celeberrimae illius legis Papiae Poppaeae caput fuiſſe, idemque poſtea, quod mireris, in mentem venit iureconſulto eximio, Iacobo Gothofredo, (f) et elegantiſſimi ingenii viro, Iano Vincentio Gravinae (g). Qui ſi rem acu tetigiſſent, nemini profecto obſcura videri poſſet huius rogationis aetas. Sed ſubuereor, ne quid humani paſſi ſint viri doctiſſimi, neque poſſum ego a me impetrare, vt iis ea in re adſentiar. Nam primo Gellivs non de celebri aliqua lege, et quae tum omnium oculis vſurpabatur, qualis Papia Poppaea erat, ſed de antiqua, obſcura, et pleriſque ignota loquitur, quumque paullo ante de ritu capiendi virgines Veſtales litteras quaſdam antiquiores exſtare negaſſet, mox veluti exceptionem additurus: *ſed* Papiam *legem*, inquit, *inuenimus*. Itane uero ſcribunt, qui monimentum aliquod celeberrimum, et in vulgus notum excitant? Deinde ipſa legis Papiae ſanctio euincit, eam a Papia Poppaea eſſe diuerſiſſimam. Praeterquam enim, quod modus capiundi virgines Veſtales nihil facit ad amplificandam ciuium Romanorum multitudinem, aerariumque augendum, ad quem duplicem finem Papiam Poppaeam comparatam fuiſſe, paullo poſt demonſtrabimus: etiam hac lege noſtra cauetur, vt Veſtalis e numero viginti virginum a pontifice maximo e populo lectarum forte ducatur. Atqui multo ante ea tempora, quibus legem Pa-

(a) *Lib. LV. p.* 563.
(b) *Auguſt. cap.* 31.
(c) *De Veſta et Veſtal. cap.* 6.
(d) *Inſcr. pag.* 310. *n.* 2.
(e) *De leg. Rom. pag.* 275.
(f) *Leg. Pap. Popp. cap.* 3.
(g) *De legib. et SCtis*, §. 44.

Papiam Poppaeam perlatam conſtat. Veſtales e plebe et patriciis promiſcue legebantur, multoque ante adhibita fuit ſortitio. Vtrumque ex laudato DIONIS teſtimonio diſcimus, qui quum legem de ſacerdotio cum ipſis libertinis communicando retuliſſet, addit, facta ſortitione (καὶ ὁ μὲν κλῆρος αὐτῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ ἐγένετο,) nullam tunc libertinam exiiſſe. Accedit, quod GELLIVS, laudata lege PAPIA, pergit (a) *ſed ea ſortitio ex lege Papia non neceſſaria nunc videri ſolet. Nam ſi quis, honeſto loco natus, adeat pontificem maximum, atque* OFFERAT *ad ſacerdotium filiam ſuam, cuius dumtaxat, ſaluis religionum obſeruationibus, ratio haberi poſſit, gratia Papiae legis per ſenatum fit.* Lex itaque PAPIA ſenſim obſoleuit, inuecto more offerendi filias. At multo ante, quam lex Papia Poppaea lata eſt, rationem habitam fuiſſe virginum, a parentibus Veſtae oblatarum; cum e DIONE (b) patet, qui libertinas vel ideo ad hoc admiſſas ſacerdotium teſtatur, ὅτι οὐ ῥᾳδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς ἑστίας ἱερατείαν ΕΔΙΔΩΣΑΝ, *quod ingenui filias haud prompte ad hoc ſacerdotium* OFFERRENT: tum ex loco SVETONII (c), apud quem adfirmat Auguſtus, *ſi neptium ſuarum competeret aetas,* OBLATVRVM *ſe fuiſſe eas.* Quum ergo tum nondum neptium competeret aetas, eaeque vel ſex annis minores, vel decennibus non multo maiores, ſaltim adhuc innuptae, eſſent: conſequens eſt, vt haec diu ante latam legem Poppaeam acta ſint, adeoque iam ineunte Auguſti imperio ratio habita fuerit virginum, quas parentes Veſtae obtuliſſent.

Quamuis itaque certiſſimum videatur, legem hanc de virginibus Veſtalibus a Papia Poppaea diuerſam, eaque multo antiquiorem eſſe: non auſim tamen de anno, quo lata eſt, quidquam pro certo adfirmare. STEPH. VIN. PIGHIVS (d), qui Papium quemdam tribunum plebis ad a. v. c. 504. in faſtos ſuos retulit, eodem anno et legem hanc conditam eſſe, ſuſpicatur. Sed mallem, ille auctorem, cui Papii iſtius notitiam debeat, laudaſſet. Si enim tunc vere tribunus fuerit Papius; vel ideo veroſimile eſt, hac de lege tunc eſſe cogitatum, quod eo ipſo tempore de communicandis cum plebe ſacerdotiis magno animorum motu ageretur. Quemadmodum ergo quadriennio ante ipſum pontificatum maximum, turbata patrum poſſeſſione, primus e plebe geſſerat Tiberius Coruncanus; ita non mirum eſſet, noua rogatione tribunicia paullo poſt et Veſtae ſacerdotium eſſe plebi vindicatum. Sed haec, quantumuis ſpecioſa, nemini ego pro certis temere obtruſerim, niſi Papii tribunatus huius anni e veteris aeui monimentis liquido a viris doctis demonſtretur.

II. Altera lex, cui eadem gens plebeia nomen indidit, eſt PAPIA *de ſociis et nomine Latino*. Meminit illius CICERO (e) meminit et VALERIVS MAXIMVS (f) quorum ille M. Craſſum a Mamertinis, hic M. Pernam a Sabellis iudicio publico ex hac lege repetitum eſſe, memoriae prodidit. Ex vtroque loco, quid hac lege cautum fuerit, ſatis adparet, puta, vt ne ſocii et nominis Latini iura ciuium Romanorum furtim vſurparent, et vt vrbibus in Latio ius eſſet, ciues, qui Romam commigrantes in cenſum irrepſerant, tamquam fugitiuos, et patriae deſertores, publico iudi-

(a) *Lib. I. cap. 12.*
(b) *Ibidem pag. 563.*
(c) *Auguſt. cap. 31.*
(d) *Annal. Tom. II. pag. 52.*
(e) *Orat. pro L. Corneli cap. 23.*
(f) *Lib. III. cap. 4. §. 5.*

iudicio repetere. Origo rei paullo altius repetenda. Iam antiquitus miro ciuitatis Romanae deſiderio flagrabant Latini. Hinc ſi quorum paullo lautior erat fortuna, ii ſcenam ita inſtruere ſolebant, vt largitionibus, aliiſque artibus, in cenſuales Romanorum tabulas irreperent, ciuitatiſque iuribus quocumque modo potirentur. Quo facto, commigrare Romam, gerere ſe pro ciuibus, quin et honores petere conabantur. Verum cum ipſorum Romanorum intererat, iura Quiritium non promiſcue ab omnibus inuadi, tum maxime ipſarum per Latium ciuitatum, quippe quae delibato ciuium ſuorum flore orbatae, vix neceſſarium militem, quem ex foedere debebant Romanis, inueniebant. Hinc iam a. v. c. 564. *M. Aemilio* et *C. Flaminio* coſſ. legatis ſociorum Latini nominis, qui toto undique frequentes ex Latio conuenerant, ſenatus datus eſt, his Livio (*a*) teſte querentibus, *magnam multitudinem ciuium ſuorum Romam commigraſſe, et ibi cenſos eſſe. Q. ergo Terentio Culleoni, praetori, tum negotium datum, vt eos conquireret, et quem C. Claudio et M. Liuio cenſoribus, poſtue eos cenſores, ipſum parentemue eius, apud ſe cenſum eſſe probaſſent, vt redire eo cogeret, ubi cenſi eſſent.* Qua conquiſitione tum duodecim millia Latinorum domos redierunt. Verum id non abſterruit Latinos, quo minus Romanae ciuitatis iura inuaderent. Idem enim auctor eſt Livivs (*b*), anno ab v. c. 576. iterum auditas Romae eſſe legationes ſociorum et Latini nominis, conquerentium, *ciues ſuos*, Romae censos, *pleroſque eo demigrare, quod ſi permittatur, perpaucis luſtris futurum, vt deſerta oppida, deſerti agri, nullum militem dare poſſent.* Addit, paucis interiectis, Livivs (*c*), re expenſa accuratius, a C. Claudio Pulchro latam eſſe legem Clavdiam, *qui ſocii ac Latini nominis ipſi, maioreſque ipſorum, M. Claudio T. Quinctio cenſoribus, poſteaque apud ſocios ac nominis Latini cenſi eſſent, vt omnes in ſuam quiſque ciuitatem ante Kalendas Nouembres redirent.* Genera nimirum fraudis duo mutandae viritim ciuitatis inducta erant. Lex ſociis ac nomini Latino, qui ſtirpem ex ſeſe domi relinquerent, dabat, vt ciues Romani fierent. Ea lege male vtendo, alii ſociis, alii populo Romano, iniuriam faciebant. Nam et ne ſtirpem domi relinquerent, liberos ſuos, quibus Romanis, in eam conditionem, vt manumitterentur, libertinique ciues eſſent, mancipio dabant, et quibus ſtirps ita deeſſet, quam relinquerent, ii ciues Romani fiebant. Poſtea his quoque imaginibus iuris ſpretis, promiſcue ſine lege, ſine ſtirpe in ciuitatem Romanam per migrationem et cenſum tranſibant (*d*). Hiſce ergo fraudibus obiecta lex Clavdia, et ne, ſi poena haud ſequeretur, contemtui eſſet Latinis, quaeſtio de iis, qui ex lege non rediiſſent in patriam, L. Mummio, praetori, decreta eſt, et ad legem ex SC. additum conſulis edictum, *vt dictator, conſul, interrex, cenſor, praetor, qui tunc eſſet apud forum, quem manumitterent, in libertatem vindicaret, ſi iuſiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandae cauſſa manu non mittere: qui id non iuraret, eum manumittendum non cenſuerunt.* Ea lex aliquamdiu viguit, adeo vt proximo luſtro, a. v. c. 580. paullo minus capitum cenſeretur, quia *L. Poſtumius* coſ. teſte eodem Livio (*e*) *pro concione edixerat, vt qui ſocium Latini nominis ex edicto C. Clau-*

(a) *Lib. XXXVIIII. cap.* 3.
(b) *Lib. XXXXI. cap.* 12.
(c) *Lib. XXXXI. cap.* 13.
(d) *Ibid. cap.* 12.
(e) *Lib. XXXXII. cap.* 10.

Digitized by Google

Claudii conſulis redire in ciuitates ſuas debuiſſent, ne quis eorum Romae; ſed omnes in ciuitatibus ſuis, cenſerentur. Tantum vero abeſt, vt lex illa Claudia ſitim deſideriumque ciuitatis Romanae in Latinis exſtingueret, vt potius ex eo tempore, Gracchorum, Appuleii, et Druſi furoribus tribuniciis inſtincti, tanto obnixius omnia agerent, ne exſortes eſſent tam luculenti Quiritium iuris. Nouis itaque ſubinde opus erat rogationibus, qualis, praeter PAPIAM, etiam fuit celeberrima illa lex LICINIA et MVCIA, a duobus ſapientiſſimis conſulibus, *L. Licinio Craſſo* et *Q. Mucio Scaeuola*, lata anno ab v. c. 658. (a) Vtraque actum de regundis ciuibus, cautumque, vt quotquot ſocium Latini nominis ſe pro ciuibus Romanis gererent, in ſuas quique ciuitates remitterentur. Ita enim huius legis ſanctionem deſcribit ASCONIVS PAEDIANVS (*b*), qui et obſeruat, legem hanc, quamuis iuſtam et ſapienter ſcriptam, admodum tamen perniciofam fuiſſe rei publicae, et vel praecipue conflaſſe funeſtiſſimum illud bellum ſociale vel Marſicum, quod vniuerſam paene Italiam vna veluti ruina inuoluit, nec prius extingui potuit, quam a. v. c. 654. lege Iulia cum ſociis, qui in fide manſerant; et proxime inſequente lege Plautia cum reliquis Latinis ac Italis ius ciuitatis Romanae, vti ex CICERONIS (*c*), VELLEII PATERCVLI (*d*), et APPIANI (*e*) teſtimoniis conſtat, communicaretur.

Eiuſdem generis cum *Claudia* et *Licinia Mucia* etiam lex PAPIA fuit, ex qua M. Perpernam Sabelli; M. Craſſum Mamertini iudicio publico repetierunt. De eius aetate, vt fit, in diuerſa ire videas viros doctiſſimos, quum tamen res quodammodo expediri poſſe videatur. STEPH. VIN. PIGHIVS (*f*) eam legem Papiam plane explodit, nullamque vmquam legem de ſociis Latini nominis, cui gens Papia fecerit nomen, exſtitiſſe exiſtimat. Contra FRANC. SYLVIVS (*g*), cuius non poenitendi in CICERONIS orationes exſtant commentarii, eamdem legem Papiam de ſociis Latinoque nomine cum altera de peregrinis confundit. Nec deſunt denique, qui hanc et ab altera de peregrinis ſeiungendam, et eamdem lege Claudia non multum poſteriorem eſſe, cum CAROLO SIGONIO (*h*) contendunt.

Prima illa PIGHII ſententia nullum, niſi in fingentis auctoritate, reperit praeſidium. Coniicit enim vir doctus, apud VALERIVM MAX. lituram inducendam eſſe *legi Papiae*, ſubſtituendamque *legem Penni*. Sed nec codices addicunt, nec ipſum legis Iuniae Penni argumentum ei emendationi fauet. Neque enim ex hac lege ſocii ac Latini nominis iudicio publico a ciuitatum ſuarum magiſtratibus repetiti, ſed peregrini omnes, etſi iure ciuitatis haud affectabant, vrbe exceſſe iuſſi ſunt, vti paullo poſt erit dicendi locus. Multo minus FR. SYLVIVS videtur rem tetigiſſe. Praeterquam enim, quod lex Papia de peregrinis a. v. c. 688. lata, ad ſocios Latini nominis viginti tribus annis ante ciuitate donatos pertinere non potuit: ei ſententiae quam maxime etiam aduerſatur VALERII MAXIMI auctoritas, qui M. Perpernae coſ. patrem mortuo filio, ex hac lege a Sa-

(a) CIC. *pro L. Corn. cap.* 21. *de offic. Lib. II. cap.* 11.
(b) *Ad orat. pro L. Cornel. p.* 1309.
(c) *Pro Archia, cap.* 7.
(d) *Lib. II. cap.* 16.
(e) *De bello ciuil. Lib. I. pag.* 379.
(f) *Ad Valer. Max Lib. III. cap.* 4. *et Annal. Tom. III. p.* 18. 35.
(g) *Ad orat. pro L. Cornel. pag.* 1264.
(h) *De antiq. iur. Ital. Lib. III. cap.* 1.

Digitized by Google

Sabellis repetitum eſſe, memoriae prodidit. Iam certum eſt, M. Perpernam in ipſo conſulatu obiiſſe a. v. c. 623. victo Ariſtonico, decedentem prouincia. Certum quoque, legem Papiam de peregrinis latam eſſe a. v. c. 678. Iam ſi per leges annales M. Perperna conſulatum ante annum aetatis 43. petere non potuit: patrem eius anno 623., quo filius, turbato naturae ordine, deceſſit, ſaltim annorum 60. fuiſſe oportet, ſi vel plena tantum pubertate filium anteceſſerit. Anno itaque 688. quo lex Papia de peregrinis lata eſt, habuiſſe eum oporteret annos 126. An vero credibile videtur, tum demum iſtud ſilicernium ſtatus controverſiam a Sabellis paſſum eſſe?

Quae quum ita ſint, Ioue profecto aequo iudicauit CAR. SIGONIVS, dum hanc legem Papiam CLAVDIA paullo poſteriorem eſſe cenſuit. Nos addimus, eamdem anteriorem eſſe lege LICINIA MVCIA. Quum enim biennio poſt hanc bellum ſociale conflagrarit: nemo ſibi temere perſuaſerit, eo adhuc feruente, Romanos lege lata Latinos vrbe expellere, eaque multitudine hoſtium vires firmare voluiſſe. Nec exſtincto eo bello locus fuit legi Papiae, quum, communicata cum Latinis ac Italis ciuitate, ipſum fere ſociorum ac Latinum nomen obſoleuiſſet. Quamuis enim STRABO *(a)* Nemauſenſibus, APPIANVS *(b)* Nouocomenſibus, ASCONIVS *(c)* Gallis tranſpadanis, alii aliis populis ciuitatibuſque ius Latii etiam poſt legem illam Iuliam conceſſum eſſe ſcribant; ii tamen noui Latini non magis *ſocii et Latinum nomen* dicti ſunt, ac iſtud libertinorum genus, quod lex Iunia Norbana ciuitate Romana excluſos ad Latinorum colonariorum conditionem depreſſit. Ex quibus omnibus conſequitur, vt lex PAPIA lata ſit inter annum ab v. c. 576., quo Claudia condita, et annum 658., quo lata Licinia Mucia. Quum vero poſt annum 623. non ex Claudia, ſed ex hac lege iudicio publico a Sabellis repetitus ſit pater M. Perpernae conſulis: veroſimile eſt, non multo ante hoc tempus legem Papiam a plebe ſcitam eſſe, quamuis ipſe annus, ob faſtorum de Papio tribuno plebis ſilentium, non tam facile ab vllo definiri poſſe videatur.

III. Proxima eſt lex PAPIA *de peregrinis*, cuius multo certior, quam ſuperiorum, eſt hiſtoria. Tulit enim illam C. PAPIVS CELSVS, tribunus plebis, a. v. c. 688. *L. Cotta* et *L. Torquato* coſſ. eaque cauit, vt omnes peregrini, illis tantum, qui Italiam incolebant, nec non Glaucippo, neſcio quo, exceptis, vrbe expellerentur. De Glaucippo teſtis eſt CICERO *(d)*, idque ſingulare fuit priuilegii exemplum, ſimillimum illis, quod Menandro *(e)* et Hoſtilio Mancino *(f)* legibus latis conceſſum eſſe, in iure noſtro legimus. Reliqua ita narrat DIO CASSIVS *(g)*: *Κἂν τούτῳ πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες, πλὴν τῶν τὴν νῦν Ἰταλίαν οἰκούντων ἐξέπεσον, Γαΐου τινὸς Παπίου δημάρχου γνώμῃ, ἐπειδὴ ἐπεπόλαζον, καὶ οὐκ ἐδόκουν ἐπιτήδειοι σφίσιν εἶναι συνοικεῖν: interim omnes, qui Romae commorabantur, peregrini, exceptis iis, qui eam, quae nunc vocatur Italia, incolunt, ciuitate expulſi ſunt, lata lege a* C. PAPIO, *tribuno plebis, qui eos per vrbem vagari cernens,*

(a) *Lib.* IIII. *pag.* 157.
(b) *Lib.* XI. *pag.* 433.
(c) *Ad orat. in Piſon. pag.* 2062.
(d) *De lege et grat. orat.* 1. *cap.* 4.
(e) L. 5. §. *vlt.* D. *de capt. et poſtlim.*
(f) L. *vlt.* D. *de legation.*
(g) *Lib.* XXXVII. *pag.* 33.

non idoneos eſſe iudicauit, qui cum Romanis habitarent. Eiuſdem legis inſigne ſupereſt monimentum, denarius gentis Papiae antiquus, a Fvlvio Vrsino (*a*) et Ez. Spanhemio (*b*) delineatus, cuius in antica parte Iuno Siſpita cum tabella, cui inſcriptum Papi; in poſtica L. Papivs Celsvs, ex eadem, qua Caius ille Papius, legis auctor, familia prognatus, exhibetur. Tabella iſta ipſam deſignat legem Papiam de peregrinis. Legum enim a maioribus latarum memoriam a gentibus Romanis in numis conſeruari ſolitam, vel Caſſiorum et Porciorum denarii euincunt.

Ceterum grauiter in hanc legem inuectus Cicero (*c*): *male etiam*; inquit, *qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eoſque exterminant, vti* Pennvs *apud patres noſtros, et* Papivs *nuper*. Sed profecto nec noua atque inuſitata fuit illa Papii rogatio, nec ei ratio idonea defuit, plebem ea de re mittendi in ſuffragia. Quotieſcumque caetus occulti coniurationeſque imminebant, vel periculum erat, ne arctior annona plebem ad ſeditionem conſternaret, toties peregrinos vrbe ſummoueri, e re publica videbatur. Sic quum Sp. Caſſius, legem agrariam laturus, ea largitione libertati inſidias ſtruere videretur: Proculus Virginius, Caſſii collega, ipſos Latinos vrbe excedere, edicto conſulari iuſſit (*d*). Id vero et poſtea factum eſſe, teſtatur Cicero (*e*), *nihil*, inquiens, *acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt, quam id, quod perraro accidit, a conſulibus iuberi* ex vrbe exire. In primis celebratur lex Ivnia Penni, qua a. v. c. 627. peregrinos ideo vrbe eiectos conſtat, quod tum inter tribunicios C. Cornelii Gracchi furores periclitaretur res publica, iſque in illa peregrinorum turba collocaſſe videretur fiduciam. Qua de re Cicero (*f*), qui alibi hanc legem inhumanam iudicauerat, veluti ſui oblitus: *tuus etiam gentilis*, inquit, *Brute*, M. Pennvs *facete agitavit in tribunatu C. Gracchum, paullum aetate antecedens*. Quo ipſo Cicero turbulenta Gracchi conſilia a Iunio Penno illa arte prudenter diſiecta eſſe, fatetur. Sed et extremis rei publicae temporibus ſaepe principes vrbis vſu prohibuere peregrinos. Ipſe Auguſtus, qui natura ad humanitatem ferebatur, nihilque faciebat reliqui, ne quem Romae noui ſtatus poeniteret, *magna* tamen *ſterilitate, ac difficili remedio, venalitias et laniſtarum familias*, peregrinoſqve omnes, *exceptis medicis et praeceptoribus, partemque ſeruitiorum*, teſte Svetonio (*g*) *vrbe expulit*. Idem et ſua aetate ob annonae caritatem difficultatemque commeatuum factum eſſe, refert Ambrosivs (*h*), vt alia huius generis exempla praetermittam.

Ita nec Papio defuere rationes, quamobrem ab vrbe tunc faceſſere iuberet peregrinos. C. Iulius Caeſar eo tempore non cuniculis, ſed machinis petere coeperat rempublicam. Eo ipſo anno tam ſplendida aedilitate fungebatur, vt, Svetonio (*i*) teſte, praeter comitium ac forum, baſilicaſque, etiam Capitolium porticibus ad tempus exſtructis ornaret, in quibus, abundante rerum copia, pars adparatus exponeretur. Venationes ludoſque et cum collega, et ſeparatim inuſitata munificentia edebat. Tropaea C. Ma-

(a) *De famil. Rom. pag.* 196.
(b) *De vſu numiſm. et praeſt. Diſſ. X. p.* 200. *Tom. II.*
(c) *De offic. Lib.* III. *cap.* 11.
(d) DIONYS. HALIC. *Lib.* VIII. *cap.* 84.
(e) *Pro P. Sext cap.* 13.
(f) *Brut. cap.* 28.
(g) *Auguſt. cap.* 42.
(h) *De offic. lib.* III. *cap.* 7.
(i) *Iul. cap.* 10.

Digitized by Google

C. Marii de Iugurtha, deque Cimbris et Teutonis, olim a Sulla diſſecta, reſtituebat. In primis multiplici comparata familia adeo exterruerat inimicos, vt SCtum de finiendo gladiatorum numero fieret. Praeter haec omnia, teſte DIONE, tot peregrini per vrbem oberrabant, vt non poſſent non vereri ciues, ne Caeſaris factio eorum opera ad res nouas moliendas abuteretur (a). Quare nihil profecto nouum aut iniquum molitum eſſe dixeris Papium, dum fluctuante inter optimatium diſcordias re publica, turbam peregrinam, qua fortuna rem daret, vires inclinaturam, vrbe exceſſe more maiorum iuſſit.

IIII. Omnium denique celeberrima eſt LEX PAPIA POPPAEA, in qua enucleanda illuſtrandaque praecipue iam exercere iuuabit ingenium. Multis ea nominibus adpellatur a veteribus. PAPIAE POPPAEAE nomen ab vtroque conſule, qui populum rogauit (b) PAPIAE *legis* (c), *et* πληθυντικῶς PAPIARVM LEGVM (d), a conſule maiore, quem penes tunc faſces erant, traxit. Frequens etiam in iure noſtro LEGVM IVLIARVM, nec non LEGIS IVLIAE et PAPIAE vocabulum; quia *lex Iulia de maritandis ordinibus*, quamuis a Papia Poppaea diuerſa, maximam tamen partem in hanc migrauit. Ob inſignem celebritatem ſaepe illi ἁπλῶς LEGVM nomen inditum eſſe, comperio, non ſolum in indice vetere Pandectis Florentinis praemiſſo, qui MAVRICIANI, TERENTII CLEMENTIS, aliorumque veterum iureconſultorum βιβλία *ad* LEGES recenſens, obſeruante iam LIPSIO (e), de lege Papia Poppaea loquitur: verum etiam in ipſis iuris noſtri libris. Nam in §. 1. *Inſtit. de nupt.* ait imperator: *qui ſecundum praecepta* LEGVM *coeunt*, id eſt, legum Iuliae et Papiae. Similiter POMPONIVS (f) *nemo poteſt in teſtamento ſuo cauere, ne* LEGES *in teſtamento ſuo locum habeant.* Et PROCVLVS (g) *itaque ſi cautum eſt, vt propiore tempore, quam* LEGIBVS *conſtitutum eſt, reddatur, ſtari eo debere exiſtimo.* Plura huius generis loca iam collegit vir eximius, EMVNDVS MERILLIVS (h), quae hic accumulare nolumus.

Eo quoque haud parum celebritatis haec lex conſequuta eſt, quod auctoritatem ſuam, et ſeneſcente iam imperio, quum abundantes voluptates libidinem pereundi perdendique omnia inuexiſſent, diutiſſime retinuit. Quamuis enim principes, Auguſtum inſequuti, vt fit, ei variis SCtis ac conſtitutionibus vel obrogarent vel derogarent: ipſa tamen lex fere ad Iuſtiniani tempora inter Romanos viguit, vt non temere ſignarentur tabulae, quin ſimul lex iſta nuptialis recitaretur. Ad quem ritum adludens MARCIANVS CAPELLA (i): *tunc*, inquit, *mater popoſcit de Ioue, ſuperiſque cunctis, vti ſub conſpectu omnium, quidquid ſponſalium nomine praeparauerat Maiugena, traderetur, ac demum dos a virgine non deeſſet, tumque tabulas ac* PAPIAM POPPAEAMQVE *legem finerent* RECITARI.

Quamobrem nemini videbitur mirum, tam multos eruditiſſimoſque viros et olim, et poſt felicem illam temporum reparationem, de lege PAPIA POPPAEA bene mereri conatos eſſe: Sub Hadriano et Antonino Pio,

(a) *Lib.* XXXVII. *pag.* 33.
(b) *Tacit. Annal. Lib.* III. *cap.* 25.
(c) SVET. *Ner. cap.* 10.
(d) TERTVLL. *Apol. cap.* 4.
(e) *Excurſ. ad Tacit. Annal. Lib.* III.
(f) L. 55. D. *de legat.* 1.
(g) L. 17. D. *de pact. dotal.*
(h) *Obſeru. Lib.* V. *cap.* 10.
(i) *De philolog. et Merc. nupt. Lib.* II. *extremo.*

Digitized by Google

Auguſtis, in eam *libros viginti* ſcripſit TERENTIVS CLEMENS, *libros ſex* IVNIVS MAVRICIANVS, et VLPIVS MARCELLVS, *libros quindecim* CAIVS. Sub Seuero et ſequentibus DOMITIVS VLPIANVS et IVLIVS PAVLLVS, ille *libris viginti*, hic decem eamdem interpretatus eſt, e quibus omnibus fragmenta ſatis multa exſtant in Pandectis. Addidit his GVIL. GROTIVS (*a*), OCTAVENVM, Traiano fere aequalem, cuius quaedam in hanc legem extitiſſe, ex TERENTII CLEMENTIS fragmento (*b*) colligi poſſe videtur. Verum quum huius ICti ſcripta non modo interciderint omnia, verum etiam ea in Pandectis non niſi obiter laudentur, de commentariis eius in legem Papiam Poppaeam res non adeo expedita videtur.

Renatis litteris, tenebriſque, quae diutiſſime orbi litterario incubuerant, felici ſidere diſcuſſis, haud pauci de reſtituenda explicandaque hac lege cogitarunt. LAEV. TORRENTII *excurſus* inter eius lucubrationes ad HORATIVM; IVSTI LIPSII *commentatio*, quam MVRETVS numeris omnibus abſolutam cenſet, inter *excurſus* ad TACITI *annales* comparet. Extat et FRANC. BALDVINI *liber ſingularis*, quo non modo de lege PAPIA POPPAEA, verum etiam de *Falcidia*, *Voconia*, et *Rhodia* ſuo more erudite egit, excuſus *Baſileae*, anno erae Chriſtianae 1559. Similes ſunt commentarii IOANNIS DE PAREIA et RAMEZ DEL MANZANO, quorum illius lucubrationes anno 1591. *Salmurii*, vna cum eiuſdem auctoris *Otio quadrimeſtri* prodierunt, huius vero opus in tabernis librariis aeque ac bibliothecis harum regionum paene diſparuit, ſaltim a me, omni adhibita induſtria, nuſquam potuit inueſtigari. Sed procul dubio reliquorum omnium luminibus offecit iureconſultus facile princeps, IAC. GOTHOFREDVS, qui omnia huius legis capita et fragmenta non ſolum colligere, breuique, ſed luculento illuſtrare commentario, verum etiam, quoad eius fieri potuit, ad priſtinum reuocare ordinem primus omnium auſus eſt. Quod quantiuis pretii opuſculum vna cum reſtitutis ab eo XII. *tabulis*, *edicti perpetui ordine*, et *fragmentis librorum* SABINI ſub titulo QVATVOR FONTIVM IVRIS CIVILIS praelo exiit *Coloniae Allobrogum* anno ſuperioris ſaeculi 53. Obiter huius legis capita quaedam illuſtrarunt BARN. BRISSONIVS, doctiſſimo *de iure connubiorum* opere, FERDINANDVS PAEZ Vlyſſiponenſis, libello *de numero liberorum excuſante a muneribus publicis*, et hoc multo doctior M. VERTRANIVS MAVRVS eleganti commentatione *de iure liberorum*, qui poſteriores libri in *tomo octauo Tractatus tractatuum* locum inuenerunt, vt mirum ſit, FRID. BRVMMERVM (*c*) de inſigni libelli raritate tam grauiter eſſe conqueſtum. Non iam his addo KIRCHMAIERI, MVLLERI, FICHTNERI, aliorumque de hac lege et praemiis πολυπαιδίας diſſertationes, ita quippe comparatas, vt ex iis parum ad rei ſummam proficias.

Tot ergo eruditiſſimi viri ad reſtituendam et illuſtrandam legem PAPIAM POPPAEAM omnem operam induſtriamque contulerunt, idque non immerito, quum, vti recte iudicat IAN. VINC. GRAVINA (*d*), *tam multa huic legi iureconſultorum reſponſa et fragmenta veterum ſint implicata, vt, qui hac luce careat, eum in curſu iuris paſſim offendere oporteat, et prolabi*.

Quare et nos huic nobiliſſimo argumento, quod felix fauſtumque ſit, ani-

(a) *De vet. ICtis, Lib. II. cap. 5.*
(b) *L. 32. D. qui et a quib. manumiſſ.*
(c) *De lege Cinc. cap. 14.*
(d) *De legib. et SCtis §. 84.*

animum calamumque adiicere decreuimus, parum veriti, ne cui Iliada poſt tot Homeros ſcribere videamur. Saepe enim, qui id argumentum occuparunt, humani quid paſſi ſunt: ſaepe ſeueriore vſi critica intelligendo fecerunt, vt intelligamus nihil. Saepe, quae maxime ad rem faciunt praeteruiderunt, aliaque, haud germana, pro legis noſtrae capitibus obtruſerunt, adeoque poſt tantam meſſem maximum aliis reliquerunt ſpicilegium. Otium fortaſſis nobis feciſſet ὁ πάνυ GOTHOFREDVS, ſi incredibilem illam, quam procedente aetate ſibi pepererat, variae eruditionis copiam in illuſtranda hac lege voluiſſet expromere. Sed ei adhuc iuueni, ſub ipſa ſtudii iuridici tirocinia, hoc opuſculum exciderat, vti ipſe refert in *commentario ad regulas iuris* (a): *nos dudum* PRIMIS IVRIS STIPENDIIS, *fragmenta legis Iuliae et Papiae collegimus, ſuoque ordini reſtituimus, veterum iureconſultorum illorum notas ad ſingula capita verbaque aptauimus, notis tandem et ipſi illuſtrauimus*. Accedit, quod non ipſe viuus ei libello in lucem ituro obſtetricatus eſt, ſed vaſa conclamans et ad aeternitatem ſe componens eam curam demandauit ESAIAE COLLADONI, viro quidem doctiſſimo, ſed qui merito a deformando alieno foetu abſtinuit manus. Quare et GOTHOFREDI libello non acceſſit auctoris lima, multique hinc in eo haeſerunt naeui, quos facile deprehendet, qui noſtra haec contulerit.

Ceterum induſtriae noſtrae eam ipſi legem tulimus, vt praemiſſa accuratiore legis hiſtoria (b), capita eiuſdem, quorum memoria ſupereſt, omnia de nouo cum cura colligamus, eaque, quantum pote, ad priſtinum reuocemus ordinem (c), ac denique ſingula, et *ſecundo* quidem libro ea, quae ad partem capitis de nuptiis et liberorum procreatione (d); *poſtremo*, quae ad bona caduca atque ereptitia pertinent (e), ſeorſum expendamus, mutationibus, quas ſubierunt, fraudibuſque, quibus legem rei publicae vtiliſſimam ingenioſa ciuium improbitas eluſit, ſimul diligenter obſeruatis. His enim omnibus rite pertractatis, nihil, quod ad huius legis intelligentiam pertinere vllo modo videatur, deſiderari poſſe arbitramur.

CAPVT II.

DE VARIIS VARIARVM GENTIVM, IN PRIMIS ROMANORVM, INSTITVTIS, QVIBVS ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΝ PROMOTVM IVERE.

PRior legis PAPIAE POPPAEAE *pars ad πολυτεκνίαν fuit comparata* I. *Eius ſtudioſiſſimi fuere populi plerique, in primis Hebraei. Qua ratione illi exponant praeceptum diuinum* Geneſ. I. 28? *Caelibum et orborum apud eos ignominia*. II. *Perſae numeroſae proli praemia conſtituerunt*. III. *Graecorum, quae huc pertinent, inſtituta, in primis Athenienſium*. IIII. *Lacedaemonii faecunditatem ornabant praemiis. Poenae ἀγαμίου, ὀψι-*

(a) *Comment. ad regul. iur. collect.* 18. *pag.* 794.
(b) *Cap.* 2. 3. 4.
(c) *Cap.* 5.
(d) *Lib.* II. *cap.* 1. *ſequ.*
(e) *Lib.* III. *toto*.

Digitized by Google

ὀψιγαμίου, et κακογαμίου. Langlaevs *notatus.* V. *Thebanis ignominioſam videbatur, ſine prole mori.* VI. *Germani abſque ſpe praemiorum numeroſae proli ſtudebant, Locus* Taciti *explicatus. Quid Germanis medii aeui* das Hageſtoltzen-Recht? VII. *Romani iam ab origine vrbis ciuitatem quam numeroſiſſimam eſſe cupiebant. Cur Romulus tam amplam poteſtatem maritis et parentibus conceſſerit?* VIII. *An Numa Pompilius vel Tullus Hoſtilius auctor iuris trium liberorum? Locus* Plutarchi *vna mutata littera emendatus. Eiuſdem Numae lex de pellicatu, nec non de filio, qui vxorem duxerit, non venumdando.* VIIII. *An libera re publica leges de caelibatu latae? Cenſorum circa caelibes et orbos officium. Aes uxorium. Praemia parentibus a cenſoribus decreta. Adoptiones veterum fraudulentae. Praemia cenſorum qualia? Metelli oratio cenſoria ab Auguſto repetita.* X. *Iulii Caeſaris liberalitas erga parentes.* XI. *Romani et extra ordinem beneſici in eos, qui liberos ſuſtulerant. Serui ob numerum liberorum manumiſſi. Bona ob liberorum numerum haud publicata. Status liberorum ex inceſtis nuptis editorum confirmatus ob parentum faecunditatem. Ad προεδρίαν in ordine decurionum profuit numeroſa proles.* XII. *Cur Romani tot praemia πολυτεκνίας et poenas caelibatus et orbitatis inuenerint? Expediatne rei publicae, ciuitates eſſe quam numeroſiſſimas? Romana res publica ad bellicam potentiam comparata. Eadem vtebatur milite lecto. Romani a nuptiis abhorrebant, partim ob mores feminarum perditiſſimos, partim ob vagas, quibus delectabantur, libidines? partim ob pinguiſſima orbitatis praemia. Haec cauſſa latae etiam legis* Papiae Poppaeae.

Finis legis Papiae Poppaeae de maritandis ordinibus is praecipue fuit, vt faecunda eſſent ciuium Romanorum matrimonia, et vrbs tot bellis exhauſta ciuilibus maxima ciuium multitudine in poſterum adflueret. Id conſilium non ſolum Auguſtus prae ſe tulit, ſed et complura veterum teſtimonia produnt. Celsvs (*a*) ſane noſter hanc *legem* sobolis procreandae cavssa *inſtitutam, atque hinc vtilem eſſe* ait *rei publicae*. Eumdem finem indicat Horativs (*b*), dum de lege Iulia, paullo poſt in Papiam Poppaeam transfuſa, canit:

> *Diua, producas ſobolem, patrumque*
> *Proſperes decreta ſuper iugandis*
> *Feminis,* prolisqve novae feraci
> *Lege marita.*

Et paucis interiectis (*c*):

> *Di probos mores docili iuuentae*
> *Di ſenectuti placidam quietem,*
> *Romulae genti date rem* prolemqve,
> *Et decus omne.*

De-

(a) L. 64. D. *de condit. et demonſtr.*
(b) *Epod.* XVIII. v. 17.
(c) *Ibid. V.* 45.

Denique Sozomenvs (a), incidens in legem Papiam Poppaeam: Ἔθεντο, inquit, τοῦτον τὸν νόμον οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι, ΠΟΛΥΑΝΘΡΩΠΟΝ ἔσεσθαι τὴν Ῥώμην καὶ τὴν ὑπήκοον οἰόμενοι: *tulerant iſtam legem veteres Romani*, Popvlosam et hominibvs advlventem *eſſe cupientes vrbem, ſubiectaſque prouincias*. Quae quum ita ſint, paullo altius repetendae ſunt prolificae huius legis rationes, et, cur cum aliae res publicae florentiſſimae, tum Romana in primis de amplificando ciuium numero tam ſollicitae ſemper fuerint, accuratius hoc capite explicandum.

I. Gentibus tantum non omnibus, quarum ciuitates vel ad bellum ac militiae gloriam, vel ad proferendos imperii fines, vel ad opes quam maximas accumulandas erant comparatae, antiquiſſimum fuiſſe animaduerto, vt vrbes ac prouincias quam populoſiſſimas haberent. Quin et Ebraei, ab his olim ſtudiis alieniſſimi, nihil reliqui faciebant, vt gens ſua aliis vicinis multitudine antecelleret, exituſque comprobaret diuinum oraculum, quod Abrahami poſteros et ſtellas et arenam maris numero ſuperaturos praedixerat (b). Eum in finem multa ſanxerunt, ab aliarum gentium inſtitutis alieniſſima. Primo enim quum ipſa recta ratio doceat, obligari quidem homines ad ineundum matrimonium, ſed per modum praecepti aientis, quod nec ſingulos neceſſario, nec quouis tempore, ſed eos, quibus commodae conditionis ſit copia, obſtringat: Ebraei, teſte Ioanne Seldeno (c), longe aliter compoſuere rationes, ſuiſque ſerio inculcarunt, praecepto illo diuino (d): פרו ורבו: *creſcite ac multiplicamini*; omnes maſculos teneri, nec quemquam, qui ante annum vigeſimum vxorem non duxerit, excuſari, niſi aut aſſiduo rerum diuinarum ſtudio acrioris libidinis ſtimulos retundat, aut naturae errore impar ſit procreationi liberorum. Addebant, qui vxori ſuperſtes, prolem vtriuſque ſexus, eiuſque integri; (ſiquidem ſpado aut filia ſterilis non proderant,) nondum ſuſtuliſſet, eum diuino iſti praecepto non videri ſatisfeciſſe. Quin ſemper, nondum effoeta aetate, vnumquemque hac lege teneri exiſtimabant, quamdiu in prole ſexus alteruter deeſſet, neque excuſari, qui vetulam, aut ſterilem, eamue, quae per aetatem muliebris patientiae legem accipere non poſſet, domum duxerit, niſi ſuperinducat foecundam. Alii Ebreorum magiſtri, vti refert Leo Mvtinensis (e), tam late interpretabantur diuinam iſtam ſanctionem, vt nec ei, cui vtriuſque ſexus proles domi erat, vacationem concederent, ſi per aetatem corporiſque vires cum femina conſueſcere poſſet. Quare et hoc in veterum ſcitis eſſe ait R. Eliezer (f): כל אדם שאין לו אשה אינו אדם: *quemlibet hominem, cui non ſit vxor, non eſſe hominem*: itemque (g): כל מי שאין עוסק בפריה ורביה כאילו שופך דמים: *quicumque negligat praeceptum de multiplicando humano genere, habendum eſſe veluti homicidam*. His ergo doctrinis imbuebant docilem iuuentutem, has illi inculcabant regulas, non alio profecto con-

(a) *Hiſt. eccl. Lib. I. cap. 9.*

(b) *Geneſ.* XIII. 16. XV. 5.

(c) *De iur. nat. et gent. ſecundum diſcipl. Ebr. Lib. V. cap. 6.*

(d) *Geneſ. I. 28.*

(e) *De ritib. Ebraeor. Part. IIII. cap. 2.*

(f) *Gemara Bab. ad tit. Iabimoth. fol. 6. f. 64.*

(g) *Bereſch. rabba par. 34.*

Digitized by Google

conſilio, quam vt ciuibus ad matrimonium incitatis, quam populoſiſſimam haberent rem publicam.

Ne vero id officium ſoli cuiuſque virtuti ac pudori relictum videretur: illis quamdam veluti ignominiae notam inurere haud dubitabant, qui vel a nuptiis abhorrebant, vel numquam prole locupletauerant rem publicam. Caelibes ſane et *ἀγάμοι* omnes illis ex magiſtrorum ſcitis homicidarum loco fuiſſe, modo vidimus. Ex ipſis vero ſacris litteris conſtat, maximum e ſterilitate ſua dolorem cepiſſe feminas ſanctiſſimas, Saram (*a*), Rebeccam (*b*), Rachelem (*c*), Hannam (*d*); laetas autem laetitiis omnibus veluti triumphaſſe, quum enixae eſſent liberos. Ipſa Eliſabeth, quum iam grandis natu vterum ſingulari atque inuſitato Dei beneficio intumeſcere ſentiret, quamdam inde capiebat voluptatem! quam laetabunda exclamabat venerabilis canitie puerpera (*e*): *Οὕτω μοι πεποίηκεν ὁ Κύριος ἐν ἡμέραις, αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν τὸ ὄνειδός μου ἐν ἀνθρώποις*: *ita mihi fecit dominus hoc tempore, quo ad me reſpexit, ad tollendam ignominiam meam inter homines*. Tanta videlicet erat ſterilium, orborum, caelibum ignominia, vt ipſe Deus maximam Iſraelitis minatus temporum calamitatem, futurum tunc eſſe praedicat, vt ſeptenae feminae viri vnius ambientes nuptias, nec alimenta ſibi nec veſtes ſtipulentur, tantum ne maximam illam caelibum ſteriliumque ignominiam ſuſtineant diutius (*f*).

Quemadmodum ergo haec omnia eo comparata erant, vt eo magis a caelibatu ac orbitate abhorrerent Ebraei: ita et praemia quaedam nouellis maritis propoſuerat ſummus legislator, annuam nimirum munerum militarium vacationem (*g*). Accedebat, quod magno in honore eſſent numeroſae prolis parentes, laudibuſque ornarentur a popularibus ſuis, quibus ſubinde in ore erat vetus, quod MOSES MAIMONIDES (*h*) ſeruauit, adagium: בישראל כאילו בנה עולםהסוסיז נבש אתר: *quicumque adiecerit animam vnam Iſraeli, quaſi mundum aedificat*.

II. Sed et aliis per orientem gentibus curae cordique fuit *πολυτεκνία*: in primis autem Perſis, qui quum de amplificando regno, proferendiſque imperii finibus aſſidue cogitarent, ſatis animaduertebant, numquam ſe potituros oriente, niſi quam numeroſiſſimos educerent exercitus. Hinc et omnes, qui prole locupletauerant rem publicam, multis luculentiſque praemiis ornabant. Teſtis eſt NICOLAVS DAMASCENVS (*i*): *Ἆθλα*, inquiens, *λαμβάνουσι περὶ βασιλέως* ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΣ: *quibus* NVMEROSA PROLES *eſt, ii* PRAEMIVM *eo nomine a rege ferunt*. Et paullo plenius STRABO (*k*): *Γαμοῦσι δὲ πολλὰς καὶ ἅμα παλλακὰς τρέφουσι πλείους* ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΣ *Χάριν*. *Τιθέασι δὲ καὶ οἱ βασιλεῖς* ΑΘΛΑ ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΣ *κατ' ἔτος*: *Ducunt vxores complures, et multas pellices alunt*, MVLTIPLICANDAE SOBOLIS *gratia*. *Reges quotannis* PRAEMIA *proponunt iis*, qui plures filios progenuerint. Similia iam obſeruauit HERODOTVS, *qui plures filios progenuerint*, non adſcribo.

III.

(*a*) *Geneſ.* XVI. 1. 2.
(*b*) *Geneſ.* XXV. 21.
(*c*) *Geneſ.* XXX. 1. 23.
(*d*) *I. Sam.* I. 6. 10. 18.
(*e*) *Luc.* I. 25.
(*f*) *Ieſ.* IIII. 1.
(*g*) *Deut.* XX. 7. XXV. 5.
(*h*) *Halach. iſsboth. cap.* 15.
(*i*) *Excerpta Peireſc. pag.* 522.
(*k*) *Lib.* XV. *p.* 733.

III. Haud abſimile Graecorum inſtitutum fuit, de quibus MVSONIVS apud STOBAEVM (a): Νομοθέται ΠΟΛΥΠΑΙΔΙΑΣ ἐπέταξαν γέρα καὶ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ, καὶ τὴν ἀπαιδίαν ΕΠΙΖΗΜΙΟΝ κατέστησαν: *legumlatores vtrique ſexui numeroſae prolis* PRAEMIA, POENAM*que ſterilitatis ſtatuerunt*. Saltim Athenienſes, quantum fuerint πολυπαιδίας ſtudioſi, vel inde patet, quod ſi quando ob cladem bello acceptam luemue peſtiferam iuſto minor videretur ciuium numerus, πολυγονίαν imperare ciuibus non dubitarint. Quamuis enim a Cecropis temporibus inualuiſſet, vt nemo Athenis binas eodem tempore vxores haberet; non tamen ignotum eſt pſephiſma extra ordinem factum: διὰ τὸ λειπανδρεῖν συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, γαμεῖν μὲν τὴν ἀστὴν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας: *ne homines deficerent, atque vt multitudo ſuccreſceret, vnam quidem et legitimam vxorem ducendam, liberos vero etiam ex alia ſuſcipiendos* (b). Hinc fama tenet, ipſum Socratem, virum continentiſſimum, praeter Xanthippem, et cum Myrtho conſueſſe, ὅτε συγκεχωρημένον κατὰ ψήφισμα τοῦτο ἐγένετο τότε, διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, *quod plebiſcito id tum conceſſum fuerit, ob ciuium raritatem* (c). Idem memoriae proditum de Euripide, quod, quamuis muliebre genus omne peroſus, duas tamen ſimul vxores duxerit, *quia id decreto, ab Athenienſibus facto, ius eſſet* (d). Idem Athenienſes et poenis coercebant caelibatus, orbitatiſque ſtudium, et DINARCHO (e) teſte, nec oratores, nec belli duces capeſſere patiebantur rem publicam, niſi liberos ſuſtuliſſent. Quin et ſingularem aduerſus caelibes inuenerant γραφὴν, vel accuſationem publicam, quam τὴν ἀγαμίου γραφὴν adpellatam eſſe, tradit in onomaſtico IVLIVS POLLVX (f).

IIII. Lacaedaemonii quoque, bellicae virtutis ſtudioſiſſimi, et praemia numeroſae prolis, et poenas caelibatus inuenerant. De illis AELIANVS (g): Νόμος ἐστὶ τοῖς Σπαρτιάταις, τὸν παρασχόμενον υἱοὺς τρεῖς, ἀτέλειαν ἔχειν φρουρᾶς, τὸν δὲ πέντε, πασῶν τῶν λειτουργιῶν ἀφεῖσθαι: *lex eſt Spartanis, vt qui tres filios ſuppeditarit rei publicae, ab excubiis liber eſſet; qui vero quinque, ab omnibus muneribus publicis vacationem haberet*. Idem fere refert ARISTOTELES (h), niſi quod hic immunitatem etiam quatuor liberorum parentibus conceſſam eſſe ſcribit. En eius verba: Ἔστι αὐτοῖς νόμος τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς ἄφρουρον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας ἀτελῆ: *lex illis eſt, vt qui tres genuerit liberos, ab excubiis, qui* QVATVOR, *penitus immunis ſit*. At tanto grauius animaduertebant in eos, qui vel numquam duxiſſent vxorem, vel iuſto tardius, vel indignam eo vitae conſortio duxiſſent. Hinc quum IVL. POLLVX (i) paullo ante laudatus, inter reliquas Athenienſium accuſationes etiam τῆς ἀγαμίου γραφῆς meminiſſet: ſtatim ſubiicit: Παρὰ δὲ Λακεδαιμονίοις καὶ ΟΨΙΓΑΜΙΟΥ, καὶ ΚΑΚΟΓΑΜΙΟΥ: *apud Lacedaemonios autem et ſero initi matrimonii, et male conciliati*, accuſationes proditae ſunt. Et ARISTON apud STOBAEVM (k): Σπαρτιατῶν νόμος τάττει καὶ μὲν πρώτην ΑΓΑΜΙΟΥ, τὴν δευτέραν ΟΨΙΓΑΜΙΟΥ, τὴν τρίτην καὶ μεγί-

(a) *Serm.* LXXIII.
(b) PETIT. *Leg. Att. Lib.* VI. *tit.* 1.
(c) ATHEN. *Lib.* XIII. *p.* 556.
(d) GELL. *Lib.* XV. *cap.* 20.
(e) *Inuectiu. in Demoſthen.*
(f) *Lib.* VIII. *cap.* 6.
(g) *Hiſt. var. Lib.* VI. *cap.* 6.
(h) *Polit. Lib.* II. *cap.* 9.
(i) *Onomaſt. ibid.*
(k) *Serm.* LXXIII.

την ΚΑΚΟΓΑΜΙΟΥ : *Spartanorum lex poenam ſtatuit , primam* NON DVCENTI *vxorem , alteram* SERO DVCENTI , *tertiam denique ac grauiſſimam* MALE DVCENTI . Qualia fere apud PLVTARCHVM (*a*) legimus.

At quales illae ἀγαμίου , ὀψιγαμίου , et κακογαμίου poenae ? et quo iure animaduerti potuit in eos, qui malis auibus inierant matrimonia ? *Hoccine cuiquam vitio dabitur* , inquit ZACH. HVBERVS (*b*) , *quod a fato pendet , et prudentiſſimum quemque fallit ? cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur ?* Quare coniicit cum PLVTARCHO, κακογαμίου poenam viguiſſe potiſſimum aduerſus illos , quibus in conditione quaerenda virtus poſtponeretur numis , quique mallent beatam , hoc eſt , bene dotatam et nummatam ducere vxorem , quam ingenuam , liberalem , ſine mala fama, bonam, bonis prognatam : idque illuſtrat egregio ſeueritatis publicae exemplo, quod eodem loco , quo κακογαμίου poenae meminit, refert PLVTARCHVS. Lyſandri filiae , patre ſuperſtite , multorum fuerant ſpes inuidioſa procorum . Sed hi , quum Liſander decedens pauperes reliquiſſet , turpiter eluſerant ſperatas virginum nuptias , pecunia ideo mulctati a Lacedaemoniis , quod dotem virtuti praetuliſſent, et quem diuitem rati coluerant , eum virum bonum , paupertatis argumento compertum , deſeruiſſent . Enimuero ſi mulctam his dixerunt Lacedaemonii , egregie falſi ſunt ARISTON et PLVTARHVS ipſe , dum poenam κακογαμίου , μεγίστην , id eſt, maximam et poenis ἀγαμίου et ὀψιγαμίου acerbiorem fuiſſe , tradiderunt . Caelibes enim PLVTARCHVS (*c*) refert , in gymnicis ludis ſpectaculo excluſos , per hiemem vero nudos circumire iuſſos forum , carmenque in ſe compoſitum canere . De iis vero qui ſerius animum adiecerant nuptiis , ATHENAEO (*d*) teſte , ita decreuerant Lacedaemonii , vt feſto quodam die a mulieribus circa aram tracti verberibus caederentur . Quem locum ATHENAEI, quod obiter moneo, perperam cum PLVTARCHI teſtimonio committit vir doctiſſimus , IAN. LANGLAEVS (*e*) , quaſi iis auctoribus parum inter ſe conueniret , quum tamen alter de ἀγαμίου , alter de ὀψιγαμίου poena manifeſto loquatur , et hinc rationem ſubnectat ATHENAEVS, ἵνα τὴν ἐκ τοῦ πράγματος ὕβριν φεύγοντες , φιλοστοργῶσί τε καὶ ΕΝ ΩΡΑΙ προσίωσι τοῖς γάμοις : *vt indignitatem eius contumeliae peroſi liberos ac prolem tollere cuperent , et* TEMPESTIVE *ſeſe adiungerent vxoribus* . Quis vero non quantamcumque maluiſſet exſoluere mulctam , quam tantam ignominiam ſubire ! Quare κακογαμίου poena locum videtur habuiſſe , non ſolum ſi quis dotem praetuliſſet virtuti, ſed quotieſcumque quis contra leges nuptiales Lycurgi , quem curioſiſſime περὶ τεκνοποιίας egiſſe XENOPHON (*f*) obſeruat , vxorem duxiſſet , nec corpore robuſtam , nec aetate florentem , nec indole generoſam . Harum enim in primis rationem haberi voluit ab iis , qui Spartae vxores eſſent ducturi , vti latius expoſuit laudatus XENOPHON . Quicumque ergo vel puſillas et tenues , vel vetulas , vel vitiis omnibus contaminatas ſibi iunxerant , κακογαμίου incurrebant poenas , quae quales fuerint , veteres quantum memini , non referunt .

V. The-

(a) *Lyſand. ſub fin.*

(b) *Diſſert. iurid. philol. Part. II. diſſ. VIII. cap. 1.*

(c) *Lycurg. extr.*

(d) *Lib. XIII. pag. 555.*

(e) *Ot. ſemeſtr. Lib. X. cap. 1.*

(f) *De re publ. Laced. cap. 1.*

V. Thebanorum inſtituta non admodum nota ſunt. Apud eos tamen non minus, ac apud reliquos Graecos ignominioſum fuiſſe, nullos ex ſe relinquere liberos, argumento eſt dictum Pelopidae obiurgantis Epaminondam, *tamquam male in eo conſulentem patriae, quod liberos non relinqueret* (a). Quin quum idem vir fortiſſimus apud Mantineam ex vulnere occumberet, lacrymabundus adſtans amicus, teſte DIODORO SICVLO (b), dixit: ὅτι τελευτᾷς ἄτεκνος: *itane ſine liberis decedis?* Quamuis autem et Pelopidae, et amico reſponderet Epaminondas: Μὰ Δί᾽ α μὲν, ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας, τήν τε ἐν Λεύκτροις νίκην, καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ: *non per Iouem, ſed filias duas; victoriam Leuctricam et Mantinenſem, poſt me relinquo*: ſatis tamen vel inde adparet, parum honorificam Thebis fuiſſe orbitatem, maleque illum conſulere viſum eſſe rei publicae, qui liberis ex ſe natis ciuitatem non reddidiſſet frequentiorem. Obiter moneo, Pythagoram quoque videri poſſe caelibatum damnaſſe, ſiquidem ei inter alia ab aduerſariis obiectum eſſe ait IAMBLICHVS (c), ſtatuiſſe illum τοῖς ἀγάμοις πολεμεῖν, *caelibes eſſe odio proſequendos*. Sed verba: ὡς ἀρχηγοῖς γεγονόσι τοῦ κλήρου, ſatis oſtendunt, legendum eſſe τοῖς κυάμοις πολεμεῖν, *cum fabis bellum gerendum eſſe*, vti acutius ARCERIO vidit doctiſſimus KVSTERVS.

VI. Germanis quoque curae fuit numeroſa proles, quamuis nulla ſpe praemiorum ad faciendas nuptias, procreandamque ſobolem pellectis. Et ita intelligendus TACITI (d) locus, quem vulgo non ſatis capiunt interpretes: *numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: pluſque ibi* BONI MORES *valent, quam alibi* BONAE LEGES. Contendit inter ſe auctor praeſtantiſſimus Germanorum Romanorumque mores, et vti toto fere illo libello ea potiſſimum, in quibus a perditiſſimis Romanorum moribus Germanici diſcrepabant, eleganter exponit: ita et hic ſimilis plane occurrit σύγκρισις. Solebant Romani liberorum numerum finire. Vel uno ſuſcepto filio, repudiabant vxorem, ne plures naſcerentur. Si ob rem domi anguſtam incommodum videretur, plures tollere, vel recens natos exponere, vel antequam naſcerentur, ipſum faetum, propinata vxori potione, nefarie elidere, nulli erat religio. Quum porro maximum Romae eſſet orbitatis pretium: etiam *ſingulos* ſaepe *filios*, vti PLINIVS (e) conqueritur, *graues faciebant illa orbitatis praemia*; nec dubitabant quidam, odia filiorum ſimulare, eiurare liberos, et orbitatem manu facere (f), tantum vt multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta, promta et obuia haberent (g). Sic Romani: an et apud Germanos huius modi quid auditum? Minime vero, *numerum liberorum finire, aut quemqu m ex agnatis necare flagitium habebatur*. Liberos quaerebant, ſolis incitati naturae ſtimulis, non quot volebant, ſed quot ex iuſto ſequebantur matrimonio Quo numeroſior ſoboles, quo plus propinquorum, et affinium: eo gratior ſenectus, nec vlla ibi orbitatis pretia (h). Tantum ergo abeſt, vt eos liberorum taeduerit frequentiae, aut ſolitudinem domi facere voluerint, ut potius praeclarum pulcrumque viſum ſit, cives, ſui ſimiles atque

(a) NEP. *Epamin. cap.* 10.
(b) *Lib.* XV. *cap.* 87.
(c) *De vit. Pythag. ſegm.* 260.
(d) *De morib. Germ. cap.* 19.
(e) *Lib.* IIII. *epiſt.* 15.
(f) SENECA *conſolat. ad Marc. cap.* 19.
(g) TACIT. *Annal. Lib.* XV. *cap.* 19.
(h) *Id. de moribus Germ. cap.* 20.

ex ſe natos, quamplurimos, relinquere rei publicae. Primum hoc inter Romanorum Germanorumque mores diſcrimen: iam et alterum ſequitur. Labente paullatim Romanorum diſciplina, ipſi mores deſidentes primo, deinde magis magiſque lapſi, poſtremo ita ire coeperant praecipites, ut nec vitia ſua, nec remedia pati poſſent. Quare et lege Iulia et Papia, totque propoſitis poenis et praemiis vix eo poterant adduci, vt vxores liberorum quaerendorum cauſſa ducerent. Contra Germani, non peregrinis artibus, ſed tetrica ac triſti maiorum diſciplina inſtructi, ſuopte ingenio animum temperabant virtutibus, ſuaque ſponte liberis procreandis operam dabant. Ita *plus apud eos valebant* BONI MORES, nulla libidine ac luxu polluti, *quam alibi*, puta Romae, BONAE LEGES, id eſt, Iulia et Papia, quantumuis ſapienter ſcriptae, quantumuis neceſſariae rei publicae. Vere ergo TACITVS, quod ab aliis non video ſatis obſervatum, legem Papiam Poppaeam in mente habuit, oſtenditque, Germanos, quamuis nulla lege nouae feraci prolis inſtinctos, numeroſae tamen ſobolis ſtudioſiſſimos fuiſſe.

Medio tamen aeuo et de caelibatus poenis cogitare coeperunt Germani, inualuitque conſuetudo, vt maſculis, qui caelibes vel ad ſexageſimum, vel ad quinquageſimum aetatis annum, (neque enim ea in re prouinciae omnes iiſdem moribus vtuntur,) perueniſſent, vel amiſſa vxore vota ſecunda per triginta annos diſtuliſſent, nec non feminis, quae quaſuis nubendi conditiones adſpernatae, virgines vel viduae permanſiſſent ad ſenilem aetatem, nec taſtamentum condere, nec bona a ſe adquiſita inter viuos mortiſue cauſſa donare, ius eſſet, ſed ea poſt eorum exceſſum caduca fierent, et a fiſco occuparentur. Quod ius in prouinciis Brunſuicenſibus, Palatinis, aliiſque quibuſdam etiamnum viget, vocaturque Germanis *das Hageſtoltzen-Recht* (*a*). Sed quum de eius iuris origine atque indole copioſius egerimus in ANTIQVITATIBVS IVRIS GERMANICI, quas propediem in Germania praelo exituras confidimus: plura hic addere nihil attinet.

VII. Vt ergo demum ad ipſos Romanos progrediamur, etiam hi, quum ſibi nulla re magis, quam exuberante ciuium multitudine, opus eſſe intelligerent, nihil fecerunt reliqui, vt ciues ad ducendas vxores procreandoſque liberos praemiis poeniſque propoſitis adducerent. Ipſi Romulo, conditori vrbis, eam rem curae fuiſſe, his verbis indicare videtur apud DIONEM (*b*) Auguſtus: Ἦν μὲν γὰρ οὐδὲ πρόσθεν ἐξὸν ἀμελεῖν παιδοποιίας καὶ γάμων· καὶ γὰρ ἈΠ' ἈΡΧΗΣ εὐθὺς ἅμα τῇ πρώτῃ τῆς πολιτείας καταστάσει ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν ΕΝΟΜΟΘΕΤΗΘΗ: *et quidem neque ante me cuiquam permiſſum erat, coniugium ac ſobolem negligere, quum* INITIO, *ſub primam rei publicae conſtitutionem, ea de re diligenter ſit* LEGIBVS CAVTVM. Sed quum ſingularis cuiuſdam legis, qua Romulus aut praemia conſtituerit parentibus, aut poenis coelibatum orbitatemque coercuerit, nec vola, nec veſtigium apud veteres exſtet: procul omni dubio Auguſtus reliquas Romuli leges, quibus veluti aliud agens ciues ab orbitatis ſtudio auertit, in animo habuit. Dum enim iſte vrbis conditor maritis omnem in vxores poteſtatem conceſſit, haſque in eorum manu ac mancipio eſſe iuſſit (*c*), dum penes viros non ſolum imperium domeſticum, ſed et ipſum

(a) SCHOTTEL. *de var. iur. Germ. cap.* 1. BESOLD. *Theſaur. pract. pag.* 352.

(b) *Lib.* III. *pag.* 576.

(c) GELL. *Lib.* XVII. *cap.* 6.

Digitized by Google

ipſum ius vitae ac necis eſſe voluit (*a*), dum denique et patrum Romanorum poteſtatem in liberos maiorem, quam vſquam terrarum, eſſe permiſit (*b*): procul dubio id egit praecipue, vt ciuibus ſuis, tanto cum imperio praefuturis familiae, eo minus moleſtum videretur, ducere vxores, liberoſque quam plurimos procreare.

[Nec alium ſibi propoſuerat vrbis aeternae parens, quum, teſte DIONYS. HALICARN. *Lib. II. cap.* 15. neceſſitatem ciuibus imponeret educandi omnem virilem prolem, et e filiabus primogenitas, vetaretque vllum foetum trienni maiorem necare, niſi ſi quis infans mutilus aut prodigioſus in ipſo ſtatim partu adparuiſſet. Hunc enim ſolum exponere licebat per legem Romuli, dummodo eum inſignitum et monſtroſum indicaſſent quinque vicini proximi. Quumque Romulus reliquas femellas exponi concederet, et contra mulctam, immo et dimidiae bonorum partis publicationem interminaretur eis, qui maſculum expoſuiſſent: quis dubitet quaeſo, quin ea lex ad locupletandam ciuibus vrbem cum maxime fuerit comparata?]

VIII. Succeſſores Romuli, quemadmodum non vnum ſibi omnes eumdemque imperii finem propoſuerant: ita nec eodem ſtudio de amplificando ciuium numero laborabant. Ad Numam Pompilium iuris trium liberorum originem referre videtur PLVTARCHVS (*c*): ſed videtur tantum. Ait equidem: *Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν ἱεραῖς παρθένοις, ὧν ἐστὶ καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ζῆναι πατρὸς, καὶ τἆλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διάγουσας, ὥσπερ* ΑΙ ΤΡΙΠΑΙΔΕΣ: *tribuit virginibus Veſtalibus ingentes honores, inter quos teſtamenta vel ſuperſtite patre nuncupandi ius, et ſine tutore liberum ſuarum rerum arbitrium, vt quibus* TRES SVNT LIBERI. Sed caue credas, haec omnia a Numa eſſe. Multa, quae ibi priuilegiis virginum Veſtalium accenſet PLVTARCHVS, iis poſtremis demum rei publicae temporibus conceſſa ſunt, veluti ius lictore vtendi ſub triumuiris (*d*), ius ſine tutoribus res ſuas adminiſtrandi, vel, vti PLVTARCHVS vocat, ius trium liberorum ſub Auguſto (*e*). Quare aut IO. RVALDO (*f*) credendum, Plutarchum in re, tunc omnibus notiſſima erraſſe, aut, quod creditu facilius, locum illum in mendo cubare oportet, vel una mutata littera, facile integritati ſuae reſtituendum, ſi pro *ἀπέδωκεν* legas *ἀπέδωκαν*, vt ſenſus ſit: *τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκαν ἱεραῖς παρθένοις: tribuerunt vero* (Romani) *multos honores virginibus ſacris*. Sollemne enim eſt PLVTARCHO, hoc modo narrationibus ſuis ſubiungere, quae poſteri circa eam rem inſtituerint. Sic quum retuliſſet (*g*), Camillo vadimonium deferenti irrogatam eſſe mulctam quindenum millium aeris, ſtatim addit: *ὃ γὰρ πρὸς ἀργυρίου λόγον χίλιαι δραχμαὶ καὶ πεντακόσιαι. Ἀσσαρίων γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον, καὶ τὸ δεκάχαλκον οὕτως ἐκαλεῖτο δηνάριον: qua ſumma* (nunc, poſteris temporibus) *nummi argentei facit denarios ſeſquimillenos. Aſſes enim x. efficiebant argenteum, et deni aeris denarius vocabantur*. Camilli enim aetate nummum argenteum nondum ſignatum fuiſſe, non ignoraſſe videtur PLVTARCHVS.

(a) DIONYS. HALIC. *Lib.* II. *cap.* 26.
(b) §. 2. *Inſt. de patr. poteſt.*
(c) *Num. pag.* 66.
(d) DIO. *Lib.* XXXXVII. *pag.* 338.
(e) *Idem Lib. LVI. pag.* 578.
(f) *Animaduerſ. in Plutarch. V. p.* 74.
(g) *Camill. pag.* 135.

Digitized by Google

CHVS. Immo et in ipſa Numae vita (*a*), enarrata pontificis maximi origine, *ἦν δὲ*, inquit, *καὶ τῶν ἱερῶν παρθένων ἐπίσκοπος*: *inſuper virginum Veſtalium cuſtos erat*; non tempore regum videlicet, ſed iis iam exactis, vti iam capite primo docuimus. Quibus obſeruatis, multorum profecto errorum abſolues PLVTARCHVM, quorum paſſim eum coarguunt viri docti. Quemadmodum ergo, vt e diuerticulo in viam redeamus, ius trium liberorum Numae tribui non poteſt: ita et illos ſua opinione falli dixeris, qui eiuſdem originem a Tulli Hoſtilii lege, de tergeminis lata, cum KIRCHMAYERO (*b*) et IANO VINC. GRAVINA (*c*) repetunt. Quamuis enim auctor ſit DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (*d*), regem illum ob memorabile Horatiorum tergeminorum facinus ad populum tuliſſe, *οἷς γένωνται τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς παίδων χορηγεῖσθαι μέχρις ἥβης*, *vt nati tergemini, donicum puberes ſunt, de publico alerentur*: ius tamen liberorum non ad tergeminos, ſed ad trium liberorum parentes pertinuit, nec facultatem his dedit, alimenta e publico petendi, ſed cum aliis priuilegiis ac commodis, quae infra recenſebimus, fuit coniunctum. Denique illa Tulli Hoſtilii lex necquidquam ſancit, quod ad amplificandum ciuium numerum vllo modo pertinere videatur.

Potius huc referenda videntur, quae Numa de pellicibus ab ara Iunonis arcendis, deque filiis, qui iuſſu patrum vxores duxerant, non vendundis ſanxiſſe dicitur. Prior lex, quam FESTVS (*e*) ſeruauit, talis fuit: PELLEX ASAM IVNONIS NE TAGITO, SEI TAGIT, IVNONEI CRENEBIS DEMI-SEIS ACNOM FEMINAM CAEDITO. De poſteriore agunt PLVTARCHVS (*f*) et DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*g*), quorum hic verba ipſa legitima ita Graece expreſſit: *Ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσῃ γυναῖκα ἀγάγεσθαι, κοινωνὸν ἐσομένην ἱερῶν τε καὶ χρημάτων κατὰ τοὺς νόμους, μηκέτι τὴν ἐξουσίαν εἶναι τῷ πατρὶ*, ΠΩΛΕΙΝ *τὸν υἱόν*: *ſi pater filio conceſſerit vxorem ducere, quacum ſacra et bona ſecundum leges communicet, patri poſthac filium* VENVMDANDI *ius ne eſto*. Vtraque lex ad commendandas nuptias, iniiciendumque ciuibus liberos quaerendi ſtudium comparata fuiſſe videtur. Quod enim ad priorem attinet, ea pellices aram Iunonis tangere vetuit, eidemque, ſi tetigiſſet, impoſuit neceſſitatem, ſacrificium *διαλλακτικὸν* Iunoni offerendi, quo et leues mulierculae iſtius ignominiae periculo a maritorum alienorum amplexibus cohiberentur, et feminae honeſtae, hoc pellicum metu liberatae, tanto lubentius nuberent, vitamque cum viris eo iucundiorem tranſigerent. Iuno nuptiis praeeſſe credebatur, eoque DOMIDVCAE, ITERDVCAE, IVGAE, ΖΥΓΙΑΣ, CINXIAE, LVCINAE, PATVLCAE, et aliis huius modi cognominibus celebrata, de quibus erudite THOM. REINESIVS (*h*). Cui quum rem diuinam facere novae nuptae, interque ſacrificandum, more maiorum, aram tangere ſolerent: *tangere aram Iunonis*, idem eſt, ac nubere vel conuenire in manum. Itaque Numa nuptiarum ſpem omnem incidit feminis, quae ſemel viro alieno ſuccubuerant, niſi Iunoni loco laeti iſtius ac nuptialis ſacrificii, *crinibus demiſſis*, et compoſito ad luctum habitu, *διαλλακτικὸν*

(a) *Num. p. 66.*
(b) *Diſſ. de lege Papia Popp.* §. 19.
(c) *De legib. et SCtis*, §. 48.
(d) *Lib.* III. *cap.* 28.
(e) FEST. *voce* pellex.
(f) *Num. pag.* 71.
(g) *Lib.* II. *cap.* 28.
(h) *Inſcript. Claſſ.* I. 33. 34.

Digitized by Google

πκὸν offerrent, a quo forſan feminae, quibus adhuc pudoris quidquam ineſſet, non minus abhorrebant, quam ab alia quacumque ignominia.

Eum ſibi finem Numa, quum alteram legem ferret, propoſuerat. Solebant adoleſcentes vel ideo abhorrere a nuptiis, vt, dum ferret aetas, vaga Venere animum oblectarent. Quam in rem notum illud TERENTII (a):

Omnes, qui AMANT, *grauiter, ſibi dari vxorem ferunt.*

Vt ergo filii familias ex meretricum depulſi amplexibus, eo lubentius vxores ducerent: hoc priuilegio eos pellexit Numa, certo perſuaſus, eos libidini antelaturos honeſtas nuptias, quibus magno illo ſeruitutis periculo, in quod eos tetrica lex Romuli coniecerat, liberatum iri intelligerent.

VIIII. Abrogato regibus imperio, idem egiſſe ſenatum populumque Romanum, vt matrimonia quam faecundiſſima eſſent, teſtis iterum eſt apud DIONEM (b) Auguſtus. Commendaturus enim ordini equeſtri nuptias: Χαὶ μετὰ τῦτο, inquit, *πολλὰ καὶ τῇ βυλῇ καὶ τῷ δήμῳ ἔδοξεν, ἃ περιττὸν ἂν εἴη καταλέγειν*: *multa deinde eadem de re ſenatus populuſque ſtatuit, quae recenſere ſupervacuum eſſet*. Vtinam vero ea maiorum inſtituta retuliſſet. Omnium enim illorum legum et ſenatus conſultorum ipſa quoque memoria euanuit: [Niſi quod earumdem legum meminiſſe etiam videtur DIONYS. HALIC. *Lib. VIIII. cap.* 27. Dum enim fabulam de tot Fabiis ſemel occiſis erudite refellit, hoc inter alia argumenta vtitur: *ὁ γὰρ ἀρχαῖος αὐτῶν νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τὰς ἐν ἡλικίᾳ, καὶ τὰ γεννώμενα ἅπαντα ἐπάναγκες, ςρέφειν. ὃν ὐκ ἂν δὴ πυ κατέλυσαν οἱ Φάβιοι μόνοι, πεφυλαγμένον ἄχρι τῆς ἑαυτῶν ἡλικίας ὑπὸ τῶν πατέρων*: *nam priſca lex cogebat eos, qui per aetatem poſſent, vxores ducere, et, vt omnes liberos ſuſceptos educarent, neceſſe erat. Quam legem diligenter vſque ad aetatem ſuam a maioribus ſeruatam, haud quaquam ſoli Fabii contempſiſſent*.] LIVIVS (c) inter reliqua blandimenta, quibus, imminente cum Porſenna bello, patres plebem in officio continuerint, et hoc refert: *portoriis quoque et tributis plebe liberata, vt diuites conferrent, qui oneri ferendo eſſent: pauperes ſatis ſtipendii pendere, ſi* LIBEROS EDVCARENT. Ex quo loco colligas, iis immunitatem a cenſu datam, qui prole rem publicam locupletaſſent, adeoque errare, qui verbis PLVTARCHI (d) idem referentis in contrarium ſenſum deflexis, illo patrum decreto orbos et viduos tributi onere leuatos, ſcribunt. Ipſe enim PLVTARCHVS de pupillis et viduis feminis loquitur: Ὀ*ρφανοῖς παισὶ καὶ χήραις γυναιξὶν ἀτέλειαν τῆς εἰσφορᾶς*, *pupillis feminiſque viduis gratia facta tributi pendendi*. Quae quidem non pugnant cum verbis LIVII.

Poſtea cenſoribus id datum negotii, ne caelibes eſſe paterentur: eoque pertinet ſollemnis illa cenſorum quaeſtio: EX ANIMI TVI SENTENTIA, TV VXOREM HABES? cuius CICERO (e) et GELLIVS (f) meminerunt. Si quem ergo a nuptiis abhorrere animaduerterent, eum notabant, mulctamque inferre iubebant aerario; quam AES VXORIVM dictam fuiſſe, FESTVS (g) obſeruat. Iam anno v. c. 400. *M. Furius Camillus* et *M. Poſtumius Albi-*

(a) *Andr. Act. 1. ſcen.* II. *v.* 20.
(b) *Lib. LVI. pag.* 576.
(c) *Lib.* II. *cap.* 9.
(d) *Poplicol. pag.* 103.
(e) *De oratore*, *Lib.* II. *cap.* 259.
(f) *Lib. X. cap.* 20.
(g) *Voce:* vxorium.

Digitized by Google

Albinus, cenſores, PLVTARCHO (*a*) teſte, partim blande adpellando, partim *Ζημίαις ἀπειλῶντες*, MVLCTAM *denunciando*, viduis, quarum plurimas bella cum Volſcis geſta fecerant, copularunt. Et VALERIVS MAXIMVS (*b*) addit, cenſores *illos omnes, qui ad ſenectutem caelibes peruenerant*, AERA, *poenae nomine in aerarium deferre iuſſiſſe*. Iſtam ſeueritatem, quam *καλὸν ἔργον*, *eximium facinus* vocat PLVTARCHVS, quin et alii cenſores imitati ſint, vix dubitandum videtur, maxime quum eam illis veluti primam legem ex veteri Romanorum diſciplina ſcripſerit TVLLIVS (*c*): CAELIBES ESSE PROHIBENTO; et PLVTARCHVS (*d*) ex inſtituto deſcribens cenſorum officia diſerte et hoc adiiciat: *οὔτε γὰρ* ΓΑΜΟΝ, *οὔτε* ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΝ *τινὸς, οὔτε δίαιταν, οὔτε συμπόσιον ᾤοντο δεῖν ἄκριτον καὶ ἀνεξέταστον, ὡς ἕκαστος ἐπιθυμίας ἔχοι, καὶ προαιρέσεως*: *neque enim vel* MATRIMONIVM, *vel* SOBOLIS PROCREATIONEM, *vel quotidianum victum, vel conuiuium, ſolutum ac liberum indagine, quae cuiuſque libido et inſtitutum ſit, arbitrabantur praetermittendum*.

Nec poenis modo, verum etiam praemiis propoſitis ciuibus liberorum quaerendorum ſtudium iniicere ſtudebant cenſores. Id enim clariſſime adparet ex *P. Scipionis Africani*, cenſoris, habita ad populum oratione, ex qua hoc fragmentum ſeruauit GELLIVS (*e*): *animaduertimus, in oratione P. Scipionis, quam cenſor habuit ad populum, inter ea, quae reprehendebat, quod contra maiorum inſtituta fierent, id etiam eum culpaſſe, quod filius adoptiuus patri adoptatori* INTER PRAEMIA PATRVM *prodeſſet*. Fuere ergo tum quaedam faecunditatis praemia, quae et orbi ac ſteriles captantes, aliorum liberos, in fraudem legum adoptabant. Quod quamuis et iniquiſſimum eſſet, & maiorum inſtitutis aduerſaretur, eo tempore tamen lege aliqua haud videtur emendatum, ſiquidem ex TACITO (*f*) diſcimus, demum Nerone imperante, cautum eſſe SCto, ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret. Quare ex eo demum ſic eſt, quod tradit VLPIANVS (*g*): *adoptiui filii in numerum non proficiunt eorum liberorum, qui excuſare parentes ſolent*. Ceterum qualia fuerint illa parentum praemia, hodie vix licet expiſcari, niſi quod veroſimile eſt, ſicuti NOTARE dicebantur cenſores, quum ſenatorem ordine mouerent, equiti adimerent equum publicum, plebeios vel in Caeritum tabulas referrent, vel eoſdem facerent aerarios: ita praemia, ab iis decreta parentibus, in eo conſtitiſſe, quod alios honoratiori tribui adſcriberent, alios donarent equo publico, alios in ſenatum adlegerent. Id enim colligere mihi videor ex LIVIO (*h*), qui *L. Aemilium Paullum* et *Q. Marcium Philippum*: cenſores, libertinos *in quatuor vrbanas tribus deſcripſiſſe* ait, *praeter eos, quibus* FILIVS QVINQVENNI MAIOR *ex ſenatus conſulto eſſet*. Inde enim palam eſt, cenſores in ſupplendis tribubus ruſticis, vtpote honoratioribus, eorum potiſſimum, qui, procreatis liberis, bene de re publica meruerant, rationem habuiſſe.

Magna ac vere cenſoria fuit *Q. Metelli* ſeueritas. Is enim anno ab v. c. 622,

[a] *In Camillo p.* 129.
[b] *Lib.* II. *cap.* 9.
[c] *De legib. Lib.* III. *cap.* 3.
[d] *In M. Porcio Cat. pag.* 345.
[e] *Lib. V. cap.* 19.
[f] *Annal. Lib. XV. cap.* 19.
[g] *L.* 2. §. 2. *D. de vacat. et excuſat. muner.*
(h) *Lib.* XXXXV. *cap.* 15.

622., vti eſt apud *Epitomatorem* LIVII (*a*), *cenſuit*, *vt omnes cogerentur ducere vxores liberorum quaerendorum cauſſa*, *exſtititque oratio eius*, *quam Auguſtus Caeſar*, *quum de maritandis ordinibus ageret*, *velut in haec tempora ſcriptam*, *in ſenatu recitauit*. CENSERE alioquin eſt vocabulum ſenatorium. Rogati enim a conſule vtebantur formula: QVOD C. PANSA VERBA FECIT DE -- DE EA RE ITA CENSEO, vti pluribus exemplis demonſtrauit BARN. BRISSONIVS (*b*). Neque tamen ea Metelli oratio in ſenatu, ſed ad populum habita eſt, ſiquidem in fragmento elegante, quod exſtat apud GELLIVM (*c*) non *patres ſcriptos*, ſed *Quirites* adloquitur. Conſueuiſſe autem cenſores ſub auſpicium magiſtratus ad populum de moribus concionari, paullo ante P. Scipionis exemplum oſtendit. Ecquid vero profecerit Metellus, praeualido iam tum orbitatis ſtudio, non liquet ex eorum temporum monimentis.

X. Hactenus cenſoribus ea res curae fuit, At C. Iulius Caeſar, et conſul, de ea cogitauit. Auctor enim eſt SVETONIVS (*d*) eum *agrum Campanum diuiſiſſe extra ſortem* XX. *millibus ciuium*, *quibus* TERNI PLVRESVE LIBERI *eſſent*. Poſtea iam dictator, quum ſolitudinem vrbis, ciuiumque raritatem ex vltimo cenſu intellexiſſet, denuo, teſte DIONE (*e*), πολυπαιδίαις ΑΘΛΑ ἐπέθηκεν, *iis*, *qui plures liberos ſuſtuliſſent*, PRAEMIA *conſtituit*. Sed de iis Iulii Caeſaris atque Auguſti conſiliis, proximo capite commodior erit dicendi occaſio.

XI. Iam id obſeruare iuuabit, adeo faecunditati fauiſſe Romanos, vt iis, quibus numeroſa proles obtigerat, praemia quaedam, tametſi nulla lege conſtituta, extra ordinem decernerent. Primo enim, quum nulla lex ſeruos, quantumuis bene de dominis meritos, his inuitis, liberaret, inualuiſſe tamen vſu videtur, vt ancillae, ſaepius enixae, in praemium faecunditatis manumitterentur. Saltim COLVMELLA (*f*) id inter praecepta rei ruſticae inculcat, loco hoc elegante, cuius mihi indicium a collega iunctiſſimo, PETRO WESSELINGIO, factum eſſe, gratus profiteor: *nos quidem aliquando iuſte dolentes*, *iam vindicamus*, *quam animaduertimus in eos*, *qui ſeditionibus familiam concitant*, *qui calumniantur magiſtros ſuos*: *ac rurſus praemio proſequimur eos*, *qui ſtrenue atque induſtrie ſe gerunt*. *Feminis quoque* FOECVNDIORIBVS, *quarum in ſobole* CERTVS NVMERVS *honorari debet*, *otium non numquam et libertatem dedimus*, *quum complures natos educaſſent*. *Nam cui* TRES *erant* FILII, *vacatio*; *cui* PLVRES, *libertas quoque contingebat*. *Haec enim iuſtitia et cura patrisfamilias multum confert augendo patrimonio*. (Et hinc fortaſſis tam frequenter libertatem ancillis datam legimus ſub conditione, ſi ter peperiſſent. Exemplum Arethuſae eſt in *L.* 15. *et L.* 16. *D. de ſtat. hom.* nec non in *L.* 3. §. 16. *D. de ſtatu liber.*)

Deinde boni principes, ſi quando in facinoroſos paullo ſeuerius animaduerterent, liberorum tamen numero inflexi ad miſericordiam, vel mitiorem irrogabant poenam, vel pupillis certe partem ſubſtantiae paternae,

[a] *Lib.* LVIIII.
[b] *De formul. Lib.* II. *pag.* 196.
[c] *Lib.* I. *cap.* 6.
[d] *Iul. cap.* 20. APPIAN. *de bell. ciuil. Lib.* II. *pag.* 433.
[e] *Lib.* XXXXIII. *pag.* 226.
[f] *Lib.* I. *cap.* 8.

more maiorum publicandae, condonabant. De Hadriano ſane refert Dio (*a*): Εἰ τέ τινα τῶν τέκνα ἐχόντων ὀφλῆσαι πάντως ἔδει, ἀλλ' ἔν πρός γε τὸν ἀριθμὸν τῶν παίδων καὶ τὰς τιμωρίας αὐτῶν ἐπεκούφιζεν: *ac ſi forte ii, quibus plures liberi ſuppeterent, condemnati erant: poenas eorum* PRO FILIORVM NVMERO *mitigabat*. Quae DIONIS verba egregie illuſtrat dignum Hadriano reſcriptum, quod ſeruauit PAVLLVS (*b*): *ſi* PLVRES FILIOS *damnatus habeat, ſtruntur exempla, per quae pluribus liberis omnia bona damnati conceſſa ſunt. Sed et diuus* HADRIANVS *in hanc ſententiam reſcripſit: fauorabilem apud me cauſſam liberorum Albini* FILIORVM NVMERVS *facit, quum ampliari imperium hominum adiectione potius, quam pecuniarum copia malim. Ideoque illis paterna ſua concedi volo, quae manifeſtabunt tot poſſeſſores, etiamſi acceperint vniuerſa*. Quare dum SPARTIANVS (*c*) ſcribit: *liberis proſcriptorum duodecimas bonorum conceſſit*: id de ſingulis liberis intelligendum erit. Plus vncia enim, immo aliquando vniuerſum bonorum aſſem πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῶν παίδων eum liberis reliquiſſe, vel exemplum liberorum Albini euincit. (Ceterum ad belliſſimam hanc *L. 7. §. 3. D. de bon. damnat.* duo adhuc obſeruaſſe iuuabit. Alterum, quod iam a viro ſummo, CORNEL. *van* BYNKERSHOEK, *Obſeruat. Lib. II. cap.* 16. animaduerſum eſt, hanc benignitatem Hadriani adſcribendam non eſſe legi Iuliae et Papiae, cui illam LIPSIVS *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib. III. cap.* 25. adſcripſerat, nec vlli alii iuri ordinario, quod ſemper et vbique viguerit, ſed priuilegio principis humaniſſimi, quod ad exemplum trahi non ſolet. Alterum ad poſtrema iſtius legis verba, haud parum obſcura, pertinet. Quid enim ſibi volunt illa: *quae manifeſtabunt tot poſſeſſores, etiamſi acceperint vniuerſa?* Vir ſummus, quem laudaui, illa emendat, ſed, quae eſt eius modeſtia, timidiuſcule: *quae manifeſte dabunt tot poſſeſſores, etiamſi acceperint vniuerſa*. Quid vero ſi retineamus lectionem et notionem verbi *manifeſtare* vulgarem? Quid ſi ponamus, fiſcum iam Albini bona occupaſſe, eaque vendidiſſe ſub haſta: liberorum autem miſertum Hadrianum ea reſtitui iuſſiſſe? Videtur tunc ſane reſcribere potuiſſe: *ideoque illis* (liberis Albini damnati) *paterna ſua* (ſub haſta vendita) *concedi volo: quae manifeſtabunt* (i. e. fiſco indicabunt (*tot poſſeſſores*, (qui a fiſco illa emerunt,) *etiamſi acceperint vniuerſa*, (i. e. licet illa vniuerſa per modum ſectionis emerint, traditaque iam diſtraxerint.) Atqui durum eſt, eas a fiſco ſemel venditas retrahi, atque emtoribus iterum extorqueri. Durum omnino, ſed quod facile fauor liberorum excuſabat, maxime quum emptores pretium reciperent. Neque huius generis decreta principum inſolita eſſe, vel pax, quae nuper inter Carolum; auguſtiſſimum imperatorem, et regem Hiſpaniae coaluit, ſatis ſuperque euincit. Ceterum et aliam Hadriani liberalitatem memorat SPARTIAN. in *Vit. Hadr. cap.* 7. ad quam ipſam quoque numero liberorum prouocatus eſt: ſiquidem *ſenatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant, patrimonium pro* LIBERORVM MODO *expleuit*. Sed et ad excitandam principum liberalitatem proderat numeroſa proles. Auctor enim eſt PLINIVS (*d*), *aduentante congiarii die laborem parentibus fuiſſe*,

[a] *Excerpta Peireſc. pag.* 715.
[b] *L. 7. §. 3. D. de bon. damnat.*
[c] *Hadrian. Lib. IV.*
[d] *Panegyr. cap.* 26.

Digitized by Google

fuiſſe, oſtentare paruulos, impoſitoſque ceruicibus adulantia verba blandaſque voces edocere. Quod eo fine factitatum, vt princeps numeroſae ſobolis conſpectu admonitus rationem haberet parentum, eorumque nomina in tabulas referri iuberet.

Quum porro liberi ex inceſtu nati ne ex recentioribus quidem Conſtantini M. Theodoſii iunioris, et Iuſtiniani legibus legitimari poſſint, Marci autem imperatoris temporibus plane ignota eſſet legitimatio: optimus tamen ille princeps cum fratre liberos Flauiae Tertullae, quae auunculo nupſerat, lege ſoluit, eoſque legitimorum iuribus perfrui iuſſit, motus praecipue numero liberorum. Reſcriptum, a MARCIANO (*a*) ſeruatum, tale eſt: *mouemur et temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio auunculi tui fuiſti, et quod ab auia tua collocata es, et* NVMERO LIBERORVM VESTRORVM. *Idcircoque, quum haec omnia in vnum concurrant: confirmamus ſtatum liberorum veſtrorum, in eo matrimonio quaeſitorum, quod ante annos quadraginta contractum eſt, perinde atque ſi legitime concepti fuiſſent.* Quod exemplum imitatus IVSTINIANVS imperator (*b*) incolis Syndios pagi, et Hebraeis Tyri inſulam incolentibus, qui illicitis nuptiis ſeſe polluerant, ideo potiſſimum gratiam facit publicationis bonorum, *quia iam* FILIORVM PATRES *eſſent*. Saepe et vacationem extra ordinem merebantur liberi. Claudius ſane imp. quum eſſedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium fauore indulſiſſet rudem, tabulam, teſte SVETONIO (*c*) illico miſit, admonens populum, *quantopere liberos ſuſcipere deberet, quos videret et gladiatori praeſidio gratiaeque eſſe.*

Denique et in deferendis honoribus plurium liberorum parentes innuptis atque orbis anteferri ſolebant, non ſolum Romae, vbi id priuilegium ex lege Papia Poppaea valuit, verum etiam in coloniis et municipiis, in quibus parentibus et in decurionum albo (*d*), et in dicendis ſententiis (*e*) praerogatiua concedebatur.

XII. Tantum ſua intereſſe exiſtimabant Romani, faecunda eſſe ciuium ſuorum matrimonia. Tot praemiis poeniſque efficere ſtudebant, vt numeroſa *procrearetur ſoboles, ciuitaſque* LIBERIS REPLERETVR, ceu alicubi loquitur POMPONIVS (*f*). Cuius conſilii cauſſae partim e fine ſtatuque Romanae rei publicae, partim e moribus Romanorum paullatim in deterius prolapſis arceſſendae ſunt.

Diu multumque diſceptatum eſt inter ciuilis prudentiae doctores, expediatne rei publicae, vt in immenſum ciuium numerus excreſcat? ARISTOTELES (*g*), expenſis, quae huc facere videbantur, vniuerſis, rationibuſque ſubductis hanc facit cogitationum ſuarum ſummam, eum demum populum beatum eſſe, qui ſit iuſtae magnitudinis: talem vero videri, qui ſibi ipſi ſufficiat, qui ſit, cognitu facilis, adeoque commode poſſit regi, vbi denique ciues ipſi ſibi inuicem noti ſint ad colendam amicitiam. Quare tantum abeſt, vt rebus publicis omnibus expetenda ſit numeroſa ciuitas, vt ſaepe praeualentis populi vires ſe ipſae paullatim confecerint. Quare non

 deſue-

[a] *L. 57. §. 1. D. de rit. nupt.*
[b] *Nouell. CXXXVIIII. praef.*
[c] *Claud. cap. 21.*
[d] *L. 6. §. 5. D. de decurion.*
[e] *L. 9. C. eod.*
[f] *L. 1. de ſolut. matr.*
[g] *Polit. Lib. VII. cap. 4.*

deſuerunt res publicae, quae vel ob inſolentiam plebis, vel agri anguſtiam aut ſterilitatem, de regundo potius coercendoque, quam amplificando ciuium numero cogitarunt. Saltim ea cauſſa Germanis ad tot migrationes, aliiſque ciuitatibus ad deducendas tot colonias incitamento fuit, vt hoc modo vel vrbium ſentinam exhaurirent, vel domi manentibus annonam redderent leuiorem.

Enimuero aliter multo Romani componebant rationes. Ab ipſa vrbis origine omne illis conſilium in armis poſitum fuerat, eumque ſolum ſibi finem propoſuerant in conſtituenda re publica, vt virtute ſibi imperium quaererent ampliſſimum, limiteſque, quam poſſent; latiſſime proferrent. Hunc rei publicae finem illis commendauerat Romulus, quem ideo Dionysius Halicarnassaevs *(a)* ita fingit ad populum de inſtituenda re publica concionantem, vt ciuibus praeter iuſtitiam vnice commendaret *ἐν τοῖς ὀθνείοις πολέμοις τὸ διὰ τῶν ὅπλων κράτος*, *armorum in extraneis bellis potentiam*. Quum ergo ciuitas Romana plane eſſet ad potentiam bellicam comparata, et tamen aduerſus hoſtes non legiones vndequaque mercede conſcriptas, ſed lectum e ciuibus militem educeret: nulla profecto re ei magis opus erat, quam ciue numeroſiſſimo, qui et delegendo nouo militi, et ſupplendis legionibus, et firmandae praeſidiis in re trepida vrbi ſufficeret.

Contra nullus fere populus magis a nuptiis procreandiſque liberis abhorrebat, quam Romanus, partim, quod Italorum ingenia ad omnem profligata libidinem alia ex aliis adpetunt, amata contemnunt, contemta amant, adeoque vagas libidines matrimonio anteferendas facile exiſtimant, partim quod, ob luxum feminarum incredibilem, nollent Romani domi alere reginas, patrimonii voragines, certiſſimaſque fundi calamitates futuras. Prioris cauſſae ipſe meminit apud Dionem *(b)* Auguſtus, ita, alloquutus equites, legi noſtrae aduerſantes: *Οὐ γὰρ δὴ δήπου μοναυλίᾳ χαίρετε, ἵν' ἄνευ γυναικῶν διάγητε ὅτι ἐστιν ὅστις ὑμῶν ἢ σιτεῖται μόνος, ἢ καθεύδει μόνος, ἀλλ'* ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΚΑΙ ΥΒΡΙΖΕΙΝ ΚΑΙ ΑΣΕΛΓΑΙΝΕΙΝ *ἔχειν ἐθέλετε*: *neque enim adeo ſolitudo vos capit, vt abſque mulieribus degatis, ac non quilibet veſtrum menſae ac lecti ſociam habeat: ſed* licentiam libidinis ac lasciviae *veſtrae exercendae quaeritis*. Et paullo ante idem imperator, *τὸν* ΕΥΖΩΝΟΝ *καὶ* ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ ΒΙΟΝ, *τὸν ἄγυνον, καὶ ἄτεκνον*, expeditam *illam ac* liberrimam vitam *extra matrimonium et ſine ſobole* praecipue corrumpere ait Romanos, vt legi ſaluberrimae parere nolint.

Nec altera cauſſa pauciores abſterrebat a matrimonio. Non enim, vti olim quum dos eſſet

> *- - - Magna parentium*
> *Virtus, et metuens alterius viri*
> *Certo foedere caſtitas,*

mulieres id agebant, vt viris ſuis placerent, ſed vt tanto tutius ſuccumberent viris, eorumque impenſis auro gemmiſque fulgentes moechos in ſui amorem pellicerent. Haec tropica inſtituerat abrogatio legis Oppiae. Quam vero moleſtum erat Romano ciui domi alere vxorem, otio deditam, et, Plv-

[a] *Lib.* II. *cap.* 3.

[b] *Lib.* LVI. *pag.* 576.

Plvtarcho (a) teſte, nec molere, nec coquere doctam, ſed ad ſolum luxum ac voluptatem veluti a natura factam? Quam moleſtum, reginam illam inſtruere ſeruis, eunuchis, ancillis, ornatricibus, veſtiplicis, cinifloninibus, picatricibus, pſecadibus, textricibus, vnctricibus; praeterea auro, purpura, gemmis, vnionibus, et mille luxuriae inſtrumentis? Quam moleſtum denique viris ſuſpicaciſſimis, domi tantis ſumtibus habere adulteras, ſexcentis artibus litterarumque ſecretis viros pellicientes, quaeque carpento feſtis profeſtiſque diebus, veluti triumphantes de virorum patientia, vectarentur, et nec libidini, nec luxuriae facerent modum? Malebant ergo Romanorum plerique, inſigni rei familiaris compendio, vel meretricum frui amplexibus, vel cum concubina frugali et modeſta aetatem agere, quam quotidianam illam deuorare aegritudinem. Hinc Dio (b) obſeruat, Auguſto de lege maritali primum ad ſenatum referente, patres grauiter conqueſtos eſſe de mulierum iuuenumque immodeſtia, hancque prius emendandam, non ſine conuicio cenſuiſſe. Rem ſane acu tetigerat ſenatus, ſiquidem ea ipſa cauſſa iam a belli Punici II. temporibus permultos a nuptiis cohibuerat, quam ita eleganter expreſſit apud Plavtvm (c) Periplectomenes ſenex:

- - - Verum egone eam ducam domum,
Quae mihi nunquam hoc dicat: eme, mi vir, lanam, vnde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur, tunicaeque hibernae bonae,
Ne algeas hac hieme? Hoc nunquam verbum ex vxore audias,
Verum priuſquam galli cantent, quae me ſomno ſuſcitet,
Dicat: da mihi, vir, calendis meam quod matrem iuuerit,
Da, qui farciat, da, qui condiat, da, quod dem Quinquatribus,
Praecantatrici, coniectrici, hariolae atque aruſpicae:
Flagitium eſt, ſi nihil mittetur, quo ſupercilio ſpicit!
Tum piatricem clementer, non poteſt, quin munerem.
Iampridem, quia nihil abſtulerit, ſuccenſet geraria.
Tum obſtetrix expoſtulauit mecum, parum miſſum ſibi.
Quid nutrici non miſſuras quidquam, quae vernas alit?
Haec atque huius ſimilia alia damna multa mulierum
Me VXORE PROHIBENT, *mihi quae huius ſimiles ſermones ferat.*

Adhaec Romae et coniugii ſuauitatem, et voluptatem, quae e liberis capi ſolet, omnem maxima illa orbitatis praemia longiſſime ſuperabant. Colebantur caelibes et orbi ab omnibus, non ſecus, ac idem apud comicum Periplectomenes, qui iſta orbitatis praemia deſcripturus (d):

Quando, inquit, *habeo multos cognatos, quid opus mihi ſit liberis?*
Nunc bene viuo, et fortunate, atque vt volo, atque animo vt lubet.
Mea bona morte cognatis dicam, inter eos partiar.
Illi apud me edunt, me curant, viſunt, quid agam? ecquid velim?
Priuſquam lucet, adſunt, rogitant noctu vt ſomnum ceperim?
Eos pro liberis habeo: quin mihi mittunt munera,

Sa-

[a] *Quaeſt. Rom. pag.* 284.
[b] *Lib. LIIII. pag.* 531. *ſequ.*
[c] *Mil. glorioſ. act.* III. *ſcen.* I. *v.* 92.
[d] *Ibid. v.* 3. *ſequ.*

Digitized by Google

Sacrificant: dant inde partem maiorem mihi, quam ſibi.
Adducunt ad exta, me ad ſe ad prandium, ad coenam vocant,
Ille miſerrimum ſe retur, minimum qui miſit mihi.
Illi inter ſe certant donis: ego hoc muſſito mecum:
Bona mea inhiant, certatim mittunt dona et munera.

Nec priuatim tantum unuſquiſque obſeruabat caelibem orbamque ſeneſtam, ſed et PVBLICE, vt verbis TACITI (*a*) vtar, *multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, illa cuncta, promta et obuia habebat*, nemine quippe orbis negante ſuffragium, ob hereditatem, quam iam vnuſquiſque ſpe ſua deuorauerat, pinguiſſimam. Hi mores et poſtremis rei publicae temporibus obtinebant, adeo vt et de ſua aetate ſcribat AMMIANVS (*b*), *vile tunc Romae exiſtimatum, quidquid extra vrbis pomaeria natum fuiſſet, praeter* ORBOS, *et* CAELIBES, *nec credi poſſe, qua obſequiorum diuerſitate culti ſint homines ſine liberis, vt his, qui patres fuerint, tamquam in capita mendicorum*, CAELIBES *dominarentur*. His publicis moribus, tantum profecto abeſt, vt liberos libenter quaererent Romani, vt quidam induſtri praemiis orbitatis filiorum odia ſimularent, et liberos eiurarent, et orbitatem manu facerent. Fuerunt denique, quos ſapientiae ſtudium et vitae perfectioris amor ad caelibatum incitaret. Mature enim et inter philoſophos inualuit perſuaſio, *μήτ' ἂν γῆμαι, μήτ' ἂν εἰς ὁμιλίαν ἀφικέσθαι ποτὲ ἀφροδισίων*, vti de Apollonio Tyanenſi refert PHILOSTRATVS (*c*). Hinc vti olim Thales, Pythagoras, Democritus, Plato, Zeno Cittieus, Epicurus caelibatum ſapientiae ſtudio amiciſſimum iudicabant: ita eamdem ſententiam, lata lege Iulia, mordicus tenuere Epictetus, Apollonius Tyanenſis, Plotinus, Porphyrius, Proclus, cuius in virtutibus et hoc refert MARINVS (*d*): quod fuerit *γάμων τε ἢ παίδων οὐδέποτε πεῖραν λαβών, διὰ τὸ μηδὲ αὐτὸς ἐλέσθαι, inexpertus coniugii, et liberorum, nec haec deſiderarit.* Quamobrem nec mirum eſt, Romanos tot poenas coelibatui atque orbitati, totque praemia nuptis ac parentibus conſtituiſſe. Quod quum praecipue legibus IVLIA et PAPIA POPPAEA factum eſſe, nemo ignoret: de harum legum occaſione hiſtoriaque capite proxime inſequente agemus accuratius.

[a] *Annal. Lib. XV. cap.* 19.
[b] *Lib.* XIIII. *cap.* 19.
[c] *Vit. Apollon. Lib.* I. *cap.* 10.
[d] *Vit. Procli, cap.* 17. *pag.* 39.

CAPVT III.

DE OCCASIONE LEGVM IVLIAE ET PAPIAE, TOTIVSQVE ILLIVS LEGISLATIONIS HISTORIA.

I. *Caeſar dictator faecunditatis praemia conſtituit. Cenſus a Caeſare non actus, ſed recenſio. Ea recenſione paucitas ciuium adparuit. Qualia fuerint parentibus propoſita praemia.* II. *Auguſtus legem de maritandis ordinibus poeniſque caelibatus ac orbitatis nondum tertio conſulatu rogauit Primum a. 736. id egit. Quid apud* DIONEM *ſit ἔμπαλιν, ἔθηκεν; Auguſti*

guſti acta in ſenatu. SC. de ferenda hac lege factum. Marmor, in quo legis de maritantis ord. mentio fit, illuſtratum. Lex tum non perlata. Locus SVETONII *leuiter emendatus. Locus* PROPERTII *explicatus. Auguſtus emendata lege, detractaque parte poenarum legem pertulit a. 735. Vacatio initio biennii, poſtea triennium additum. Equites a. v. c. 761. legem abrogatam volebant. Auguſti orationes tunc habitae.* III. *Denique a v. c. 762. lata lex Papia Poppaea. Ea rogata a conſulibus ſuffectis. Non fuit haec lex SCtum.* LIPSII *alucinatio. Principium legis a* GOTHOFREDO *fictum.* IIII. *Quomodo differant lex Iulia de maritandis ordinibus et lex Papia Poppaea?*

Libera adhuc re publica, nihil reliqui feciſſe Romanos, vt pertinax illa, tamque pernicioſa rei publicae nuptiarum fuga variis praemiis ac poenis ſiſteretur, ſuperiore capite oſtendimus. Quum vero Auguſtus in his maiorum inſtitutis haud adquieuerit, ſed tot rogationibus nouas ſeuerioresque poenas orbitati, nouaque praemia τῇ πολυπαιδίᾳ propoſuerit: huius conſilii rationes, ſequutoſque illud vſque ad legem PAPIAM POPPAEAM euentus varios capite hoc exponere viſum eſt.

I. Iam ante Auguſtum C. Iulium Caeſarem noua parentibus praemia conſtituiſſe, ſuperiore capite monuimus. Id vero tum factum eſt, quum dictator iam perpetuus, acta recenſione ciuium inſignem vrbis infrequentiam deprehendiſſet. Ita enim rem refert DIO (a): Ἐπειδή τε δεινὴ ὀλιγανθρωπία διὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος, ὡς ἔκ τε τῶν ἀπογραφῶν, (καὶ γὰρ ἐκείνας, τά τε ἄλλα ὥσπερ τις τιμητὴς, ἐποίησε,) καὶ ἐκ τῆς ὄψεως, ἠλέγχετο, ἦν, ΠΟΛΥΠΑΙΔΙΑΣ ἆθλα ἐπέθηκεν: *et quoniam infrequens admodum vrbs erat propter caeſorum multitudinem, quod ex recenſu, (eum enim et reliqua perinde, ac ſi cenſor eſſet, faciebat), et ex ipſo adſpectu adparebat: iis, qui multos liberos haberent,* PRAEMIA *propoſuit.* Verba ὥσπερ τις τιμητὴς Latine reddidi *perinde ac ſi cenſor eſſet*, vt ὥσπερ ſit pro ὡσπερεί: quemadmodum apud ZOSIMVM (b): παραμυθούμενος ΩΣΠΕΡ αὐτὸν ὁ Κωνσταντῖνος κακῷ τὸ κακὸν ἰάσατο μείζονι: *Conſtantinus, perinde ac ſi eam conſolari vellet, malum malo maiore ſanauit.* Cenſum ſane hunc Caeſar a. v. c. 708. poſt bellum Africanum egit, non tamquam cenſor, ſed vti dictator. Vnde et SVETONIVS (c) non *cenſum* vocat, ſed *recenſum*, eumque *nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim, per dominos inſularum, actum eſſe*, obſeruat. Quum vero bella ciuilia per Hiſpaniam, Italiam, Graeciam, Aegyptum, ipſamque Africam diffuſa multa hominum millia abſumſiſſent, et octoginta praeterea millia ipſe Caeſar, teſte SVETONIO (d), in colonias tranſmarinas diſtribuiſſet: in tantum deminutus fuerat ciuium numerus, vt APPIANVS (e) ſcribat: Τὸ δὲ τοῦ δήμου πλῆθος ἀναγραψάμενος ἐς ΗΜΙΣΥ λέγεται τῶν πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου γενομένων εὑρεῖν: *cenſu deinde acto, ferme* DIMIDIO MINVS *capitum cenſum eſt, quam ante huius belli ciuilis initium.* Non male autem rationes ſubduxit APPIANVS. Quum enim a. v. c. 682. quadringenta quinquaginta ciuium millia (f), et a. 703. dein

[a] *Lib.* XXXXIII. *pag.* 226.
[b] *Lib.* II. *cap.* 29.
[c] *Iul. cap.* 41.
[d] *Ibid. cap.* 42.
[e] *De bell. ciu. Lib.* II. *pag.* 492.
[f] *Epit. Liuii Lib.* LXXXXVIII.

dein 320. capitum millia cenſa eſſent *(a)* : Caeſare dictatore non vltra 125. millia, vti numerum iniit PLVTARCHVS *(b)*, vel, vti LIVII *Epitomator* *(c)*, 150. millia ciuium reperta ſunt. In tantum rem publicam exhauſerat duorum ciuium, quorum alter parem, alter ſuperiorem ferre non poterat, aemulatio.

Animaduerſa hac patriae ſolitudine raritateque ciuium, varia conſtituit Caeſar, vt exhauſtam vrbem noua ſobole expleret, veluti, *ne quis ciuis maior viginti annis, minorue 40. qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet: neu quis ſenatorum, niſi contubernalis aut comes magiſtratus, peregre proficiſceretur, neue hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent* *(d)*, Verum haec vix retuleris ad praemia πολυπαιδίας, quae conſtituta ab eo fuiſſe, DIO ait. Quare qualia ea fuerint, ignoramus, niſi dixeris, eum peregrinos quoſdam Romae commorantes ob numeroſam prolem ciuitate donaſſe. Eo enim refero, quod ſtatim ſequitur apud SVETONIVM : *omnes, medicinam Romae profeſſos, et liberalium artium doctores, quo libentius et ipſi vrbem incolerent, et ceteri adpeterent*, CIVITATE DONAVIT. Nam haec omnia ideo ſanxiſſe Caeſarem, vt exhauſtae vrbi frequentia ſuppeteret, ipſe TRANQVILLVS adfirmat.

II. Interfecto Caeſare, iſta frequentandae amplificandaeque ciuitatis conſilia etiam Auguſtus cura multo maiore exſequutus eſt. Quum enim Caeſar, tamquam dictator, edictis tantum rem videatur egiſſe: Auguſtus parum ſe ad ſummam rei profeciſſe arbitratus eſt, niſi et ſeueriore lege caelibatum poenis damnaſſet, et faecunditatem parentum luculentioribus extuliſſet praemiis. Sed, praeualido caelibatus orbitatiſque ſtudio, fruſtra aliquandiu fuit, legemque, ſubinde relatam, vix pertulit. Id enim innuit TACITVS *(e)*, dum *legem Papiam Poppaeam*, *poſt* IVLIAS ROGATIONES, *latam eſſe*, ſcribit. Quare operae pretium facturi videbimur, ſi Iulias iſtas rogationes contemplemur paullo diſtinctius.

IVSTO LIPSIO, viro eximio *(f)*, primum Auguſtus ea de re cogitaſſe videtur a. v. c. 725. ſexto conſulatu. Quam in ſententiam adductus eſt primo auctoritate TACITI *(g)*, qui, SEXTO *demum* CONSVLATV *Caeſarem, potentiae ſecurum, quae triumiratu iuſſerat, aboleuiſſe, et dediſſe iura* ait, *queis pace et principe vterentur : arctiora ex eo tempore vincula, inditos cuſtodes*, et LEGE PAPIA POPPAEA *praemiis inductos*. Sane quum lex PAPIA Poppaea multo ſerius lata ſit: colligi inde poſſe exiſtimabat LIPSIVS, eo ſexto Auguſti conſulatu veluti fundamenta iacta eſſe rogationis iſtius celeberrimae. Deinde idem conſequi videbatur ex loco DIONIS *(h)*, qui, a. v. c. 736. Auguſtum ΕΜΠΑΛΙΝ *iterum* nuptis ac parentibus praemia conſtituiſſe, memoriae prodidit. Quare ſimile quid iam ante ab Auguſto eſſe tentatum, vero ſimillimum videri poſſet. Enim vero non ait TACITVS, ſexto illo conſulatu legem aliquam, Iuliae vel Papiae ſimilem, eſſe latam, ſed ab illo conſulatu Caeſarem, remotis aemulis, potentiae ſecurum, varia, quae e re publica viderentur, inſtituiſſe: adeoque ex TACITI teſti-

[a] PLVTARCH. *Caeſar. pag.* 733.
[b] *Caeſar. pag.* 733.
[c] *Lib.* CXV.
[d] SVETON. *Iul. cap.* 42.
[e] *Annal. Lib.* III. *cap.* 25.
[f] *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib.*III.*litt.*c.
[g] *Ibid. cap.* 28.
[h] *Lib.* LIIII. *pag.* 531.

teſtimonio nihil intuleris aliud, quam rogationem PAPIAM POPPAEAM aeque, ac alias leges Iulias, ab Auguſto latas, ſexto illo conſulatu eſſe poſteriores. Deinde DIO quidem anno 736. Auguſtum dicit ΕΜΠΑΛΙΝ τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα τεθεικέναι, DENVO *nuptiis, liberorumque procreationi praemia propoſuiſſe*: verum nec ipſe DIO, *libro LIII.*, quo acta Auguſti, ſextum conſulis, exſequutus eſt, nec vllus veterum legis cuiuſdam, qua praemia parentibus ac nuptis tum conſtituerit, vel verbo meminit. Quare eum potius illa quae a Caeſare dictatore facta, *libro XXXXIII.* retulerat, in animo habuiſſe, crediderim, vt, quum ille prior praemia πολυπαιδίας propoſuerit, recte de Auguſto dixerit DIO, illum ΕΜΠΑΛΙΝ τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα τεθεικέναι.

Primum ergo a. v. c. 736. Auguſtus legis de maritandis ordinibus ferendae curam ſuſcepiſſe videtur. Tunc demum enim, *duobus Lentulis* coſſ. teſte eodem DIONE (*a*), τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμια ἐπέταξε, καὶ ἔμπαλιν τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν: *grauiorem poenam innuptis vtriuſque ſexus impoſuit, contraque nuptiarum et multitudinis liberorum praemia iterum conſtituit*. Neque tamen exiſtimandum, illum eodem anno legem pertuliſſe, ceu ſibi perſuaſiſſe videtur vir doctus, TILLEMONTIVS (*b*), ſiquidem hoc anno tantum rem ad ſenatum retulit. Nam, quum more maiorum hanc legem perferre cuperet princeps quam maxime popularis: primo omnium operam dedit, vt ſenatus fieret auctor, idque, quod mireris, aegre impetrauit. DIO enim, paullo ante laudatus, narrat prolixius, referenti ea de re ad ſenatum principi, non ſine conuicio occlamatum eſſe a patribus, multa de iuuenum mulierumque immodeſtia conqueſtis, qua fieri aiebant, vt aegre ciues contrahant matrimonium. Quae καταβόησις, vti ait DIO (*c*), tanta fuit, vt non obſcure viderentur id omne agere χλευασμῷ, ὅτι πολλαῖς γυναιξὶν ἐχρῆτο: *ſubſannantes Auguſtum, qui cum multis mulieribus rem haberet*. Reſpondebat tum Auguſtus, ea, quae maxime neceſſaria, et e re ciuitatis eſſent, ſe conſtituiſſe: reliqua non aeque facile ſanari: ipſorum maritorum officium eſſe, regere vxorum mores, eoſque praeceptis, admonitionibuſque ad modeſtiam componere, quod ſe quoque domi ſuae facere ſolere. Tum vero multo magis obniti patres, et quaerere, quales ſint quibus Liuiam ſuam regat, admonitiones? Quamobrem Auguſtus, etſi perinuitus, quaedam de veſtitu mundoque muliebri, de progreſſu in publicum, mulierumque modeſtia dixit, parum ſollicitus, an ea apud gnaros fidem eſſent habitura. Saepius tunc eamdem rem videtur egiſſe in ſenatu, eaque potiſſimum occaſione recitaſſe egregiam illum Metelli cenſoris orationem, cuius hoc fragmentum exſtat apud GELLIVM (*d*): *ſi ſine vxore*, QVIRITES, *poſſemus eſſe; omnes ea moleſtia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis vllo modo viui poſſit: ſaluti perpetuae potius, quam breui voluptati, conſulendum*. Hanc enim orationem, perinde ac ſi in illa tempora ſcripta eſſet, in ſenatu recitaſſe Auguſtum, cum LIVII *Epitomator* (*e*), tum SVETONIVS (*f*) teſtantur. Atque ita demum poſt tot moli-

[a] *Lib.* LIIII. *pag.* 531.
[b] *Hiſtoire des Empereurs*, *Tom. I. p.* 34.
[c] *Ibid. pag.* 532.
[d] *Lib. I. cap.* 6.
[e] *Lib.* LVIIII.
[f] *Aug. Cap.* 89.

mina Sc. de lege Iulia ferenda prodiit, de quo HORATIVS (*a*) in carmine ſaeculari, anno inſequente 737. *C. Furnio* et *C. Silano* conſſ. ante meſſem ſcripto (*b*):

> *Diua, producas ſobolem,* PATRVM*que*
> *Proſperes decreta, ſuper iugandis*
> *Feminis, proliſque nouae feraci*
> *Lege marita.*

Laudat ergo Horatius non ipſam legem de maritandis ordinibus, tum quippe nondum latam, ſed *decreta patrum ſuper illa lege*, id eſt, (vti recte a *ſcholiaſta Crucquiano* et in MSStis ad Horatium *ſcholiis*, quae bibliotheca Franequerana ſeruat, explicatur,) SCtum, de illa ad populum ferenda confectum, cui proſperos ſucceſſus precatur a Diana, tamquam ſingularem ciuitati adlaturae vtilitatem.

Quantam ſpem perferendae legis ex hoc SC. conceperit Auguſtus, vel inde patet, quod eius, iam ante ludos ſaeculares, perinde ac ſi lata eſſet, meminerit in veteri inſcriptione apud GRVTERVM (*c*), quae quum adhuc non niſi mutila legatur: licebit facere periculum, an incomparabile iſtud monimentum ex ingenio quodammodo poſſit ſuppleri. Et quidem eam nobis diximus legem, vt et hiſtoriae et lacunarum ſpatii haberemus rationem, nec vlla linea altera eſſet prolixior

SC. *auctoritas a. d. - - - - in. aede - - - - ſcribundo adfuer.* - - - - - - - - - - - -
e - - - - S. L. CESTIVS. L. PETRONIVS *Rufus* - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - -
Quod coſſ. V. F. (*) LVDOS. SAECVLARIS. POST. COMPLVRA. *luſtra. more. maiorum. curantibus. Caeſare. et*
*M. Vipſ. agri*PPA. TRIBVNIC. POTESTATE. FVTVROS. QVO*modo. illos. rite. fieri. oporteat. d. e. r. i. c.* (**)
*quoniam. anti*QVI. ETIAM. QVOD. TALE. SPECTACVLVM. *tribus. noctibus. fieri. debeat. inſtituerunt.*
ne. cui. ex his. QVI NONDVM. SVNT. MARITALI (†) *ſpectaculo. niſi. arbitrio. propinqui. maioris. natu.*
*cuſtodiſue. ieis. con*STITVTI. NEQVE. VLTRA. QVAM. SEMEL. ELLI. MO*re. maiorum. ſ. ſ. ſ.* (§). *intereſſe. liceat.*
vtiq. innuptis. SENI*b.* S. F. S. SPECTARE. LICEAT. IEIS. QVI. LEGE. DE MARITA*nd. ord. vacation. habent.*
*a. d. - - - - ſcrib. iid*EM. ADFVER. ET. SENATVSCONSVLTVM. FACTVM. EST. *quod. coſ.* V. F. *videri. e republ.*
*haec. omnia. ma*NERE. AD. CONSERVANDAM. MEMORIAM. TANTAE. *Rei. et ſc. de. ludis. ſaecularib. facta.*
*publ. in colum*NAM. AENEAM. ET MARMOREAM. INSCRIBI. *Scriptaq. in. foro. comitio. alioue. loco.*

pu-

[a] *Epod.* XVIII. *v.* 17.
[b] ANT. PAGI *Crit. Baron. Adpar.* §. 124. *pag.* 29.
[c] *Inſcript. pag.* 328. *n.* 1.

[*] Verba fecerunt.
[**] De ea re ita cenſuerunt.
[†] *Lege*, maritati.
[§] Sine fraude ſua.

*publico. propon*I. Q. D. E. RE. V. D. E. R. I. C. (†) VTI. COS. A. A. VE. (††) ADHI*bitis praetorib. qui. aerario. praeſunt.*

*column. aen. et mar*MOREAM. IN. QVIBVS. COMMENTARII. *diurni. ſenatus. decretaque. de. ludis. ſaecul.*

inſcribantur. P. (§§) IMPERENT. VTIQ. REDEMTORIBVS. EAS. *columnas. quam. primum. faciundas. locent.*

a. d. - - - - *quum edi*CTVM PROPOSITVM ES*ſet* XV. VI*r. ludis ſaecularibus faciundis* - - - - - - - -

S. EXISTVMAVIMVS. VT. OMNES. LIB.

EI. CONIVGESQVE.

Interiectis multis, quae vetuſtas detriuit haec paullo integriora ſequuntur;

Quod. C. Silanus. et C. Furnius. COS. V. F. DE LVCARI. LVDORVM. S*aecularium. vnde. id. ſumi. placeat.*

quo. hi. ludi. ſaecular. rite. FIERENT. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. VTI. QVONIAM ANTI*quitus. lucorum.*

reditus. ad faciundos. ludos. SAECVLARES. XV. VIR. SACR. FACIVND. IN. SVMMA. CONSTITVTI. *ſunt. eoſq.*

ieis. et. ad. ludos. QVOS. PRO. SALVTE. CAESARIS. FECERVNT. LVCARIS. NOMINE. CON*ſtituit. ſenatus.*

*coſſ. ſimi*LIT. INPERENT. VTI. EAM. PECVNIAM. DANDAM. AD TRIBVENDAM. *poſſeſſores. lucorum conferant.*

Eodem. (*a*) INNO. (*) C. SILANO. C. FVRNIO. COS. A. D. XIII. K. MART. SENATIS. *cenſuit, vti. treis. arae.*

*ad. ſa*CREFICIVM. SAECVLARE. LOCARENTVR. IN. EA. VERBA. QVI*bus. id. pontificibus. facere. ius. eſt.*

in. curia. IVLLA (**) SCRIBVNDO ADFVER. M. IVNIVS. M. F. *Silanus. C. Furnius. c. f. coſſ.*

*C. Sentius. Saturn*INVS. C. ASINIVS. CN. F. *Pollio.*

- - - - - - - - - - - - - -

Ita ego reſtituendum cenſeo monimentum egregium. Vnus quiſque intelligit, illud complexum eſſe SCta complura de ludis ſaecularibus proxime imminentibus facta a. v. c. 737. *C. Furnio* et *C. Silano* coſſ. Primum ſenatum cenſuiſſe arbitror, ne caelibes pueri puellaeue ſpectaculis nocturnis, niſi ſemel et comite propinquo maiore natu, intereſſent. Ludorum enim *παννυχίδων*, ſeu *nocturnorum*, ſeu tribus noctibus factorum ZOSIMVS (*a*) meminit: et de Auguſto diſerte refert SVETONIVS (*b*), *eum ſaecularibus ludis iuuenes vtriusque ſexus prohibuiſſe, vllum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum.* Deinde ne quis et ad ſenes caelibes iam legem pertinere exiſtimaret: additum videtur, iis ſine fraude ſua ludos nocturnos ſpectare licere, *ſi lege de maritandis ordinibus vaca-*

[†] Quid de ea re videatur, de ea re ita cenſuerunt.
[††] Ambo, alterue.
[§§] Poni.

[*] *Lego*, anno.
[**] *Lego*, Iulia.
[a] *Lib.* II. *cap.* 5.
[b] *Aug. cap.* 31.

vacationem habeant , id eſt , vti infra *libri II. capite* 3. patebit , maſculis ſexagenariis, feminis quinquagenariis . Hinc porro litterarum reliquiae clariſſime indicant, cenſuiſſe ſenatum , vt in rei tantae , quam nemo mortalium, niſi ſemel videre ſoleat, memoriam binae columnae , aenea et marmorea ponerentur , quibus inſcriberentur SC. decretaque patrum de caerimoniis iſtis ſaecularibus, ne et poſteri , quo ritu iſti ludi facti ſint , ignorarent. Et forſan haec ipſa tabula, Romae ſuperſtes, cui iſtud epigramma inſculptum , ex alterutra columna detracta eſt . Quae ſequuntur verba, a me haud ſuppleta , vix ſenſum idoneum fundunt : attamen iis , niſi me omnia fallunt, cautum eſt, vt ſoli liberi et coniuges ſpectaculis intereſſent. Nam de ludis ſaecularibus ZOSIMVS (*a*) diſerte ſcribit : *Δοῦλοι δὲ τούτων οὐ μετέχουσιν, ἀλλὰ ἐλεύθεροι μόνοι : nec participes horum ſerui ſunt , ſed* LIBERI *dumtaxat homines* . Alio SCto cautum eſt de lucari , idque ego ſuppleui FESTI (*b*) auctoritate : *lucar vocatur aes , quod ex lucis captatur* . Quumque mentio fiat PECVNIAE IMPERATAE , DANDAE , ATTRIBVENDAE , ea omnia de nulla re commodius explicari poſſe viſa ſunt , quam de pecunia collatitia , quam poſſeſſores lucorum contribuere tenebantur . Denique quae de aris ponendis adiecimus, partim optime quadrant ruderibus vocabuli REFICIVM SAECVLARE , id eſt , *ſacrificium ſaeculare* , partim teſtimonio ZOSIMI (*c*) , qui in deſcribendo ludorum ſaecularium adparatu mentionem etiam facit *τριῶν παρασκευασθέντων βωμῶν· ἐπὶ ὄχθην τοῦ ποταμοῦ* , *trium* ARARVM *in ripa fluminis conſtitutarum* . Nomen Sentii Saturnini repoſuimus , non ſolum quod vltimae litterae TNVS huius modi quid poſtularent ; ſed et , quod illum his ludis tamquam MAGISTRVM XV. VIR. praeſediſſe, ex alio marmore docuit vir eminentiſſimus, HENR. NORISIVS (*d*).

Haec de ipſo marmore . Ad legem noſtram vt reuertamur , de ea , vti ex hoc marmore diſcimus, ſpem certiſſimam conceperat Auguſtus, fore, ut tribuum ſuffragia ferret, maxime quod eam tam ſenatus SCto probaſſet.

Sed non reſpondit votis euentus . Neque enim ea lex tum populi ſuffragia tulit , cupidiſſime legem antiquantis , ob multitudinem periclitantium , poenarumque grauitatem . Quo pertinent illa SVETONII (*e*): *legem de maritandis ordinibus , quum aliquanto , quam ceteras , ſeuerius emendaſſet , prae tumultu recuſantium* PERFERRE NON POTVIT . Ita editiones omnes . Sed quo modo lex dici potuit *ſeuerius emendata* , quam tum primum rogabat Auguſtus . Videre hoc IS. CASAVBONVS et MATTH. BERNEGGERVS : ſed ſcrupulum ſibi iniectum eximere aliter non potuere quam aliquid negando , quod nemo vnquam negare auſus eſt . Ita enim ſcribunt ad hunc SVETONII locum : *Auguſtus igitur legem de maritandis ordinibus* EMENDAVIT , *non autem* PRIMVS TVLIT , *quod video doctos viros adfirmare* . Sed recte viri docti adfirmant : quod negant viri clariſſimi , nec quidquam ad legem aliquam de maritandis ordinibus , ante Auguſtum latam , pertinent locus DIONYSII (*f*) , de prohibito , caelibatu , et Metelli cenſoris oratio : ceu ex iis , quae de vtroque hoc argumento ſuperiore capite diſſeruimus , ſatis adparet . Et cur Romani tam pertinaciter recuſaſſent legem , ſeuerius cete-ris

(a) *Lib. II. cap.* 5.
(b) *Voce* : lucar .
(c) *Ibid.*
(d) *Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. pag.* 305.
(e) *Auguſt. cap.* 34.
(f) *Antiquit. Rom. Lib. VIIII. cap.* 27.

Digitized by Google

ris emendatam? Videtur mihi una extrita litterula, alteraque leuiter infle-xa legendum: *quum aliquando*, *quum ceteras*, SEVERIVS MANDASSET. ROGARE alias dicebantur, qui leges ferebant ad populum, ob formulam: VELITIS IVBEATIS, QVIRITES, qua magiſtratus in comitiis vtebantur. Auguſtus vero, potentiae ſecurus, tanta procul dubio animi contentione hanc legem tulit, iamque grauiter in celibes atque orbos inuectus eſt, vt non tam *rogare*, quam *mandare* videretur, ſecus ac alias conſueuerat: adeoque tunc *eam legem*, *quam aliquanto*, *quam ceteras*, *ſeuerius mandaſſet*, *prae tumultu recuſantium perferre non potuit*.

Quidquid ſit de genuina SVETONII lectione: (vulgata enim, an noſtra praeferenda videatur, haud equidem magno in diſcrimine poſuerim), illud certum, tum quidem re infecta populum diffluxiſſe. Quantum inde voluptatis ceperint, quotquot adhuc vagae libidini fuerant adſueti, vel ex his PROPERTII (*a*) verbis patet, quae ad hanc legem pertinere, iam IVSTVS LIPSIVS vidit:

Gauiſa eſt certe, SVBLATAM, *Cynthia*, LEGEM,
Qua quondam EDICTA, *flemus uterque diu*,
Ne nos DIVIDERET.

Furtiui erant poetae ac Cynthiae amores, eoſque vterque iuſtis praeferebat nuptiis: *Edicta* ergo *lege*, id eſt, more maiorum per trinundinum promulgata, grauiter dolebant; veriti, ne diuellerentur, ſi Propertio ſecundum legem ineundum eſſet matrimonium. Tanto magis vero gaudebant, quum eam intelligerent *ſublatam*. Quantum enim abhorruerit poeta a nuptiis, vel haec, quae ſtatim ſequuntur, docent.

Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo,
Quam poſſem nuptae perdere amore faces.

Rationem tanti odii, paucis interiectis, ita peracute reddit:

Tu mihi ſola places, *placeam tibi*. *Cynthia*, *ſolus*.
Hic erit et patrio ſanguine pluris amor.
Vxor me numquam, *numquam me* DVCET *amica*:
Semper amica mihi, *ſemper et vxor eris*.

DVCERE alioquin virorum eſt: lepide vero PROPERTIVS id vxoribus attribuit, innuens eo ipſo, id eſſe ſaeculum, quo non vxores a maritis, ſed mariti ab vxoribus DVCANTVR, non tamquam mariti, qui non ducuntur, ſed ducunt, ſed tamquam nexi, et quamuis ſubituri ſeruitutis triſtiſſimae legem. Quare non ſatis haec verba capere videntur, qui cum LIVINEIO (*b*) ea non ad legem Iuliam de maritandis ordinibus, ſed ad alteram de adulteriis pertinere arbitrantur, quum tamen hanc aliquando edictam ſublatamque eſſe, nullo veterum teſtimonio poſſit demonſtrari.

Sed vt ad legem IVLIAM veluti e diuerticulo in viam redeamus, quamuis

(a) *Lib. II. eleg. 7.*

(b) *Ad Propert. ibid.*

Digitized by Google

uis tum ea rogatio non procederet , eoque potiſſimum pertinere videantur , quae per πρόληψιν narrat DIO CASSIVS (*a*) , quod permulti Auguſto , *πρὸς τὴν ἀκρίβειαν τῶν αὐτῶν νομοθετημάτων* , *ob rigorem latarum ab eo legum* , ſuccenſuerint : denuo tamen rem adgreſſus , emendata lege , lenitaue parte poenarum , obtinuit , vt perferretur . Ait enim SVETONIVS (*b*) , eum *legem pr*æ *tumultu recuſantium perferre non potuiſſe* , *niſi ademta demum lenitaue parte poenarum* , *et vacatione triennii data* , *auctiſque praemiis* . Perlatam ergo ait legem : ſed tribus a principe obſeruatis cautionibus . Primo enim acriores caelibatus orbitatiſque poenas partim ſuſtulit , partim aliquantulum mitigauit : deinde vacationem triennii conceſſit ciuibus , id eſt , ſpatium tot annorum , intra quod ſe ad obſequium componere , et vxores ducendo ſanctiones poenales effugere poſſent : denique praemia parentibus coniugibuſque promiſſa auxit , vt vel iſtis pellecti ciues eo minus Auguſto negarent ſuffragia . De vacatione ipſe etiam apud DIONEM (*c*) teſtatur Auguſtus , addens , triennio illo circumacto , nouam biennii vacationem datam eſſe ciuibus : Ita enim imperator loquutus fertur : *Καὶ οὐδὲ ἐς ταῦτα μέντοι κατήπειξα ὑμᾶς , ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον* ΤΡΙΑΕΤΗ *ὅλα πρὸς παρασκευὴν ὑμῖν ἔδωκα , τὸ δὲ δεύτερον* ΔΥΟ : *neque feſtinare vos quidquam coegi* , *primum* TRIENNIO , *deinde* BIENNIO *ad parandam rem dato* . Hi anni vacationis nos ad veram legis perlatae epocham deducunt : quinquennium enim iſtud elapſum eſt a. v. c. 762. *Sulpicio Camerino* et *C. Poppaeo Sab.* coſſ. quo equites nihil faciebant reliqui , vt lex vtiliſſima aboleretur : ex eoque conſequitur , vt lex Iulia de maritandis ordinibus demum anno 757. *Sex. Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino* coſſ. populi ſuffragiis probata fuerit , eodem fere tempore , quo altera lex non multo minoris momenti , Aelia Sentia populi ſuffragia tulit.

Enimuero ne ſic quidem res in vado erat . Tam exoſa enim pleriſque illa lex etiam perlata manſit , vt Auguſto non plus laboris in ferenda , quam tuenda illa , fuerit ſubeundum . Inprimis illo anno v. c. 762. *Q. Sulpicio Camerino* et *C. Poppaeo Sabino* coſſ. ludos ob reportatam a Pannoniis et Dalmatis victoriam magnifice edente Caeſare , enixe petebant equites , vt lex illa tolleretur . At Auguſtus , cen prolixe narrat DIO (*d*) , vetere illa imperantium arte vſus , equites , legem infectantes , primum diuiſit : deinde caelibes ſeorſum , ſeorſumque maritos in forum ac concionem euocauit , quumque illorum numerum etiamnum ſuperiorem eſſe animaduerteret , grauiter commotus , conuerſuſque ad eos , qui legi paruiſſent , ornata ac compoſita oratione eorum obſequium collaudauit , mactoſque virtute eſſe iuſſit , qui maiores , quin ipſos deos imitati immortales , coniugii ſuauitate , quam impudicis amoribus , perfrui mallent , et rei publicae ciues ex ſe natos , ſuique ſimiles quamplurimos relinquere induxiſſent animum : quibus ſub finem blanda hac adloquutione digna iſto obſequio praemia pollicitus (*e*) : *Ὑμᾶς μὲν οὖν* , inquit , *ὦ ἄνδρες* (*μόνοι γὰρ ἄνδρες δικαίως ὀνομάζεσθε* ,) *καὶ ὦ πατέρες* , (*καὶ γὰρ ταύτην ἄξιοι τὴν ἐπωνυμίαν ὁμοίως ἐμοὶ ἔχειν ἐστέ*) *καὶ φιλῶ διὰ ταῦτα , καὶ ἐπαινῶ , καὶ τοῖς , ἃ τέθεικα , ἄθλοις ἀγάλλω καὶ προσέτι , καὶ ἄλλαις καὶ τιμαῖς καὶ ἀρχαῖς ἐπιγαυρώσω , ὥς αὐτοί τε μεγάλα καρπώσασθαι , καὶ τοῖς*

(a) *Ibid. pag.* 572. *ſequ.*
(b) *Lib. LIIII. pag.* 533.
(c) *Aug. cap.* 34.
(d) *Lib. LVI. pag.* 577.
(e) *Ibid. pag.* 574.

τοῖς παισὶ μὴ ἐλάττω καταλιπεῖν: vos itaque ego, o viri, (ſoli enim hoc nomen meremini,) et o patres, (nam et haec vobis mecum merito communis eſt adpellatio,) hac de cauſſa et amo, et laudo, praemiiſque, quae conſtitui, vos orno, ac aliis praeterea honoribus magiſtratibuſque decorabo, vt et vos magnos inde fructus percipiatis, et non minora bona veſtris liberis relinquatis. Quae loquutus, eorum nonnullis certa praemia confeſtim elargitus, reliqua liberaliter promiſit. Inde vero conuerſus ad caelibes, dubitare ſe ait, quo eos potiſſimum nomine compellari oporteat: nam nec virorum in eos, quibus nihil virile inſit, nec Romanorum adpellationem in illos, per quos, quantum in ipſis ſit, ciuitas pereat, vllo modo videri cadere. Grauiter deinde eoſdem obiurgat, quod genus ſuum abolere, Romanumque nomen funditus perdere non erubeſcant. Addit, tam abominandum hoc caelibatus ſtudium eſſe, vt ſingula flagitia complectatur, vniuerſa ſuperet. Sicarios eſſe, qui eos ne gignant quidem, quos naſci oportebat; impios, qui gentes a diis immortalibus ortas exſtinguant; ſagrilegos, qui imagines ac nomina maiorum perire patiantur: proditores, qui patriae inferant ſolitudinem, eamque incolis orbent. Dignoſne ſe credant iis maioribus, qui poſteritatis numeroſae cupidi matrimonia manu ceperint, qui ab origine aeternae vrbis orbitatis ſtudio leges oppoſuerint ſaluberrimas, quum ipſi belluarum ritu vaga libidine ſe polluant, et ne partis quidem maiorum virtute bonis frui velint? Quam diu ſuperfuturam rem publicam, ſi tot ciuibus bellis, aut lue peſtifera abſumtis, ipſis, quorum tantus ſit numerus, ſine prole decedentibus, vrbs veteri Romana gente vacua extraneis Graecis barbariſue tradenda ſit? Cuius patriae ſe futurum patrem, ſi quibus conſular, defuturi ſint? Quamobrem poſtremo addit (a): Εἴπερ ὄντως σέ τι ἀγαπᾶτέ με, καὶ ταύτην μοι προσηγορίαν οὐχ ὡς κολακεύοντες, ἀλλ' ὡς τιμῶντες, ἐδώκατε, ἐπιθυμήσατε καὶ ἄνδρες καὶ πατέρες γίνεσθαι, ἵνα καὶ αὐτοὶ τῆς ἐπωνυμίας ταύτης μεταλάβητε, καὶ ἐμὲ φερώνυμον αὐτῆς ποιήσητε: *ſi vere me diligitis, ac nomen mihi patris non adulationis, ſed honoris gratia dediſtis, date, quaeſo, operam, vt mariti patreſque ſitis, quo et ipſi participes eius reddamini, et ego id merito gerere videar*. Quin non verbis ſolum lectiſſimis tum vſus, ſed et ipſis geſtibus equites, caelibatus amore inſanientes, in ruborem dedit. Qua de re SVETONIVS (b): *Sic quoque abolitionem legis de maritandis ordinibus publico ſpectaculo pertinaciter poſtulante equite, accitos Germanici liberos, receptoſque partim ad ſe, partim in patris gremium, oſtentauit, manu vultuque ſignificans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum*. Quem locum praeclare illuſtrare videtur nummus argenteus a LAEV. TORRENTIO exhibitus, in quo Auguſto ſedenti in ſella curuli ab alio puer offertur, additis infra litteris: IMP. XIIII.

III. His dictis, quemadmodum parentes praemiis ornauit, ita caelibes et orbos poenis affecit, annuaque tertium vacatione conceſſa, ἐς τὸ τοὺς πειθαρχήσαντας ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀναιτίους γενέσθαι, vt *intra hoc tempus lege pariturí culpa vacarent*. Adulto denique iam anno 762. partim legem Iuliam tanto magis firmaturus, partim aerarium tot bellis ac largitionibus exhauſtum caducis, vacantibus atque erepititiis priuatorum bonis expleturus, legem Papiam Poppaeam ferre iuſſit conſules ſuffectos *M. Papium Mutilum* et

(a) *Ibid. pag.* 578.

(b) *Auguſt. cap.* 35.

et *Q. Poppaeum ſecundum* (*a*). Hos enim conſules a Kalendis demum Iulijs faſces ſumſiſſe conſtat. Lata itaque ea lex eſt vetere ritu, conſulibus populum iure rogantibus, populoque ſiue per centurias, ſiue per tribus, (qualia enim comitia illius legis cauſſa indicta ſint, non conſtat), iure ſciſcente. Nam quamuis Auguſtus, tum potentiae ſecurus, *munia ſenatus, magiſtratuum, legum, in ſe traxiſſet, nullo*, vt loquitur TACITVS (*b*), *aduerſante:* callide tamen ei ſuaſerat Maecenas, vt ciues in perſuaſionem libertatis, veteriſque ſuperſtitis rei publicae adduceret (*c*). Quod conſilium ſequutus Auguſtus, veterem legis ferendi morem retinuit, et, vt ZONARAS (*d*) loquitur, *οὐ μέντοι πάντα ἰθελογνωμόνων ἐνομοθέτει, ἀλλ', ἃ καὶ ἐς τὸ* ΔΗΜΟΣΙΟΝ *προετίθει, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσῃ, ἐπανορθώσῃ, καὶ προετρέπετο πάντα συμβουλεύειν αὐτῷ, εἰ τὶ ἄμεινον γνοίη αὐτοῦ: non omnia ſuo arbitrio ſanxit, ſed plura etiam* POPVLO PROMVLGAVIT, *vt is, ſi quid minus placeret, emendaret, hortatuſque et omnes, vt, ſi quid haberent, id conſulerent in medium.*

Procul dubio ergo et hanc legem anteceſſit SCtum de rogando populo. Nec tamen ideo cum LIPSIO (*e*) exiſtimandum, ipſam rogationem Iuliam et Papiam non legem a populo, rogante ſenatorio magiſtratu, latam, ſed SCtum eſſe: neque id inferendum ex verbis TER. CLEMENTIS (*f*), quippe quem non de ipſa lege Papia Poppaea, ſed de SCto ad illam legem facto agere, infra adparebit. Similis itaque error LIPSIO illuſit, ac IO. BERTRANDO (*g*), qui et ipſe non modo legem *Cinciam* muneralem, ſed et legem *Aeliam Sententiam* SCta fuiſſe, ex TACITI (*h*) et iureconſultorum veterum (*i*) locis, quibus SCta ad has leges facta laudantur, perperam et ſatis inepte colligit. Leges hae omnes ſunt, non SCta, quippe non ſenatorum ſententiis, ſed vel tribuum, vel centuriarum ſuffragiis firmatae. Idem de lege Papia Poppaea dicendum, cuius hiſtoriam hactenus explicatam hoc ſchemate chronologico complectimur.

A. V. C. 736. *Cn. Cornelio et P. Cornelio Lentulo* coſſ. Auguſtus de LEGE IVLIA ferenda ad ſenatum retulit, et aegre obtinuit SC.

A. V. C. 737. *C. Furnio* et *C. Silano* coſſ. ante meſſem ludi ſaeculares facti, quo tempore nondum perlata fuerat lex Iulia, ſed iam tum, vti videtur, promulgata.

Sub finem huius anni rogata lex, ſed antiquata.

A. V. C. 757. *Sexto Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino* coſſ. perfertur lex Iulia, ſed detracta parte poenarum, auctis praemiis, et vacatione data triennii.

A. V. C. 760. *Q. Caecilio Metello Cretico Silano*, et *A. Licinio Nerua Siliano* coſſ. noua biennii vacatio data eſt, circumacto priore triennio.

A. V. C. 762. *Q. Sulpitio Camerino* et *C. Poppaeo Sabino* coſſ. equites abrogationem legis, ineunte anno, fruſtra vrgent, Auguſtus denuo anni vacationem concedit.

Sub

(a) DIO *Lib. LVI. pag.* 578.
(b) *Annal. Lib. I. cap.* 1.
(c) DIO *Lib. LII. pag.* 477.
(d) *Annal. Tom. I. Lib. X. p.* 533. *edit.* CANGII.
(e) *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib. III. litt. C.*
(f) L. 48. D. *de ritu nupt.*
(g) *De iurisperit. Lib. I.*
(h) *Annal. Lib. XIII. cap.* 42.
(i) L. 1. *De offic. coſ.*

Sub finem anni *M. Papio Mutilo Q. Poppaeo Secundo* coſſ. ſuf-
ſectis, fertur lex PAPIA POPPAEA.

Quare recte huius legis principium ex ingenio reſtituit IAC. GOTHOFREDVS (*a*), niſi quod, vti dixi, non adeo certum ſit, per tribuſne, an per centurias ſuffragia tulerit populus. Quare illud ita ſupplendum duximus, vt quaedam, quae vel addenda, vel incerta videbantur, per modum παρενθέσεως insereremus.

M. PAPIVS (M. F. M. N.) MVTILVS. ET. Q. POPPAEVS. (Q. F. Q. N.) SECVNDVS. COSS. POPVLVM. IVRE. ROGAVERVNT. POPVLVSQVE. IVRE. SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. (vel IN. CAMPO. MARTIO.) - - - TRIBVS. (vel CENTVRIA.) PRINCIPIVM. FVIT. - - - PRO. TRIB. V. (vel CENTVRIA.) PRIMVS. SCIVIT.

IIII. Ceterum quamuis Iuſiae rogationes in legem PAPIAM POPPAEAM pleraeque immigrarint: non vnum tamen inter Iuliam Papiamque leges diſcrimen fuiſſe, fatendum eſt: non illud quidem, quod ſibi ex TERTVLLIANI (*b*) loco erniſſe videtur vir ſummus, IAC. CVIACIVS (*c*), quaſi Iulia ad contrahendum matrimonium; Papia Poppaea ad liberorum procreationem pertinuerit: (id enim ex loco TERTVLLIANI, infra explicando, non adparet), ſed quod aliàs plures vtriuſque legis ſanctiones diſcreparent. Poenas orbis et innupris in lege Iulia decretas, lege Papia Auguſtus partim auxiſſe, partim minuiſſe videtur. Aetatem ineundo matrimonio procreandiſque liberis longe minorem definiuit lex Papia Poppaea, quam Iulia de maritandis ordinibus. Denique poſterior legis Papiae Poppaeae pars de caducis fere de nouo acceſſiſſe, nec e lege Iulia de maritandis ordinibus translata videtur, niſi dicere malis, aliam ante Papiam Poppaeam exſtitiſſe legem, caducariam, eamque et VLPIANO (*d*) *legis Iuliae caducariae* et IVLIANO (*e*) *legis Iuliae de bonis vacantibus, ad fiſcum pertinentibus*, nomine venire: quod tamen pro certo adfirmare ego non auſim. Reliquas, quae ſe offerent, vtriuſque legis differentias infra ſuo quamque loco exponemus.

CAPVT IIII.

DE M. PAPIO MVTILO, ET Q. POPPAEO SECVNDO COSS. ET VTRIVSQVE GENTIBVS ET FAMILIIS.

I. *COſſ. anni 762. ab v. c. varie in faſtis ſignati. Tum ordinariorum, tum ſuffectorum nomina reſtituta ex tabula Capitolina. Vterque coſ.* cae-

(a) *Leg. Pap. Popp. pag.* 269.
(b) *Apologet. cap.* 4.
(c) *Ad* VLPIAN. *Fragm. tit.* XVI. §. 3.
(d) *Fragm. tit.* XXVIII §. 7.
(e) *L.* 96 §. 1. *D. de legat.* 1.

caelebs aduerſus caelibes et orbos legem tulit. Ipſis, qui ferebant leges, illae aliquando diſplicebant. II. *Papii propraetura ex nummo* Golzii. *Ingenium eius ad adulationem procliue.* III. Poppaeus Secundinus *dicitur in nummo* Golzii. *Eius duumuiratus.* IIII. *Papia gens plebeia. Variae eius familiae. Index* Patini, *qui Papiis* Milonum *et* Triumporum *cognomina tribuit, notatus.* Papii Celſi, *origine Lanuuini:* Iuno Siſpita, *aquila cum lupa, Draco a virgine paſtus in denariis gentis Papiae. Papios Mutilos gente Samnites fuiſſe oſtenditur.* C. Papius Mutilus *dux Samnitum in bello ſociali. Locus* Livii *tentatus, in quo pro* Brutulus Papius *legendum videtur* Mutilus Papius. *Papiorum, qui a veteribus recenſentur, ſeries.* V. *Gens Poppaea. Sabina origine. Anno eodem duo Poppaei conſules, alter Sabinus ordinarius, alter Secundus ſuffectus. Sabini aedilitas, praeſidatus Macedoniae et Moeſiae, triumphalia ornamenta. Stemma Poppeorum.* Poppaea Sabina *et* Sabina Poppaea, *Rufino Criſpino, Othonni et Neroni nupta. Aliorum Poppaeorum ſylloge. Pro* Poppaeo Syluano *apud* Tacitvm *legendum* Pompeius Syluanus.

I. QVum legi noſtrae nomen inditum fuerit a M. Papio Mvtilo et Q. Poppaeo secvndo coſſ. de iis, eorumque familiis quaedam hoc capite differere iuuabit. In plerisque faſtis, praeterquam apud Dionem, conſules illi plane omittuntur, et ordinarii anno 762. occurrunt apud Dionem (a) Κυΐντος Συλπίκιος καὶ Γάϊος Σαβῖνος, apud Cassiodorvm et Marianvm Scotvm *Q. Sulpicius et C. Pompeius*, apud Plinivm (b) in editionibus pleriſque, praeter illam Hardvini, *Cn. Pompeius et Q. Sulpicius*, in Fastis Oxoniensibvs a Petro Relando (c) editis *Sulpicius* et *Poppaeus*, in Vindebonensibvs apud Henr. Norisivm (d) *Camerinus* et *Sabinus*. Alibi aliter. Suffectorum quum ab his faſtorum ſcriptoribus ratio haberi non ſoleat: nec Papii et Poppaei noſtri in illis mentionem fieri animaduertimus. Verum rem expedit fragmentum faſtorum Capitolinorum apud Grvtervm (e) et Steph. Vin. Pighivm (*f*), in quo ita ſignantur eius anni conſules:

C. POPPAEVS. Q. F. Q. N. SABINVS.	Q. SVLPICIVS. Q. F. Q. N. CAMERINVS.
EX X. IVL. M. PAPIVS. M. F. M. N.	MVTILVS.
Q. POPPAEVS. Q. F. Q. N.	SECVNDVS.

Habes hic ergo *M. Papium Mutilum* et *Q. Poppaeum Secundum*, conſules, ſuffectos ex Kalendis Iuliis, anni ab v. c. 762. Et quidem quum vterque Auguſti auctoritate legem ſeueriſſimam contra caelibatum orbitatemque tulerit: id omnino notatu videtur digniſſimum, quod neuter horum vixerit in matrimonio. Id enim Dio (*g*) obſeruat, diſerte ſcribens: Κἀκ τούτου ὅ τε Πάππιος καὶ ὁ Ποππαῖος νόμος ὑπό τε Μάρκου Παπίου Μουτίλου, καὶ ὑπὸ

(a) *Lib.* LVI. *pag.* 572.
(b) *Hiſt. nat. cap.* 48.
(c) *Faſt. coſſ. adpend. pag.* 792.
(d) *Adpend. Epoch. Syromaced. pag.* 18.
(e) *pag.* 295.
(f) *Annal. Tom.* I. *pag.* 19.
(g) *Lib.* VI. *pag.* 573.

Digitized by Google

ὑπὸ Κυΐντου Ποππαίου Σεκούνδου , τῶν ποτὲ ἐν μέρει τοῦ ἔτους ὑπατευόντων ἐτέθησαν , καὶ συνέβη γὰρ ἀμφοτέρους σφᾶς μὴ ὅτι παῖδας , ἀλλὰ μηδὲ γυναῖκας ἔχειν· καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ τούτου ἡ ἀνάγκη τοῦ νόμου κατεφωράθη : inde lex quoque Papia Poppaea a M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo ſecundo lata eſt , qui parte eius anni conſules , vterque NEC VXORES , NEC LIREROS *habebant . Quo ipſo deprehendi potuit , quam ea lex fuerit neceſſaria* . Vnde facile eſt ad intelligendum , ipſis his conſulibus, more maiorum rogantibus populum, parum ad palatum fuiſſe legem, quam aduerſus caelibes et orbos ferebant , acerbiſſimam. Enimuero id ſaepe Romae contigiſſe animaduertimus, vt legem haud probarent ipſi , a quibus populus rogabatur , magiſtratus , quin immo vt, qui ex ſenatus ſententia ſollemne carmen : VELITIS IVBEATIS, QVIRITES recitabant, iidem legem compoſita oratione diſſuaderent. Quale quid de Piſone coſ. referens CICERO (*a*): *Piſo*, inquit , *conſul* , *lator rogationis*, *idem erat* DISSVASOR. Eodem exemplo et conſules noſtri , *ἑαυτοὺς τιμωρούμενοι* , caelibes rogationem tulerunt aduerſus caelibes , orbi aduerſus orbos : non quod legem probarent , ſed quod hanc illis prouinciam impoſuiſſet Auguſti ac ſenatus auctoritas.

II. M. PAPIVS MVTILVS non ſolum conſul ea parte anni fuit , verum etiam paullo poſt propraetor . Id enim diſcimus ex nummo vetere apud GOLZIVM (*b*) , cuius in altera parte elephas conſpicitur cum litteris : C. APRONI. IMP. et infra M. MVTILVS PR. P. in altera caput Herculis, cum litteris S. C. Quum Tiberius , teſte TACITO (*c*) imperatoris vocabulum priuato poſtremum conceſſerit Iunio Blaeſo , idque anno ab v. c. 774 *C. Sulpicio* , *D. Haterio* coſſ. facile patet, eum nummum, in quo C. APRONIVS IMP. occurrit , iis temporibus eſſe anteriorem . Deinde quum et elephas et Hercules Africae ſymbola eſſe ſoleant : non dubitandum videtur , hunc nummum ad Africanum bellum pertinere . Iam L. Apronii quidem res aduerſus Tacfarinatem in Africa geſtae latius deſcribuntur a TACITO (*d*) : *ſed nec Lucius* in nummo vocatur ille *Apronius* , nec proconſ. Quare veroſimile eſt, *C. Apronium imp.* non alium eſſe , quam *Apronium Caeſianum* , L. filium , de quo idem TACITVS : *miſſu patris* APRONIVS CAESIANVS *cum equite et cohortibus auxiliariis , queis velociſſimos legionum addiderat , proſperam aduerſum Numidas pugnam facit , pellitque in deſerta* . Fortaſſis ille demum imperatoria ornamenta obtinuit , et parti prouinciae Numidicae legatus pro praetore tum praefuit *M. Papius Mutilus*. Mauritaniam enim tum adhuc Iubae regi paruiſſe, ſatis conſtat.

Ingenio hunc Papium fuiſſe ad foedam adulationem et ſeruile plane obſequium demiſſo , vel dicta aduerſus Libonem Druſum ſententia oſtendit. Quum enim miſer iſte , oppreſſus ab accuſatoribus , manus ſibi ipſe intuliſſet : M. Mutilus , teſte TACITO (*e*) , cenſuit , vt dona decernerentur Ioui , Marti , Concordiae , vtque dies iduum Septembrium , quo ſe Libo interfecerat, feſtus haberetur. Qua de ſententia ipſe TACITVS : *horum auctoritates adulationeſque retuli , vt ſciretur vetus id in re publica malum* .

F 2 III.

(a) *Ad Attic. Lib.* I. *epiſt.* 14.
(b) *Faſt. conſul. et triumph. pag.* 229.
(c) *Annal. Lib.* III. *cap.* 74.
(d) *Ibid. cap.* 21.
(e) *Annal. Lib.* II. *cap.* 32.

Digitized by Google

III. Q. Poppaeus Secundus in nummo elegante apud eumdem Golzium (*a*) secundinus cognominatur, ex eoque adparet, illum cum Sex. Cethego fuiſſe duumuirum coloniae. In altera enim nummi parte Auguſti caput conſpicitur cum verbis: Avgvstvs c. vi. celso, in altera taurus cum inſcriptione: sex. cethego q. poppaeo secendino iivir. Nummus videri poſſet pertinere ad vrbem Vibonam in Brutiis, quo coloniam ab Auguſto deductam fuiſſe Appianus teſtatur (*b*). Quamobrem et anteriorem epigraphen interpretari liceret *Colonia vibona*. Eamdem et *Valentiam*, ſeu *Vibonem Valentiam*, et olim *Hipponem* dictam tradit Plinivs (*c*). Quo vero illud Celso referendum ſit, et an ipſi Vibonae huius modi cognomen fuerit, tunc plane obſcurum erit. Sed vero nummus referendus eſt ad *coloniam Vilillam* in Hiſpania, ad Iberum, cuius et alio in nummo apud Golzivm (*d*) ita ſit mentio: col. vi. ivl. cels. Dicta ergo er *Vililla*, et *Iulia Celſa*, et ita procul dubio et in nummo noſtro erit legendum: *Colonia Vlilla* Celsa.

IIII. Verum nec ipſae gentes Papia et Poppaea, ex quibus hi conſules prodierunt, hic videntur praetereundae. Papia gens plebeia fuit, idque vel inde patet, quod ex ea tot tribuni plebis memorantur. Diuiſam illam fuiſſe comperio in plures familias, quarum celebriores Celsi et Mvtili, quibus neſcio an addam Polliones. Is, qui indicem ad Fvlv. Vrsini praeſtantiſſimum opus *de familiis Romanorum*, a Car. Patino recognitum confecit, Papiis etiam Milonvm et Trivmporvm cognomina tribuit: ſequutus, vti videtur, *indicem Annalium* Seph. Vin. Pighii, vbi idem cognomen tribuitur Papiis. Sed vti Papio vnico ideo *Milonis* cognomen haeſit, quia per adoptionem in gentem Anniam tranſierat: ita alterum *Triumpi* plane fictitium eſt, et ex male intellecto L. Papii Celsi triumuiri nummo, cuius in poſtica parte capiti laureato ſubſcriptum: Trivmpvs, abſurde exſculptum (*e*). Verum ita ineptire ſollemne eſt indocto iſti, quiſquis ſit, indicis Patiniani conſarcinatori: vti iam pridem oſtendit vir doctiſſimus, Iac. Perizonivs (*f*). Sane qui Viſpanios Platorinos; Calpurnios et Pompeios Nvmas; Domitios Oscas cognominatos fuiſſe, ſcribere potuit, eum non mirum eſt, Papiis adfingere potuiſſe cognomen Trivmporvm.

Duplex autem Papiorum origo fuiſſe videtur. Celſos enim domo Lanuuinos, Mutilos Samnites fuiſſe arbitror. Lanuuinam Celſorum originem produnt Papiorum Celſorum denarii apud Vrsinvm et Vaillantivm, in quibus modo Iunio Siſpita, modo lupa cum aquila, modo draco a virgine paſtus conſpicitur. Ea vero omnia ad Lanuuium pertinere, iam viri illi docti, qui gentium Rom. denarios explicant, obſeruarunt. Iunonem *Soſpitam*, vel, vti in marmoribus et apud Festvm (*g*) vocatur, *Siſpitam*, praecipue colebant Lanuuini, adeo vt Ovidivs (*h*) a Iunone Lanuuinum *ſuum* vocari finxerit, cecineritque:

> *Iſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,*
> *Et populus Laurens*, Lanvvivm*que* mevm.

Si-

(a) *Faſt. conſul. et triumph. pag.* 230.
(b) *De bell. ciu. Lib.* IIII. *cap.* 591.
(c) *Hiſt. nat. Lib.* III. *cap.* 10.
(d) *Ibid. pag.* 142.
(e) PATIN. *de famil. Rom. pag.* 196.
(f) *Diſſ. de var. antiqu. numm. pag.* 256.
(g) *Voce*: ſiſpita.
(h) *Faſtor. Lib. VI. verſ.* 59. 60.

Digitized by Google

Similiter Iuno Siſpita LANVMVIANA cognominatur in marmore hoc apud REINESIVM (*a*):

M. AMPIVS M. F. PAL. BALBVS.
SACERDOS. IVNONIS. REG. SISPI
TAE. LANVMVIANAE. FECIT.
VIVENS. ET. AMPIO. IVNIO. FI
LIO. SACERDOTE. IQVI. SISP.
ET. AMPIAE. MATRI. PIISSIM.
IN. FR. P. XIIX. IN. AGR. PED. XXVI.

Templum tamen iſtud, ſacraque Iunonis et lucum conſecratum populo Romano cum municipibus Lanuuinis communia fuiſſe, LIVIVS (*b*) docet, qui et alibi paſſim horum ſacrorum facit mentionem. Quemadmodum ergo eamdem Iunonem Siſpitam in denariis ſuis exhibent gentes CORNVFICIA, METTIA, PROCILIA, ROSCIA, THORIA, vt ſe eiuſdem municipii traduces oſtenderent, quemadmodum eadem de cauſſa de Annii Milonis origine canit SILIVS ITALICVS (*c*):

LANVVIO *generate, inquit, quem* SISPITA IVNO
Dat nobis, Milo, Gradiui cape victor honorem
Tempora murali cinctus turrita corona.

(vbi perperam veteres editiones praeferunt *Laeuino generate*): ita eiuſdem originis indicem Iunonem Siſpitam in denariis ſuis exſtare voluerunt PAPII CELSI, vt ſe Lanuuio oriundos eſſe oſtenderent.

Nec minus lupa cum aquila proprium huic municipio δεῖγμα fuit. Fama enim tenebat, Troianis, hoc municipium condituris, oblatum fuiſſe prodigium, dum, orto ſua ſponte in proximo nemore incendio, lupam viderint ſuo ore adgerentem ſomitem aridum, aquilam flammas alarum agitatione excitantem, vulpem denique demerſa in proximum flumen cauda ignem conatam exſtinguere: ferturque Aeneas, quum ancipiti aliquamdiu certaminis euentu, demum lupa et aquila victrices abiiſſent, augurium inde cepiſſe, quod illuſtris et admiranda futura ſit ea colonia, ſed exoſa vicinis, exteriſque moleſta, quos tamen demum fauore Deum ſit ſuperatura. Addit, qui fuſius haec refert, DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*d*): Καὶ ἔςιν αὐτῶν μνημεῖον ἐν τῇ Λαουϊνιατῶν ἀγορᾷ χάλκεα εἴδωλα τῶν ζώων ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνῳ διατηρούμενα: *exſtant rei monimenta in foro Lanuuienſium,* EFFIGIES AENEAE *horum animalium, a longiſſimo tempore ſuperſtites.* Denique et in vulgus notum, Lanuuii nutritum annoſum draconem, cui quotannis prodeunti e ſpecu, a virgine porrigendum erat pabulum. Rem fuſe refert PROPERTIVS (*e*), cuius verba paullo prolixiora hic non adſcribimus.

Certiſſima ergo, e tot denariis eſt Lanuuina Papiorum Celſorum origo, quam

(a) *Inſcript. pag.* 383.
(b) *Lib. VIII. cap.* 14.
(c) *Lib. XIII. verſ.* 364. *ſeqq.*
(d) *Lib. I.* 59.
(e) *Lib. IIII. eleg.* 18. *v.* 3. *ſeqq.*

Digitized by Google

quam praeter praeclaros de familiis Romanorum ſcriptores etiam vir incomparabilis , Ez. SPANHEMIVS *(a)* agnoſcit . Mutilos autem Samnio fuiſſe oriundos , non perinde ab aliis animaduerſum eſt . Et tamen res videtur extra omnem dubitationis aleam poſita . Circa annum enim 688. Samnitibus , ſociali bello , ducem ſe praebuit C. PAPIVS MVTILVS , quem APPIANVS *(b)* , capta Nola , aliiſque Italiae ciuitatibus ad belli ſocietatem pellectis, per totam Campaniam arma victricia circumtuliſſe , Acerras graui obſidione preſſiſſe , victumque aliquoties a L. Iulio Caeſare et a L. Sulla multis vulneribus confoſſum aegre Aeſerniam cum paucis perueniſſe , ſcribit . Quin ab antiquiſſimis temporibus apud Samnites floruiſſe Papiorum familiam , ex LIVIO *(c)* colligas , a quo circa annum v. c. 432. celebratus BRVTVLVS PAPIVS , *vir nobilis , potenſque inter Samnites , haud dubie fractarum cum Romanis induciarum ruptor* . Vnde et victi Samnites corpus Brutuli exanime , (ipſe enim ſe ignominiae ac ſupplicio morte voluntaria ſubtraxerat), eiuſque bona Romanis per faeciales obtulerunt . Nemo veterum , quantum memini , hunc *Brutulum* laudat , praeter LIVIVM . Quare , ſi quid ingenio indulgere liceret , non dubitarem pro *Brutulus* , reſcribere *Mutilus* , quod cognomen Papiis inter Samnites diutiſſime haeſiſſe , modo demoſtrauimus .

Ceterum e MVTILORVM familia praeter illum , ſiue BRVTVLVM , ſiue MVTILVM PAPIVM , quem Samnites mortuum dedebant , et C. PAPIVM MVTILVM , quem Samnitum exercitui aduerſus Romanos praefuiſſe diximus , inclaruerunt etiam C. PAPIVS , Caii filius , MVTILVS , quem PIGHIVS *(d)* aedilem plebis fuiſſe anno v. c. *691* tradit , et M. PAPIVS M. F. duumuir iuri dicundo circa annum 713. Eius enim eo anno mentio fit in marmore hoc Caſinate apud GRVTERVM *(e)* :

M. PAPIVS M. F. L. MATRIVS. L. F.
DVO. VIRI. I. D.
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. SC. RESTITVENDVM.
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT.
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA.
FACIVNDA. COER. EIDEMQ. PROBAVER.
A. D. IIII. EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO COS.

Porro , qui primus faſces conſulares ex ea gente tenuiſſe videtur M. PAPIVS M. F. M. N. MVTILVS , de quo ſupra actum eſt accuratius .

E CELSORVM familia fuiſſe arbitror PAPIVM . Cnaei Nepotem , legis Papiae de virginibus Veſtalibus auctorem , quem anno v. c. 504. tribunum plebis fuiſſe , refert PIGHIVS *(f)* ; PAPIVM alterum , itidem tribunum plebis , auctorem legis Papiae de ſociis et Latini nominis : C. PAPIVM CELSVM , tribunum plebis , lata lege Papia de peregrinis celebrem : C. PA-

(a) *De vſu et praeſt. num. Diſſ. X. pag. 14. Tom. II.*
(b) *De bell. ciuil. Lib. I. pag. 375.*
(c) *Lib. VIII. cap. 39.*
(d) *Annal. Tom. III. pag. 330.*
(e) *Inſcript. pag. 100. n. 8.*
(f) *Annal. Tom. II. pag. 51.*

Digitized by Google

PAPIVM C. F. quem in gentem Anniam tranſiiſſe, nomenque T. ANNI MILONIS adſumſiſſe, tradit GRANDORPIVS (a). PAPIAM, quam Oppianico nuptam fuiſſe docet CICERO (b), et aliam, cuius in *Epiſtolis* meminit (c). L. PAPIVM CELSVM, qui temporibus Auguſti floruit, cuiuſque tot denarii exſtant apud FVLV. VRSINVM (d).

E POLLIONVM ſtirpe mihi innotuit L. PAPIVS L. F. TER. POLLIO, cuius mentio fit in marmore vetere apud GRVTERVM (e). Niſi dicere malis, Terentium Pollionem a L. Papio diuerſum eſſe. Confuſis ſub inſequentibus principibus gentium nominibus, paſſim quidam Papii occurrunt, ſed quos incertae fere originis dixeris: veluti PAPIVS FAVSTVS, vir nobilis, ac ſummus, quem cum aliis, indicta cauſſa, occiſum a Seuero ait AEL. SPARTIANVS (f): PAPIA, cui ALEXANDER imperator (g); PAPIVS, cui DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS Auguſti (h), et PAPIVS denique, cui IVSTINIANVS (i) reſcripſerunt.

V. Prouehimur ad gentem POPPAEAM, origine, vti ex cognomine illi cum gentibus CLAVDIA, MINATIA, TITVRIA, et CALVISIA communi, adparet, Sabinam (k). Ea libera adhuc re publica, ſatis obſcura, nullis maiorum imaginibus inclaruit, ante Auguſti aetatem, qua duo Poppaei ad honores maximos adſpirare coeperunt. Alter C. POPPAEVS SABINVS, modicus originis, qui principum amicitia conſulatum alioſque honores, quos TACITVS (l) memorat, obtinuit. Alter Q. Poppaeus Secundus, ſub quo conſule lata eſt lex Poppaea. Aedilitatem illius prodit nummus apud GOLZIVM (m). Conſul idem ordinarius fuit cum Sulpicio Camerino anno v. c. 762. Hinc contra Thracas miſſus, triumphale decus obtinuit. Maximis ex eo prouinciis, Moeſiae, Achaiae, et Macedoniae per quatuor et viginti annos, nullam ob eximiam artem, ſed quod par negotiis, nec ſupra eſſet, impoſitus, ſenex admodum, teſtibus TACITO (n) et DIONE (o), voluntaria morte deceſſit. Alter Q. POPPAEVS SECVNDVS non modo conſulatum geſſit, ſed et coloniam cum Sex. Cethego, tamquam duumuir, deduxit, nulla praeterea re memorabilis. Eum Sabini ex eodem auo patruelem fuiſſe inde arguit GLANDORPIVS (p), quod vterque Q. F. Q. N. dicatur: ſed id vel ideo a veri ſpecie abludit, quod non ſit veroſimile, duos fratres eodem praenomine Quinti vſos eſſe. Vnde eos fratres fuiſſe ſuſpicior, neque enim inauditum fuit iis temporibus, fratres diuerſis cognominibus vti. Poppaeo Sabino filia fuit POPPAEA SABINA, laſciua mulier, omnique probro infamis, nupta demum T. OLLIO, viro quaeſtorio (q), nulliſque praeterea functo honoribus, quod eum Seiani amicitia peruerterat (r). Huic Ollio Sabina enixa eſt filiam, quae adſpernata paternum nomen, ab auo materno, conſulari et triumphali, pro Ollia SABINA POPPAEA dici ma-

(a) *Onomaſt. p.* 57. 656.
(b) *Pro Cluent. cap.* 9.
(c) *Lib. XVI. epiſt.* 24.
(d) *Ibid. edit.* PATINI.
(e) *Inſcript. pag.* 448. *n.* 4.
(f) *In Seuero, cap.* 13.
(g) *L.* 4. *C. ſi ſeru. exp. ven.*
(h) *L.* 10. *C. mandat.*
(i) *Nov. CLX.*
(k) EZ. SPANH. *Diſſ. p.* 48. *Tom. II.*
(l) *Annal. Lib. IIII. cap.* 46.
(m) *Faſt. conſ. pag.* 229.
(n) *Annal. Lib. VI. cap.* 36.
(o) *Lib. LVIII. pag.* 637.
(p) *Onomaſt. pag.* 714.
(q) *Suet. Ner. cap.* 35.
(r) *Tacit. Annal. lib. XIII. cap.* 46.

Digitized by Google

maluit (a). Nihil haec matri libidine conceſſit, quin eamdem, vti pulchritudine eximia, ita omni laſciuiae ac probrorum genere facile ſuperauit. Nupſerat primum Rufo Criſpino, initio praefecto praetorio ſub Claudio (b), deinde ab eodem principe praeturae inſignibus ornato (c), mox ab Agrippina ſubuerſo (d), ac demum ob ſolam matrimonii cum Poppaea memoriam a Nerone eiecto in exſilium (e), cui etiam filium pepererat Rvfinvm Crispinvm (f). Hinc ab Othone ad ſtuprum pellecta, eius amplexus Criſpini nuptiis praetulit. Demum ipſum Neronem ita inflammauit, vti eam adpeteret, duceretque vxorem, et aliquamdiu vnice amaret, pater ex ea factus filiae, quam atque ac matrem Avgvstam vocauit (g).

Omnia, quae diximus, veterumque demoſtrauimus teſtimoniis, hoc ſtemma illuſtrabit:

Q. POPPAEVS SABINVS.

Q. POPPAEVS SABINVS.

C. POPPAEVS Q. F. Q. N. SABINVS, conſularis et triumphalis, Moeſiae, Achaiae et Macedoniae praeſes.

Q. POPPAEVS Q. F. Q. N. SECVNDVS, coſ. ſuffectus anno v. c. 762.

SABINA POPPAEA adulteriis infamis nupta — T. OLLIO, viro quaeſtorio.

OLLIA, quae dici maluit POPPAEA SABINA, tribus nupta maritis

I. RVFO CRISPINO, praefecto praetorio ſub Claudio, cui peperit RVFINVM CRISPINVM.

II. OTHONI, mox relegando in Luſitaniam,

III. NERONI, imperatori, cui peperit AVGVSTAM filiam.

Praeter hos et aliorum quorumdam ex hac gente ſupereſt memoria. Sic C. Poppaevs Ianvarivs, et Poppaea C. f. Procla in marmoribus apud Reinesivm (h) memorantur. In Grvterianis (i) paſſim occurrunt Poppaea Demetria, Poppaea Favsta, Poppaea Veneria, C. Poppaevs Aptor, C. Poppaevs Paramon, et C. Poppaevs Clam-

(a) *Ibid.*
(b) *Id. Lib. XI. cap.* 1.
(c) *Ibid. cap.* 4.
(d) *Tacit. Annal. Lib. XII. cap.* 42.
(e) *Id. Lib. XV. cap.* 71.
(f) SVET. *ibid.*
(g) TACIT. *Annal. Lib. XV. cap.* 23.
(h) *Inſcrip. pag.* 580. *et* 844.
(i) *Inſcr. pag.* 659. *n.* 1. 885. *n.* 10. 783. *n.* 5. 851. *n.* 4. 179. *n.* 7.

CLAMBYSSVS, nullis tamen honoribus inſignes. Non vero eo pertinet, qui ſaepe apud TACITVM (a) laudatur, POPPAEVS SYLVANVS, vir conſularis, et Dalmatiae praeſes. Quamuis enim ita virum adpellent optimi TACITI condices, et in his Mediceus vetuſtiſſimus: certiſſimum tamen eſt, illum, qui tot locis a TACITO vocatur POPPAEVS SYLVANVS, alio loco ab eodem adpellari POPPAEVM VOPISCVM (b). Atqui verum eius nomen fuit VOPISCVS POMPEIVS SYLVANVS, quem adhuc ſub Veſpaſiano aquae ductibus praefuiſſe, FRONTINVS notat (c). Quare eum genti POPPAEAE inſerere vix auſim, quum tam frequenter confundi ſoleant Pompeii et Poppaei, vt non ſolum C. Poppaeus Sabinus apud PLINIVM (d) et MARIANVM (e) Pompeius, ſed et ipſa lex noſtra ISIDORO (f) et GRATIANO (g) Papia et Pompeia perperam adpelletur.

[a] Hiſtor. Lib. II. cap. 86. Lib. III. cap. 90. Lib. VIIII. cap. 47.
[b] Hiſtor. Lib. I. cap. 77.
[c] De aquae duct. pag. 119. edit. PLANTIN.
[d] Hiſtor. nat. Lib. VII. cap. 48.
[e] Chron. ad ann. Chr. 762.
[f] Orig. Lib. V. cap. 15.
[g] c. quaedam diſt. 2.

C A P V T V.

DE LEGIS PAPIAE POPPAEAE PARTIBVS ET CAPITIBVS, ET QVOMODO EA ORDINI SVO RESTITVENDA SINT.

I. *Duplex legis* PAPIAE POPPAEAE *finis, totidemque partes. Altera de maritandis ordinibus, praemiis nuptorum et parentum, poeniſque caelibum et orborum; altera de caducis, vacantibus et ereptitiis bonis egit.* II. *Vtraque pars pluribus conſtitit capitibus. Marcianus in* L. 19. D. de ritu nupt. *caput* 35. *allegat. Textum illum de lege Iulia et Papia videri loqui. Idem a* IAC. GOTHOFREDI *emendatione vindicatus. An lex Papia Poppaea Satura fuerit?* III. *Quomodo ordini ſuo reſtitui poſſint legis Papiae Poppaeae capita?* GOTHOFREDVS *facilis in emendatione inſcriptionum, quae in Pandectis legibus praemiſſae. Idem capita quaedam commentus eſt, quae ad hanc legem non pertinent. Aliquando et SCta ad hanc legem facta, vel interpretationes ICtorum cum ipſa lege confudit.* IIII. *Quid obſeruatum ſit in noua legis reſtitutione?* V. FRAGMENTA EX COMMENTARIIS VETERVM ICTORVM AD PRIOREM PARTEM LEGIS PAPIAE POPPAEAE, SECVNDVM LIBRORVM ORDINEM DISPOSITA. VI. *Ipſa pars prior legis Papiae Poppaeae, adlegationibus, et notis illuſtrata et cum* GOTHOFREDI *textu collata.*

EXpoſita LEGIS IVLIAE et PAPIAE hiſtoria, proximum eſt, vt, quibus illa capitibus conſtiterit, quoque ordine ſingula capita collocata fuiſſe videantur, eadem induſtria inueſtigemus. Tametſi enim idem iam egerit vir ſummus, IAC. GOTHOFREDVS, iſque ea in re aliis omnibus ingenii atque induſtriae palmam praeripuerit: non tamen vbique rem acu ita teti-

giſſe videtur vir acutiſſimus, vt nomini eius officere velle conſendus ſit, qui et poſt illius induſtriam bene ea de lege mereri conetur.

I. Primo ergo cum Iac. GOTHOFREDO ponimus, duas fuiſſe huius legis partes, quarum altera ad amplificandum ciuium numerum, altera ad lucra quaedam priuatis praeripienda, locupletandumque aerarium, pertinuerit. Vtrumque enim finem ſibi propoſuerat Auguſtus, de quo CORNELIVS TACITVS (*a*): PAPIAM POPPAEAM *ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes* INCITANDIS CAELIBVM POENIS AVGENDO AERARIO *ſanxerat*.

Prior itaque legis pars agebat de maritandis ordinibus, de praemiis coniugum et parentum, et de caelibum atque orborum poenis. Vnde paſſim vocatur LEX MARITA (*b*), LEX NVPTIALIS (*c*), LEX DE MARITANDIS ORDINIBVS (*d*), LEX SOBOLIS PROCREANDAE CAVSSA LATA (*e*). Poſterior de caducis tractabat, atque hinc lex CADVCARIA dicitur ab VLPIANO (*f*). Illa a veteribus laudatur, tamquam vtiliſſima rei publicae: nec quidquam eſt magnificentius elogio veteris PANEGYRISTAE (*g*): *leges hae, quae mulcta caelibes notauerunt, parentes praemiis honorarunt, vere dicuntur eſſe* FVNDAMENTA REIP. *quia ſeminarium iuuentutis, et quaſi fontem humani corporis ſemper Romanis exercitibus miniſtrarum*. Haec reprehenditur a pleriſque, et ab ipſo IVSTINIANO (*h*) exagitatur, qui *et nomen et materiam caducorum ex bellis ciuilibus, quae in ſe populus Romanus moverat, ortum auctumque*, INVIDIOSVM *habuiſſe* VIGOREM, *multiſque prudendiſſimis viris* DISPLICVISSE, ait. Illam plerumque veteres interpretatione adiuuant, explicantque quam latiſſime: huius tamquam exoſae vires ſaepe interpretatione frangunt atque incidunt, ne omnes priuatorum fortunae, publici egregio obtentu, in aerarium aut fiſcum principis paullatim defluerent.

II. Vtraque legis pars complura denuo capita complexa eſt. *Septimum* enim allegat GELLIVS (*i*); *trigeſimum quintum* MARCIANVS (*k*). Sed de poſteriore loco nondum res extra omnem poſita eſt dubitationis aleam. LIPSIVS et ANT. AVGVSTINVS (*l*) in eo trigeſimum quintum legis Iuliae et Papiae caput vere ſibi reperiſſe viſi ſunt: IAC. GOTHOFREDVS (*m*) contra pro XXXV. reſcribi iuſſit XV. Vir denique ſummus, et iuris prudentiae bono natus, non modo Gothofredum, ſed et Lipſium aliquid humani paſſum, et nec caput legis Papiae Poppaeae in illo MARCIANI textu exſtare, nec ipſum illud fragmentum ex capite XXXV. legis Iuliae, ſed ex *capite* XXXV. *libri* XII. Inſtitutionum Marciani, vbi *ad legem* quamdam *Iuliam* ſcripſerit, deſumtum eſſe acute ſtatuit, idque vel inde colligi poſſe cenſet, quod in eodem fragmento diſerte mentio fiat conſtitutionis SEVERI et ANTONINI, vt ex hac potius, quam ex lege Iulia et Papia aliquid ibi decerpſerit MARCIANVS, et hinc ſuperuacua, ac paene temeraria ſit a GOTHOFREDO tentata circa numerum capitis emendatio. Enimuero, quemad-

(a) *Annal. Lib. III. cap. 27.*
(b) *Horat. Epod. XVIII.*
(c) *Schol. ad Horat. ibid.*
(d) *L. 6. C. de op. lib.*
(e) *L. 64. D. de condit. et demonſtra.*
(f) *Fragm. tit. XXXVIII. §. 2.*
(g) *Paneg. Maxim. et Conſtant. dict. cap. 2.*
(h) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*
(i) *Lib. II. cap. 15.*
(k) *L. 19. D. de ritu nupt.*
(l) *De Legib. et SCtis p. 1214. Tom. II. Theſaur. Graeu.*
(m) *Leg. Pap. Popp. cap. 15.*

madmodum nec mihi ſe probat GOTHOFREDI *κρίσις*, atque idcirco, vtcumque illa accipiatur, haud in magno equidem diſcrimine pono; ita vix negare auſim, caput aliquod legis Iuliae et Papiae in iſto MARCIANI fragmento latere. *Lex* enim illa 19. *D. de ritu nuptiarum* talis eſt: CAPITE TRIGESIMO QVINTO LEGIS IVLIAE: *qui liberos, quos habent in poteſtate, iniuria prohibuerint ducere vxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex conſtitutione diuorum* SEVERI *et* ANTONINI *per proconſules praeſideſque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare et dotare.* Hic primo manifeſtum videtur, non a Pandectarum collectoribus titulum vel caput XXXV. ex libro XII. *Inſtitutionum* MARCIANI, ſed ab ipſo MARCIANO *caput* XXXV. *legis Iuliae* allegari, ſi quidem priore caſu non ſcribendum fuiſſet CAPITE XXXV. LEGIS IVLIAE, ſed *capite* XXXV. *de lege Iulia*, vel, *ad legem Iuliam*. Deinde ſollemne eſt MARCIANO allegare in Inſtitutionibus non ſolum aliorum libros, ſed et librorum ſegmenta et capita, addito eorum numero, quem ſaepius alii veteres ICti omittere ſolent. Nam modo Chryſippi *librum περὶ νόμου* (a) modo Papiniani *librum* II. *de adulteriis* (b), modo Iuliani *librum* XXVII. *Digeſtorum* (c), modo alios aliorum libros laudat, numero fere ſemper expreſſo. Quare nihil ſane fecit a more ſuo alienum, ſi et *caput* XXXV. *legis Iuliae* nominatim adduxerit. Legem vero Iuliam, quum de nuptiis, remouendiſque earum impedimentis, egerit, vix aliam accipere licebit, quam illam de maritandis ordinibus. De hac enim diſerte ſcripſit PAPINIANVS (d): *ea legis huius ſententia fuit, ne quod omnino* NVPTIIS IMPEDIMENTVM *inferretur*. Quod ſi quis porro obuertat, fieri non potuiſſe, vt in lege Iulia diuorum Seueri et Antonini conſtitutio laudaretur, id quidem ego facile conceſſerim, ſed nec vmquam id factum eſſe arbitror. Auguſtus in lege Iulia nihil ſanxiſſe videtur amplius, *quam vt parentes, qui liberos* INIVRIA *prohibuerint vxores ducere, vel nubere, a praetore cogerentur eos in matrimonium collocare*. Quum vero et dotis denegatio multis nuptiis impedimento eſſet, quandoquidem puellae Romanae dote caſſae, fere inelocabiles videbantur, et conditionem non facile reperiebant: quaeſtio incidebat, an et ii parentes videantur iniuria prohibere, qui dotem negent? idque vel ideo dici non poſſe videbatur, quod iure veteri filiabus non abſciſſe dos deberetur, ſed ea neceſſitas demum nouis legibus, de quibus IVSTINIANVS (e) loqui videtur, impoſita eſſet parentibus. At SEVERVS et ANTONINVS, intelligentes, et hoc modo multos liberos prohiberi a nuptiis, legem Iuliam ita interpretati ſunt, vt parentes et dotare filias cogerentur, *quia prohibere videatur, et qui conditionem non quaerit*, vti ſtatim legi noſtrae ſubiicit MARCIANVS. Deinde quum lex Iulia in primis ad frequentandam vrbem eſſet comparata, adeoque ea magiſtratibus tantum vrbanis poteſtatem feciſſet, parentes dotem negantes in ordinem cogendi: principes etiam praeſidibus prouinciarum id dederunt negotii, vt parentes elocare et dotare cogerent liberos. Omnia haec, ſuo more, iungit MARCIANVS, ita vt legiti-

(a) L. 2. D. de legib.
(b) L. 7. §. 2. D. ad leg. Iul. de adult.
(c) L. 22. D. de bon. libert.
(d) L. 72. §. 2. D. de condit. et demonſtr.
(e) L. 7. C. de dote promiſſ.

mis verbis per *μεταξυλογίαν* ſtatim interſerat, quid legi acceſſerit ex celebri illa SEVERI atque ANTONINI conſtitutione. Totum ergo textum: ſola interpunctione parentheſibuſque rite adpoſitis, et vocabulo PROCONSVLIS, quod ex litteris PR. male intellectis irrepere potuit, in alterum *Praetoris* mutato: ita clariſſimum futurum arbitror: CAPITE TRIGESIMO QVINTO LEGIS IVLIAE (ſcilicet cautum eſt:) QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBVERINT DVCERE VXORES VEL NVBERE, (*vel, qui dotem dare non volunt, ex conſtitutione diuorum Seueri et Antonini*; PER PRAETOREM, (*praeſideſque prouinciarum*,) COGVNTVR IN MATRIMONIVM COLLOCARE, (*et dotare*.) Sic certe ſolet MARCIANVS in inſtitutionibus ſuis vna manu duos dealbare parietes, et ius recentius per modum *παρενθέσεως* inſerere veteri, ceu vel ex hoc eius fragmento (a) patet: *Si quis dicat, ſe ſuis numis emtum, poteſt conſiſtere cum domino ſuo, cuius in fidem confugit, et queri; quod ab eo non manumittatur, Romae quidem apud praefectum vrbi, (in prouinciis vero apud praeſides ex ſacris conſtitutionibus diuorum fratrum) ſub ea tamen denunciatione, vt is ſeruus, qui hoc intenderit, nec impleuerit, in opus metalli detur*. Eodem ergo modo et hic MARCIANVS caput legis IVLIAE XXXV. intermixta tamen ex iure nouo conſtitutione Seueri et Antonini, propoſuiſſe videtur. Ipſa ſane verba et legitima, et ita comparata videntur, vt nulli legi magis, quam Iuliae et Papiae conuenire videantur.

Quum ergo ex tam multis et diuerſis capitibus conflata fuerit lex Papia Poppaea, eam ego LEGEM SATVRAM iure vocari arbitror. Quamuis enim id negare videatur vir in his litteris incomparabilis, Io. FRID. GRONOVIVS (b), dum ſcribit: *Lex Iulia de maritandis ordinibus plura quidem capita continet, nec tamen* SATVRA *eſt*: attamen vix dubito, quin eam ſententiam ſua definitione ipſe euertat vir doctiſſimus: Ait enim: LEX SATYRA *vel* SATVRA, *erat quae vna rogatione multa et varia complectebatur, νόμος πολλὰ περιέχων, vti eſt in gloſſis, non quaecunque plura capita continet, vt fallitur vir candidus et optime de ſtudiis communibus meritus in obſeruationibus humanis. Variarum rerum capita dixiſſet, rem attigiſſet*. Et paucis interiectis: *Lex Satura res diuerſiſſimas miſcet, quarum aliae capita plurima habent, aliae non: prout exigunt res ipſae, aut voluntas latoris*. Quae ſi vera ſunt, (ſunt autem veriſſima,) non poteſt non lex noſtra SATVRA fuiſſe, quandoquidem non ſolum ex multis, ſed et ex variis diuerſiſſimiſque capitibus erat conflata. Alia enim capita ad nuptias, alia ad iura patronatus, alia ad bona caduca, vacantia, ereptitia pertinebant, nec ad eumdem omnia finem, vti iam diximus, fuere comparata. Capita ſane, quibus iura patronatus ſine diſcrimine, caelibes, an mariti ſint patroni, augentur, nec non ea, quibus quaedam bona pro non ſcriptis haberi, quaedam tanquam caduca, quaedam vt ereptitia fiſco vindicari iubentur, nihil faciunt ad nuptias et maritandos ordines, nec ad maritorum parentumque praemia. Vnde V. C. AND. DACERIVS (c) legem noſtram, tamquam Saturae exemplum proponit. Equidem ſi cui mirum videatur, Auguſtum contra legem Caeciliam Didiam (d) pluribus de rebus vno fortitu

[a] *L. 5. pr. ff. de manumiſſ.*
[b] *Diatrib. ad Papin. Statium. pag. 64.*
[c] *Ad Horat. Praef. Tom. VI. pag. 3.*
[d] *Cic. pro domo cap. 20.*

Digitized by Google

titu retuliſſe : eum meminiſſe velim, facile ſub principatu negligi potuiſſe legem, quae et libera republica non raro negligebatur ab ipſis tribunis plebis, rogationibus ſuis, tamquam veneno, agitantibus populum.

III. Quamuis autem tam multa diuerſaque capita priſtino ordini reſtitui poſſe, neget IVST. LIPSIVS (a), idque *a ſe homine neminem exacturum hominem*, ſcribat: *ἐν τῷ ἀδυνάτῳ* tamen id non eſſe, experimento luculentiſſimo docuit IAC. GOTHOFREDVS. Et ſane homini, rem ſerio acturo, non pauca ſuppetere videntur adminicula. Nam primo capitum quorundam ipſa verba legitima ſuperſunt, non ſolum duobus illis locis, quae BARN. BRISSONIVS (b), nec quinque, quae GOTHOFREDVS et IVST. LIPSIVS obſeruarunt, verum etiam, vt mihi videtur, in tribus aliis, puta in *L. 19. ff. de ritu nupt. L. 23. ff. eod.* et *L. 2. ff. de minor. vig. quinq. ann.* Deinde etſi reliquorum capitum verba legitima interciderunt : eorum tamen argumenta maximam partem ſeruarunt DIO CASSIVS SVETONIVS, aliique auctores fide digni, et in primis ſex illi, qui hanc legem noſtram commentariis illuſtrarunt, iure conſulti celeberrimi, VLPIANVS, TER. CLEMENS, CAIVS, PAVLLVS, MARCELLVS et IVN. MAVRICIANVS. Iis addimus P. IVVENTIVM CELSVM, his omnibus antiquiorem, quippe qui Hadriani temporibus legem Iuliam et Papiam Poppaeam vtramque interpretatus eſt ſeptem libris Digeſtorum ſuorum, nempe *libris* XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI. ceu recte vidit IAC. GOTHOFREDVS (c), quamuis ille ex egregia hac obſeruatione fructum nullum ceperit, dum Celſi fragmenta in reſtituenda ordini ſuo hac lege, praeter pauca, inſuper habuit. Denique hi ſeptem auctores filum veluti Ariadneum nobis ſuppeditant, quo prehenſo exitum in iſto labyrintho reperire liceat, atque intelligere, quo quodque caput ordine, quoque loco fuerit collocatum.

Et hac quidem via primus inceſſit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, ſed tum quidem adhuc iuuenis. Quo factum etiam arbitror, vt aetatis aeſtu abreptus, plus iuſto indulſiſſe ingenio videatur. Primo enim pro lubitu fingit refingitque numeros librorum, in Pandectis noſtris occurrentes, nulla licet auctoritate codicum adiutus. Sic quamuis et VLPIANO et TER. CLEMENTI index Florentinus *Commentariorum ac leges βιβλία ἔχοσι* tribuat; quamuis ex libro VLPIANI XVIIII. (d) et XX. (e) fragmenta duo ſuperſint : ab vtroque tamen XVIII. tantum libros conſcriptos eſſe contendit, et hinc vtrumque fragmentum ex *libro* III. decerptum eſſe coniicit. Multo facilius vir eximius alias legum inſcriptiones mutat. Nam pro VLPIANI *libro* I. reſcribi aliquando iubet *librum* III. (f), pro eiuſdem *libro* II. *librum* III. (g) pro *libro* VIIII. *librum* III. (h) pro libro denique XV. *librum* XVI. (i) Eadem ſeueritate numeros librorum TER. CLEMENTIS refingit, pro cuius *libro* II. ſuo periculo reponi iubet *librum* III. (k) pro *libro* III. *librum* XIII. (l) pro *libro* V. *librum* IIII. (m) pro *libro*

[a] *Exc. ad Tacit. Annal. Lib. III. litt. C.*
[b] *De Form. Rom. Lib. II. pag. 160.*
[c] *Comm. ad reg. iur. L. 191. pag. 748.*
[d] *L. 2. D. de min.*
[e] *L. 18. D. de excuſ. L. 14. D. de off. procuſ.*
(f) *L. 61. D. ad leg. Falc.*
[g] *L. 1. D. de concubin.*
[h] *L. 4. D. de tut. dat.*
[i] *L. 37. D. de mort. cauſſ. donat.*
(k) *L. 146. D. de verb. ſign.*
(l) *L. 52. D. de legat. 2.*
(m) *L. 25. D. de donat. inter vir. et uxor.*

Digitized by Google

bro VIII. *librum* III. (*a*) Nec magis PAVLLO parcit, pro *libro* eius III. reponens *librum* II. (*b*) Enimuero in his codicum optimorum auctoritatem inſuper habere, numeroſque, Florentiae non notis, ſed integris vocabulis expreſſos, pro lubitu immutare, religioni nobis duximus, niſi emendationem ſumma vrgeat atque excuſet neceſſitas.

Deinde idem vir eximius, dum omnia, quae materiam aedificio ſuo praebitura videbantur, diligenter vndique congerit, quaedam etiam tigna aliena arripuiſſe, ac bona fide ſuis iunxiſſe aedibus videtur. Saltim, quae *capite* III. de virginibus Veſtalibus proponit, ea ex alia lege Papia eſſe, capite primo demonſtrauimus. Quae *capite* VI. de teſtimonio generi et ſoceri tractat, ea manifeſto depromta ſunt ex *lege Iulia Iudiciorum publicorum*. *Caput* XX. de fundo dotali Italico legi Iuliae de adulteriis, non legi Papiae Poppaeae, debetur. *Caput nonum* de Latinis, vti a IAC. GOTHOFREDO explicatur, partim ex lege Iunia Norbana, partim ex SCto quodam eſſe, ſuo loco docebimus. Contra ea quaedam, quae ad legem hanc referunt veteres, praetermiſiſſe videtur vir doctiſſimus. Nam nec de cogendis puberibus, vt nuptias liberorum quaerendorum cauſſa contrahant, quidquam habet, nec de concubinatu, nec de adfinitatis iure, nec de die legatorum ab apertis tabulis cedente, eorumque tranſmiſſione, de quibus omnibus legem noſtram egiſſe argumentis haud obſcuris liquet.

Denique et in eo humani quid paſſus videtur vir eximius, quod vel SCta poſteris temporibus ad hanc legem facta, vel ICtorum interpretationes ab ipſa lege non ſatis accurate diſtinxit, et hinc quaedam plane alio ſenſu extulit, quam in lege noſtra poſita fuerant, quaedam etiam ex ingenio confinxit, de quibus dubito an vnquam cogitauerint legis auctores.

IIII. Quae quum ita ſint, poſt GOTHOFREDI induſtriam oſſa legis celeberrimae lecturis, ipſi nobis eas diximus leges, quas ad euitanda haec praecipitia iudicauimus fore vtiliſſimas. Primum enim non ſolum VLPIANVM et TER. CLEMENTEM, ſed et reliquos legis noſtrae interpretes, immo et CELSVM e veſtigio ſequemur, priorum tamen vel ideo praecipue habituri rationem, quod non ſolum plurima eorum fragmenta in Pandectis allegantur, ſed et maior fuit librorum ab iis conſcriptorum numerus. Viginti nimirum libros vterque elucubrauerat: quamuis poſtremi duo non niſi quaedam hypomnemata et obſeruationes miſcellas complexi videantur. Id quod etiam de PAVLLI *Commentariorum, libris tribus* poſtremis ſuſpicor, qui vti ex fragmentis *L.* 15. *D. de iur. patr. L.* 5. *D. de iur. aur. annul. L.* 13. *D. ſi quid in fraud. patr.* et *L.* 144. *D. de verb. ſign.* colligere mihi videor, complexi ſunt vnum tractatum iam ante a PAVLLO editum, *de iure patronatus, quod ex lege Iulia et Papia venit*, ex quo etiam ideo nullam legem in Pandectis noſtris allegari animaduertimus.

Deinde cauendum duximus, ne inſcriptiones legum, librorumque, ex quibus deſumtae ſunt, numerum, temere mutaremus. Temere, inquam. Nam aliquando emendationem ipſa excuſat neceſſitas, ſi vel codices editioneſque diſſentiunt, vel numerus manifeſto in mendo cubat. Sic CAII (*c*) occurrit fragmentum, quod in aliis editionibus ex *libro* XVI. in aliis, notante

(*a*) *L.* 47. *D. de ritu nupt. L. fin. D. de oper. ſeru. L.* 14. *D. de oper. libert.*

(*b*) *L.* 132. *D. de verb. ſignif.*

(*c*) *L.* 73. *D. de her. inſt.*

Digitized by Google

tante IVLIO PACIO, ex *libro* XII. in aliis ex *libro* XIII. deſumtum dicitur. Quum vero CAIVS quindecim tantum libros ad leges ſcripſerit: primum numerum mendoſum eſſe, nemo facile negauerit. Aliud eiuſdem (a) fragmentum in aliis editionibus ex *libro* XII. in aliis ex *libro* X. citatur. Immo et PAVLLI (b) aliquando allegatur *liber* XII. *ad legem Iuliam et Papiam*, quum index Florentinus decem tantum commentariorum libros Paullo tribuat. In his aliquid indulgere ingenio, nemini exiſtimauimus non licere.

Tertio operam dedimus, vt numeris capitum, a GELLIO et MARCIANO allegatorum, ſuus conſtaret locus, adeoque et *caput* a priore laudatum *ſeptimum*, et a poſteriore XXXV. locum occuparet, quod in ſua oeconomia haud praeſtitit, nec praeſtare potuit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS.

Denique quantum fieri potuit, id egimus diligenter, vt vetera SCta et iureconſultorum interpretationes ab ipſis legis ſanctionibus, quam accuratiſſime ſeiungeremus, nihilque temere admitteremus in textum, quod non veterum niteretur teſtimonio. Quae quomodo a nobis praeſtita ſint, ita intellectum iri quam facillime arbitramur, ſi, quae ad partem legis priorem pertinent veterum fragmenta, in iure noſtro obuia, per laterculos diſpoſita, ſecundum librorum numerum ſiſtamus, iiſque deinde ipſum ſubiiciamus textum legis, a nobis de nouo reſtitutum, allegatis auctorum, quibus nitimur, teſtimoniis, et iis, in quibus a IAC. GOTHOFREDO diſſentiamus, diligenter notatis.

(a) *L. 55. D. de legat. 2.*

(b) *L. 2. D. de concub.*

FRAGMEN-

FRAGMENTA EX VET. ICT. COMMENTARIIS SECVNDVM LIBRORVM ORDINEM DISPOSITA.

CAPITA LEGIS et Fragm. CELSI.	VLPIANVS LIB. I.	TER. CLEM. LIB. I. ex quo nullae leges deſumtae ſunt.	CAIVS LIB. I.	PAVLLVS LIB. I.	MARCELL. LIB. I.	MAVRICIANI fragmentem ex libro I. nullum exſtat, quod ad priorem hanc legis partem pertineat.
CAP. I. de ſenatorum, eorumque liberorum, nuptus. CELSVS LIB. XXX.	L. 62. D. ad leg. Falc. L. 5. et 7. D. de ſenat. L. 25. D. de ſtat. hom. L. 207. D. de reg. iur. L. 4. D. de colluſ. deteg. L. 6. D. de iure aur. ann.		—	L. 44. D. de rit. nupt. L. 129. D. de verb. ſignif. LIB. II. L. 47. D. de rit. nupt. L. 6. D. de ſenat.	L. 32. et 40. D. de rit. nupt. L. 8. D. de agn. et alend. lib.	
CAP. II. de reliquorum ingenuorum nuptiis. CELS. LIB. XXX. L. 23. D. de rit. nupt.	L. 43. D. de rit. nupt. L. 4. D. de colluſ. deteg.	—	—	—	—	
CAP. III. de ſexagenariis, quinquagenariis, ſpadonibus. CELS. IB. L. 13. D. de probat.	L. 128. D. de verb. ſign. LIB. II.	— LIB. II.	—	—	—	
CAP. IIII. de concubinis. CELS. IB.	L. 1. D. de concubin.	—	—	—	—	
CAP. V. de ſponſalibus. CELS. IB.	—	—	L. 37. D. de ſponſal. L. 29. D. de poen.	—	—	

CAP.

CAP. LEG.	VLPIAN.	TER. CLEM.	CAIVS	PAVLLVS	MARCELL.
CAP. VI. de poenis iniuſtarum nuptiarum. CELS. IB.	L. 130. D. *de verb. ſignif.* L. 79. D. *de adquir. hered.*	L. 5. D. *de iur. et facti ignor.* L. 146. D. *de verb. ſignif.*	—	L. 4. D. *de teſt.* L. 37. D. *de oper. libert.*	L. 38. D. *de mort. cauſſ. donat.*
CAP. VII. de priuilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus. Ex CELSI libro XXXI. nihil ſupereſt.	LIB. III. L. 16. D. *de ſponſal.*	LIB. III. —	LIB. II. L. 30. D. *de rit. nupt.*	—	—
	—	—	—	LIB. II.	LIB. II. ex quo nullae leges deſumtae ſunt.
CAP. VIII. de eorumdem priuilegiis in petendis honoribus. CELS. IB.	L. 131. D. *de verb. ſign.*	—	—	—	
CAP. VIIII. de immunitate ob liberorum numerum. CELS. IB.	—	L. 16. D. *de probat.* L. 147. D. *de verb. ſignif.* L. 21. D. *de rit. nupt.*	—	—	—
CAP. X. de iure Quiritium ob liberos conſequendo. CELS. IB.	—	L. 52. D. *de legat.* 2.	—	L. 134. D. *de verb. ſignif.*	—

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. III.	TER. CLEM. LIB. III.	CAIVS LIB. II.	PAVLL. LIB. II.	MARCELL. LIB. II.
CAP. XI. De liberti liberatione ob numerum liberorum. CELS. IB.	—	—	—	*L. 35. D. de op. lib.*	—
CAP. XII. De liberatione mulierum a tutela ob numerum liberorum. CELS. IB.	—	—	—	*L. 137. D. de verb. ſignif.*	—
					LIB. III.
CAP. XIII. De diuortio libertae prohibito. CELS. IB.	*L. vlt. D. de diuort. L. 45. L. 29. L. 27. D. de rit. nupt. L. 4. D. de iur. aur. ann.*	—	—	*L. 2. D. de concubin. L. 63. D. ſolut. matr.*	*L. 50. D. de rit. nupt.*
CAP. XIIII. De tutore mulieri dotis cauſſa dando. CELS. IB.	—	*L. 61. D. de iure dot.*	—	—	—
	LIB. IIII.	LIB. IIII.			
CAP. XV. De iure decimam matrimonii nomine capiundi. CELS. IB.	*L. 23. D. quando dies legat. ced.*	*L. 67. ad L. Falc.*	—	*L. 65. D. ad leg. Falc.*	—

CA-

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. IIII.	TER. CLEM. LIB. IIII.	CAIVS LIB. II.	PAVLL. LIB. II.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XVI. De decimis pro liberorum numero adiiciendis. CELS. IB. —	—	*L. 62. D. de condit. et demonſtrat.*	—	—	—
				LIB. III.	
CAP. XVII. De decimae capacitate ob communem filium. CELS. IB. —	*L. 135. D. de verb. ſign. L. 9. D. de capitu. et poſtlim. L. 209. D. de reg. iur. L. 10. D. de his, qui ſui vel al. iur. L. vlt. D. de adopt.*	—	—	*L. 208. D. de reg. iur.*	—
CAP. XVIII. De vſufructu et parte proprietatis legalis. CELS. LIB. XXXII. *L. 29. D. de vſufr.*	—	—	—	—	—
CAP. XVIIII. De praelegato dotis. CELS. IB. —	—	*L. 53. D. de legat. 2.*	—	—	—
CAP. XX. De ſolidi capacitate inter coniuges ob aetatem. CELS. IB. —	—	—	—	—	—

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB.IIII.	TER. CLEM. LIB. IIII.	CAIVS LIB.II.	PAVLL. LIB.III.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XXI. De ſolidi capacitate ob diuturnitatem matrimonii. CELS. IB.	—	—	—	—	—
CAP. XXII. De ſolidi capacitate ob cognationem. CELS. IB.	—	—	—	—	—
CAP. XXIII. De ſolidi capacitate ob abſentiam reip. cauſſa. CELS. IB.	—	—	—	—	—
CAP. XXIIII. De ſolidi capacitate ob liberos. CELS. IB.	—	*L.6.D.de vulg. et pupill. ſubſtit.*	LIB. III. *L. 5. D. de vulg. et pupill. ſubſtit.*	*L.132. D. de verb. ſignif.*	—
CAP. XXV. De ſolidi capacitate ob poſtumum. CELS. IB.	*L. 133. D. de verb. ſignif.*	—	—	—	—
CAP. XXVI. De ſolidi capacitate ob jus liberorum. CELS. IB.	—	—	—	—	—

CAP.

Digitized by Google

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. IIII.	TER. CLEM. LIB. IIII.	CAIVS LIB. III.	PAVLL. LIB. III.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XXVII. de ſolidi capacitate patris ſolitarii ex aliorum teſtamentis. CELS. IB.	—	*L. 72. D. de hered. inſtit.*	—	—	—
CAP. XXVIII. de ſolidi capacitate feminae ob tres liberos. CELS. IB.	—	—	—	—	—
	LIB. V.	LIB. V.			
CAP. XXVIIII. de legato ſub conditione caelibatus relicto. CELS. IB.	—	*L. 151. D. de verb. ſignif. L. 64. D. de cond. et dem. L. 25. D. de donat. inter vir. et uxor.*	*L. 63. D. de condit. et demonſtr.*	—	—
CAP. XXX. de iure iurando libertis remittendo. CELS. IB.	*L. 14. D. de iure patr.*	*L. 32. D. qui et a quib. manumiſſ.*	—	—	—
			LIB. IIII.		
CAP. XXXI. de iure adfin. inter vitricum vel nouercam et priuignos, nec non ſoceros et generum vel nurum. CELS. IB.	*L. 5. D. de grad. et adfin. L. 136. D. de verb. ſign.*	—	*L. 5. D. de teſt.*	—	—

CAP.

Digitized by Google

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. VI.	TER. CLEM. LIB. VI. et VII.	CAIVS LIB. V.	PAVLL. LIB. III.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XXXII. de privilegiis abſentium reip. cauſſa. CELS. IB.	L. 36. L. 38. D. *ex quib. cauſſ. maior.*	ex quibus nullae leges deſumtae ſunt.	L. 23. D. *de reb. dub.* L. 8. D. *de ann. legat.*	L. 35. *et* 37. D. *ex quibus cauſſ. mai. in integr. reſtit.*	—
CAP. XXXIII. de indulgentia ſenatus. CELS. IB.	L. 31. D. *de rit. nupt.*	—	—	—	—
	LIB. VII.	LIB. VIII.	LIB. VI.		
CAP. XXXIIII. de divortii modo et poena. CELS. IB. L. 97. D. *de verb. ſignif.*	L. 64. D. *ſolut. matr. dos quemadm. pet.* L. 134. D. *de verb. ſignif.*	L. 48. D. *de ritu nupt.*	L. 7. D. *de cenſ.*	L. 8. D. *de captiv. et poſtlim.*	L. 33. D. *de rit. nupt.*
CAP. XXXV. de cogendis parentibus, vt liberos elocent. CELS. IB.	—	—	—	L. 45. D. *de adoption.*	—
	LIB. VIII.		LIB. VII.	LIB. IIII.	LIB. IIII.
CAP. XXXVI. de poenis caelibatus. CELS. IB.	L. 3. D. *de caſtr. pecul.* L. 15. D. *ad leg. Cornel. de ſicar.*	—	ex quo leges nullae deſumtae ſunt.	L. 138. D. *de verb. ſignif.* L. 87. D. *de legat.* 3.	ex quo et reliquis nullum fragmentum ſupereſt.
CAP. XXXVII. de poenis orbitatis. CELS. IB.	L. 51. D. *de legat.* 2. L. 141. D. *de verb. ſignif.* L. 36. D. *de mort. cauſſ. donat.* L. 61. D. *de cond. et demonſtr.*	—	—	—	—

CAP.

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. VIII.	TER. CLEM. LIB. VI.	CAIVS LIB. VII.	PAVLL. LIB. IIII.	MARCELL. LIB. IIII.
CAP. XXXVIII. de liberta ob nuptias ab operis liberanda. CELS. IB. —	—	L. 32. *D. qui et a quib. manumiſſ. L. 14. D. de oper. libert.*	—	—	—
	LIB. VIIII.	LIB. VIIII.	LIB. VIII.		
CAP. XXXVIIII. de liberto centenario minore. CELS. IB. —	*L. 143. D. de verb. ſignif. L. 4. D. de tut. et curat. dat. L. 5. D. de iur. aur. ann.*	*L. 24. D. qui et a quib. manum. L. 38. D. de bon. libert. L. 10. D. de iur. patr.*	*L. 4. D. de bon. poſſeſſ. L. 148. D. de verb. ſignif.*	—	—
	LIB. X.	LIB. X.	LIB. VIII.		
CAP. XXXX. de liberto centenario. CELS. IB. —	*L. 16. D. de iur. patr. L. 21. D. eod. L. 145. D. de verb. ſignif.*	—	—	—	—
CAP. XXXXI. de filia patroni. CELS. IB.	—	*L. 49. D. de bon. libert.*	—	—	—
	LIB. XI.	LIB. XI.			
CAP. XXXXII. de libertae bonis. CELS. IB.	*L. 37. D. de bon. libert. L. 36. D. de oper. libert. L. 17. D. de iure patron.*	*L. 153. D. de verb. ſignif.*	*L. 46. D. de rit. nupt.*	—	—
CAP. XXXXIII. de patronae ſucceſſione. CELS. IB. —	LIB. XII. ex quo uullae leges exſtant.	LIB. VIII.	— *L. 150. D. de verb. ſignif.*	LIB. VIIII.	—
CAP. XXXXIIII. de patronae liberis. CELS. IB. —	—	—	—	—	—

Ex

Digitized by Google

Ex hac tabula adparet, VLPIANVM priori legis parti interpretandae libros duodecim, TERENTIVM CLEMENTEM vndecim, CAIVM nouem, PAVLLVM quatuor, MAVRICIANVM vnum, ex quo nihil ſupereſt, deſtinaſſe. De MARCELLO res vel ideo videtur dubia, quod ex libris poſtremis nullum fragmentum commune naufragium euaſit.

Reliquum eſt, vt horum fragmentorum, aliorumque bonorum auctorum ductu ipſa prioris partis capita reſtituere conemur, quod ita faciemus, vt ex quo quidque fonte fluat, ſubiectis textui annotationibus, GOTHOFREDI exemplo, oſtendamus.

---

* CAPVT I.

De Senatorum, eorumque liberorum nuptiis.

(a) QVI (b) SENATOR EST (c), QVIVE FILIVS (d) NEPOSVE (e) EX FILIO (f) PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CVIVS EORVM EST, ERIT, NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO (g) LIBERTINAM, AVT EAM, QVAE IPSA (h), CVIVSVE PATER (i) MATERVE (l) ARTEM LVDICRAM FECIT, FECERIT, (Gothofr. addit (m) : *item eam, quae palam corpore quaeſtum facit, fecerit.*)

(n) NEVE SENATORIS FILIA NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATA (o), LIBERTINO, EIVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT, SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO, NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS (p) SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO.

(*) CAPVT hoc primum fuiſſe inde colligendum, quod tota lex ab eo dicta eſt *lex Iulia de maritandis ordinibus*. Pro capite haec venditat PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 44. *D. de ritu nupt.* Vnde non auſi ſumus ei caput ſequens cum *Iac. Gothofredo* annectere.

(a) Capitis legitima verba exſtant apud PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 44. *D. de rit. nupt.* de ſententia teſtatur DIO *Lib. LIIII. pag.* 531.

(b) SENATOR eſſe poteſt, cui eſt cenſus ſenatorius, ad cujus computationem facit VLP. *Lib.* 1. *L.* 62. *D. ad leg. Falcid.*

(c) *Filius ſenatoris* eſt cum naturalis, tum adoptiuus. VLP. *Lib.* 1. *L.* 5. *D. de ſenat.* PAVLL. *Lib.* 11. *L.* 6. *D. eod.* Emancipatus a ſenatore naturalis, *quaſi ſenatoris filius* eſt. *Ibid. L.* 7. *pr. D. de ſenat.* quemadmodum eſt poſtumus. VLP. *Lib.* 1. *L.* 7. §. 1. *D. eod.*

(d) Licet ex filio, ſenatu moto, conceptus. VLP. *Lib.* 1. *L.* 7. §. *vlt. D. de ſenat.*

(e) Non ex filia. Eoque referri poteſt fragmentum MARCELLI *Lib.* 1. *L.* 8. *D. de agn. lib.*

(f) Diſputaſſe hac occaſione videtur PAVLLVS *Lib.* 1. *L.* 129. *D. de verb. ſign.* an iis, qui mortui vtero exierunt, tamquam liberis ſenatorum funus ſenatorium ducendum ſit?

(g) Libertina non eſt, quae iudicata ingenua. VLP. *Lib.* 1. *L.* 25. *D. de ſtatu hom. L.* 207. *D. de reg. iur.* nec quae ius aureorum annulorum conſequuta. VLP. *Lib.* 1. *L.* 6. *D. de iur. aur. annul.*

(h) Etiamſi in huius modi patris poteſtate non ſit. PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 44. *pr. D. de rit. nupt.* etſi pater eſt adoptiuus. *Ib. L.* 44. §. 4. non autem ſi auus. *Ib. L.* 44.

43. §. 2. *D. eod.*

(i) Etiam quae vulgo concepit. PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 44. §. 3. *D. eod.*

(l) Non autem fraudi erat filiae; parentes, vel eorum alterutrum poſt nuptias artem ludicram facere coepiſſe. PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 44. §. 6. Aliud ſi ipſa vxor hunc quaeſtum inſtituerit. *Ibid. L.* 44. §. 7.

(m) Hanc laciniam iure reiecimus, quia *L.* 43. pertinet ad caput ſequens. Nec opus erat, monere has ducere non poſſe ſenatores ob ea, quae notat MARCELL. *Lib.* 1. *L.* 49. *D. de rit. nupt.* et PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 43. §. 8. *D. eod.*

(n) Eadem verba legitima ſeruauit. PAVLL. *Lib.* 1. *L.* 44. *D. eod.*

(o) Quamuis adrogatus ſit ab ingenuo MARCELL. *Lib.* 1. *L.* 32. *D. de rit. nupt.*

(p) Niſi et ipſa quaeſtum corpore, vel artem ludicram fecerit. PAVLL. *Lib.* 11. *L.* 47. *D. de rit. nupt.*

* CAPVT II. (Gothofr. *cap.* 1.)

De ingenuorum nuptiis.

(*a*) OMNIBVS reliquis INGENVIS, PRAETER SENATORES EORVMQVE LIBEROS LIBERTINAM VXOREM HABERE LICETO (*b*), neue quid eis qui duxerint (*c*) liberiſue ex eo matrimonio natis, fraudi ignominiaeue eſto. (Gothofr. *ceteris ingenuis libertinas vxores ducere ius eſto, neue quid eis, qui eos duxerint, fraudi ignominiaeue eſto, liberiue eorum legitimi ſunto.*)

(*d*) At ne quis ingenuus EAM QVAE (*e*) PALAM QVAESTM CORPORE FACIT FECERIT (Gothofredus (*f*) *haec ſuperiori capiti intexuit.*) LENAM, A LENONE MANVMISSAM, AVT (*g*) IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT (*h*) IN ADVLTERIO DEPREHENSAM, ET QVAEVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT, ſponſam vxoremue ſciens dolo malo habeto.

(*) Quum caput primum conſtituerit illud, quod integrum extulit Paull. *L.* 44. *D. de rit. nupt.* hoc alterum a primo ſeiungendum duximus, vt fuerit ſecundum.

(a) De capitis huius ſententia teſtatur DIO *Lib.* LIIII. *p.* 531. Quin verba legitima maximam partem ſeruaſſe videtur CELSVS *Lib.* XXX. *L.* 23. *D. de rit. nupt.*

(b) Formulam hanc, tamquam ſollemnem, cum Gothofredo retinuimus ex LIV. *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 19.

(c) Diſerte hoc lege noſtra cautum fuiſſe, docet DIO CASS. *Lib.* LIIII. *p.* 531.

(d) Huius periochae legitima verba maxima ex parte ſeruauit VLPIANVS *Lib.* 1. *L.* 43. *D. de rit. nupt.* Ingenuus vero quis? VLP. *Lib.* 1. *L.* 4. *D. de colluſ. deteg.*

(e) Quid vero *palam quaeſtum corpore facere?* Exponit id VLP. *Lib.* 1. *L.* 43. *pr.* et §. 1. *D. de rit. nupt.*

(f) Verba haec ad ſuperius caput ideo retulit Gothofredus, quod Vlpianus *Fragm. tit.* XIII. §. 1. ſenatorem eam, quae quaeſtum corpore fecerit, vxorem habere poſſe negat. Sed quamuis recte id neget Vlpianus: non tamen inde ſequuitur, vt hoc κατὰ τὸ ῥητὸν prohibitum fuerit capite primo. Paullus ſane *L.* 44. *D. de rit. nupt.* id caput omittit. Vlpianus *L.* 43. agit de nuptiis ingenuorum. Et ratio ipſa iam docebat, quam ingenuus ducere non poteſt, eam nec ducere poſſe ſenatorem. *L.* 44. §. 8. *L.* 49. *D. de rit. nupt.*

(g) VLP. *Lib.* 1. *L.* 43. §. 10. *D. de rit. nupt.*

(h) A quocumque deprehenſam. Qua in re differunt lex Iulia de adulteriis et lex noſtra. Immo, ſi deprehenſa, parum ei prodeſt, fuiſſe abſolutam, aut ne in ius quidem vocatam. VLP. *Lib.* 1. *L.* 43. §. 12. *D. eod.*

Digitized by Google

CAPVT III. (Gothofr. *cap.* 11.)

De ſexagenariis, *quinquagenariis*, *ſpadonibus*.

(*a*) OMnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaeſundorum cauſſa inire tenentor. (Gothofr. *haec omiſit*) (*b*) *ſexagenarii maſculi* (*c*), quinquagenariae feminae et (*d*) SPADONES a poenis huius legis liberi ſunto. (Gothofredus: *ſexagenario maſculo*, *quinquagenariae feminae nuptias contrahere ius ne eſto* : *poſt eos tantum annos coniuges poenis huius legis ſoluuntor*. SPADONIBVS *item nuptias contrahere ius ne eſto*.)

(a) Teſtis eſt *Commentator* vetus a CRVCQVIO editus ad Horat. *Epod.* XVIII. Hinc etiam eſt, quod lex Papia certis annis nuptias, aliis liberos exigere dicitur Vlpiano *Fragm. tit.* XVI. §. 1. et *Tertulliano Apolog. cap.* 4.

(b) Hanc legis ſententiam ſuggerit *Vlpian. Fragm. tit.* XVI. §. 1. Poſtea huic capiti aliquid addidit Tiberius, teſte SVET. *Claud. cap.* 23. idque eſt ipſum SC. Perſicianum, quo cautum, *vt ſexagenarii et quinquagenariae*, *licet inierint matrimonium*, *poenis tamen caelibatus ſubſint perpetuo*. Hinc et Claudius ei capiti obrogauit cauitque, *vt qui maior* LX. *annis minorem quinquagenaria duxerit*, *perinde habeatur*, *ac ſi minor ſexagenario vxorem duxiſſet*. Denique et SC. Caluiſianum prodiit, quo cautum, *vt quae quinquagenaria maior minori ſexagenario nupſerit*, *quiue minor ſexagenario maiorem quinquagenaria duxerit*, *eis impar illud matrimonium ne prodeſſet*, *ſed dos caduca fieret*. Omnia haec narrat VLP. *tit.* XVI. §. 1. quem locum primus in luce poſuit IAC. PERIZONIVS *de lege Vocon. p.* 153. Ex quibus patet, male id caput extuliſſe LIPSIVM, BRISSONIVM, et qui eos ſequutus eſt, IAC. GOTHOFREDVM. Ceterum illud vna cum SC. ad illud factis ſuſtulit IVSTINIANVS *L.* 27. *C. de nupt.*

(c) Aetas quomodo probanda. CELS. *Lib.* XXX. *L.* 13. *D. de probat.*

(d) Vocem hanc explicat VLP. *Lib.* 1. *L.* 128. *D. de verb. ſignif.*

CAPVT IIII. (Gothofr. omiſit.)

(*) *De concubinatu*.

(*a*) QVas perſonas per hanc legem vxores habere non licet, eas concubinas habere ius eſto (*b*) : ingenuam honeſtam in concubinatu habere ius ne eſto.

(*) Caput de concubinatu in lege Papia Poppaea fuiſſe adparet ex *L.* 3. *D. de concub.* vbi Marcianus *concubinatum per leges nomen adſumſiſſe* ait, id eſt, per leges Iuliam et Papiam. MERILL. *Obſ. Lib.* V. *cap.* 10.

(a) Quaenam illae perſonae, in quas ſtuprum non committitur ? Vid. VLP. *Lib* II. *L.* 1. §. 1. 2. *D. de concub.* Modo nec in his vel adfinitatis ratio, vel aetas obſtet. *Ibid. L.* 1. §. 3. 4. *D. eod.*

(b) Quia cum ea ſtuprum committeretur. Atilicinus apud VLP. *Lib.* 1. *L.* 1. §. 1. *D. de concub.* Stuprum vero committitur in ingenuam virginem vel viduam, honeſte viuentem *L.* 34. *pr. D. ad leg. Iul. de adult.* non in eam quae obſcuro loco nata, aut quaeſtum corpore fecit. *L.* 3. *pr. D. de concub.* Ingenuam honeſtae vitae atque originis neceſſe erat vel vxorem habere, vel recuſantem ſtuprum cum ea committere, *d. L.* 3. cui legi non aduerſantur *L.* 25. *D. de rit. nupt.* et *L.* 31. *pr. D. de donat.*

CA-

CAPVT V. (Cothofr. *cap.* III.)

De Sponſalibus.

(*a*) SPonſam poſt H. L. decenni minorem nemo habeto, deſponſam (*b*) intra biennium domum ducito: ni duxerit, praemiis maritorum ne fruitor. Gothofr: *quicumque ſponſam habebit, vltra biennium eam ne habeto, qui vltra biennium habuerit, praemiis maritorum ne fruitor. Decenni minorem ſponſam ne habeto* (*c*). Feminis a morte viri biennii, a repudio anni et ſex menſium vacatio eſto. (Addit Gothofredus (*d*): *pontifex max. arbitratu ſuo virgines* XX. *non maiores, quam* X. *annos natas, e populo legat, ſortitioque in concione ex eo numero fiat, et cuius virgo ducta erit, eam pontifex max. capiat, eaque Veſtae fiat*;

(a) Caput hoc ſuppediat DIO *Lib.*LIIII. SVETON. *Octau. cap.* 34.

(b) Niſi iuſtae cauſſae impediant. Eas deſcribit CAIVS *Lib.* 1. *L.* 17. *D. de ſponſal.*

(c) Hanc ſententiam legis ſeruauit VLPIANVS *Fragm. tit.* XIIII. §. 1. Eodemque referendum fragmentum CAII *Lib.* 1. *L.* 29. *D. de poen.* vti recte vidit IAC. GOTHOFREDVS.

(d) Sunt quidem haec apud GELLIVM *Lib.* 1. *cap.* 12. Sed nihil illa ad ſponſalia, nihil ad finem legis Papiae Poppaeae. Aliam, et noſtra multo antiquiorem, legem Papiam ob oculos habuiſſe Gellium, ſupra demonſtrauimus *Lib.* I. *Commentarii noſtri, cap.* 1.

CAPVT VI. (Gothofr. *cap.* IIII.)

De poenis iniuſtarum nuptiarum.

(*a*) SI qui (*b*) ſcientes dolo malo aduerſus hanc legem coierint, (Gothofr. *ſi quis ſciens* D. M. *contra hanc* (*c*) *impares, vti ſupra dictum, nuptias contraxerit,*) (*d*) nec vir, nec vxor, nec (*e*) ſocer ſocruſue, nec gener nuruſue intelliguntur: (Gothofredus *haec omittit.*) liberi quaeſiti natiue legitime et (*f*) heredes ſui ne ſunto, neue parentibus (*g*) proſunto: neque (*h*) HEREDITATEM, QVAE EIS LEGE OBVENERIT, legatumue ipſi coniuges neque inter ſe quidquam (*i*) capiunto (*l*): mortuaque muliere dos caduca eſto.

(a) Caput hoc expreſſiſſe IVSTINIANVM §. 12. *Inſt. de nupt.* obſeruant MERILL. *Obſ.* Lib. *V. cap.* 11. et GOTHOFRED. *ad leg. Pap. cap.* 4. *p.* 275. Hoc vero caput ad omnes reliquas prohibitiones pertinuit.

(b) Non ſi bona fide vel per errorem alteruter nuptias fecerit. TER. CLEM. *Lib.* 11. L. 5. *D. de iur. et fact. ignor.*

(c) Impares nuptiae dictae tantum, quas quis contra SC. Calviſianum inierat, IVSTIN. *L.* 12. C. *de legit. her.* Conf. SCHVLTING. *Iuriſpr. anteiuſtin. pag.*615.

(d) Haec ſunt ex §. 12. *Inſt. de nupt.*

(e) Itaque nec priuilegio, ex quo ſoceri, generi, et nurus ex lege Iulia publicorum judiciorum teſtimonium inter ſe non dicebant, fruebantur. Et huc pertinent fragmenta PAVLLI, *Lib.* 11. L. 4. *D. de teſt.* et TER. CLEM. *Lib.* 11. L. 146. *D. de verb. ſign.* ex quibus Gotofredus perperam deſumſit verba capiti

Digitized by Google

ſuo ſexto adſuta: GENER SOCERVE *inuiti in reos teſtimonium ne dicunto.*

(f) *Collat. leg. Moſ. et Rom. tit.* XVI. §. 3.

(g) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 37. §. 7. *D. de oper. libert.*

(h) Erant enim veluti caelibes, qui nihil capiebant. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. *tit.* XXII. §. 3. Hereditas vero cum ex teſtamento, tum ab inteſtato delata, lege dicebatur obuenire. VLP. *Lib.* II. L. 130. D. *de verb. ſign.* Hic agitur de ea, quae teſtamento delata.

(i) Neque per ſe nec per alium in poteſtate ſua conſtitutum, VLP. *Lib.* II. L. 79. *D. de adquir. hered.* immo ne mortis quidem cauſa. MARCELL. *Lib.* I. L. 38. *D. de mort. cauſſ. donat.*

(l) Ita VLPIAN. *tit.* XVI. §. *vlt.* Non ergo reſcindebatur huius modi matrimonium, ſed non erant iuſtae nuptiae. Vnde nec dotem intelligi ait IVSTINIANVS §. 12. *de donat.*

(*) C A P V T VII.

De priuilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus.

QVi (Gothofr. *hic praemittit caput ſequens, et illud huic ſeptimo iungit*) plures liberos, quam collega, aut in ſua poteſtate habebit, aut bello amiſit, ei priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas eſto: ſi par vtrique numerus liberorum erit (*a*), maritus, aut (*b*) qui in numero maritorum eſt, praefertor: ſin omnes et (*c*) mariti, et patres erunt, tum, qui maior natu erit, faſces prior capito.

(*) Caput hoc ſeptimum legis Papiae Poppaeae fuiſſe, teſtatur GELLIVS *Lib.* II. *cap.* 15. cui et capitis ſententiam debemus.

(a) Modo ne ſimulatae ſint nuptiae quas nullius momenti eſſe, tradit CAIVS *Lib.* I. L. 30. *D. de rit. nupt.*

(b) Veluti ſponſus, nondum elapſo a ſponſalibus biennio: modo ne quis cum perſona, quae per leges ſenatori nubere non poterat, feciſſet ſponſalia. VLP. *Lib.* III. L. 16. D. *de ſponſal.* Sed et ii maritorum numero erant, qui obtinuerant τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα, *iura maritorum*, de quibus DIO *Lib.* LX. *p.* 681.

(c) De caſibus, ſi ambo ſint mariti, ſed improles, vel caelibes, ſed totidem liberorum patres, nihil in hac lege ſcriptum fuiſſe, ait GELLIVS *Lib.* II. *cap.* 15. Iis caſibus tamen aetatis habitam eſſe rationem, exiſtimat.

C A P V T VIII. (Gothofr. *cap.* VII.)

De eorumdem priuilegiis in petendis honoribus.

(*a*) QVi candidatorum plures liberos ſecundum H. L. habebit, praefertor: petentibuſque honores (*b*) SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTVNTOR, eiſque honores citius, quam per leges annarias licet, petere ſine (*c*) FRAVDE SVA liceto. (Gothofr. *hoc poſtremum comma omiſit.*)

(a) Hanc de candidatis ſententiam ſuppeditant TACIT. *Annal. Lib.* XV. *cap.* 19. qui et adoptionibus huic legi fraudem factam eſſe memorat. Conf. DIO. *Lib.* LIII. et PLIN. *Lib.* VII. *epiſt.* 16.

(b) Verba haec ſervavit VLPIANVS *Lib.* XVIIII. L. 2. *D. de minor* quae ad honorum petitionem, non ad maiorennitatem

tatem citius finiendam pertinere, reſcripto principis declaratum ſit.

(c) Ad haec verba differentiam FRAVDIS et POENAE expoſuiſſe videtur VLPIANVS *Lib.* III. L. 131. *D. de verb. ſignif.*

CAPVT VIIII. (Gothofred. *cap.* VIII.)

De immunitate ob liberorum numerum.

(*a*) QVi ſecundum H L. (*b*) liberos tres (*c*) ROMAE NATOS (*d*) INCOLVMES, (Gothofr. *ſuperſtites*) qui quatuor in Italia, quinque in prouinciis habebit, omnium munerum perſonalium immunitatem habeto.

(a) De hoc capite *pr. Inſt. de excuſ. tut.* L. 1. 2. *D. de vacat. et excuſ. mun.* L. 1. et *vlt. C. qui num. liber.* L. vn. *C. Th. eod.* Prodérant vero liberi vtrique parenti. L. 5. C. *eod.*

(b) Naturales vtriuſque ſexus, L. *vn. C. Th. eod.* non adoptivos. L. 2. §. 7. D. *de vac. et excuſ. muner.*

(c) Legitima haec verba exponit TER. CLEM. *Lib* III. L. 147. *D. de verb. ſignif.* Probanda vero erat natiuitas liberorum tabulis ex aerario petitis, ad quod parentes liberos recens natos profitebantur, quod facere et matres et avos potuiſſe, ad hanc legem docet TER. CLEM. *Lib* III. L. 16. *D. de probat.*

(d) L. 1. §. *vlt.* L. 5. §. 5. *D. de vacat. mun.* L. 1. C. *qui num. liberorum.* Per gloriam viuere intelligebantur etiam bello amiſſi. L. *vlt. D. de vacat. et excuſ. muner.* §. 2. *Inſt. de excuſ. tut.* L 18. *D. eod.* eoque caſu et auo nepotes, inprimis bello amiſſo filio proderant. L. 3. C. *de his, qui num. lib.* Quid vero ſi pater filium coegiſſet ad ducendam vxorem, procreandoſque liberos, an et tunc proderant auo nepotes? Profuerunt, niſi fallor, eumque caſum tractaſſe videtur TER. CLEM. *Lib.* III. L. 21. *D. de rit. nupt.*

CAPVT X. (Gothofred. *cap.* VIIII.)

De iure Quiritium ob liberos conſequendo.

(*a*) LAtinus, cui ex Latina filius filiaue natus nataue, et (*b*) ANNICVLVS ANNICVLAVE factus factaue erit, (Gothofr. addit (*c*): *at Latina, ſi* TER ENIXA FVERIT.) (*d*) iura Quiritium conſequitor.

(a) Non Latinus Iunianus, cui demum lex Iunia Norbana hoc beneficium tribuit. VLP. *Fragm. tit.* III. §. 1. *et* 3. ſed Latinus colonarius. Latini etiam nominis ſociis ſimile fere privilegium olim conceſſum eſſe, obſervat LIV. *Lib.* XXXXI. *cap.* 8.

b) Explicat haec verba legitima PAVLLVS *Lib.* II. L. 134. *D. de verb. ſign.*

[c] Atqui hoc ius non ex lege noſtra, ſed ex SC eſſe, diſerte docet VLPIAN. *Fragm. tit.* III. §. 1.

(d) Hinc iura connubii, contractuum, et teſtamenti factionis conſequebatur, adeoque et teſtari, et heres eſſe poterat. Quid ſi de Latini inſtituti ſtatu dubitaretur? Vid. TER. CLEM. *Lib.* III. L. 52. *D. de legat.* 2.

CA-

CAPVT XI. [Gothofr. *cap.* x.]

De liberatione liberti ab operis ob liberos.

(*a*) QVI (*b*) LIBERTINVS DVOS PLVRESVE LIBEROS A SE GENITOS NATOSVE IN SVA POTESTATE HABEBIT, PRAETER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCAVERIT, NE QVIS EORVM OPERAS, (Gothofr. omittit *operas*) DOMI, MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE, FACERE, PRAESTARE DEBETO. ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABEBIT, VEL VNVM QVINQUENNEM, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR.

(a) Integrum hoc caput, ipſaque eius legitima verba ſeruauit PAVLLVS *Lib.* 11. *L.* 37. D. *de operis libert.* Conſ. *L.* 6. C. *de oper. libert.* vbi eiuſdem mentio fit priuilegii.

(b) An et liberta? Immo ea, per nuptias, etiamſi liberos non haberet, operarum obligatione liberabatur, quia in officio mariti eſſe debebat. Vide infra caput legis noſtrae XXXVIII. Quid ſi nupta haud eſſet? Tunc vero debebat operas, nec iis liberabatur, niſi ob aetatem, ſi maior eſſet quinquaginta annis. Et huc pertinet fragmentum PAVLLI. (*Lib.* 11. L. 35. *D. de oper. libert.*

CAPVT XII. [Gothofr. *cap.* xi.]

De mulierum liberatione a tutela ob numerum liberorum.

(*a*) INgenua (*b*) TER ENIXA, vel ius trium liberorum conſequuta (*c*), libertina quatuor liberorum iure tutela liberator. Eidem ſine patroni auctoritate [*d*], dum pro numero liberorum ſibi ſuperſtitum virilem partem ei relinquant; teſtari fas eſto. (Paullo aliter Gothofredus : *ingenua trium liberorum iure legitima tutela, libertina quatuor liberorum iure tutela patroni liberantor, ideoque iam abſque tutorum auctoritate teſtari eis, reſque ſuas adminiſtrare liceto, eiſque, quibus quid ita datum legatumue, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto.*)

[a] Capitis huius meminere PLVTARCHVS in *Numa p.* 66. DIO *Lib.* LVI. *p.* 578. *Fragm. regularum ex vetere ICto*, §. 6. et in primis VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 2. 3. quem ſequuti ſumus.

[b] Haec verba, quae Gothofredus ad caput ſuperius perperam retulerat, huc potius pertinent, eaque interpretatur PAVLLVS, Lib. 11. L. 137. *D. de verb. ſignif.*

[c] VLPIAN. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 2. 3.

[d] Eam limitationem, ab Vlpiano diſertis adiectam verbis, omiſit vir eximius, Iac. Gothofredus.

CA-

CAPVT XIII. (Gothofr. *cap.* VI.)

De diuortio libertae prohibito.

(*a*) NE DIVORTII FACIVNDI POTESTAS (*b*) LIBERTAE, QVAE (*c*) NVPTA EST PATRONO, QVAMDIV IS EAM (*d*) VXOREM ESSE VOLET, NEVE INVITO ILLO ALII NVBENDI POTESTAS ESTO. (Longe aliter Iac. Gothofredus : *ſi ſecundum H. L. nuptiae contractae fuerint*, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA EST INVITO PATRONO *cumque altero connubii ius*, QVAMDIV PATRONVS VXOREM EAM ESSE VOLET, NE ESTO. (*e*) GENER SOCERVE *inuiti in reos teſtimonium ne dicunto*. (*f*) *Liberta, quae patroni voluntate nupta erit, operarum obligatione liberator. Quae in concubinatu patroni erit, ab inuito eo diſcedere, alterique ſe in matrimonium vel concubinatum dare ius eſto.*

[a] Caput hoc, eiuſque legitima verba ſeruauit VLP. *Lib.* III. L. II. *D. de diuort.* et L. 45. *D. de rit. nupt.*

[b] An et ea, quae contra legem nupſerat ſenatori, ſi is poſtea ſenator eſſe deſierat? vid. VLP. *Lib.* III. *L.* 27. *D. de rit. nupt.* Quid ſi ius aureorum annulorum conſequuta? vid. VLP. *Lib.* III. L. 4. *D. de iur. aur. annul.* Quid ſi ex fideicommiſſo manumiſſa? MARCELL. *Lib.* III. *L.* 50. *D. de rit. nupt.*

(c) Non vero nubere ei cogitur, niſi ea de cauſſa manumiſſa ſit. VLP. *Lib.* III. L. 29. *D. de rit. nupt.* Nec repudium mittere prohibetur ſponſa, VLP. *ibid.* L. 45. §. 4. immo nec concubina. PAVLL. *Lib.* II. *L.* 2. *D. de concub.*

(d) Si velle, eum vel ex ſignis quibuſdam conſtat, recte liberta nubit, et tunc dos quoque ei reſtituenda. Eo pertinet fragmentum PAVLLI *Lib.* II. *L.* 63. *D. ſoluto matr. dos quemadmod. pet.*

[e] Id ius ex lege Iulia publicorum iudiciorum eſſe, nec huc pertinere, iam monuimus ad caput huius legis ſextum.

[f] Haec non ex lege, ſed ex interpretatione prudentum ſunt. Nec lex VLP. *Lib.* II. *L.* I. *D. de concub.* cuius inſcriptionem ſuo more refingit Gothofredus, huc pertinet, ſed ad caput de concubinatu, quod ille omiſit. Quin perperam vir eximius expreſſit. Vlpiani ſententiam. Neque enim is dicit, concubinam alteri nubere, ſed tantum, illam ſe alii in concubinatum dare poſſe.

CAPVT XIIII. (Gothofr. v.)

De tutore mulieri dotis cauſſa dando.

(*a*) EI mulieri virginiue, quam ex H. L. nubere oportebit, tutor ad DOTEM DANDAM, DICENDAM, PROMITTENDAMVE (*b*), ſi legitimum tutorem pupillum habeat (Gothofredus : *ſi legitimum tutorem non habeat*) (*c*) a praetore vrbano dator.

(a) Caput hoc ſuppeditat VLPIAN. *Fragm. tit.* XI. §. 20. et ad illud pertinet fragmentum TER. CLEM. *Lib.* III. L. 61. *D. de iure dot.*

(b)

(b) Ita VLPIANVS *tit.* XI. §. 20.
(c) Itaque hoc caput ad ſolas vrbanas virgines vidualque pertinuit. Poſtea, vt et in prouinciis tutores darent praeſides, SCto cautum eſt. VLPIAN. *ibid.* Saepe enim, quod ad vrbem pertinuit, etiam ad prouincias prolatum eſt. Vid. *L.* 5. *pr. D. de manumiſſ.*

(*) CAPVT XV. (Gothofr. XII.)

De iure decimam capiundi nomine matrimonii.

VIro et vxori inter ſe matrimonii nomine (*a*) decimam capere ius eſto.

(*) Vocantur hae leges *decimariae*. L. 2. C. *Th. de iur. lib.* Vnde eas cum Gothofredo non putauimus in vnum caput compingendas. Secuauit eas VLPIANVS *Fragm tit.* XV.
(a) Ea decima computanda erat, deducta quarta Falcidia, ſi deberetur, TER. CLEM. *Lib.* IIII. *L.* 67. *D. ad leg. Falcid.* neque habebatur ratio pretii affectionis. PAVLL. *Lib.* II. *L.* 63. *D. eod.* Si in annos ſingulos relictum fuerat legatum, per annos ſingulos inſpiciendum erat, quantum ſuperſtes poſſet capere. VLP. *Lib.* IIII. *L.* 23. *D. quando dies leg. ced.*

CAPVT XVI. [Gothofr. XII.]

De decimis pro liberorum numero adiiciendis.

(*a*) SI ex (*b*) alio matrimonio liberos ſuperſtites habebunt, praeter decimam, quam matrimonii nomine capiunt, [*omittit hoc comma* Iac. Gothofredus,] (*c*) totidem decimas pro numero liberorum capiunto.

(a) VLPIAN. *tit.* XV.
(b) An etiam poſt mortem teſtatoris procreatos? TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 62. *pr. D. de condit. et demonſtr.* Quid ſi coniux coniugem inſtituerit cum conditione: *ſi a liberis non nupſerit*, vel *ſi a liberis impuberibus non nupſerit*? *Id. ibid.* L. 62. §. 2.
(c) Non plus, ſi amplius relictum fuerat, addere ſolebant, *vt heredi aliquid daret*, de qua conditione vid. TER. CLEM. *ibid.* §. 1.

CAPVT XVII. (Gothofr. XII.)

De decimae capacitate ob communem filium amiſſum.

(*a*) IDem (*b*) communis filius filiaue poſt (*c*) nominum diem, (Gothofredus *nonum diem*) (*d*) amiſſus amiſſaue decimam adiicito, duo poſt nominum (Goth. *nonum*) diem amiſſi duas decimas adiiciunto.

(a) VLP. *Fragm. tit.* XV.
(b) Non tamen qui ali iuſſus. VLP. *Lib.*

Digitized by Google

Lib. IIII. L. 10. *D. de his, qui ſui vel al. iur.* Proderat autem portentoſus. VLP. *Lib.* IIII. *L.* 135. *D. de verb. ſignif.* apud hoſtes ſuſceptus et reuerſus. VLP. *Lib.* IIII. *L.* 4. *D. de capt.* in ſeruitute quaeſitus et dein arrogatus. VLP. *Lib.* IIII. *L. vlt. D. de adopt.*

(c) Conf. MERILL. *Obſ. Lib.* II. *cap.* 33.

(d) Amiſſus vero quis? VLP. *Lib.* IIII. L. 209. *D. de reg. iur.* PAVLL. L. 208. *D. de reg. iur.*

CAPVT XVIII. (Gothofr. *cap.* XII.)

De vſufructu et parte proprietatis legatis.

(*a*) PRaeter decimam etiam vſumfructum tertiae partis bonorum (*b*) coniugis praemortui (Gothofr. *partis bonorum eis*) (*c*) et quotcumque liberos habuerint, eiuſdem partis proprietatem capere ius eſto.

(a) VLPIAN. *Fragm. tit.* XV. Alias vſuſfructus bonorum omnium legari poteſt. CELS. *Lib.* XXXII. *L.* 29. *D. de vſufr.*

(b) Apud VLPIANVM eſt *bonorum eius*, id eſt, coniugis praemortui, non *bonorum eis*, vti extulit Gothofredus.

CAPVT XVIIII. (Gothofr. XII.)

De praelegato dotis.

(*a*) HOc amplius mulieri: praeter decimam (*b*), dotem legatam ſibi petere ius eſto.

(a) VLPIAN. *ibid.*

(b) Dos praelegata extra rationem legis Papiae decimariae eſt, immo et vice dotis legatum. TER. CLEM. *Lib.* IIII. *L.* 53. *D. de legat.* 2.

CAPVT XX. (Gothofr. *cap.* XIII.)

De ſolidi capacitate inter coniuges ob aetatem.

(*a*) VIro et (*b*) vxori ſolidum inter ſe capiundi ius eſto, ſi vterque vel alteruter nondum eius aetatis ſit, qua liberi ex hac lege exiguntur.

(a) Solidum vel inter ſe capiebant coniuges, vel alius ex alterius teſtamento. De priore caſu agunt *capita* XX. vſque ad XXVI. De poſteriore *capita* XXVII. et XXVIII. Seruauit capita priora VLPIANVS *Fragm. tit.* XVI.

(b) Etiamſi breuiſſimum fuerit matrimonium. *L.* 19. *C. de legat.* CVIAC. *Obſ. Lib.* XVIII. *cap.* 9.

CAPVT XXI. (Gothofr. *cap.* XIII.)

De ſolidi capacitate ob diuturnitatem matrimonii.

(*a*) ITem ſi vtrique finitos H. L. annos in matrimonio exceſſerint, ſolidum inter ſe capiundi ius eſto.

(a) Annum ſexageſimum maritus, quinquageſimum vxor. Vide ſupra caput legis III.

CAPVT XXII. (Gothofr. XIII.)

De ſolidi capacitate ob cognationem.

(*a*) ITem ſi cognati inter ſe coierint, vſque ad ſextum gradum, eis ſolidum inter ſe capiundi ius eſto.

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1.

CAPVT XXIII. (Gothofr. XVIII.)

De ſolidi capacitate ob abſentiam reip. cauſſa.

(*a*) SI vir abeſt reip. cauſſa, donec abeſt, et intra annum, poſtquam abeſſe deſiit, libera inter eum et vxorem teſtamentifactio eſto. (Gothofred. *ſi vir commodi ſui cauſſa abſit, ex bonis vxoris ſuae ſolidum ne capito. At ſi ſine detrectatione reip. cauſſa aberit*, κ. τ. λ.)

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1. Gothofredus haec feiungit a legibus de ſolidi capacitate, et inde nouum caput extruit, quod ipſi eſt XVIII. Sed quo pertineant illa fragmenta de abſentia reip. cauſſa L. 35. L. 36. L. 37. L. 38. *D. ex quibus cauſſ. mai.* infra docebimus ad caput noſtrum XXXII.

CAPVT XXIIII. (Gothofr. XIII.)

De ſolidi capacitate ob liberos.

(*a*) ITem qui filium filiamue communem ſuperſtitem habebunt, aut quatuordecim annorum filium vel filiam duodecim, vel qui duos trimos, vel tres poſt nominum diem, aut qui (*b*) intra annum et ſex menſes etiam vnum cuiuſcumque aetatis impuberem amiſerint: eis (*c*) ſolidum

lidum inter ſe capiundi ius eſto. (Gothofredus alio plane ſenſu (*d*) : *vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint, intra annum tamen et ſex menſes. Etiam vnus cuiuſcumque aetatis impubes amiſſus ſolidi capiundi ius praeſtato.*)

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1. L. 7. C. *Th. de naucul.*

(b) Annus quomodo computandus? Vid. PAVLL. *Lib.* II. L. 134. *D. de verb. ſign.*

(c) Alias quod vltra relictum erat, aerarium vel fiſcus occupabat: niſi ſubſtitutione id ius eluderetur. TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 6. *D. de vulg. et pupill. ſubſtit.* CAIVS *Lib.* III. L. 5. *D. eod.* Has enim ſubſtitutiones ad caducariam legem excludendam valuiſſe, teſtatur Iuſtinianus L. *vn. pr. D. de caduc. toll.*

(d) Conf. VLPIAN. *ibid.* et ibi virorum doctorum ſcholia.

CAPVT XXV. (Gothofr. XIII.)

De ſolidi capacitate ob poſtumum.

(*a*) ITem vxori, quae poſt mortem viri intra (*b*) decem menſes ex eo peperit, ſolidum ex bonis eius capiendi ius eſto.

[a] VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1.

(b) Hi vero quomodo computandi? Vid. VLP. *Lib.* IIII. L. 133. *D. de verb. ſign.*

CAPVT XXVI. (Gothofr. XIII.)

De ſolidi capacitate ob ius liberorum.

(*a*) ITem qui quaeue ius liberorum (Gothofr. *communium liberorum*) (*b*) a ſenatu (Gothofr. *a populo*) impetrauerint, ſolidum inter ſe capiunto.

(a) VLPIAN. *ibid.*

[b] Senatum, non populum, hoc ius tribuiſſe, vel ex DIONIS *Lib.* LV. p. 549. quem ipſe Gothofredus allegat, diſcimus.

CAPVT XXVII. (Gothofr. XIIII.)

De ſolidi capacitate patris ſolitarii ex alterius teſtamento.

(*a*) EX aliorum teſtamentis (*b*) PATER SOLITARIVS (*c*) ſolidum capito.

[a] IVVENAL. *Sat.* VIIII. v. 86.

(b) Seruauit haec verba legitima VLPIANVS in rubrica tituli XIII. *De caelibe, orbo, et ſolitario patre.*

(c) Si quis ſolitarius pater non erat, eique tamen quod per legem capere non poſ-

poſſet, id eſt, ſolidum relictum fuerat: id occupabat fiſcus, tamquam caducum, niſi ex aſſe inſtitutus eſſet ab eo, qui ſoluendo non erat. TER. CLEM. *Lib.* IIII. *L.* 72. *D. de hered. inſt.*

CAPVT XXVIII. (Gothofr. XIV.)

(a) ITem femina ingenua, ſi tres liberos habebit, et libertina (b), ſi quatuor, ſolidum ex aliorum teſtamentis capiunto.

(a) Hoc caput ſuggerunt DIO *Lib.* LV. LVI. *L.* 8. 9. *C. Th. de bon. proſcript.*

(b) Plerumque vbi tres liberi ſufficiebant ingenuae, ibi libertinae opus erat liberis quatuor.

CAPVT XXVIIII. (Gothofr. *cap.* XVII.)

De legato ſub conditione caelibatus relicto.

(a) SI quis caelibatus aut (b) viduitatis conditionem heredi legatariovе iniunxerit: heres legatariuſue ea conditione liberi ſunto, neque eo minus (c) DELATAM HEREDITATEM legatumue ex H. L. conſequuntor.

(a) De hoc capite L. 92. L. 74. *L.* 79. *D. de cond. et dem.* PAVLL. *Sent. rec. Lib.* III. *tit.* 4. et in primis TER. CLEMENS *Lib.* V. L. 64. *D. de cond. et dem.* et CAIVS *Lib.* L. 63. *D. eod.*

(b) Id vero, quod ad viduas, mutatum SCto. Vnde ius ex hoc capite legis Papiae SCto et cautione Mutiana conflatum dici conſueuit LEX IVLIA MISCELLA. Vid. *tit.* C. *de indict.* Vid. et *Nou.* XXII. *cap.* 43.

(c) Explicat haec verba legitima TER. CLEM. *Lib.* V. L. 151. *D. de verb. ſign.*

CAPVT XXX. (Gothofred. XVI.)

De iure iurando libertis remittendo.

(a) SI (b) patronus ius iurandum liberto in hoc impoſuerit, ne vxorem ducat, vel libertae, ne nubat: ius iurandum illud (c) permittitor, nuptiaſque ex H. L. contrahendi, liberto libertaeue ius (Gothofr. *et poteſtas*) eſto.

(a) Agitur de hoc capite L. 6. *in fin. D. de iure patr.* et TER. CLEM. *Lib.* V. L. 31. *D. qui et a quibus manumiſſ. lib. non fiant.*

(b) Quis vero patronus? Vid. VLP. *Lib.* V. *L.* 14. *D. de iure patron.*

(c) Ita legitur apud PAVLLVM L. 6. §. 4. *D. de iur. patr.* neque opus eſt, vt vocabulum antiquum, et fortaſſis legitimum mutemus in *remittitor*. Probum illud eſſe, docebimus infra, vbi et oſtendemus, quomodo hac in re differant leges, Aelia Sentia et Papia Poppaea. Illa enim patronum liberto hoc ius iurandum iniungentem iuribus patronatus priuauit; haec liberto iuris iurandi gratiam fecit.

CA-

CAPVT XXXI. (Gothofr. omiſit.)

De iure adfinitatis inter vitricum cet.

(*a*) ADfinitas, praeterquam inter (*b*) nouercam et priuignum, vitricum et priuignam, nec non (*c*) SOCERVM SOCRVMVE et GENERVM NVRVMVE (*d*), morte diuortioque ſoluitor.

(a) *Licitam veteres credidiſſe, nuptiis fratris ſolutis, viduam eius a fratre uxorem duci*, aiunt CONSTANTINVS, CONSTANS, et IVLIANVS L. 2. C. *Th. de inc. nupt.* Id ius *Romanis legibus* tribuunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. *Coll. legg. Moſ. et Rom. tit.* VI. §. 4. At quibus legibus? Ab Auguſto latis. L. 14. §. *vlt. D. de rit. nupt.* Procul dubio ergo legi Papiae Poppaeae.

(b) VLPIAN. *tit.* XI. §. 6. PAVLL. *Sent. recept. Lib.* II. *tit.* 19 §. 5.

(c) Qui ſoceri, generi, nurus? Vid. VLP. *Lib.* V. L. 136. *D. de verb. ſign.* L. 6. *D. de grad. adfin.* CAI. *Lib.* IIII. L. 5. *D. de teſt.*

(d) Morte olim ſolutam eſſe adfinitatem, recte docuere VINN. ad §. 6. *Inſt. de nupt.* REINOLD. *Var. cap.* 16. Sed ſublatum id ius L. 2. C. *Th. de inceſt. nuptiis.*

CAPVT XXXII. (Gothofr. *cap.* XVIII.)

De priuilegiis abſentium reip. cauſſa.

(*a*) QVi REIP. CAVSSA ſine detrectatione abſunt, donec abſunt, et intra annum, poſtquam abeſſe deſierunt, vacationem legis habento: reliqui qui ſui commmodi cauſſa abſunt (*b*), poenis ex hac lege tenentor. (Gotofredus *hic demum locum fuiſſe putat capiti, quod ſupra dedimus*, XXIIII.)

(a) Huc pertinent VLPIANVS *Lib.* VI. L. 36. et L. 38. *D. quib. ex cauſſ. maior.*

(b) Ideoque nec ſolidum, vt ſupra diximus, inter ſe capere poterant. Quid ſi annuum legatum ſibi reliquerunt? CAIVS *Lib.* V. L. 8. *D. de ann legat.* Quid ſi mulier cum viro abſens cum filio impubere perierit? Ita CAIVS L. 23. *D. de reb. dub.*

CAPVT XXXIII. (Gothofr. *cap.* XVIIII.)

De indulgentia ſenatus.

SI cui (*a*) ſenatus (*b*) gratiam huius legis faciet, ei nuptiae iuſtae, liberique legitimi ſunto, et omnia praemia ex H. L. capere ius eſto. (Gothofr. *ſi cui populus prohibitas H. L. nuptias contrahere permiſerit: nuptiae legitimae ſunto, neue quid ei, qui huiuſcemodi nuptias contraxerit, fraudi ignominiaeue eſto.*)

(a)

(a) Non populus. LIV. *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 19. DIO *Lib.* LVIIII. *p.* 747.

(b) Veluti ſenatori concedendo nuptias cum libertina. Quod exemplum habet VLP. *Lib.* VI. *l.* 31. *D. de rit. nupt.*

CAPVT XXXIIII. (Gothofr. *cap.* XX. XXI. XXII.)

De diuortii modo et poena.

(*a*) SOluto (*b*) citra culpam vxoris matrimonio, ſi mulier ob mores viri diuortit, vir eam dotem, quae annua bima trima die reddi debet, ob maiores mores praeſentem; propter minores ſenum menſium die reddito. Quod ad eam dotem, quae praeſens reddi ſolet (*c*), dotale praedium Italicum, et (*d*) QVIDQVID EX BONIS VXORIS vel libertorum eius AD EVM PERVENIT, VT ET, SI DOLO MALO FACTVM ERIT, QVO MINVS PERVENIRET, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM ipſe, eiuſue heredes (*e*), PECVNIAM DATO, et vir ſimul fructum quadriennii praeſtato (*f*). Sin mulieris culpa diſcidium factum: morum quidem nomine maritus grauiorum quidem ſextam, leuiorum octauam dotis partem retineto. (Gothofredus plane aliter: Cap. XX. (*g*) *Fundum dotalem Italicum maritus inuita vxore ne alienato, neue, conſentiente ea, obligato.* Cap. XXI. (*h*) *ſoluto citra culpam vxoris matrimonio, vir quidquid ex vxoris eiuſue libertorum bonis ad* EVM PERVENIT, AVT DOLO MALO EIVS FACTVM ERIT, QVO MINVS PERVENIRET *tam ipſe, quam heres eius*, QVANTA PECVNIA ERIT TANTAM PECVNIAM *vxori* DATO. Cap. XXII. *De dotis repetitione et retentionibus, vt exiſtimo.*

(a) Auguſtus *diuortiis modum impoſuit*, SVETON. *Aug. cap.* 24. id eſt, *poenas diſſidii* ſanxit. PAVLL. *Lib.* III. L. 8. D. *de capt. et poſtlim.* Eas poenas in modo reddendi dotem coſtituiſſe, patet ex VLP. *Lib.* VII. L. 64. §. 6. ſq. D. *ſolut. matr.* Hunc vero modum dotem reddendi, ſi vel vir vel vxor cauſſam diuortio dederit, deſcribit accurate VLPIAN. *Fragm. tit.* VI. §. 10. et 13. Vnde veroſimillimum haec ex ipſa lege Papia Poppaea eſſe.

(b) Vt pateret, quem penes culpa ſit, opus erat cauſſae cognitione. Eoque comparatum erat iudierum malae tractation:s, de quo ANT. SCHVLTING. *ad* VLP. *tit.* VI. §. 13.

(c) Tale non ſolum, quod Romae erat, VLP. *Lib.* VII. L. 139. *D. de verb. ſign.* et in Italia: verum etiam in coloniis iuris Italici, de quibus CAIVS *Lib.* VI. *L. vlt. D. de cenſ.*

(d) Verba haec legitima ſunt apud VLP. *Lib.* VII. L. 64. *D. ſol. matr.* Eodem pertinet fragm. CELSI. *Lib.* XXXIX. *L.* 97. *D. de verb. ſign.*

(e) Exceptus videtur patronus, a quo inuito, uti ſupra *cap.* 13. docuimus, liberta diuertere non poterat. Eoque pertinet fragmentum TER. CLEMENTIS *Lib.* VII. *L.* 48. *D. de rit. nupt.* Nec minus id ius ceſſavit, ſi mulier ad eumdem virum redibat. MARCELL. *Lib.* III. *L.* 33. *D. de rit. nupt.*

(f) Quid ſi mulier capta? An et tunc culpa penes eam? Vid. PAVLL. *Lib.* III. *L.* 8. *D. de capt. et poſtl.*

(g) Atqui hoc non ex lege Iulia et Papia, ſed ex Iulia de adulteriis eſſe, diſerte docet PAVLL. *Sent. rec. Lib.* I. *tit.* 21. et ipſe in *Notis pag.* 335. agnoſcit vir eximius, vbi fragmenta Vlpiani et Caii, quae allegauimus, ad morem ſeptem teſtes diuortiis adhibendi refert. Sed et hic ritus non lege Papia Poppaea, verum lege Iulia de adulteriis inuectus eſt, idque patet ex *L.* 9. *D. de diuort.* et *L. un. D. vnd. vir. et vxor.*

(h) Si ita conceptum fuit hoc caput, nihil in eo fuit noui, nihil, quod ad poenam diſcid:i pertineret. Hac lege ſaltim vix diſertis modum divortiis impoſuiſſe Auguſtum.

(*)

Digitized by Google

(*) CAPVT XXXV. (Gothoſred. xv.)

De cogendis parentibus, vt liberos elocent.

QVI (a) LIBEROS (b), QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBEBVNT DVCERE VXORES VEL NVBERE, (Gothoſred. (c) *vel qui dotem dare nolunt*) in matrimonium EOS (Gothoſr. addit : GENERO NVRVIVE) COLLOCARE (d), PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTOR.

(*) Caput hoc fuiſſe xxxv., teſtatur MARCIANVS *L. 19 D. de rit. nupt.* qui et ipſa verba legitima, intermixtis quibuſdam, quae ex conſtitutionibus Severi et Antonini acceſſerunt, ſeruauit.

(a) Adoptiuos aeque ac naturales. Onus enim hoc ad adoptantem deuoluitur. PAVLL. *Lib.* III. *L.* 45. *D. de adop.*

(b) Non ergo tenentur aui materni. *L.* 8. *D. de agnoſc. et alend. liber.*

(c) Haec non ex lege, ſed ex conſtitutione Severi et Antonini ſunt, *L.* 19. *D. de rit. nupt.* eamque conſtitutionem in animo habuiſſe videtur IVSTINIANVS *L. 7. C. de dot. promiſſ.*

(d) Quod conſtitutione Seueri et Antonini etiam ad praeſides ploratum. *L.* 19. D. 19. *de rit. nupt.* Simile exemplum vidimus *capite* 14. vbi vide *notas*.

CAPVT XXXVI. (Gothofr. XXIII.)

De poenis caelibatus.

(a) CAelibes niſi intra centum dies huic legi paruerint, neque (b) HEREDITATEM, neque (c) LEGATVM ex teſtamento (d), niſi proximorum genere (e) capiunto. (Gothoſred. *legatum teſtamento relictum capiunto.*)

(a) De poenis caelibatus vid. TERTVLL. *de monogam. p.* 583. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. SOZOM. *Hiſt. Eccleſ. Lib.* I. *cap.* 9.

(b) Qua adpellatione et bonorum poſſeſſio continetur. PAVLL. *Lib.* IIII. *L.* 138. *D. de verb. ſignif.*

(c) Immo nec fideicommiſſum, nec mortis cauſſa donationem. *Idem Lib.* IIII. *L.* 87. *D. de legat.* 3.

(d) VLP. *tit.* XVI. §. 1. niſi cauſſam morti teſtatoris dediſſent. VLP. *Lib.* VIII. *L.* 15. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.*

(e) Nec per ſe, nec per eum, quem quis in poteſtate habet. Id enim omne fiſcus eripiebat, niſi filio familias aliquid donatum eſſet ad militiam. VLP. *Lib.* VIII. *L.* 3. *D. de caſtr. pecul.*

CAPVT XXXVII. (Gothofr. *cap.* XXIII.)

De poenis orbitatis.

(a) SI qui coniugum maſculus (vltra xxv. annum,) femina (vltra viceſimum (b), orbi erunt, ſemiſſem (c) relictorum tantum, capiunto

to (*d*). Qui genere proximi erunt, vſque ad gradum ſextum, quod relictum eſt, iure antiquo capiunto. (Gothofr. *at quo minus qui genere proximi erunt vſque ad ſextum gradum relictum iure antiquo capere poſſint* (*), E. H. L. N. R.)

(a) Lex Papia citius liberos exegerat, quam Iulia matrimonium. Quare laxiore tempore orbis dato, huic legis capiti derogavit Severus, TERTVLL. *Apologet. cap.* 4. Videtur ergo id tempus, cuius et VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1. meminit, non ex lege Papia Poppaea, ſed ex Iulia de maritandis ordinibus eſſe, idque in uſum fortaſſis reuocatum a Seuero.

(b) Orbi qui ii liberos non ſuſceperant. Non enim proderant adoptiui, VLP. *Lib.* VIII. *L.* 51. §. 1. *D. de legat.* 2. at proderant tamen exciſi vtero, et filii ab hoſtibus reverſi. VLP. *Lib.* VIII. *L.* 141. *D. de verb. ſign.*

(c) Quid ſi in tempus liberorum aliquid relictum? VLP. *Lib.* VIII. *L.* 51. §. 1. *D. de legat.* 2. *L.* 61. *D. de cond. et dem.* L. 36. *D. de mort. caſſ. donat.*

(d) SOZOM. *Hiſt. Eccl. Lib.* 1. *cap.* 9. Conf. VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1.

(*) *ex hac lege nihil rogatur.*

CAPVT XXXVIII. (Gothofr. *cap.* VI.)

De liberta ob nuptias ab operis liberanda.

(*a*) Liberta, quae patroni voluntate (*b*) nupta erit, operarum obligatione liberator,

(a) Meminit huius capitis ALEXANDER imperator *L.* 2. *C. de obſequ. par. et patr.* et HERMOGENIANVS *L.* 48. *D. de oper. lib.* Quales operas liberti libertaeque debuerint, explicaſſe videtur TER. CLEM. *Lib.* VIII. L. 32. §. 1. 2. *D. qui et a quib. manumiſſ. liber. non fiant.*

(b) Non ergo ſi nuptiae non eſſent ſequutae. *d. L.* 48. §. 1. Hinc et reuiuiſcebat obligatio, quum liberta nupta eſſe deſierat. TER. CLEM. *Lib.* VIII. *L.* 14. *D. eod.*

CAPVT XXXVIIII. (Gothofr. *cap.* XXIIII.)

De liberto centenario minore.

IN bonis (*a*) liberti (*b*) centenario minoris patronus patronique liberi maſculi, ſi libertus (*c*) liberos non habebit (*d*); ius antiquum habento. Sin (*e*) liberos habebit (*f*), ius nullum in bonis liberti habento.

(a) Etiamſi ius aureorum annulorum impetrarit. VLP. *Lib.* VIIII. *L.* 5. *de iur. aur. annulor.*

(b) Rem centum habentis, L. 16. *D. de bon. libert.* id eſt, patrimonium centum ſeſtertium millium, pro qua ſumma IVSTINIANVS centum aureos poſuit, §. *Inſt. de ſucceſſ. libert.* Centenarius vero intelligebatur deducto aere alieno, TER. CLEM. *Lib.* VIIII. *L.* 24. *D. qui et a quib. manumiſſ.* computatoque eo, quod in actionibus erat. VLPIANVS *Lib.* VIIII. L. 143. *D. de verb. ſignif.*

(c) Non eſt autem ſine liberis, qui vel vnum habet. CAIVS *Lib.* VIII. *L.* 148. *D. de verb. ſignif.* Conf. TER. CLEM. *Lib.* VIIII. L. 38. *D. de bon. libertor.*

(d) Niſi libertum capitis accuſarit. TER. CLEM. *Lib.* VIIII. *L.* 10. *De iur. patron.*

(e) Niſi filius liberti hereditatem pater-

ternam repudiauerit. CAIVS *Lib.* VIII. L. 4. *D. de bon. poſſ.*

(t) Attamen tutores eſſe cogebantur eius liberorum: ſi excuſabantur, tunc praetor tutorem dabat: non vero ſe ipſum. VLP. *Lib.* VIIII. L. 4. *D. de tut. et curat. dat.*

CAPVT XXXX. [Gothofr. *cap.* XXV.]

De liberto centenario.

(a) IN cetenarii liberti bonis, qui vnum duoſue liberos habebit, ſiue in teſtamento facto, ſiue inteſtatus decedat, patrono patroniue liberis maſculis (b) VIRILIS PARS (c) ſeruator; ſin tres liberos habebit, patronus, patroniue liberi maſculi nihil iuris in bonis liberti habento.

[a] Quid ſi in fraudem vel patroni, vel legis libertus alienauerit? VLP. *Lib.* X. L. 16. *D. de iur. patr.*

(b) Sed ea non numquam totam hereditatem continebat. VLP. *Lib.* X. L. 145. *D. de verb. ſignif.*

[c] Niſi capitis libertum accuſaſſet. VLP. *Lib.* X. L. 11. *D. de iure patr.*

CAPVT XXXXI. (Gothofr. XXVI.)

De filia patroni.

(a) PAtroni (b) filia ſi ius trium liberorum habebit, eadem iura (c), quae et ipſe patronus patronique filii edicto praetoris habent, habento.

[a] Caput hoc ſuggerit VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 4.

[b] Quamuis in adoptiua familia eſſet, tamen et ipſa ad bona libertorum paternorum admittebatur. TER. CLEM. *Lib.* X. L. 39. *D. de bon. libert.*

(c) Vt dimidiae bonorum partis poſſeſſionem impetrarent, ſi vel teſtatus deceſſiſſet libertus, iiſque minus parte dimidia reliquiſſet, vel inteſtatus heredem ſuum, ſed adoptiuum, haberet ſuperſtitem. §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. libert.*

CAPVT XXXXII. [Gothofr. XXVII.]

De libertae bonis.

(a) IN bonis libertae etiam quatuor liberorum iure ſubnixae (b), pro numero liberorum libertae mortis eius tempore ſuperſtitum (c) VIRILIS PARS (d) patrono patronique liberis maſculis debetor.

(a) VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 3. TER. CLEM.

(b) Numerabantur liberi omnes, etiam in vtero relicti, quia et ii tempore mortis libertae fuiſſe intelligebantur. TER. CLEM. *Lib.* XI. L. 153. *D. de verb. ſignif.*

Digitized by Google

(c) Eo tamen beneficio privantur, qui libertam capitis accuſarunt, non vero accuſatoris patroni liberi. VLP. *Lib.* XI. L. 17. D. *de iur. patr.* Eodem priuantur, qui libertatis cauſſa impoſita liberto reuendiderunt, VLPIAN. *Lib.* XI. L. 37. D. *de bon. libert.* quamuis libertatis cauſſa ſocietatem cum liberta inierint. VLP. *Lib.* XI. L. 36. D. *de oper. libert.*

(d) An et patrono, cuius liberta communis alteri patrono nupſerat? Hanc ſpeciem tractaſſe videtur CAIVS *Lib.* VIII. L. 46. D. *de rit. nupt.*

CAPVT XXXXIII. (Gothofr. XXVIII.)

De patronae ſucceſſione.

(*a*) PAtrona ingenua duobus liberis honorata, libertina tribus (*b*), idem ius, quod patronus ex edicto praetoris habet, habento.

(a) Caput hoc ſuppeditat VLPIAN. *Fragm. tit. vlt.* §. 6.

(b) Videntur itaque patronae liberorum iure haud ſubnixae, partem ſibi bonorum a libertis ſtipulatae, eoque nomine fideiuſſores accepiſſe. Quo pertinere arbitramur fragmentum CAII *Lib.* VIIII. L. 150. *D. de verb. ſignif.*

CAPVT XXXXIIII. (Gothofr. XXVIII.)

De patronae liberis.

(*a*) LIberi quoque ingenuae patronae trium liberorum iure honoratae, idem ius habento.

(a) Eſt hoc caput apud VLPIAN. *Fragm. tit. vlt.* §. *vlt.*

Haec ſunt, quorum memoria ſupereſt, legis Iuliae et Papiae de maritandis ordinibus capita. Iam nihil ſupereſt, quam vt ſingula interpretemur paullo accuratius. Id quod capitibus proxime inſequentibus exſequemur.

LIBER

L I B E R II.

AD LEGEM DE MARITANDIS ORDINIBVS.

C A P V T I.

AD CAPITA LEGIS PRIMVM ET SECVNDVM.

DE SENATORVM, EORVMQVE LIBERORVM ET RELIQVORVM INGENVORVM NVPTIIS.

I. P*Rima legis capita qualia fuerint? Leges aeque, ac alia ſcripta, a primis capitibus nomen acceperunt. Lex Cornelia de ſicariis etiam de parricidiis egit.* L. 1. pr D. ad leg. Corn. de ſicar. *explicata, et ab emendatione vindicata.* II. *Senatorum primus in republica ordo. Cenſus ſenatorius. Senatorum praerogatiuae. An et eas, quae quaeſtum corpore faciebant, vxores ducere, ſenatoribus nominatim prohibitum fuerit?* L. 43. D. de ſenat. *ad reliquos ingenuos pertinet. Quas hi ducere prohibebantur, eas nec ſenatores ducere poterant.* L. 16. D. de his, quae vt indign. *explicata.* III. *Explicatio verborum:* QVI SENATOR EST IIII. *Senatorum quoque liberi inſignibus ſenatoriis vſi. Quaſi ſenatorum filii. Patricia nobilitas adoptione adquiri et amitti poterat: ſenatoria dignitas adquiri, ſed non amitti. An et poſtumus ſenatoris filius?* L. 7. §. 1. D. de Senat. *expoſita. Senatorum nepotes et pronepotes.* V. *Nuptiae putatiuae nemini fraudi erant.* VI. *Hiſtoria iuris connubii cum libertinis. Quaenam libertinae?* L. 25. D. de ſtat. hom. *et* L. 207. D. de reg. iur. *explicatae.* VII. *Ars. ludicra. Qualem artem ludicram infamia notarint Romani? Cur ludiones Romanis tam viles?* VIII. *Nuptiae ſenatorum filiabus et neptibus prohibitae. Dignitas clariſſimatus et ſeminis competebat: Ornamenta coniugii ſenatorii, conſularis vel principalis a principe impetrata.* VIIII. *Perſonae a quarum nuptiis ſenatoris filiabus, neptibus, proneptibus erat abſtinendum.* X. *Caput II. de reliquorum ingenuorum nuptiis. Manumiſſiones matrimonii cauſſa non ſunt ex lege Aelia Sentia, ſed ex SCto. Libertus ducere non poterat patronam, niſi tenuioris conditionis. Exemplum huius modi nuptiarum ex* FABRETTO. SCALIGERI *coniectura expenſa.* XI. *Quaeſtum corpore facientes ingenuo nubere non poterant. Meretricum profeſſio, toga ab iis ſumta, nomina mutata* XII. *Nec ingenuus iure ducebat lenam,*

vel a lenone manumiſſam. XIII. *Nec damnatam iudicio publico*, *vel in adulterio deprehenſam*. XIIII. *Nec eam*, *quae artem ludicram fecerat*.

I. PRimis legis Papiae Poppaeae capitibus de ſenatorum atque ingenuorum reliquorum nuptiis actum fuiſſe, partim inde colligimus, quod VLPIANVS, PAVLLVS, et MARCELLVS primo ſtatim libro de iis diſputarunt: partim quod lex IVLIA, Papiae Poppaeae mater, cognomen adepta eſt *de maritandis ordinibus*. Titulos autem libris ac ſcriptionibus ſuis a primis tractationis capitibus arceſſere, ſollemne erat veteribus tantum non omnibus. Sic libris Moſis a primo cuiuſque capite nomina Γενέσεως, Ἐξόδου, Λευιτικοῦ, Ἀριθμῶν καὶ Δευτερονομίου indita eſſe, nemo ignorat: nec pauci ſunt, qui Matthaeum Euangeliſtam euangelium inſcripſiſſe putant *βίβλον γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*. (*a*) quamuis ego cum his non faciam, exiſtimemque potius *βίβλον γενέσεως* ſignificare *genealogiam* (*b*), adeoque hanc eſſe inſcriptionem primae partis capitis primi, non totius operis euangelici. Idem a Graecis aeque ac Romanis factitatum. Terentius ſane comoediam, Graecorum more, inſcripſit HEAVTONTIMORVMENON a ſcena prima, in qua ſe ipſum reprehendere et laboribus duriſſimis ruri excruciare fingitur Menedemus, quamuis poſtea nihil ſimile amplius in tota illa comoedia occurrat. Ne autem ad alia delabamur, in ipſis legibus cognominandis id frequenter videmus obſeruatum. Lex Iulia, quae praeter adulterium reliqua etiam probra neſandaſque commixtiones perſequebatur, a primis tamen capitibus dicitur *lex Iulia de adulteriis*. Lex Cincia non ſolum ad munera et dona, quibus clientes patronos locupletabant, ſed et ad alias donationes pertinuit: et tamen illam *muneralem* a primo capite adpellat apud FESTVM (*c*) PLAVTVS qui et alibi legem Laetoriam, procul dubio a primo capite, vocat *quinamvicennariam*, quum tamen non ſolum maiorennitatis anni, *anni legis Laetoriae* dicti CONSTANTINO (*d*), ea lege finirentur: verum etiam alia, quae ad contractus, et curationem minorum pertinent, accurate cauta ſancitaque fuerint. Praecipue id liquet ex lege Cornelia de ſicariis, quae non ſolum ſicarios et veneficos, verum etiam parricidas, teſte MARCIANO (*e*) vltore ferro perſequuta eſt, quemadmodum Iul. Caeſar lata lege *de parricidiis*, cuius SVETONIVS (*f*) meminit, etiam veneficia coercuit, vti ex eodem SVETONIO (*g*) collegit, et erudite demonſtrauit ZACH. HVBERVS (*h*). Et tamen vtraque lex a prioribus capitibus, illa *legis Corneliae de ſicariis et veneficiis*: haec *legis Iuliae de parricidiis* nomen accepit. Quibus obſeruatis, quod obiter moneo, facile carebimus doctorum virorum emendatione, in *L. 1. pr. D. ad leg. Pompei. de parric.* pro *lege Cornelia de ſicariis*, reſcribentium *leg. Cornelia de parricidis*. Quae quum ita ſint: veroſimillimum profecto videtur, prima legis Papiae Poppaeae capita de ordinum nuptiis egiſſe, atque inde totam illam legem cognomen tuliſſe *de maritandis ordinibus*.

II.

(a) *Matth. I. 1.*
(b) *Gen. V. 1.*
(c) *Voce:* muneralis.
(d) *L. 2. C. Th. de donat.* et ibi IAC. GOTHOFR. *pag. 615. Tomo II.*
(e) *L. 1. pr. D. ad leg. Pomp. de parric.*
(f) *Iul. cap. 42.*
(g) *Ner. cap. 33.*
(h) *Diſſ. philol. iurid. Lib. II. diſſ. 1. cap. 1.*

II. Primus in ciuitate ordo erat ſenatorius, reliquis honoratior, quippe ad publicum conſilium admiſſus, magnamque ab ipſa vrbis origine adeptus auctoritatem, quam et ſub prioribus imperatoribus aliquamdiu tenuit. Initio natales, deinde prudentia et ſpectata rebus in omnibus virtus, poſtremo et cenſus ſenatores fecit, quod maxime deplorant PLINIVS (a) et M. SENECA (b). Cenſus vero iſte Senatorius principio erat octingentorum millium; poſtea Auguſtus, teſte SVETONIO (c) *cenſum ſenatorium ampliauit, et pro octingentorum millium ſumma duodecies HS. taxauit; ſuppleuitque non habentibus*. Quin inſequente ſaeculo, ſub Traiano haud paullo ampliorem fuiſſe oportet cenſum ſenatorium, ſi recte cum IO. FR. GRONOVIO (d) apud PLINIVM (e) legimus, *quaterdecies* HS. a matre Voconii filio collatum fuiſſe, vt in ampliſſimum ordinem, beneficio principis promoueretur. Haec iam ab aliis expoſita, vel ideo hic tangere viſum eſt, vt adpareat, cur primo ſtatim commentariorum libro VLPIANVS (f) agat de aeſtimatione bonorum, deducendaque quarta Falcidia. Quum enim ab eo, qui latum clauum ambibat, exigeretur cenſus duodecies vel quaterdecies HS; omnino incidere poterat quaeſtio, quid in bona computari, quidque ex iis deduci oporteat, antequam adpareret, an filio ſenatoris ſuperſit cenſus ſenatorius, vel *an res eius*, vt IVVENALIS *Sat.* III. *v.* 155. loquitur, *ſufficere legi* videatur? Hinc ſi qui rei ſtipulandi erant, veluti ſenatoris filius et alius; diuidebatur inter eos obligatio, ſi ſocii eſſent: alias in pendenti erat, in vtrius bonis computari oporteret, id quod deberetur, quia alterutri debebatur ſolidum. Idem obtinebat, ſi ſenatoris filius et alius erant correi promittendi. Tunc enim ſi inter eos ſocietas eſſet, ita diuidebatur ſtipulatio, ac ſi ſinguli partem promiſiſſent: alias in pendenti erat, cuius ex bonis id detrahi oporteret. Ita et corpora, ſi qua eſſent in bonis defuncti, ſecundum rei veritatem et praeſens pretium erant aeſtimanda. Quae omnia Tribonianus interpolata ad quartam Falcidiam retulit, vti alia permulta, quae ad aeſtimationem bonorum pertinebant. Ita commode ea lex referri poteſt ad caput legis primum, nec opus eſt, vt cum IAC. GOTHOFREDO mutata inſcriptione, in locum *libri primi ad legem Iuliam et Papiam*, ſubſtituamus *tertium*.

Ceterum non ſolum libera re publica, ſed et ſub bonis principibus magnae erant huius ordinis praerogatiuae. Sententiam ſenatores dicebant de ſumma rei publicae: penes illos ſolos erat ius comitiorum, eorumque decreta ſatis diu pro legibus erant: quin et hoſtes rei publicae renunciabant, bella decernebant (g); iudicia maioris momenti, veluti maieſtatis, vis publicae et priuatae, veneficii, exercebant (h): quin et honores, ornamenta triumphalia, prouincias decernebant, legibus ſoluebant, omniaque agebant, quae olim poterat populus: niſi quod plerumque vel principum dominandi libido eorum infringeret potentiam, vel adulatio, vetus in re publica malum, has partes rei publicae principis arbitrio ſubiiceret. Hinc et maximus

(a) *Hiſt. nat. Lib.* XIIII. *cap.* 1.
(b) *Declam.* XI.
(c) *Auguſt. cap.* 41.
(d) *De pecun. vet. Lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 69.
(e) *Lib.* VIIII. *epiſt.* 3.
(f) VLP. *Lib.* I. L. 61. D. *ad leg. Falcid.*
(g) GOTHOFR. *ad L. Quiſquis cap.* 11. *pag.* 55.
(h) TACIT. *Annal. Lib.* IIII. *cap.* 16.

Digitized by Google

mus honor ſenatorii ordinis viris haberi ſolebat. Adſurgebatur iis a viris maximis, adeo, vt et Caeſari, iam perpetuum dictatori, vitio verteretur, quod adeuntes ſe cum plurimis decretis vniuerſos patres, SEDENS *pro aede Veneris Genetricis excepiſſet* (*a*): laudaretur contra Hadrianus, qui ad conuiuium venientes ſtans excipiebat (*b*). Porro iidem lato clauo incincti: et titulo VIRORVM CLARISSIMORVM honorati diſcernebantur ab ordinibus reliquis. Gaudebant priuilegio fori (*c*), et nec diris quaeſtionibus, nec iiſdem, quibus alii e plebe, ſuppliciis ſubiiciebantur (*d*). Vnde et Antoninus Pius ſenatorem parricidam non auſus eſt occidere (*e*), et extremis *reipublicae* temporibus nihil maiorem inuidiam conflaſſe animaduertimus Imperatoribus, quam ſi ſenatorii ordinis virum etiam criminis reum, occidiſſent. Nihil iam dicam de immunitate a muneribus ſordidis, et maxime a neceſſitate temonaria, id eſt, auro tironico, qua eorum patrimonia gaudebant (*f*), nihil de aliis iſtius ordinis priuilegiis atque ornamentis quam plurimis. Id modo addam, quod maxime ad illuſtrandam ſenatoriam dignitatem facit, eam ipſos Imperatores abs ſe haud exiſtimaſſe alienam. Hinc IVLIANVS imp. reſcribit (*g*): *ius ſenatorum et auctoritatem eius ordinis*, IN QVO NOS QVOQVE IPSOS NVMERAMVS, *neceſſe eſt ab omni iniuria defendere*. Similiter ARCADIVS et HONORIVS (*h*), ſenatores PARTEM CORPORIS SVI vocant, tanquam cuius ipſi capita habeantur. Quo ſenſu et CORIPPVS (*i*) Iuſtinum imperatorem ita loquentem inducit:

> *- - - Vos, o mihi proxima membra,*
> *Conſcripti patres, noſtri ſpes maxima regni:*
> *Vos eſtis* PECTVS, *vos* BRACHIA VERTICIS HVIVS.

Quae quum ita ſint, indignas merito ordine tam ſplendido Auguſtus iudicabat nuptias cum libertinis aliiſque vilioris conditionis mulieribus. Atque hinc ita ſanxerat capite huius legis primo:

QVI SENATOR EST, QVIVE FILIVS NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT, NEQVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT EAM, QVAE IPSA CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT.

NEVE SENATORIS FILIA NEPTISVE EX FILIO PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATA LIBERTINO EIVE, QVI IPSE CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT, SPONSA NVPTAVE, SCIENS D. M. ESTO. NEVE QVIS EORVM D. M. SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO.

Haec

(a) SVETON. *Iul. cap.* 22.
(b) SPART. *Hadr. cap.* 22.
(c) L. 1. L. 2. *vbi ſenat. vel clar.*
(d) L. 11. C. *de quaeſt.* L. 16. C. *de dignitat.*
(e) *Iul.* CAPITOL. *Vit. Anton. cap.* 8.
(f) L. 4. L. 5. L. 14. C. *de dignit.*
(g) L. 8. C. *de dignitat.*
(h) L. 5. *pr.* C. *ad leg. Iul. maieſt.*
(i) *Lib. II.*

Haec enim verba huius capitis legitima nobis ſeruauit PAVLLVS (*a*). Equidem vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, vtrimque interſerit verba : ITEM EAM, QVAE PALAM CORPORE QVAESTVM FACIT, FECERIT, quae ex VLPIANI (*b*) fragmento mutuauerat. Verum nos illa eiicienda putauimus, partim quod PAVLLVS, qui legitima huius capitis verba extulit, ea omiſit: partim quod ille VLPIANI textus non ad ſenatorum, ſed reliquorum ingenuorum nuptias pertinet, vtpote in quo et cum lena, iudicio publico damnata, deprehenſaque in adulterio connubium prohibetur. Feſelliſſe virum celeberrimum videtur alius VLPIANI (*c*) locus, vbi iſte ſenatores etiam cum mulieribus quaeſtum corpore facientibus nuptias contrahere poſſe negat. Sed inde non ſequitur, vt ea verba in capite primo expreſſa fuerint. Potius, quae cauſa fuerant de ingenuis: ea vel ſenatus, vel ICti etiam ad ſenatores proferebant, abſurdum eſſe rati, ſenatorium ſanguinem his commixtionibus, quibus ipſi plebi eſſet interdictum, impune contaminari. Hinc MARCELLVS (*d*): *obſeruandum eſt*, inquit, *vt inferioris gradus homines ducant vxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis ſunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur : ac contra antecedentis gradus homines non poſſunt eas ducere, quas his, qui inferioris dignitatis ſunt, ducere non licet*; vbi res ipſa docet, pro *ac contra*, cum vetuſtis editionibus legendum eſſe *at contra*, vt reſpondeat particulae conceſſiuae *vt*, quae in priore colo occurrit : forſan etiam pro *poſſunt*, *poſſe*, vt rotundior ſit oratio. Sed id non vrgeo. Simili ſenſu PAVLLVS (*e*): *eas, quas ingenui ceteri prohibentur ducere vxores*, SENATORES *non ducunt*.

Omnia itaque, quae ingenuis ademta fuerant, connubia multo magis etiam ſenatoribus indigna videbantur. Sic quum reliquis ingenuis interdictum eſſet nuptiis earum, quae iudicio publico fuerant damnatae, SCto id etiam ad ſenatores prolatum eſt (*f*). Vnde facile patet, cur nec eas, quae quaeſtum corpore feciſſent, domum ducere poſſent ſenatores, quamuis earum lex propalam non meminiſſet. Elegans eam in rem ſpecies eſt apud PAPINIANVM (*g*), cuius haec verba ſunt: *quoniam ſtuprum in ea contrahi non placuit, quae ſe non patroni concubinam eſſe patitur, eius, qui concubinam habuit, quod teſtamento relictum eſt, actio non denegabitur, idque in teſtamento Coccei Caſſiani, clariſſimi viri, qui Rufinam, ingenuam pleno honore dilexerat, optimi maximique principes noſtri iudicauerunt, cuius filiam, quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti coheredem datam adpellauerat, vulgo quaeſitam adparuit*. Multi hic haerent, nec ſe expedire poſſunt. ANT. FABER (*h*) verba vltima tranſponit, legitque: *quam alumnam teſtamento Caſſianus nepti coheredem datam adpellauerat, cuius filiam vulgo quaeſitam adparuit*. Sed haec coniectura paullo audacior non multum extricat. Similiter vir ſummus, IAC. CVIACIVS (*i*), hanc legem et paullo audentius emendaſſe, et ipſam ſpeciem non ſatis peruidiſſe videtur. Nam primo verba vltima ita mutat: *vulgo quaeſtum feciſſe adparuit*. Deinde Coc-

(a) *Lib. I. L. 44. pr. D. de rit. nupt.*
(b) *Lib. I. L. 43. D. eod.*
(c) *Fragm. tit. 13. §. 2.*
(d) *Lib. I. L. 49. D. de rit. nupt.*
(e) *Lib. I. L. 44. §. 8. D. eod.*
(f) VLP. *Lib. I. L. 43. §. 10. D. eod.*
(g) *L. 16. D. de his, quae vt indign.*
(h) *Coniect. Lib. III. cap. 14.*
(i) *Obſ. Lib. V. cap. 6.*

Cocceium Caſſianum fingit primum Rufinam habuiſſe, in matrimonio, ad deinde, ea mortua, eius filiam, priuignam ſuam, concubinam adſciuiſſe. Quum vero liberta patrono, non vero ingenua extraneo, concubina eſſe potuerit, niſi vel obſcuro loco nata, vel quaeſtu meretricio infamis eſſet: dubitatum ait CVIACIVS, an concubinam Cocceius habere potuerit ingenuam, Rufinae, vxoris ſuae, filiam, et an haec coheres eſſe potuerit nepti ex Caſſiani teſtamento? Principes tamen iudicaſſe, eam admittendam ad hereditatem, quia adparuerit, eam quaeſtum feciſſe corpore, ac proinde, licet ingenua eſſet, tamen in concubinatu eſſe potuiſſe. Haec laudatiſſimus IAC. CVIACIVS, cuius nec emendationi, nec interpretationi videtur ſuffragandum. Quis enim credat, licuiſſe Caſſiano priuignam concubinam habere? Omnino id licuiſſe adſeuerat CVIACIVS, quia, quae vxores eſſe non potuerint, concubinae tamen eſſe quiuerint. Verum ea regula fruſtra adplicatur coniunctionibus nefariis, quas Romanos iuris et pudoris naturalis ſtudioſiſſimos, et in concubinatu damnaſſet, teſtes ſunt VLPIANVS (*a*), PAVLLVS (*b*), et SCAEVOLA (*c*). Deinde nec emendationi CVIACII fauent editiones, in quibus omnibus, quas conſului, verba poſtrema ita ſiſtuntur: *vulgo quaeſitum adparuit*, vel *vulgo quaeſitam adparuit*, qua poſteriore lectione nihil profecto eſt ſincerius. Sic enim tota res clara eſt, legique egregie quadrat ſpecies non quidem illa ab ACCVRSIO, ſed altera ab EM. MERILLIO (*d*) conſtituta. Cocceius Caſſianus erat *vir clariſſimus*, id eſt, ſenatorio ordini adſcriptus. Duxerat is *Rufinam ingenuam*, eamque *pleno honore dilexerat*, adeoque vxoris loco habuerat. Moriens Caſſianus, Rufinae filiam, vulgo quaeſitam, quam ipſe alumnam adpellabat, teſtamento nepti coheredem dederat. At ei controuerſiam mouebat fiſcus, tamquam indignae, et cui non magis a Caſſiano aliquid relinqui potuerit, quam ipſi Rufinae. Hanc enim, quod quaeſtum corpore fecerit, non poſſe ſenatoris vxorem eſſe: filiam vero in fraudem legis videri inſtitutam, vt quod mater non poſſet, filia, tacito fortaſſis fideicommiſſo obſtricta, caperet. Sed admittebatur tamen filia a principibus, quia non erat ex Caſſiano et Rufina nata, (vnde et ille *alumnam* eam, non filiam in teſtamento adpellauerat,) ſed *vulgo quaeſita*, antequam mater cum Caſſiano habuiſſet conſuetudinem. Non itaque Rufina erat Caſſiani vxor, quamuis pleno ab eo honore dilecta, quia inter ſenatorem et mulierem vulgarem non erat connubium. Nec tamen Caſſianus in eam ſtuprum commiſerat, quia in ingenuam, quae corpus vulgauerat, ſtuprum haud committebatur (*e*). Erat itaque concubina Caſſiano, ſiquidem et ingenua, in quam ſtuprum non committebatur, concubina haberi poterat (*f*). Concubinae autem quum per leges et fideicommiſſa (*g*), et donationem capere poſſent (*h*), nihil videbatur cauſſae, cur tamquam indigna repellenda eſſet ingenuae concubinae filia, ante eum concubinatum vulgo quaeſita. Hinc principes actionem illi denegandam haud cenſebant, eorum ratio decidendi in hoc vno ſita erat, quod

(a) L. 1. §. 1. *D. de concubin.*
(b) L. 14. §. 2. *D. de rit. nupt.*
(c) L. 54. *D. eod.*
(d) *Obſ. Lib. III. cap.* 17.
(e) L. 1. *D. de concub.*
(f) L. 3. §. 1. *D. de donat. inter vir. vxor.*
(g) L. 29. *pr. D. de legat.* 2.
(h) L. 31. *pr. D. de donat.*

quod *Rufina vulgo quaeſiſſet filiam*, ac proinde tamquam quaeſtuaria mulier, ſaluo iure, in concubinatu Caſſiani eſſe potuiſſet. (Quibus fere gemina ſunt, quae ad illam differunt viri docti, DETLEV. LANGEBEK. *Annotat. cap.* 31. et PETR. PERRENON. *Animaduerſion. Lib. II. cap.* 25. *Tom. I. Theſaur. iur. Rom.* quamuis hic, dum in eadem lege verba quaedam ita mutat: *qui Rufinam ingenuam non honore pleno dilexerat*, textum praeter neceſſitatem ſollicitare videatur. Non enim ideo Rufina vxor erat, quia eam pleno honore dilexerat Caſſianus: ſed ideo erat concubina, quia quaeſtum corpore fecerat, quamuis pleno honore eam Caſſianus dilexiſſet. Nec enim per legem noſtram ſenatoris vxor eſſe poterat mulier quaeſtuaria, quantumuis pleno honore dilecta: poterat tamen concubina eſſe, quia in quaeſtuariam ingenuam ſtuprum non committebatur.) Sed haec hactenus de lege paullo obſcuriore. Iam ad ipſa capitis verba interpretanda progredimur.

III. Ait lex: QVI SENATOR EST. Tales vero erant, qui olim a cenſoribus, ac deinde a principibus (*a*), immo aliquando ab ipſo ſenatu (*b*) legebantur, quibuſque ea dignitas adhuc ſalua erat atque illibata. Vnde lex non pertinet ad eos, qui propter vitae turpitudinem ſenatu moti, nec vmquam reſtituti fuerant. His enim vix integra erat exiſtimatio, etiamſi Romae manendi ius eſſet (*c*). *Quid enim*, inquit PLINIVS (*d*), *miſerius, quam exutum et exemtum honoribus ſenatoriis, labore et moleſtia non carere? Quid grauius, quam tanta* IGNOMINIA *adſtrictum, non in ſolitudine, ſed in hac altiſſima ſpecula conſpiciendum ſe monſtrandumque praebere?* Quemadmodum ergo hi dignitate omni ſpoliati, nec iudicare, nec teſtimonium dicere poterant per legem Iuliam repetundarum (*e*): ita tantum abeſt, vt a perſonarum viliorum nuptiis illis eſſet abſtinendum, vt potius, ſi quis ante ſenatoriam dignitatem huius modi vxorem duxiſſet, eaque ob ſuperuenientem mariti dignitatem vxor eſſe deſiiſſet, illa poſtea iterum vxor eſſe inciperet, ſimulac maritus amiſiſſet ſenatoriam dignitatem (*f*). Ex eadem ratione huius modi nuptiae illi tantum fraudi erant, qui iam in ſenatum adlectus, in libertinae vel ſcenicae mulieris amplexus ruebat. Quare ſi quis, antequam eam dignitatem eſſet conſequutus, ancillam matrimonii cauſſa manumiſiſſet, repudio erat locus, quin ipſo iure irrita erant ſponſalia, quae exitum habere non poterant. De qua ſpecie THEOPHILVS (*g*), vnum e veteribus procul dubio ſequutus: *is autem*, inquit, *qui matrimonii cauſſa manumittit, intra ſex menſes vxorem eam debet ducere, niſi iuſta cauſſa impedierit: veluti, quia manumiſſor* SENATOR *factus eſt. Nam ſenator libertinam vxorem ducere non poteſt.* Sed quid, ſi quis ducta iam libertina in ſenatum cooptaretur? Ne tunc quidem ſubſiſtebat matrimonium, quia in eum caſum res ceciderat, vnde incipere non poſſet, adeoque lex PAPIA, vt ait IVSTINIANVS (*h*), *inter ſenatores et libertas ſtare connubia non patiebatur*. At legi illi derogans idem laudatiſſimus imperator *firmum ma-*

[a] PLIN. *Lib. X. epiſt.* 3.
[b] L. 4. C. *Th. de infirm. his, quae ſub tyr.*
[c] L. 4. *D. de ſenat.*
[d] *Lib. II. epiſt.* 12.
[e] L. 2. D. *eod.*
[f] L. 27. *D. de rit. nupt.*
(g) §. 5. *Inſt. qui et ex quib. cauſſ. manum. non poſſ.*
(h) L. 28. *C. de nupt.*

manere huius modi matrimonium, vxoremque marito concreſcere, et eius fulgorem ſentire iuſſit.

IIII. Nec ſenatores tantum, verum etiam eorum poſteros lex PAPIA POPPAEA tenuit. Sequuntur enim verba: QVIVE FILIVS SENATORIS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT. Quamuis enim ſenatorum poſteri non eſſent in ordine ſenatorum: ſpes tamen erat, eos participes fore paternae dignitatis, atque hinc nefas arbitrabatur Auguſtus, ſenatoriam gentem indecoris huius modi nuptiis contaminari. Auctor ſane eſt SVETONIVS (*a*), Auguſtum *liberis ſenatorum, quo celerius rei publicae adſueſcerent, protinus virilem togam*, LATVM CLAVVM *inducere, et curiae intereſſe permiſiſſe*. Ab eo tempore et *filii ſenatorum* ante, quam in hunc ordinem promouerentur, inſignibus ſenatoriis vtebantur, quum antea, teſte ISIDORO (*b*), et rem latius explicante HENR. NORISIO (*c*) tantum equites eſſent, vſque ad legitimos quibus honores paterent, annos. Ex quo ſimul intelligas, quodnam diſcrimen ſit inter ſenatores IVVENES et HONORIBVS PERFVNCTOS, de quibus quaedam Is. CASAVBONVS ad laudatum Suetonii locum. Participes autem huius decoris erant non ſolum naturales ſenatorum filii, verum etiam adoptiui (*d*), ſed hi, quamdiu in familia manebant: emancipati enim nomen filiorum ſenatoris emancipatione amittebant (*e*). Neque intererat, iudice VLPIANO (*f*), in adoptiuo *a quo*, (id eſt, vti eam phraſin recte interpretatur IAC. PERIZONIVS (*g*), ex qua familia, quantumuis humili,) *vel qualiter adoptatus quis eſſet*, neque in naturali, *vtrum, eum pater, iam in ſenatoria dignitate conſtitutus, ſuſceperit, an ante dignitatem ſenatoriam*. Quamuis enim haud raro olim controuerſia inter filios regum ante hanc fortunam et poſtea demum ſuſceptos inciderat, aetatiſne priuilegium; an naſcendi felicitas in ſucceſſore ſpectari debeat: qualem litem apud Perſas inter Xerxem et Arthemenem, Darii filios (*h*), nec non Artaxerxem Mnemonem et Cyrum (*i*) in ipſa denique Germania inter Ottonem M. et Henricum (*l*) agitatam eſſe, iam a GROTIO (*m*) obſeruatum eſt: aequius tamen eſt, et ante dignitatem natos ad paternam ſortem adſpirare. Quod principium ſequuti ICti noſtri etiam ante ſenatoriam dignitatem ſuſceptos ſenatorum filios eſſe iudicant. Refragari quidem videtur VALENTIS et GRATIANI conſtitutio (*n*), quae mire torſit interpretes acutiſſimos: ſed rem iam expediuit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (*o*), docuitque, legem VLPIANI de honore cum ſenatorum liberis communicando; conſtitutionem autem Valentis et Gratiani de oneribus, quae ſenatorio ordini incumbebant, agere. Quum enim ſumtuoſus haberetur ordo ſenatorius (*p*), et glebae collatione vel folle, itemque auri oblatitii obligatione premeretur: noluerunt principes hiſce oneribus teneri filios ſenatorum ante dignitatem ſuſceptos, eoque per-

(a) *Aug. cap.* 38.
(b) *Orig. Lib. VIII. cap.* 4.
(c) *Cenotaph. Piſan. diſſ.* II. *cap.* 3. *pag.* 106.
(d) VLP. *Lib.* I. *L.* 5. *D. de ſenator.*
(e) *L.* 6. *D. de ſenator.*
(f) *Lib.* I. *L.* 5. *D. eod.*
(g) *Diſſ. de lege Vocon. pag.* 87.
(h) IVSTIN. *Lib. II. cap.* 10.
(i) PLVTARCH. *in Artax. cap.* 2.
(l) *Vita Mathild. cap.* 2.
(m) *De iure bell. et pac. Lib. II. cap.* 7. §. 28.
(n) *L. II. C. de dign.*
(p) *Ad Cod. Th. Tom. II. pag.* 9.
(o) *L.* 58. *C. Th. de decurion.*

Digitized by Google

pertinet vexatiſſima iſta *lex* 11. C. *de dignitatibus*. At honores clariſſimatus iis non magis inuiderunt, quam Vlpianus, cuius ſententiam poſterior pars conſtitutionis diſerte confirmat. Vnde nec FR. DVARENVS (a), nec alii, qui hanc legem interiecta parentheſi interpretati ſunt, rem acu tetigiſſe videntur. Quamuis vero adoptiui ſenatorum filii per emancipationem, vti diximus, ea patris dignitate exciderent: ſecus tamen ſe res habebat, quod ad naturales attinet, qui ſiue emancipati, ſiue aliis in adoptionem dati, id decus retinebant, et ſaltim QVASI SENATORVM FILII cenſebantur. De emancipatis VLPIANVS (b): *emancipatum a patre ſenatore*, QVASI SENATORIS FILIVM, *haberi placet*. Similiter de filio in adoptionem alteri dato PAVLLVS (c): *a ſenatore in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis eſt*, QVASI SENATORIS FILIVS *videtur, quia non amittitur ſenatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis, non magis, quam vt conſularis deſinat eſſe*. Huius autem diſcriminis inter filios ſenatoris naturales et adoptiuos emancipatos conſultiſſimam hanc habebant rationem, quod ciuile vinculum contrario actu ciuili et legitimo facilius, quam naturale illud ius natalium, diſſoluitur. Vere tamen et *κυρίως* ſenatoris filium dici haud potuiſſe naturalem emancipatum, ſubinnuit VLPIANVS, dum addit ſollemne illud iureconſultis QVASI, Stoicis etiam frequentiſſimum, qui, vbi rei cuidam definitionem nominis vere haud competere intelligebant, illud ΩΣΑΝΕΙ vel QVASI ſolebant adiicere. Quemadmodum ergo Stoici bruta animantia *ὡσανεὶ θυμοῦσθαι*, *ὡσανεὶ φοβεῖσθαι*, *ὡσανεὶ βλέπειν*, *ὡσανεὶ ἀκούειν*, *ὡσανεὶ φωνεῖν*, quin et *ὡσανεὶ ζῆν*, QVASI *iraſci*, QVASI *metuere*, QVASI *videre*, QVASI *audire*, QVASI *vocem edere*, et QVASI *viuere* dicebant, vti eſt apud PLVTARCHVM (d), ita apud iureconſultos, Stoae fere addictos, frequentiſſima ſunt *obligationes* QVASI *ex contractu*, vel QVASI *ex delicto*, QVASI *poſſeſſio* (e) QVASI *publicae accuſationes* (f), *interdicta* VELVTI *poſſeſſoria* (g), *res* QVASI *conſecratae* (h) QVASI SENATORIS FILIVS, FILIA, NEPOS aliaque huius generis quam plurima.

Ceterum quamuis ex loco PAVLLI non multo ante allegato ſatis adpareat, ſenatorio decori, quod tribuebant natales, non offeciſſe adoptionem: inde tamen colligere non debuerunt IO. CORASIVS (i) et BARN. BRISSONIVS (l), nec nobilitatem patriciam adoptione fuiſſe peremtam. Alia enim erat ordinis ac dignitatis praerogatiua, etiam in adoptionem datis ſalua, aliud ius gentis atque originis, quod vti exſpirabat, vbi patricius a plebeio adoptabatur, ita et in plebeios tranſibat, adoptatos a patriciis. Luculenter id exemplis Cn. Cornelii Coſſi et P. Clodii demonſtrauit laudatiſſimus PERIZONIVS (m). Nam vt ille per adoptionem ad patres tranſiit, ſummumque Romae magiſtratum eo tempore, quo ad illum plebeii ſibi viam nondum emuniuiſſent, obtinuit: ita hic e gente patricia prognatus, et a plebeio adrogatus, tribunus plebis euaſit, quem magiſtratum per legem ſa-

 cra-

[a] *Diſp. anniuerſ. Lib. II. cap. 29.*
[b] *Lib. I. L. 7. pr. D. de ſenat.*
[c] *L. 6. §. 2. D. de ſenat.*
[d] *De ſollert. animal.*
(e) *L. 10. pr. D. ſi ſeru. vindic.*
(f) *L. 1. §. 6. D. de ſuſp. tut.*
(g) *L. 20. D. de ſeruit.*
(h) CIC. *ad Attic. Lib.* XII. *epiſt.* 30. *et* 35.
(i) *Ad L.* 35. *D. de ſenat.*
(l) *De iure concub. p.* 245.
(m) *Diſſ. de conſtitut. diuin. pag.* 84.

cratam nemini patrum capere licebat (*a*). Idem euincunt exempla Liuiae et Dolabellae, quorum illa per adoptionem duplicis nobilitatis facta eſt particeps: hic per eamdem, teſte DIONE (*b*), ad plebem tranſiit. De Liuia eleganter TACITVS (*c*): *Iulia Auguſta mortem obiit, aetate extrema,* NOBILITATIS *per Claudiam familiam, et* ADOPTIONE *in* LIVIORVM IVLIORVMQVE *clariſſimae*. Erat Liuia ex gente Claudia, et quidem patricia, nec tamen ipſa amplius patricia, ſed plebeia, quia pater Claudius per adoptionem in gentem Liuiam plebeiam tranſierat, VELLEIO ideo dictus *Liuius Druſus Claudianus*. Quum vero haec Liuiorum familia, quamuis plebeia, tamen et ipſa, vti SVETONIVS (*d*), ſcribit, *admodum floreret, octo quippe conſulatibus, cenſuris duabus, triumphis tribus, dictatura etiam et magiſterio et equitum honorata:* hac adoptione patris ei nobilitatem acceſſiſſe ait TACITVS, nobilitatem puta imaginum, ob quas *κυρίως* Romani dicebantur nobiles. Denique et altera adoptione, qua eam genti Iuliae inſeuit Auguſtus, eius nobilitati veluti apicem acceſſiſſe innuit TACITVS, dum iam non ſolum veteres Iuliorum imagines, et fumoſas per atria ceras oſtentare poſſet, verum etiam patriciam nobilitatem veluti poſtliminio recuperaret. Similiter et OVIDIVS (*e*), ad Auguſtum:

Hic ad te magna deſcendit origine menſis,
Et fit ADOPTIVA NOBILITATE *tuus*.

Per adoptionem enim Auguſtus inſertus erat familiae Iuliae et patriciae et nobiliſſimae. Haec occaſione *legis 6. §. 1. de ſenatoribus*, quorum ſumma eo redit, quod quidem ſanguinis aeque, ac imaginum nobilitas per adoptionem et adquiſita ſit, et exſpirabit; non autem dignitas ſenatoria, ſiquidem ſenatoris filius inferioris dignitatis viro in adoptionem datus, non quidem vere, ſed QVASI ſenatoris filius manere intelligebatur.

An et poſtumus ſit ſenatoris filius? quaeſtio pene Domitiana erat. Adfirmabant omnes, ſi diſceſſeris a LABEONE (*f*), qui et hunc QVASI *ſenatoris filium* adpellare malebat, quippe natum, quum pater, mortalitate interceptus, iam ſenator eſſe deſiiſſet. Neque, vti iam dixi, dubitabatur, quin natus ante ſenatoriam dignitatem, ſenatoris filius ſit, et ſuperueniens patri dignitas etiam in liberos iam ante procreatos transfundatur (*g*). Magis vero videbatur ambiguum, an et illi ea dignitas ſalua ſit, qui ex patre ſenatore conceptus, eodem iam ſenatu moto, in lucem prodiiſſet? Reſpondet VLPIANVS (*h*): *ſed eum, qui poſtea, quam pater eius de ſenatu motus eſt, concipitur et naſcitur, Proculus et Pegaſus opinantur,* NON ESSE QVASI *ſenatoris filium; quorum ſententia vera eſt. Nec enim* PROPRIE *ſenatoris filius dicetur is, cuius pater ſenatu motus eſt, antequam iſte naſceretur. Si quis conceptus quidem ſit, antequam pater eius ſenatu moueatur, natus autem poſt patris amiſſam dignitatem, magis eſt, vt* QVASI *ſenatoris filius intelligatur. Tempus enim conceptionis ſpectandum, pleriſque placuit.* Paullo frigidior, et fere indigna VLPIANI iudicio videri poſſet ratio, qua Pro-

[a] LIV. *Lib. II. cap.* 33.
[b] *Lib. XXXXII. pag.* 198.
[c] *Annal. Lib. V. cap.* 1.
[d] *Tiber. cap.* 3.
[e] *Faſt. Lib. IIII. v.* 21.
[f] VLP. *Lib. I. L.* 7. §. 1. *D. de ſenat.*
[g] *L.* 2. §. 2. *D. de decur.*
[h] *Ibid. L.* 7. §. 1. *D. de ſenat.*

Digitized by Google

Proculi et Pegaſi ſententiam confirmat. Negarant illi, filium, poſt amiſſam dignitatem conceptum et natum, quaſi ſenatoris filium eſſe. Vlpianus iis adſentitur, addita ratione: *nec enim proprie ſenatoris filius dicetur is, cuius pater ſenatu motus eſt antequam naſceretur*. Siccine ergo ideo non eſt quaſi ſenatoris filius, quia non proprie ſenatoris filius eſt? Sed nihil mutandum, et ratio VLPIANI rectiſſime ſe habet. Argumento enim a maiore ad minus ducto, infert: ſi nec is proprie eſt ſenatoris filius, qui poſt amiſſam patris dignitatem natus eſt, tametſi ex ſenatore conceptus, ſed ob conceptionis tempus ille tantum *quaſi ſenatoris filius* intelligitur: quanto minus vlla, vel imaginaria dignitas, concedi poteſt illi, qui, patre iam ſenatu moto, et conceptus, et in lucem editus eſt. Ceterum eamdem deciſionem VLPIANVS (*a*) etiam ad decurionum filios protulit, et hos quoque decurionum filios intelligi exiſtimauit, quorum patres dignitatem poſt conceptionem demum amiſiſſent, quamuis extremis rei publicae temporibus adeo non aegre ferrent filii decurionum, ſi ea conditione excidiſſe iudicarentur, vt parentes potius ipſi ob curiarum onera ea lege ſeſe offerrent ſaepiuſcule, *vt a ſe deſcendentes tali fortuna liberi permanerent* (*b*).

Additur in capite noſtro: QVIVE NEPOS EX FILIO PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT. Quamuis enim et alioquin in iure *filiorum* adpellatione omnes liberi (*c*), et ſpeciatim nepotes ex filiis (*d*) comprehendantur: id tamen iuſtam rationem tantum habet, vbi de eorum commodo quaeritur, veluti in tutelis teſtamentariis, vltimiſque voluntatibus, non in legibus prohibitiuis ac poenalibus, qualis eſt PAPIA POPPAEA. Quare eorum diſerte mentionem fecere legislatores. Omittunt autem nepotes ex filia, pronepteſque ex nepte ſenatoris natos, quia feminis per nuptias in aliam tranſeuntibus familiam, liberi earum non auitam, ſed paternam dignitatem ſortiebantur. Idque innuit VLPIANVS (*e*), dum ſcribit: *ſed ſi* EX FILIA *ſenatoris natus ſit, ſpectare debemus* PATRIS *eius conditionem*. Multo minus ea prohibitio ad ſenatorum matres, ſorores, ex ſororibus neptes, aliaſque neceſſitudines pertinuit. Quamuis enim Auguſtorum matres, ſorores, aliaſque cognatas, Auguſtarum nomine condecoratas fuiſſe, praeter PAVLLVM ALEX. MAFFEVM (*f*) ex nummis obſeruarit vir ſummus, EZ. SPANHEMIVS (*g*), et ſimile quid de imperatorum vxoribus repudiatis demonſtrarit PHIL. A TVRRE (*h*): id tamen fieri non ſolebat in ſenatorum neceſſitudinibus; de quibus contra Saturninum diſerte ſcribit VLPIANVS (*i*): *conſulares autem feminas dicimus conſularium vxores: adiicit Saturninus etiam matres: quod nec vſquam relatum eſt*, NEC VMQVAM RECEPTVM. Si quis et patrem et auum habuerat ſenatores: ſimul et *quaſi* filius, et *quaſi nepos* ſenatoris cenſebatur, atque hinc ſi pater amiſiſſet dignitatem, ante conceptionem filii, non *quaſi filius* quidem, ſed tamen *quaſi nepos* intelligebatur ſenatoris, vti idem tradit VLPIANVS (*l*).

V. Haec

[a] *L. 2. §. 3. D. de decurion.*
[b] *L. vlt. C. de his, qui ſponte muner. publ. ſub.*
[c] *L. 84. D. de ver. ſignif.*
[d] *L. 220. §. 1. et 3. D. eod.*
[e] *L. 10. D. de ſenator.*
[f] *Gemm. antiqu. pag. 43.*
[g] *De vſu et praeſt. num. Diſſ. XI. pag. 270. Tom. II.*
[h] *De annis imper. M. Aur. Ant.*
[i] *L. 1. §. 1. D. de ſenat.*
[l] *Lib. I. L. 7. §. 2. D. eod.*

V. Haec de perſonis, ad quas lex noſtra pertinebat. Sequuntur iam verba: NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO. Non ſolum ergo nuptias, ſed et ſponſalia cum mulieribus vilioris conditionis facere neſas videbatur. Regulam enim illam iuris omnes probabant, quod quibuſcum nullum ſit connubium, eas nec ſponſas habere liceat *(a)*. Hinc MODESTINVS *(b)*: *ſcias tamen, quod de nuptiis tractamus, et ad* SPONSALIA *pertinere*. Et VLPIANVS *(c)* fere ſimilia monet de SC. ad legem Papiam Poppaeam facto, quod licet de nuptiis tantum loquatur, tamen et ad ſponſalia ſit proferendum.

Nec ſine ratione additur: SCIENS DOLO MALO. Si quis enim ſenator bona fide ac per errorem ſeſe huius modi nuptiis polluiſſet; nihil admiſiſſe videbatur contra legem, ſed ex tali matrimonio, quod putatiuum vocant doctores, iuſti naſcebantur liberi. Quam in rem eleganter VLPIANVS *(d)*: *in poteſtate parentum ſunt etiam ii liberi, quorum cauſſa probata eſt*, PER ERROREM *contracto matrimonio, inter* DISPARES *conditione perſonas*. Quo et alii pertinent iuris noſtri textus *(e)*, ex quibus recte colligunt prudentes, veniam huius modi nuptias per errorem contractas mereri: quamuis, detecto errore, nuncium mitti oportuiſſe mulieri, quam per hanc legem ſenatori vxor eſſe non poterat, facile eſt ad intelligendum. Quin ab Antonino Pio, teſte MARCIANO *(f)* reſcriptum fuerat, *ſi libertina ſenatorem deceperit, quaſi ingenua, et ei nupta ſit, ad exemplum praetoris edicti, dandam in eam actionem, quia ex dote nullum lucrum habeat, quae nulla eſt*.

VI. Vt vero ipſas feminas, quarum a nuptiis abſtinendum erat ſenatoribus, ſenatorumque filiis et nepotibus, paullo adcuratius contemplemus; lex primo nominatim ab eorum thalamis arcet LIBERTINAS, idque et a CELSO *(g)*, et DIONE CASSIO *(h)* eſt obſeruatum. Rei origo paullo altius repetenda. Antiquiſſimis temporibus in ſenatum non niſi patricii generis viri adlegebantur, et his neſas videbatur, vxores ducere plebeias, vel filias ciuibus plebeiis nuptum collocare, quamuis honeſtiſſimis. Vnde et in vndecimam tabulam decemuiralem lex immigrauerat; *μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατρικίοις πρὸς τοὺς δημοτικοὺς ἐπιγαμίας συνάψαι*; *ne connubii patribus cum plebe ius eſſet (i)*. Et eo iure vtebantur Romani, quamdiu inter patres et plebeios fluctuabat res publica, et quamuis ea lex, vti obſeruat DIONYSIVS, eum in finem potiſſimum lata eſſet, *ne familiis coniugii atque adfinitatis vinculo conſociatis, ordines in concordiam coirent*: cauſſam tamen interſerebant patricii, neſas eſſe ac ſacrilegio proximum, ſacra gentium, quorum *κοινωνοὺς*, ex Romuli inſtituto, vxores in manum conuenientes, fieri oportebat, plebeiis euulgari, et fieri promiſcua. Hinc apud LIVIVM *(l)* Canuleio, abrogaturo illam legem decemuiralem, occlamant patres; *quas quantaſque res Canuleium adgreſſum? colluuionem gentium*, PERTVRBATIONEM AVSPICIORVM *publicorum priuatorumque adferre. Quam enim aliam vim connubia promiſcua habere, niſi vt ferarum prope ritu vulgentur concubitus* ple-

(a) *L. 60. §. 5. D. de rit. nupt.*
(b) *L. 15. D. de ſpoſ.*
(c) L. 16. *D. eod.*
(d) *Fragm. tit. 7. §. 4.*
(e) *L. 22. §. 13. D. ſol. matr. L. 3. C. eod.*
(f) *L. 58. D. de rit. nupt.*
(g) L. 22. D. *de rit. nup.*
(h) *Lib. LIIII. pag. 531.*
[i] DIONYS. HAL. *Lib. X. cap. 60.*
(l) *Lib. IIII. cap. 51.*

plebis patrumque ? vt qui natus ſit , ignoret , cuius ſanguinis , QVORVM SACRORVM *ſit , dimidius patrum ſit , dimiduus plebis , nec ſecum quidem ipſe concors .* Nec ignotum eſt factum Virginiae, quam , licet mutato iſto iure , matronae tamen arcebant ſacris , quod patricia qnum eſſet , gente enupta in manum conueniſſet plebeio conſuli, Volumnio *(a)*. Sic aliquamdiu nulla erant inter patres plebemque connubia ; donec haec , pertaeſa huius contemtus , et , tribuniciis inſtincta furoribus , fremere, et legem illam abrogatám velle coepit . Et peruicit demum anno v. c. 310. Canuleius, tribunus plebis, qui non prius miſcere omnia ac turbare deſiit, quam patribus hanc extorſiſſet victoriam , legemque de promiſcuis patrnm plebeiorumque nuptiis, illis nec quidquam frendentibus, pertuliſſet *(b)*.

Ex eo ergo tempore nec patricij plebeiarum , nec plebeij patriciatum nuptias adſpernabantur , idque vtroſque poſtea minus piguit , quum paullatim etiam conſulatus, praetura, ſenatoria dignitas , ipſaque ſacerdotia cum plebe communicarentur . Hinc, quamuis ex eo tempore nonnm naſceretur diſcrimen inter ordines, ſenatorium, equeſtrem , et plebeium : nullum tamen inter hos certamen ob connubia vmquam coortum eſt. Omnes tamen ordines vltro , et veluti ex compacto a libertinarum nnptijs abſtinebant , neque eas dignas ciuinm Romanorum amplexibus iudicabant , quae vix e ſeruili conditione, ad quam eas vel belli, vel natalium fortuna depreſſerat, emerſiſſent. Hinc anno v. c. 566. Hiſpalae Fecenniae libertinae , id extra ordinem , et per modum priuilegii , SCto conceſſum eſſe , refert LIVIVS *(c)*, *vti ei* INGENVO NVBERE *liceret , neu quid ei , qui eam duxiſſet , ob id fraudi ignominiaene eſſet .* Libertinae autem non intelligebantur ex manumiſſis natae, ſed ipſae manumiſſae. Illae enim tamquam ingenuae ingenuis impune nubebant , nec , qui eas duxerant, aliquid admiſiſſe videbantur contra bonos mores. Quod adeo verum eſt, vt M. Porcius Cato, vir recti exempli , *coloni ſui filiam , ſed ingenuam ,* ducere non dubitarit , ſi fides eſt M. SENECAE *(d)* . Quare adfectui , vt ſolebat , induiſiſſe diteris CICERONEM *(e)* , dum M. Antonio tam grauiter exprobrat matrimonium cum libertini filia contractum . *Sed hoc* , inquit , *idcirco a te commemoratum puto , vt te infimo ordini commendares , quum te omnes recordentur* LIBERTINI GENERVM , *et liberos tuos nepotes Q. Fadii , libertini hominis , fuiſſe.* Quaſi enim turpius fuerit Antonio , quam Catoni , libertino natam in torum adſciſcere : aut quaſi ignominia vlla comitata ſit nuptias , quas Antonius exemplo tam illuſtri tueri potuiſſet .

Ad extrema ergo liberae rei publicae tempora nec ſenatores , nec reliqui ingenui , libertinarum commixtione contaminare auſi fuerant ingenuum ſanguinem . Auguſtus vero primus plebeiis quidem eas nuptias , vti paullo poſt dicemus , permiſit, *ἐπειδὴ πολὺ πλεῖον τὸ ἄρρεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν, quoniam maſculi ingenui numerum ingenuarum feminarum multum anteibant,* vti ait DIO CASSIVS *(f)* : non autem ſenatoribus , ſenatorumque liberis , ne ampliſſimus iſte ordo infimae huius colluuiei conſortio vileſceret . Quod adeo

[a] LIV. *Lib. X. cap.* 23.
(b) LIV. *Lib.* IIII. *cap.* 5.
[c] *Lib. XXXVIIII. cap.* 19.
[d] *Controu. Lib. III. cap.* 21.
[e] *Philipp. II. cap.* 2.
(f) *Lib. LIIII. pag.* 531.

adeo verum eſt, vt Nero (*a*), quem nullius probri pudebat, non putaret tamen, ſe Acten, libertam, ſine infamia ducere poſſe, niſi aliquot conſulares viros ſummitteret, qui eam regio genere ortam peierarent.

Neque tamen LIBERTINA videbatur, quae vel natalium reſtitutionem, vel ius ſaltim aureorum annulorum beneficio principis fuerat conſequuta (*b*): ſiquidem tunc cenſebatur ingenua, adeo vt reſtitutio natalium etiam iura patronatus exſtingueret, παλιγγενεσία ideo dicta imperatori noſtro IVSTINIANO (*c*). Sed et ea, iudice VLPIANO (*d*), *accipiebatur ingenua, de qua ſententia lata fuerat, quamuis eſſet libertina, quia res iudicata pro veritate accipitur*. Quod tamen caue ita intelligas, ac ſi, etiam pellucente dolo, in perpetuum valuerit ſententia, conſtiteritque ſenatoris cum libertina, quam ingenuam autumauerat, matrimonium. Alia omnia enim ex iis legibus diſcimus, in quibus *libertus, iudicatus ingenuus, colluſione detecta, conditioni ſuae reddi, et beneficium aureorum annullorum* AMITTERE (*e*), *colluſio poſt ſententiam intra quinquennium* RETRACTARI (*f*), *quin decretum, quo, non iuſto contradictore, quis ingenuus pronunciatus eſt, perinde* INEFFICAX *eſſe*, dicitur, *ac ſi nulla iudicata res interueniſſet* (*g*). Rem ergo omnem alio loco ita explicat VLPIANVS (*h*): *ſi libertinus per colluſionem fuerit pronunciatus ingenuus, colluſione detecta, in quibuſdam cauſſis, quaſi libertinus incipit eſſe*: MEDIO *tamen* TEMPORE, *antequam colluſio detegatur, et poſt ſententiam de ingenuitate latam, vtique*, QVASI INGENVVS *accipitur*. Itaque et libertina, pronunciata ingenua, a tempore latae ſententiae, vſque dum colluſio detegeretur, habebatur quaſi ingenua, adeoque nuptiae cum ea contractae eatenus ratae erant, vt nec ſenatori; qui eam duxerat, nec liberis, ante detectam colluſionem eo ex matrimonio natis id fraudi eſſet: attamen non ſubſiſtebat matrimonium in poſterum, ſed ſtatim, tamquam illegitimum, erat reſcindendum, ſimulac de vera mulieris conditione conſtaret. Accurate hoc modo rem expoſuit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (*i*), quum vulgus interpretum ad has leges longiſſimum tractatum inſtituere ſoleat, de perpetua rei iudicatae auctoritate, ad quam tamen, tametſi nemo rem ipſam vocet in dubium, non pertinet illud ex VLPIANI commentariis ſuperſtes fragmentum.

VII. Praeter libertinam nec eam ſponſam vxoremue habere poterat ſenator, QVAE IPSA, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACERET, FECERIT. Nefas ergo erat, ſenatoris thorum inſcendere mulierem, quae mercede conducta in ſcenam fuerat, parumque intereſſe videbatur, ſiue ante iſtud matrimonium, ſiue iam ſponſa vxorue ſenatoris, artem illam ludicram feciſſet. Nam et hoc caſu eam dimittendam eſſe, docet PAVLLVS (*l*). Quod ita procul dubio intelligendum, ſi in ſcenam vere prodiiſſet: alias enim ſola locatio operarum non perimebat famam (*m*), praeterquam ſi quis ad beſtias depugnandas animam locaſſet, quo caſu et vo-

(a) SVETON. *Ner. cap.* 28.
(b) *L.* 4. *D. de iur. aur. annulor.*
(c) *Nou. LXXVIII. cap.* 1.
(d) *Lib. I. L.* 25. *D. de ſtat. hom. L.* 207. *D. de reg. iur.*
(e) *L.* 1. *§.* 1. *D. de iur. aur. annulor.*
[f] *L.* 2. *pr. et §.* 2. *D. de coll. det.*
[g] *L.* 3. *D. eod.*
(h) *Lib. I. L.* 4. *D. eod.*
(i) *Ad L.* 297. *D. de reg. iur.*
[l] *Lib. I. L.* 44. *§.* 7. *D. de rit. nupt.*
(m] *L.* 3. *D. de his, qui not. infam.*

voluntas ſine facto adprehendebatur (*a*). Nec ipſius tantum mulieris quaeſtus haſce nuptias impediebat, verum etiam parentum turpitudo fraudi erat filiabus, ſi pater materue eam artem feciſſet, ſiue naturalis pater, ſiue adoptiuus (*b*), ſiue filia adhuc in eius poteſtate eſſet, ſiue emancipata, dummodo pater eſſet legitimus, quod non exigebantur in matre, cuius ars ludicra filiae etiam vulgo conceptae oberat ex ſententia OCTAVENI (*c*). Quin ſi vel maxime pater materue artem illam, olim factam, facere iam dudum deſiiſſent: tamen et priſtinae turpitudinis memoria fraudi erat filiae nupturae ſenatori vel ſenatoris filio. Neque enim aboleri videbatur turpitudo poſtea intermiſſa (*d*), idque ſibi volunt verba: FACIT, FECERIT. Contraria tamen eſſe videbatur legis ſententia de ea, cuius pater adoptiuus ante adoptionem, vel cuius pater naturalis ante filiae natiuitatem artem ludicram feciſſet, vel quae ab eius modi ludione adoptata, per emancipationem deinde eius familia exceſſiſſet (*e*). Tam rigida enim ſanctio interpretatione adiuuanda haud videbatur. Vnde iureconſulti nec nepti id fraudi eſſe iudicabant, ſi auus mercede conductus prodiiſſet in ſcenam (*f*), quamuis alioquin in iis, quae benigne conſtituuntur, patris nomine etiam auum demonſtrari, recte IVLIANVS (*g*) obſeruet. Quin ob eamdem rationem iniquiſſimum putabant, ſenatorem cogi dimittere vxorem ingenuam, cuius pater materue, contracto iam inter filiam et ſenatorem matrimonio, populo ſpectaculo eſſe coepiſſent, quum nuptiae honeſte contractae, et iam fortaſſe liberi eſſent procreati (*h*). Ita haec legis verba interpretantur veteres iureconſulti.

At quaenam eſt illa ARS LVDICRA, quam tanta cum ignominia coniunctam eſſe Romani exiſtimabant? Id patet ex edicto praetoris, quo iam pridem de huius modi ludionibus ita cautum fuerat (*i*): INFAMIA NOTATVR, QVI ARTIS LVDICRAE PRONVNCIANDIVE CAVSSA IN SCENAM PRODIERIT. Infamiae ergo nota haerebat omnibus, quicumque ſaltandi, geſticulandi, pronunciandiue cauſſa operas ſuas in ſcenam locauerant. Scena vero, definiente LABEONE (*l*) eſt, *quae ludorum faciendorum cauſſa, quolibet loco, vti quis conſiſtat, moueaturque ſpectaculum ſui praebiturus, poſita ſit in publico priuatoue, vel in vico, quo tamen paſſim homines ſpectaculi cauſſa admittantur*. Nec ſine ratione additur: QVI OPERAS LOCASSENT. Nam hos demum, qui quaeſtus cauſſa in certamina deſcendebant, quique propter praemium in ſcenam prodibant, famoſos eſſe, non ſolum PROCVLVS et NERVA reſponderunt (*m*), ſed et iam olim obſeruauit CORNELIVS NEPOS (*n*), dum diuerſos Graecorum Romanorumque mores miratus: *nulla*, inquit, *Lacedaemoni tam eſt nobilis vidua, quae non in ſcenam eat, mercede conducta. Magnis in laudibus fuit tota Graecia, victorem Olympiae citari: in ſcenam vero prodire, et populo eſſe ſpectaculo, nemini in iiſdem gentibus fuit turpitudini. Quae omnia apud nos, partim*

(a) L. 1. §. 6. D. *de poſtul.*
(b) *Ibid.* L. 44. §. 4. *D. eod.*
(c) *Ibid.* §. 3.
(d) VLP. *Lib. I. arg. L.* 43. D. *eod.*
(e) PAVLL. *d.* L. 41. §. 5. *D. eod.*
(f) *Ibid.* §. 2. *D. eod.*
(g) L. 20. D. *de verb. ſignif.*
(h) PAVLL. *d.* L. 34. §. 6. D. *de rit. nupt.*
(i) *L.* 1. *D. de his, qui not. inf.*
(l) L. 2. §. 5. *D. eod.*
(m) *d.* L. 2. §. 5.
(n) *Prooem.* §. 4. 5.

Digitized by Google

INFAMIA, *partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur*. Mercenarii huius modi ludiones erunt *mimi*, *pantomimi*, *hiſtriones*, ὀρχησταί, omniumque viliſſimi *gladiatores*, et *beſtiarii* vel *arenarii*, qui leui auctoramento animam gladio vel beſtiis addixerant; non autem *athletae*, qui virtutis cauſſa exercebantur; nec *thymelici*, qui muſicae ſcenicae praefecti lyris tibiiſue praecinebant; nec *xyſtici*, qui in xyſto, id eſt, in porticu, per hiemem, tectis ſpatiis, exercebantur (*a*), nec *agitatores*, id eſt, aurigae, qui ſe in ludis Circenſibus curuli certamine exercebant, quique equis aquam, non refocillandorum, ſed luſtrandorum eorum cauſſa, ſpargebant, vti ex CHARISIO et HIERONYMO praeclare docuerunt PHIL. RVBENIVS (*b*) et GER. NOODT (*c*), nec *deſignatores*, qui ludis funebribus praeerant, nec βραβευταί, nec vlli denique, qui *certaminibus ſacris* deſeruiebant (*d*). Omnia haec iam ab aliis explicata ſunt ſatis. Nos iam id monemus tantum, *certamina ſacra* vel ἱεροὺς ἀγῶνας adpellari, teſte IVLIO POLLVCE (*e*), ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ, *quorum praemium in ſola corona conſiſtit*, qualia apud Graecos erant Olympica, Pythia, Nemea, Iſthmia; Neapoli ὁ πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγών, in honorem Auguſti inſtitutus (*f*): quod certamen deinde et Romae ſub nomine certaminis quinquennalis inſtituit Nero (*g*), a Gordiano deinde, teſte AVRELIO VICTORE (*h*) inſtauratum. Quum ergo his certaminibus et ingenui ciues intereſſent, iiſque pantomimi, aliique famoſi ludiones prohiberentur (*i*), nec denique, ea homines mercede conducti, ſed corona contenti, virtutis cauſſa, et in honorem deorum, ſubirent: factum eſt, vt eos, qui certaminibus his interfuiſſent, ab infamiae nota immunes eſſe ſtatuerent iureconſulti: quamuis poſtea, quum ob Chriſtianam doctrinam euiluiſſet illa ludorum ac certaminum religio (*l*), etiam thymelici, et agitatores infamia notari coeperint (*m*). Sed et Atellanorum actores artem ludricam facere non videbantur, ſiquidem et id ludorum genus, ab Oſcis acceptum, iuuentus ingenua tenuerat, non paſſa illud ab hiſtrionibus pollui (*n*). Hinc notae vacui eorum actores, nec tribu mouebantur, neque repellebantur a ſtipendiis militaribus: quum alioquin omnes hiſtriones, teſtibus TERTVLLIANO (*o*) et AVGVSTINO (*p*), tribu exeſſe iuberentur, et milites plane capitis ſubirent diſcrimen, qui operas in ſcenam locaſſent (*q*).

Tantus artis ludicrae contemptus ab ipſa eius origine repetendus eſt. Non Romanum hoc erat inſtitutum, ſed peregrinum, et ſemper initio in vrbe ludis locare operas ſolebant Graeculi, Oſci, Tuſci, aliique aduenae. Primum illud ſcenicum ludricum ex Hetruria accitum fuerat Romam anno v. c. 340. quum peſtilentia vrbem populante, inter coeleſtis irae placamen-

(a) COEL. RHOD. *Lect. ant. Lib. XI. cap.* 52.
(b) *Elect. Lib. II. cap.* 18.
(c) *Comment. ad D. Lib. III. tit.* 2. *p.* 76.
(d) L. 4. *pr. et* §. 1. *D. de his, qui not. infam.*
(e) *Onomaſt. Lib. III. cap.* 30. *n.* 8.
(f) SVET. *Aug. cap.* 98. *Claud. cap.* 11.
(g) TACIT. *Annal. Lib. XV. cap.* 20.
(h) *In Gordian.*
(i) TACIT. *ibid. cap.* 21.
(l) SALVIAN. *de gubern. Dei, Lib. VI. pag.* 105.
(m) L. 4. C. *de ſpectac.*
(n) LIV. *Lib. VII. cap.* 2. VAL. MAX. *Lib. II. cap.* 1.
(o) *De ſpectac. pag.* 699.
(p) *De ciu. Dei, Lib. II. cap.* 27.
(q) L. 14. *D. de poen.*

menta illud vouiſſent magiſtratus (*a*): obſeruatque LIVIVS (*b*), *nouam tunc rem bellicoſo populo viſam, quia* CIRCI *modo ſpectaculum antehac fuerit*. Omnia vero peregrina inſtituta, quantumuis in vrbem accita, vilia ſemper viſa ſunt genti togatae, veluti Gallorum matris deum, quos Mamercus Aemilius Lepidus conſul vix iure communi frui patiebatur, item ſacrorum Iſidis, Anubis, fanatici Bellonae cultus (*c*), et ſimilium. Eadem de cauſſa Romani ita adſpernabantur peregrinos iſtos ludiones, vt nemo ciuium tam vili arte quaeſtum facere auderet, ad tempora vſque Neronis, quibus ſenatores apud TACITVM (*d*): *maiores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quae tum erat: eoque a Tuſcis accitos hiſtriones, a Thuriis equorum certamina, et poſſeſſa Achaia Aſiaque, ludos curatius editos, nec quemquam Romae, honeſto loco ortum, ad* THEATRALES ARTES DEGENERAVISSE. Hinc; quamuis his ſpectaculis, inſtructius exhibitis, oculos paſcere ſolerent Romani: tamen, quia vix aliorum, quam peregrinorum, libertinorum, quin et ſeruorum (*e*) et meretricum (*f*) opera ad ea exhibenda vtebantur, ipſos actores contemnebant, quin et infamia notabant conductitiam illam, quae ſui ſpectaculum praebebat, colluuiem. Cicero ſane laudans Roſcium hiſtrionem, eum, teſte AVGVSTINO (*g*), *tam peritum* dicit, *vt ſolus eſſet dignus, qui in ſcenam deberet intrare, ita virum bonum, vt ſolus eſſet dignus, qui* EO NON DEBERET ACCEDERE: oſtendens ſane hoc ipſo, ſcenam eſſe iam turpem, *vt tanto minus ibi eſſe homo debeat, quanto magis ſit vir bonus*. Quum paullatim ita degenerare coepiſſet Romanorum virtus, vt hiſtriones, tricarios, pantomimos, etiam principes in re publica viri domi ſalutare, exeunteſque comitari ac deducere non dubitarent: decretum ſub Tiberio a ſenatu eſt, *ne domos pantomimorum ſenator introiret, neue egredientes in publicum equites Romani cingerent* (*h*). Nondum enim eo licentiae delapſus fuerat princeps terrarum populus, vt et equites Romani, quin ipſi ſenatores, ſenatorumque filii operas non ſcenae tantum, verum et arenae promitterent, quod ſub Nerone factum eſſe, refert TACITVS (*i*). Quum ergo leges ipſo congreſſu ludionum ſenatores arcerent: nemini profecto videbitur mirum, multo minus Auguſtum dignos illos habere potuiſſe ſenatorum adfinitate: maxime quum in eo cum lenis et proſtibulis pari conditione vterentur ludicram artem facientes feminae, quod cum iis ſtuprum non committeretur, multaeque vel ideo operas in ſcenam locarent, vt ne adulterii accuſari poſſent: quarum tamen fraudem SCto repreſſam eſſe, teſtatur PAPINIANVS (*l*).

VIII. Hactenus de ſenatorum, filiorum, nepotumque, ſenatorii ordinis parentibus vel auis prognatorum, nuptiis. Iam ad eorumdem filias, neptes, proneptesque progrediuntur legislatores, eodemque primo capite, (totam enim hanc periocham CAPVT legis Iuliae vocat PAVLLVS,) ita pergunt: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPO-

N 2 TE

[a] VALER. MAXIM. *Lib. VII. cap.* 7. §. *6.*
(b) *Lib. VII. cap.* 2.
(c) LAMPRID. *Commod. cap.* 9.
[d] *Annal. Lib. XV. cap.* 21.
[e] L. 24. *D. ad edict. aedilit.*
(f) LIPS. *Elector. Lib. I. cap.* 2.
(g) *De conſenſu euang. Lib. I. cap.* 33.
(h) TACIT. *Annal. Lib. I. cap.* 77.
(i) *Annal. Lib.* XIIII. *cap.* 14. *et Lib. XV. cap.* 32.
(l) *L.* 10. §. 2. *D. ad leg. Iul. de adult.*

Digitized by Google

TE FILIO NATO NATA. Ita filiarum quoque ſenatorum ordinis virorum rationem habebat lex PAPIA POPPAEA. Liberos enim ſenatorum auctores noſtri non tantum accipiebant ſenatorum filios, verum etiam omnes, qui geniti ex ipſis, exque liberis eorum dicebantur, ſiue naturales eſſent, ſiue adoptiui liberi ſenatorum, ex quibus nati dicerentur (a). Vnde et ſenatorum filiae, neptes ac proneptes feminae clariſſimae erant, dignitateque paterna ac auita perfruebantur, ſed non niſi innuptae. Qua de re VLPIANVS (b): *clariſſimarum feminarum nomine ſenatorum filiae, niſi quae viros clariſſimos ſortitae ſunt, non habentur. Feminis enim dignitatem clariſſimam mariti tribuunt: parentes vero, donec plebei nuptiis fuerint copulatae. Tamdiu igitur clariſſima femina erit, quamdiu ſenatori nupta eſt, vel clariſſimo: aut ſeparata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupſerit.* Nonnumquam tamen et e plebeio natae, vel et ſenatoris filiae, plebeiis nuptae, vel denique primum nuptae viris clariſſimis, ſed, iis mortuis, plebeiis in manum conuenientes, conſularis vel ſenatorii coniugii ornamenta a principe impetrabant. Quemadmodum enim ſub imperatoribus ii etiam, qui numquam faſces tenuerant, CONSVLARIBVS vel PRAETORIIS ORNAMENTIS, qui numquam triumpharant, TRIVMPHALIBVS INSIGNIBVS condecorari, immo et ornamenta AEDILITIA, DVVMVIRALIA, QVATVORVIRALIA, DECVRIONALIA, vti ex marmoribus liquet, permultis tribui coeperant: ita demum inualuit, vt et feminae, quae ob imparem mariti dignitatem ſenatorii decoris exſortes per leges erant, CONIVGII SENATORII, immo et conſularis, et principalis ORNAMENTA conſequerentur. Quae LAMPRIDIVS (c) etiam obſeruat ab antiquis Imp. adfinibus data. Vnde VLPIANVS (d) *ſpecioſas perſonas* non ſolum vocat *clariſſimas* VTRIVSQVE SEXVS, *verum et eos, qui* ORNAMENTIS SENATORIIS *vtuntur*. Ea non numquam et viliſſimis perſonis dediſſe Elagabalum, LAMPRIDIVS (e), et in excerptis Peireſcianis (f) DIO CASSIVS teſtantur. Sed et VLPIANVS (g): *nuptae prius*, inquit, *conſulari viro, impetrare ſolent a principe, quamuis perraro, vt nuptae iterum minoris dignitatis viro, nihilominus* IN CONSVLARI MANEANT DIGNITATE: *vt ſcio Antoninum, Auguſtum, Iuliae Mammaeae, conſobrinae ſuae, indulſiſſe*. Quo et Lucillae, L. Veri viduae, pertinet exemplum, quae HERODIANO (h), referente, amiſſo viro principe, Pomponio, priuato, nupta ſellam imperatoriam, alioſque honores, Commodi imperatoris indulgentia, retinuit.

Contra lex non pertinebat ad eas ſenatorum filias, quae ipſae corpore quaeſtum fecerant, aut iudicio publico fuerant damnatae. Hae enim impune nubebant libertinis, *nec honos*, vt ait PAVLLVS (i), *ſeruatur ei, quae ſe in tantum foedus deduxerat*. Quae alii de his verbis diſputent, iam notauit CAR. ANDR. DVKERVS (l). Ego aliquando legendum putaui: *quae ſe in tantum foede* (vel, vt in CHARONDAE codice quodam fuit: *foedius*) *deduxit*. *In tantum* enim ſcriptoribus horum temporum eſt frequen-

(a) *L. 10. D. de ſenat.*
(b) *L. 8. D. eod.*
(c) *Elegab. cap. 4.*
(d) *L. 101. D. de verb. ſignif.*
(e) *Elegab. cap. 4.*
(f) *pag. 766.*
(g) *L. 12. D. de ſenat.*
(h) *Lib. I. cap. 20.*
(i) *Lib. II. L. 47. D. de rit. nupt.*
(l) *De Latinit. vet. ICt. p. 345.*

Digitized by Google

quentiſſimum pro *adeo*, vti exemplis docuit PET. BVRMANNVS (*a*), nec iureconſultis noſtris hanc loquutionem ignotam eſſe, iam ERASMVS VNGEPAVERVS (*b*) obſeruauit. *Deducere* vero hic item, quod demittere, vt ſenſus ſit, non ſeruari honorem filiae ſenatoris, quae ſe ad tantum probrum demiſerit, vt quaeſtum corpore faceret, vel adulterio ſeſe pollueret. Et quid facilius, quam vt librarius geminatione deceptus pro *ſoe DEduxit*, ſcriberet *in tantum foede deduxit*, et corrector ineptus pro *foede* reponeret *foedus*, quod antecedens *in tantum* poſtulare videbatur? Similes ſane correctiones in ipſo Florentino codice haud paucas obſeruauit vir eximius, HENR. BRENCMANNVS (*c*) non ad neptes e filia ſenatoris, nec ad proneptes e nepte ſenatoris, natas, ſed ad NEPTES E FILIO PRONEPTESVE EX NEPOTE FILIO NATO NATAS. Quum enim dignitas illa filiarum per nuptias, cum inferioris dignitatis viris contractas, expiraret (*d*): non poterat ſane ea ad natas ex filiabus neptes proneptesque propagari. Vnde contra morem maiorum egit T. Ollii filia, dum, vt ſupra narrauimus, pertaeſa paternae conditionis, conſulare ac triumphale aui materni decus adfectauit, et Poppaea Sabina, quam Ollia, dici maluit (*e*), vt conſulare ac triumphale aui decus ad ſe raperet.

VIIII. Primo ergo non poterat harum vlla LIBERTINO SPONSA NVPTAVE DOLO MALO ESSE. *Libertinos* vero lex vocat, non ſenſu vetere, quem SVETONIVS (*f*) notauit, ingenuos ex libertis procreatos, ſed ipſos manumiſſos. Hos enim indignos ſenatorum adfinitate vel ipſa reddebat priſtinae ſeruitutis memoria. Vnde nec adrogatio ipſis proderat, qua in familiam ingenui tranſiiſſent (*g*), quia et ita non extinguebatur memoria priſtinae conditionis. Quin nec facile permittendas eius modi adrogationes cenſebat MASVRIVS SABINVS apud GELLIVM (*h*), quibus libertini ordinis homines iura ingenuorum inuaderent. Quare et Claudium imp. non effugiſſe reprehenſionem, SVETONIVS refert (*i*), *quum libertini filio latum clauum tribuiſſet, quamuis ab* EQVITE ROMANO *prius* ADOPTATO. Quod ſi tamen libertus vel ius aureorum annulorum (*l*), vel reſtitutionem natalium impetraſſet, vel de eius ingenuitate lata fuiſſet ſententia: tunc vero idem obtinebat, quod ſupra de libertinis feminis obſeruauimus, quaeque hic repeti nihil attinet. Neque opus eſt interpretatione verborum: EIVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: quum eadem iam ad priorem capitis partem fuerint explicata. Illud vero nouum huic periochae accedit, quod mutua ac reciproca eſt haec prohibitio, et hinc poſtremo additur: NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO. Nimirum dignus animaduerſione erat ſenator, ſenatoriſue filius vel nepos proneposue, quem in libertinae aut alterius viliſſimae feminae amplexus reuere non puduiſſet: at ignoſcendum quodammodo videbatur feminae, quae ſpe melioris conditionis pellecta, tam honorificas

(a) *Ad* VELLEI *Lib. I. cap.* 13. *n.* 5.

(b) *Exerc. iuſt.* III. *quaeſt.* 6.

(c) *Hiſt. Pand. Flor. Lib. II. cap.* 6. *pag.* 164.

(d) MARCELL. *Lib. I. L.* 8. *D. de agn. liber.*

(e) TACIT. *Annal. Lib. XIII. cap.* 45.

(f) *Claud. cap.* 24.

(g) MARCELL. *Lib. I. L.* 32. *D. de ritu nupt.*

(h) *Lib. V. cap.* 19.

(i) *Claud. cap.* 24.

(l) VLP. *Lib. I. L.* 6. *D. de iur. aur. ann.*

rificas ſibi nuptias conditionemque pinguiſſimam haud repudiaſſet. Contra vbi libertinus duxerat filiam ſenatoris, vtriuſque dolus atque impudentia poenam merebatur: illius, quod, quum contractus hic a ſponſo incipere ſoleat, huius modi nuptias adſectaſſet; huius, quod, immemor natalium, ſenatorium ſanguinem libertini conſortio non dubitaſſet polluere.

X. Periocham hactenus explicatam CAPVT legis Iuliae vocat PAVLLVS (*a*): atque inde colligo, de reliquis ingenuis non eodem capite, vti GOTHOFREDO viſum, ſed ſecundo fuiſſe actum. Et quidem ita de iis ſanxerat Auguſtus, vt primum de nuptiis ingenuo permiſſis, ac deinde de matrimonio, eidem prohibito, caueret. Prior ergo capitis ſecundi pars talis fuiſſe videtur:

OMNIBVS *reliquis* INGENVIS PRAETER SENATORES, EORVMVE LIBEROS, LIBERTINAM VXOREM HABERE LICETO, *neue quid eis, qui duxerint, liberiſue ex eo matrimonio natis fraudi ignominiaeue eſto.*

Ita ſane huius ſanctionis argumentum DIO expreſſit (*b*): Ἐπειδὴ δὲ πολὺ πλεῖον τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἘΞΕΛΕΥΘΕΡΑΣ τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων ἈΓΕΣΘΑΙ, ἔννομον τὴν τεκνοποιίαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας: *ac quoniam maſculi ingenui numerum ingenuarum feminarum multum ſuperabant; liberum fecit, vt qui vellent, modo ſenatores non eſſent,* LIBERTINAS DVCERE *poſſent, eorumque liberos legitimos eſſe iuſſit.* Et breuius CELSVS noſter (*c*): LEGE PAPIA *cauetur, omnibus ingenuis, praeter ſenatores, eorumque liberos,* LIBERTINAM *vxorem habere licere.* Libertinas olim vxores ne quidem a plebeiis ingenuis duci potuiſſe, iam ſupra oſtendimus. At ab Auguſti temporibus licita haec matrimonia fuere, non modo inter ingenuum et libertam alienam, (hanc enim, ſi honeſte viueret, vxorem quidem, ſed non concubinam quis habere poterat, niſi teſtatione ea de re diſerte interpoſita (*d*), modo patronus, tamquam tutor legitimus, auctor fieret: verum etiam inter patronum et libertam, ab eo manumiſſam. Quamuis enim honeſtius VLPIANO (*e*) videatur, libertam concubinam, quam matrem familias habere: id tamen non ita intelligendum eſt, vti vulgo interpretantur, ac ſi infamiae vel ignominiae quid habuiſſent patroni cum liberta nuptiae, ſed ſenſus eſt, ſi liberta, diuortens a patrono, alteri eſſet nuptura, et alteram conditionem praelatura patroni nuptiis: id non eſſe concedendum, quum honeſtius ſit patrono, eius libertam alteri ſe in concubinatum dare, quam inuito illo nubere. Quare nec illegitimum, nec indecorum erat patroni cum liberta cunnubium, poſtquam id ratum eſſe iuſſerat lex Papia Poppaea. Et hinc tot exſtant marmora, in quibus laudantur LIBERTAE ET CONIVGES OPTIMAE BENEQVE MERENTES (*f*), CONIVGES ET LIBERTAE KARISSIMAE (*g*), FIDELISSIMAE ET BENE MERENTES (*h*), DVLCISSIMAE (*i*), AMANTISSIMAE (*l*), INCOMPARABILES (*m*).

Equi-

(a) *Lib. I. L. 24. pr. D. de rit. nupt.*
(b) *Lib.* LIIII. *pag.* 531.
(c) *Lib.* XXX. *L. 23. D. de ritu nupt.*
(d) *L. 3. pr. D. de concub.*
(e) *L. 1. pr. D. eod.*
(f) REINES. *p.* 759.
(g) *Id. pag.* 760. GRVT. *p.* 567. *num.* 8.
(h) GRVT. *pag.* 943. *num.* 12.
(i) *Id. pag.* 935. *num.* 4.
(l) *Id. pag.* 940. *num.* 3.
(m) *Id pag.* 957. *num.* 7.

Equidem exiſtimare quis poſſet, ius hoc libertas ducendi vxores, non ex lege Papia, eſſe, ſed iam anno v. c. 755. quo et legem Iuliam perlatam diximus, per legem AELIAM SENTIAM patronis conceſſum? Eo enim referri poſſe videntur verba IVSTINIANI (a): *eadem lege* AELIA SENTIA *domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam ſi vindicta, apud conſilium, iuſta cauſſa manumiſſionis adprobata, fuerint manumiſſi. Iuſtae autem manumiſſionis cauſſae haec ſunt, veluti ſi quis ancillam* MATRIMONII CAVSSA *manumittat, dum tamen intra ſex menſes in vxorem ducat, niſi iuſta cauſſa impediat.* Enimuero nec dicit IVSTINIANVS, hanc iuſtam manumiſſionis cauſſam e lege Aelia Sentia eſſe, et SCto ad legem Aeliam Sentiam facto: illam diſerte tribuit VLPIANVS (b), cuius verba ſic audi: *item ſi matrimonii cauſſa virgo vel mulier manumittatur, exacto prius iureiurando, vt intra ſex menſes eam ducere oporteat. Ita enim* SENATVS CENSVIT.

Quamuis autem poſt hanc legem haud amplius illicitae iudicarentur patronorum cum libertabus nuptiae: non tamen contra licebat liberto, patronae patroniue vxoris vel filiae nuptias adfectare. Turbari enim videbantur reſpectus iuris patronatus et officii coniugalis, neque conueniens erat, eam in liberti, tamquam viri, officio atque obſequio eſſe, quam ille, teſte GELLIO (c), parentis loco habere tenebatur. Qua de re PAVLLVS (d): *libertum, qui* NVPTIAS PATRONAE *vel* VXORIS FILIAEVE PATRONI *adfectauerit, pro dignitate perſonae, metalli poena, vel operis publicis, coerceri placuit.* Pro perſonae dignitate, ait. Multum enim intererat, honeſtiorisne conditionis eſſet patrona, an vilioris et abiectae. Nam *ſi tam* IGNOBILIS *eſſet, vt ei honeſtae viderentur liberti ſui nuptiae: officio iudicis, ſuper hoc cognoſcentis, illae prohiberi non debebant*, ex ſententia VLPIANI (e). Ex iisdem principiis ne liberta quidem, olim patrono nupta, eiuſdem poſtea liberto, ſoluto priore matrimonio, coniungi poterat, quia et ſic libertus adfectaſſet nuptias vxoris patroni (f). Quare rariſſima eſt inſcriptio apud FABRETTVM (g):

IVNIAE. FESTIVAE.
PATRONAE. ET. VXORI. KARISS.
C. IVNIVS. MERCVRIVS.

Inſcriptionem eſſe e ſaeculo Chriſtiano ſecundo, ex alio marmore apud REINESIVM (h) liquet, in quo idem C. IVNIVS MERCVRIVS occurrit *Macilio* et *Omollo Veriano* coſſ. anno v. c. 905. Ex eodem vero lapide diſcimus, eum interfuiſſe collegio DENDROPHORORVM EX SC. CREATORVM, QVI ERANT SVB CVRA XV. VIR. S. F. CC. VV. id eſt, *quindecimuirorum ſacris faciundis, clariſſimorum virorum*. Quum vero ſub Antoninis adhuc magna ſeueritate lex Papia Poppaea exerceretur: veriſimile eſt, Iuniam iſtam Feſtiuam infimae conditionis mulierem fuiſſe, quum nec eius liberto, nuptias

(a) §. 4. et 5. *Inſt. qui et ex quib. cauſſ. manum.*
(b) *L. 13. D. de manumiſſ. vind.*
(c) *Lib. V. cap. 13.*
(d) *Sent. rec. Lib. II. cap. 19. §. 9.*
(e) L. 13. *D. de ritu nupt.*
(f) L. 45. *pr. D. de rit. nupt. L. penult. et vlt. D. diuort.*
(g) *Pag.* 289.
(h) *Pag.* 371.

Digitized by Google

nuptias illius adfeſtare fraudi, nec haec conditio ignominiae eſſet. Aliud exemplum huius modi nuptiarum in hoc marmore Mediolanenſi *(a)* inuenire ſibi viſus eſt vir maximus, IVST. IOS. SCALIGER:

D. M.
SECVNDI. NVNDINI.
PRIMITIVI.
CELLIONIS.
POMP. PRIMITIVA. LIB.
ET CONI. OBSEQV.

Poſtrema enim verba in *Indice nominum adpellatiuorum, affectuum, cognationum*, cet. ita interpretatur: LIBERTO ET CONIVGI OBSEQVENTISSIMO. Sed res ipſa docet, ipſam potius vxorem Pomponiam vocari LIBERTAM Secundi Nundini Primitiui, et eiuſdem CONIVGEM OBSEQVENTISSIMAM; vnde et patroni nomen geſſit, vocataque eſt Pomponia PRIMITIVA. Vt adeo hoc vetus epigramma huc non videatur referendum.

Alioquin non ſolum patroni cum libertina nuptiae ratae erant, ſed et liberis ex eo matrimonio natis nulla haerebat macula. Auguſtus enim, teſte DIONE *(b)*, ἜΝΝΟΜΟΝ *τὴν τεκνοποιίαν αὐτῶν εἶναι, liberos ex his nuptiis procreatos* LEGITIMOS *eſſe*, iuſſerat. Idque deinde repetierant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS augusti *(c)*, Tatiano hunc in modum reſcribentes: *vxorem libertam ſuam manumiſſori, ſi non ſit ex his perſonis, quae ſpecialiter prohibentur, ducere, non eſt interdictum, et ex eo matrimonio* IVSTOS PATRI FILIOS NASCI, *certiſſimum eſt*. Et hinc eſt, quod huic capiti cum GOTHOFREDO inſeruimus formulam: NEVE QVID EIS, QVI ILLAS DVXERINT, LIBERISQVE EX EO MATRIMONIO NATIS, FRAVDI IGNOMINIAEVE ESTO. Eadem enim in ſimili ſpecie, quum Hiſpalae Fecenniae, libertinae, nuptiae cum viro ingenuo permitterentur, adhibitam a ſenatu fuiſſe, iam laudatus GOTHOFREDVS ex LIVIO *(d)* docuit.

XI. Sequitur pars huius capitis poſterior, cuius legitima verba maximam partem ſeruauit VLPIANVS *(e)*:

> *at ne quis ingenuus* EAM, QVAE PALAM QVAESTVM CORPORE FACIT, FECERIT, LENAM, A LENONE MANVMISSAM, AVT IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAM; ET QVAEVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT, *ſponſam vxoremue ſciens, dolo malo habeto*.

Indigna ergo ingenui ciuis Romani, vtut plebeii, connubio iudicatur ET, QVAE PALAM QVAESTVM CORPORE FACIT, FECERIT. Quaeſtum autem palam corpore facere dicebantur meretrices, ſiue ſe in lupa-

(a) GRVT. *pag.* 583. *num.* 10.
(b) *Lib. LIIII. pag.* 531.
(c) *L.* 15. *C. de nupt.*
(d) *Lib. XXXVIIII. cap.* 19.
(e) *Lib. I. L.* 43. §. 1. *D. de rit. nupt.*

lupanari proſtituerent, ſiue in taberna cauponaria paſſim et ſine delectu adulteris vel ſtupratoribus ſe committerent, ſiue gratis id palam facerent, ſiue pactae ſibi turpiſſimam mercedem. Sufficere enim videbatur ad mulierculárum huius modi infamiam, quod vulgaſſent corpus, ſeque ipſae ad lupanaria, tamquam ad harenam, damnaſſent. Neque abſtergebatur turpitudo, quaeſtu illo intermiſſo: multoque minus videbatur ferenda, quae paupertatis obtentu ſe pudicitiam proſtraſſe cauſſaretur, licet poſtea rediiſſet ad frugem. Ita enim haec verba latiſſime interpretatur iureconſultus caſtiſſimus, VLPIANVS (*a*).

Vt autem quaeſtus illius ratio inter Romanos eo rectius intelligatur: id quidem neminem ignorare exiſtimo, Romae extra legum ciuilium poenam fuiſſe id crimen, modo, quae id facturae erant, mulierculae quaeſtus illius turpitudinem profiterentur apud aediles, quorum curae et fornices, popinas, cauponas, aliaſque Bacchi ac Veneris palaeſtras commendatas fuiſſe, iam pridem obſeruauit LIPSIVS (*b*). Hinc TACITVS (*c*) memoriae prodidit, *Viſtiliam, praetoria familia genitam, licentiam ſtupri apud aediles vulgaſſe*, MORE INTER VETERES RECEPTO, *qui ſatis poenarum aduerſus impudicas, in ipſa* PROFESSIONE *flagitii credebant*. Et ita quoque intelligendus PAPINIANVS (*d*), dum meminit *mulieris*, *quae euitandae poenae adulterii gratia lenocinium facit*. Si qua ergo Romae corpus venale haberet, cuius nomen in albo aedilium non legeretur: horum erat, illas mulcta, immo et exſilio, aliiſque grauioribus poenis coercere: cuius aedilitiae ſeueritatis exemplum iam ab aliis adlatum video ex LIVIO (*e*). Quamuis vero ſtupri profeſſae licentiam, quaeſtum impune facerent: non tamen euitabant grauiſſimam, quae eas apud bonos omnes manebat, ignominiam. Hinc *iure et dignitate matronali exſolutae*, vti eleganter loquitur SVETONIVS (*f*), togam loco tunicae ſumebant, (quam et VLPIANVS (*g*) noſter *veſtem meretriciam* vocat,) omnium, quibus aliquis honeſtatis ſenſus erat, expoſitae ludibrio, et tributo turpi iam a Caligulae temporibus obnoxiae (*h*). Quae quum a LIPSIO, BRISSONIO aliiſque latius exponantur, hic repetere nolumus. Vel haec pauca enim ſatis oſtendunt rationem, cur Auguſtus indignum ſuorum temporum felicitate exiſtimarit, ingenuum ſanguinem iſtorum proſtibulorum contagione impune contaminari.

XII. Nefas porro erat ingenuo, ſponſam nuptamue eſſe LENAM vel A LENONE MANVMISSAM, quod in fragmentis teſtatur VLPIANVS (*i*). Lenarum enim non magis integra erat fama atque exiſtimatio, quam ipſarum meretricum, ſiquidem, VLPIANO (*l*) iudice, *lenocinium facere* NON MINVS EST, *quam corpore quaeſtum facere*. Sunt autem lenones et lenae, qui quaeue mulieres quaeſtuarias proſtituunt, ſiue ſuo id nomine faciant, ſiue alterius. Quin et ſi cauponam exercens, in ea corpora quaeſtuaria habeat, (vti multae adſolent ſub praetextu inſtrumenti cauponi proſtitutas mulieres

(a) *Lib. I. L. 43. pr. §. 1. ſeq. D. de rit. nupt.*
(b) *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib.II. litt.* G.
(c) *Annal. Lib. II. cap.* 85.
(d) *L. 10. D. ad leg. Iul. de adult.*
(e) *Lib. 10. cap.* 31.
(f) *Tiber. cap.* 32.
(g) *L. 15. §. 1. D. de iniur.*
(h) *Suet. Calig. cap.* 40.
(i) *Tit. XIII. §.* 2.
(l) *Lib. I. L. 43. §. 6. D. de rit. nupt.*

habere,) dicendum videtur, hanc quoque lenae adpellatione contineri (a).

Quid vero his mulieribus turpius? quid ad omne ſcelus procliuius? quae comicis iure meritoque *periurae*, *peſtes*, *pellecebrae*, *pernicies*, *adoleſcentium exitium*, *legirupae*, *dicuntur*? quas infamia notabant leges, et accuſandi dicendique teſtimonii iure priuabant (b)? quibus praetores Romani, vti ex notabili exemplo apud VALERIVM MAXIMVM (c) conſtat, fere iura communia negabant? a quibus denique ita abhorrebant omnes, quibus quid honeſti ſanguinis erat, vt PLAVTVS (d) ſcribere non dubitet:

Idem genus eſt lenonium inter homines, meo quidem animo,
Vti muſcaeque, culiceſque, pedeſque, puliceſque,
Odio, et malo, et moleſtiae: bono vſui eſtis nulli,
Nec vobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet.
Qui conſtitit, culpant eum, conſpuitur, vituperatur,
Eum REM FIDEMQVE PERDERE, *tametſi nihil fecit, aiunt.*

An ergo Auguſtus, monſtra huius modi in vllius ciuis ingenui torum admitti paſſus eſſet?

Iunguntur lenis A LENONE MANVMISSAE, quia et hae ſuſpectae erant proſtratae pudicitiae. Solebant enim lenones ac lenae furtim emere virgines ingenuas, eaſque vel proſtituere in lupanari, vel aliis in concubinatum vendere pretio. Vnde denuo apud PLAVTVM (e) *Curculio*:

- - - - - - - - - *Alienas mancupatis,*
Alienas manumittitis, alieniſque imperatis,
Nec vobis auctor vllus eſt, nec voſmet eſtis vlli.

Ita enim *alienas* lego, pro *alienos*, quam ſcripturam ipſa reſpicit orationis ſeries. Quin videtur Auguſtus hac lege ſimul obicem ponere voluiſſe inueterato mori adoleſcentum, etiam a lenonibus abducentium amicas, quas vel manumittebant deinde, vel ſubornatis teſtibus plane pro ingenuis venditabant, vt eas vxores ducere ſine fraude ſua poſſent. Multae ſane huius modi fraudes deſcribuntur a comicis, quos publica, quae in ciuitate gliſcebant, probra in ſcena exagitaſſe, nemo ignorat. Quin eo adoleſcentum facinora tam ſaepe audiebantur in comoediis, vt PLAVTVS (f) aliquando ita adloquatur ſpectatores:

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula eſt.
Neque in hac ſubagitationes ſunt, vllaue amatio,
Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio,
Neque vbi amans adoleſcens SCORTVM LIBERAT *clam ſuum patrem.*
Huius modi paucas poetae reperiunt comoedias.

His

(a) *Idem d. L. 43. §. 7. 8. 9. D. eod.*
(b) *L. 1. L. 4. §. 2. D. de his, qui not. inf. L. 4. D. de accuſ.*
(c) *Lib. VII. cap. 7. §. 7.*
(d) *Curcul. Act. IIII. ſcen. 2. v. 13. ſeqq.*
(e) *Ibid. v. 10. ſeqq.*
(f) *Captiu. extr.*

His vero dolis non rectius vires omnes incidiſſe potuiſſet Auguſtus, quam dum et a lenone lenaue manumiſſas cum ingenuis in matrimonio viuere vetuit.

XIII. Porro et IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAM ingenuorum lecto geniali excluſit, ceu VLPIANVS binis locis teſtatur (a). Praecipue ea verba pertinent ad adulterii damnatas, quas duci iam prohiberat lex Iulia de adulteriis, ipſam adulterii poenam interminata iis, qui eos ſcientes dolo malo duxiſſent (b). Attamen nec alia hic excipiuntur iudicia publica, talia pura, *quibus vnicuique e populo experiri licebat, niſi ſi cui lege accuſandi non eſſet poteſtas* (c). Quare ea lex non officiebat damnatis ob calumniam vel praeuaricationem ex cauſſa publici iudicii, quia non publico iudicio fuerant damnatae (d). Denique quum ſub Tiberio et ſucceſſoribus, has cognitiones, vti ex TACITO (e) patet, frequenter ſibi vindicaret ſenatus: etiam ad eas, quae a ſenatu damnatae fuerant, id prolatum eſſe, VLPIANVS (f) ſcribit.

Damnatis IN ADVLTERIO DEPREHENSAS lex ſubiungit. Quamuis enim et ea de re quaedam cauta fuiſſent lege Iulia de adulteriis: haec tamen ſpeciatim notabat eas, quae vel a marito domi ſuae, vel a patre domi ſiue ſuae, ſiue generi fuiſſent deprehenſae. Quo caſu et vtrique fas erat vindictam ſumere priuatim, ita, vt patri filiam cum adultero, marito adulterum, in tam nefando facinore oppreſſum, occidere liceret (g). Verum in lege PAPIA POPPAEA, vbi non de occidenda, ſed ducenda adultera agebatur, nihil intererat, a quo, vel vbi eſſet deprehenſa. Proinde ſiue maritus, ſiue quis alius, ſiue domi ſuae, ſiue alibi eam deprehendiſſe proponeretur: notata videbatur eius modi mulier, indignaque ejuis ingenui connubio (h). Illud quoque obſeruandum, ſolam ſuffeciſſe deprehenſionem, quamuis nec accuſata poſtea mulier fuiſſet, nec iudicum damnata ſententiis, vel accuſata quidem, poſtquam deprehenſa fuerat, ſed abſoluta tamen: *quia verum eſt*, inquit VLPIANVS (i), *eam in adulterio deprehenſam, et factum lex, non ſententiam notauerit*. Quemadmodum itaque in ſenſu diuiſo, vti in ſcholis loquuntur, accipienda ſunt verba: IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAM: ita veteres iuris interpretes legis verba et ad eam ſpeciem protulerunt, ſi quis in adulterio Semproniae damnatus eam adulteram non damnatam vxorem duxiſſet. Nam et haec duci non poterat, quamuis par eſſet vtriuſque turpitudo. Sane huius modi quaeſtio incidebat de Maeuio, cuius nomine Claudius quidam Seleucus ita conſuluerat PAPINIANVM (k): *Claudius Seleucus Papiniano S. ſalutem. Maeuius in adulterio Semproniae damnatus, eandem Semproniam,* NON DAMNATAM, *duxit vxorem, qui moriens heredem eam reliquit: quaero, an iuſtum matrimonium fuerit, et an mulier ad hereditatem admittatur?* cui PAPINIANVS reſpondit, *neque tale*

(a) *Lib. I. L. 43. §. 10. D. de ritu nupt. et Fragm. tit. 13. §. 2.*
(b) *L. 29. §. 1. D. de adult.*
(c) VLP. *Lib. I. d. L. 43. §. 11. D. eod.*
(d) *Ib. L. 43. §. 11. D. eod.*
(e) *Annal. Lib. II. cap. 85. et Lib. III. cap. 10.*
(f) *Tit. XIII. §. 2.*
(g) PAVLL. *Sent. rec. Lib. II. tit. 26. §. 2.*
(h) VLP. *Lib. I. L. 43. §. 13. D. de rit. nupt.*
(i) *Ibid. d. L. 43. §. 12. D. eod.*
(k) *L. 13. D. de his, quae ut indign.*

matrimonium ſtare , neque hereditatis lucrum ad mulierem , ſed quod relictum eſt , ad fiſcum peruenire . Sed etſi talis mulier virum inſtituiſſet , et ab eo , quaſi ab indigno , hereditatem eſſe auferendam.

XIIII. Denique et cum ea prohibentur nuptiae , QVAE ARTEM LVDICRAM FACIT , FECERIT (*a*) . Haec vero quum iam ad primum caput fuerint explicata : nihil eſt , quod hic addendum arbitremur , praeter id vnum , quod lex circa ingenuorum nuptias aliquantulum remiſerit a rigore ſuo , nihilque addiderit de patre matreue , artem ludricam facientibus , quorum tamen opera in ſcenam vel arenam locata ſenatorum nuptias non minus turbabat , ac ſi ipſa femina in ſcenam prodiiſſet . Ingenuis tantum ab ipſis mulieribus ſcenicis abſtinendum , neque filiabus fraudi erat quaeſtus, quem parentes in ſcena vel fecerant olim , vel tum adhuc , quum filiae ingenuis nuberent , faciebant.

C A P V T II.

P*Rima illa capita variis mutationibus obnoxia .* I. *Lex illa minus , quam perfecta . Ex imperfecta perfectam reddidere Antoninus et Commodus imperatores . SC. hoc cur ſoli Antonino tribuatur ? Quale illud fuerit ?* II. *Conſtantinus M. legem etiam ad alias perſonas perfectiſſimas protulit . Eius conſtitutio* L. 1. C. de natur. lib. *explicata . Qualis dignitas* τελειότητος *vel perfectiſſimatus ? Duumuiri etiam non nulli viri perfectiſſimi dicti . Phoeniciarchae et Syriarchae. Conſtantinus etiam libertinarum filias nuptiis virorum perfectiſſimorum prohibuit . Vt et tabernarias , tabernariarumque filias , et eas , quae mercibus publice praefuerint . Poenam quoque auxit Conſtantinus .* III. *Valentiniani et Marciani auguſtorum conſtitutio Conſtantinianeae ſimilis .* IIII. *Iuſtinus totum caput de ſenatorum nuptiis abrogauit . Cauſſa fuere Iuſtiniani cum Theodora nuptiae ,* L. 23. C. de nuptiis , *non Iuſtiniani , ſed Iuſtini eſt . Abſonae ratiocinationes Iuſtini .* V. *Poſtea et Iuſtinianus ſaepe hoc caput exploſit , primum anno* 527. *vt ex* L. 33. pr. C. de epiſc aud. *colligitur , deinde anno* 534. L. 33. §. 1. C. de epiſc. aud. *poſtea anno* 539. Nou. LXXXVIIII , cap. 15. *ac denique anno* 541. Nou. CXVII.

PRima illa , quae coniunximus , LEGIS PAPIAE POPPAEAE capita tot obnoxia fuere mutationibus , quot neſcio , an vllum . Quare operae pretium fuerit , quid poſt Auguſti tempora ei legi vel obrogatum , vel ſurrogatum , vel derogatum ſit , quibus denique gradibus illa capita de maritandis ordinibus plane fuerint antiquata , paullo accuratius enarrare .

I. Capita illa minus , quam perfectis legibus fuiſſe accenſenda , recte vidit IAC. GOTHOFREDVS (*b*). Prohibuerant enim ſenatorum atque ingenuorum cum perſonis vilioribus nuptias : verum contractas non reſciderant , poenam iis , qui contra legem vxores duxiſſent , irrogaſſe contenta . Quae ipſa

(a) VLPIAN. *Fragm. tit.* 13. §. 2.

(b) *Not. ad leg. Pap. Popp. cap.* 1. *pag.* 213.

ipſa eſt *legis minus quam perfectae* definitio apud VLPIANVM (*a*). Non reſcidiſſe vero legem Papiam nuptias illegitimas, vel inde colligas, quod *mortua* demum *vxore dos caduca fieret* (*b*), et matrimonio licet contra leges contracto, vxor tamen a marito adulterii poſſet accuſari (*c*). Vnde non potuit non inferre vir eximius, huius modi nuptias, quamuis iniuſtas atque illegitimas, tamen non irritas feciſſe Auguſtum, adeoque nec per legem Papiam illas fuiſſe reſciſſas.

Enimuero perfectam ex imperfecta hanc legem fecerunt Marcus et Commodus imperatores, de quibus VLPIANVS (*d*): *oratio imperatorum* ANTONINI et COMMODI, *quae quaſdam nuptias in perſonam ſenatorum inhibuit, de ſponſalibus nihil loquuta eſt*. ORATIONIS *imperatorum* meminit. Solebant enim principes, quae a ſenatu decerni vellent, antequam patres rogarent ſententias, oratione complecti, eamque vel ipſi in ſenatu habere, vel recitandam dare quaeſtoribus candidatis, quorum praecipue erat, *orationibus, epiſtolis, libriſque principum in ſenatu legendis vacare* (*e*): Quare ſi quid oratione principis vel cautum dicitur, vel prohibitum, perinde eſt, ac ſi SC. conſtitutum fuiſſe diceretur, non quod ſola principis oratio ius faceret, (nondum enim legiſlatoriam illam poteſtatem ſibi arrogarant boni principes,) ſed quod deinde pedibus plerumque iri ſoleret in principis ſententiam, fieretque in eam ſenatuſconſultum, quod ſaltim a Tiberii temporibus ita pro lege erat, vt ſcribere non dubitet VLPIANVS (*f*): *non ambigitur, ſenatum* IVS FACERE *poſſe*.

Tale SC. etiam hanc principum orationem inſequutum eſſe, ſimulque, quid eo cautum fuerit, perſpicue his verbis docet PAVLLVS (*g*): *oratione* D. MARCI *cauetur, vt, ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet*, NEC NVPTIAE *eſſent*. *Quam et* SENATVSCONSVLTVM *ſequutum eſt*. D. Marco eam orationem tribuit Paullus, quam ei et Commodo communem fuiſſe Vlpianus ſcripſerat, quia ſollemne eſt iuris auctoribus, vni ac praecipuo collegarum tribuere, quod ab iis communiter fuerat conſtitutum. Id quod praecipue faciebant, ſi pater cum filio communicauerat imperium, aut ſi tanta collegae vnius prae altero erat auctoritas, vt contingeret, quod, teſte SVETONIO (*h*) de Caeſaris et Bibuli conſulatu ferebatur:

Non Bibulo quidquam nuper, ſed Caeſare factum eſt,
Nam Bibulo, fieri, conſule, nil memini.

Qua de cauſſa et ſoli Marco Antonino tribui animaduertimus SC. Orphitianum (*i*), quod Marci et Commodi imperatorum orationi originem debere, idem VLPIANVS (*l*) tradit.

Deinde, quod ad ipſum attinet huius SC. argumentum: cautum illo ait PAVLLVS, *vt ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet*, NEC NVPTIAE *eſſent*: idque etiam teſtatur VLPIANVS (*m*). Sed caue tamen exiſtimes, id ſolum tunc

(a) *Fragm. tit.* 1. §. 2.
(b) *Ibid. tit.* 16. §. 14.
(c) L. 13. §. 1. D. *ad leg. Iul. de adult.*
(d) L. 16. D. *de ſponſal.*
(e) L. vn. §. 2. et 4. D. *de offic. quaeſt.*
(f) L. 9. D. *de legib.*
(g) L. 16. *pr.* D. *de rit. nupt.*
(h) *Iul. cap.* 20.
(i) *Pr. Inſt. de SC. Orphit.*
(l) *Fragm. tit.* 26. §. 7.
(m) L. 3. §. 1. D. *de don. inter. vir. et vxor.*

Digitized by Google

tunc principes ſanxiſſe. Neque enim de ſenatorum tantum filiabus, ſed de ipſis etiam ſenatoribus eo SC. actum, in eorumque perſonam nuptias quaſdam fuiſſe inhibitas, paullo ante vidimus ex fragmento VLPIANI, qui et alibi (a) videtur hoc SC. in animo habuiſſe, dum ſcribit: SENATVS *cenſuit, non conueniens eſſe vlli ſenatori, vxorem ducere aut retinere, damnatam publico iudicio*. Quumque eadem ratio, quae in ſenatorum liberorumque eorum perſonas nuptias inhibere ſuaſit, etiam in ingenuorum perſonam cadere videatur: perquam profecto veroſimile eſt, de his quoque egiſſe illud SCtum, adeoque illud vtrumque caput integrum repetiiſſe, eique addidiſſe ſanctionem: SI QVI ERVNT, QVI ADVERSVM EA FECERINT, QVAM SVPRA SCRIPTVM EST, INTER EOS NEC NVPTIAS ESSE CENSVERE. Generatim enim nuptias contra legem Iuliam et Papiam contractas poſt iſtud SC. irritas fuiſſe, ſatis adparet tot legibus, quae *nec ſponſalia*, (ad quae interpretando hoc SC. protulerunt veteres,) *huius modi vllius eſſe momenti* (b), *nec ſtare tale matrimonium* (c), *nec nuptias eſſe* (d), *nec eam*, quae contra hanc legem nubat, *vxorem fieri* (e), adeoque *nec retineri poſſe* (f), ſed *ſtatim eſſe dimittendam* (g), dicunt. Quae omnia non, vti EM. MERILLIO (h) viſum, ex ipſa lege PAPIA POPPAEA, ſed ex hoc SC. eſſe, ſatis conſtat.

II. De reuocando horum capitum vſu cogitauit etiam CONSTANTINVS M. imperator, ante cuius tempora illa videntur ſenſim euiluiſſe, poſtquam et e turba viliſſimorum hominum haud pauci ſibi viam in ſenatum emuniuerant. Iam ſub Marco Antonino, bono principe, honores petere ſuſtinebat Vetraſinus quidam, qui monitus ab imperatore, vt ſe ab opinionibus populi vindicaret; reſpondit, *multos, qui ſecum* IN ARENA *pugnaſſent, ſe praetores videre* (i). Commodus imp. vti refert LAMPRIDIVS (l), libertinos in Senatum et inter patricios legi paſſus erat. Poſtea Elagabalus ad praefecturam praetorii ſaltatorem, qui hiſtrioniam Romae fecerat, adſciuit, praefectum vigilum Gordium aurigam fecit, ad reliquos honores promouit, *commendatos ſibi*, vt LAMPRIDIVS (m) ait, *pudibilium enormitate membrorum*. Sed et Carinus, teſte VOPISCO (n), *praefectum vrbi fecit cancellarium ſuum, quo nihil foedius nec cogitari potuit aliquando, nec dici, praefectumque praetorii, quem habebat, occidit, in eius locum Matronianum, veterem conciliatorem, fecit. Vnum ex his notarium, quem ſtuprorum et libidinum conſcium ſemper atque adiutorem habuerat, inuito patre conſulem fecit*. Nec ignotum eſt, ipſis Conſtantini M. temporibus, Licinium multos ſenatores ad nauiculariorum conditionem detruſiſſe (o), non ob aliam procul dubio cauſſam, quam quod eos indignos ampliſſimo ordine exiſtimaret, quamuis eius factum Conſtantinus, vt ſolet, verbis ſatis inuidioſis exagitet. Monſtra huius modi quum irrueret in ſenatum, qualia eorum

(a) VLP. *Lib.* I. L. 43. §. 10. D. *de rit. nupt.*
(b) L. 16. D. *de ſponſ.*
(c) L. 28. D. *de his, quae ut indign.*
(d) L. 16. D. *de rit. nupt.*
(e) L. 34. §. *vlt.* D. *eod.*
(f) L. 43. §. 10. D. *eod.*
(g) L. 44. §. 7. D. *eod.*
(h) *Lib.* V. *Obſ. cap.* 11.
(i) IVL. CAPITOLIN. *in M. Ant. cap.* 12.
(l) *Vit. Commodi cap.* 6.
(m) *Elagab. cap.* 12.
(n) *Vit. Carini cap.* 16.
(o) L. 4. C. *Th. de infirm. his, quae a tyrann.*

eorum credamus fuiſſe matrimonia ? Ne ergo iſta nuptiarum licentia in ſaeculi dedecus vergeret, CONSTANTINVS *Flauio Popilio Nepotiano et Facundo* coſſ. id eſt, anno erae Chriſtianae 336. XII. Kal. Aug. conſtitutionem hanc (*a*) Carthaginem miſit ad Gregorium, praefectum praetorio: *ſenatores, ſeu praefectos, ſeu quos in ciuitatibus duumuiralitas, vel ſacerdotii, id eſt Phoeniciarchiae, vel Syriarchiae ornamenta condecorant, placet maculam ſubire infamiae, et alienos a Romanis legibus fieri, ſi ex ancillis vel ancillae filia, vel liberta vel libertae filia, vel ſcenicam vel ſcenicae filia, vel tabernaria vel tabernariae filia, vel humili vel abiecta perſona, vel lenonis aut arenarii filia, vel quae mercimoniis publice praefuit, ſuſceptos filios in numero legitimorum habere voluerint, aut proprio iudicio, aut noſtri praerogatiua reſcripti, ita, vt, quidquid talibus liberis pater donauerit, (ſeu illos legitimos, ſeu naturales dixerit,) totum retractum legitimae ſoboli reddatur, aut fratri, aut ſorori, aut patri, aut matri. Sed et ſi vxori tali quodcumque datum quolibet genere fuerit, vel emtione collatum, etiam hoc retractum reddi praecipimus. Ipſas etiam, quarum venenis inficiuntur animi perditorum, (ſi quid quaeritur, vel commendatum dicitur, quod his reddendum eſt, quibus iuſſimus, aut fiſco noſtro,) tormentis ſubiici iubemus. Siue itaque per ipſum datum eſt, qui pater dicitur, vel per alium, ſiue per interpoſitam perſonam, ſiue ab eo emtum, ſiue ab alio, ſiue ipſorum nomine comparatum: ſtatim retractum reddatur, quibus iuſſimus, aut, ſi non exſiſtant, fiſci iuribus vindicetur. Quibus tacentibus et diſſimulantibus ad defenſionem fiſcalem duorum menſium tempora limitentur: intra quae ſi non retraxerint, vel propter retrahendum rectorem prouinciarum interpellauerint, quidquid talibus filiis vel vxoribus liberalitas impura contulerit, fiſcus noſter inuadat, donatas vel commodatas res ſub poena quadrupli ſeuera quaeſtione perquirens.*

Hac ergo conſtitutione admodum ſeuera tripliciter primum legis noſtrae caput mutauit Conſtantinus. Nam primo nuptias olim ſenatoribus, eorumque filiis, nepotibus proneporibuſque prohibitas; etiam in minoris dignitatis perſonas quaſdam inhibuit: deinde et mulierculas ab eius modi virorum nuptiis cohibuit, quarum haud meminerat lex PAPIA POPPAEA. Denique et poenas quaſdam multo ſeueriores aduerſus eos, qui ſe huius modi nuptiis commaculauerant, ſtatuit.

Ad eos, quod attinet, quorum in perſonam nuptias cum quibuſdam feminis inhibuit, quaſdam quidem, quarum lex PAPIA POPPAEA rationem habuerat, omiſit, alias autem, quarum non habuerat, adiecit. Lex non ſolum de ſenatoribus agit, verum etiam de eorum filiis et filiabus, nepotibus neptibuſque ex filio, pronepotibus ac proneptibus ex nepote, filio nato natis. Conſtantinus nihil de his omnibus ſancit, forſan quod ita ſenſim euiluerat dignitas liberorum e ſenatoribus genitorum, vt eorum vix habenda videretur ratio. Sane iam ſub ALEXANDRO SEVERO coepiſſe dubitari, an filia et neptis ſenatoris claritatem generis retineat, ſatis ex huius principis reſcripto ad Seuerinam adparet (*b*). Nec opus fuiſſet noua illa VALENTIS, GRATIANI, et VALENTINIANI imperatorum conſtitutione,

[a] L. 1. C. *de nat ural. liber.* (b) L. 1. C. *de dign.*

ne (*a*), qua liberis ſenatorum dignitas clariſſimatus confirmaretur, ſi ea ab Auguſti temporibus illis ſalua ac illibata ſemper manſiſſet. Quemadmodum ergo horum rationem nominatim non habuit CONSTANTINVS, niſi eos κατὰ διάνοιαν inter viros perfectos latere dixeris: ita contra eam legem producit ad alios, quorum haud meminit lex PAPIA POPPAEA. Primo enim ſenatoribus iungit PRAEFECTOS. Sed quoſnam? Praefectoſne praetorio, aut vrbi? Hos nominari non erat opus, quum et hi non ſolum iam pridem virorum clariſſimorum (*b*) et amicorum imperatoris titulum (*c*), immo et ſenatoriam dignitatem, teſte LAMPRIDIO (*d*) obtinuiſſent, verum etiam ſenatores poſtremis temporibus longe anteirent, in ipſo ILLVSTRIVM virorum ordine conſtituti (*e*). An praefectos auguſtales aut aerario? Id vero addendum fuiſſet omnino, quia non vnius generis erant praefecti, iique dignitate magnopere differrent. Sed textum hic in mendo cubare conſtat: et facilis error ex nota. Praefecti vrbi litteris P. V. notari ſolebant, iiſdemque litteris deſignabantur, *viri perfectiſſimi*. Hinc tam ſaepe confunduntur *perfecti* et *praefecti*, vt exempla eius erroris hic conuaſare taedioſum futurum ſit, maxime quum nobis otium fecerit V. C. IVRETVS (*f*). Quamobrem nihil verius eſt, quam quod ſuſpicati ſunt HALOANDER, ANT. AVGVSTINVS, et IAC. CVIACIVS, pro *praefectos* reſcribendum eſſe *perfectos*; quippe quam lectionem et Marciani (*g*) et ipſius IVSTINIANI (*h*) Nouella confirmat: ſiquidem in hac *inſignes*, non alii ſunt, quam διασημότατοι, id eſt, *perfecti*, vti alias vocantur (*i*). Sunt vero viri *perfectiſſimi*, vel πλειότατοι proximi a *clariſſimis*, vel ſenatoribus, ipſis equitibus praelati, quippe non proximum, ſed ſecundum a ſenatoribus gradum obtinentibus (*l*). Conſtantini ſaeculo *perfectiſſimatus* honor adhuc tribuebatur *ducibus* (*m*), poſtea in ſpectabilium ordinem euectis (*n*), *Praeſidibus* item Arabiae, Dalmatiae, Hiſpaniae Tarraconenſis, *Correctoribus*, (inter quos tamen vnum *virum clariſſimum atque amicum ſuum* iam vocant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS (*o*), *praefectis annonae*, *praefectis vigilum*, *magiſtro curſus*, *Nationali ſummae rei* ſeu καθολικῷ, *Magiſtris et primiceriis ſcriniorum*, *Tribunis notariorum*, aliiſque, quorum recenſum ex vtriuſque codicis legibus ipſiſque marmoribus vetuſtis inſtituerunt IAC. GVTHERIVS (*p*), IAC. GOTHOFREDVS (*q*), et THOM. REINESIVS (*r*). Quorum obſeruationibus iam id adiicimus, quod ſub eadem tempora, vti paullo poſt demonſtrabimus, et duumuiri *perfectiſſimatus* vel πλειότατος dignitatem adfectare coeperint, quae demum ita euiluit, vt IVSTINIANI beneficio illa fruerentur promiſcue, quicumque ea de re principis codicillos impetraſſent, dum non eſſent ſeruilis conditionis, vel fiſco aut curiae obnoxii, vel piſtores, vel inſtitores, vel procuratores, vel denique illum ſibi honorem vena-

li

(a) L. 11. C. *eod.*
(b) *Cod. Greg. Lib. II. tit.* 11.
(c) L. 1. §. 3. *D. de adpell.* L. 1. C. *ſi mancip.* L. *vlt*, *D. de offic. praef. vigil.* L. 1. *D. de ſent. paſſis.*
(d) *Alex. cap.* 21.
(e) L. 4. C. *de mod. mulct.*
(f) *Ad Symmach. epiſt.* 40.
(g) *Nouell. Marcian. tit.* 4.
(h) *Nov. LXXXVIIII. cap.* 15.
(i) GREG. NAZ. *epiſt.* 128.
(l) L. 1. C. *de equeſtr. digni.*
(m) AMMIAN. *Lib. XXI. pag.* 216.
(n) L. 30. C. *Theod. de erog. milit. ann.*
(o) L. 4. C. *de iur. et facti ign.*
(p) *De offic. Dom. Aug. Lib.* I. *cap.* 4.
(q) *Ad C. Theod. Tom. II. p.* 248. *ſequ.*
(r) *Inſcript. claſſ.* 6. *num.* 38.

Digitized by Google

li ſuffragio non emiſſent *(a)*. Eos itaque omnes, qui ſuo tempore inter viros *perfectiſſimos* τελειοτάτους vel διασημοτάτους referebantur, a nuptiis indecoris abſtinere iuſſit CONSTANTINVS, legem Papiam Poppaeam, de ſolis ſenatoribus eorumque liberis ſcriptam, ad eos quoque proferens, qui proximum a ſenatoria dignitate gradum obtinebant.

Iungit his CONSTANTINVS eos, *quos in ciuitatibus Duumuiralitas condecorabat*. Nam et hi, vti iam diximus, olim in egregiorum conſtituti ordine, iis temporibus ad perfectiſſimatus vel τελειότητος gradum, ſaltim ſi celebrioribus ciuitatibus praeeſſent, adſpirare coeperant. Sane qui circa ea tempora ſcripſit, LACTANTIVS, vel quiſquis libelli *de mortibus perſequutorum* auctor eſt *(b)*, vbi de Chriſtianorum laniena ſub Maximiano agit: *Torquebantur*, inquit, *ab eo non modo decuriones, ſed primores etiam ciuitatum, egregii* ac PERFECTISSIMI VIRI. Vbi manifeſto decuriones *viri egregii*; primores ciuitatum vel duumuiri *perfectiſſimi* adpellantur. Ita et in vetuſto marmore ſaeculi Chriſtiani quarti apud GRVTERVM *(c)* *L. Aradio Valerio Proculo* v. c. plurimiſque functo dignitatibus monimentum exigunt.

VIRI, PERFECTISSIMI. ET. PRIN-
CIPALES. ET. SPLENDIDISSIMVS. OR-
DO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM.

Quare non mirum, et in horum perſonam eaſdem nuptias inhibuiſſe Conſtantinum, a quibus reliquos viros perfectiſſimos abſtinere iuſſerat.

Sed et *Sacerdotii, id eſt* PHOENICIARCHIAE et SYRIARCHIAE *ornamentis decoratos*, ab iiſdem nuptiis prohibuit. In ſingulis enim per orientem prouinciis ſacris prouincialium communibus praeerant pontifices, qui ſacra, templa, certamina, ludos feſtoſque dies curarent *(d)*. Hinc paſſim apud veteres occurrunt Aſiarchae *(e)*, Galatarchae *(f)*, Bithyniarchae *(g)*, Cappadociarchae *(h)*, Lyciarchae *(i)*, qui omnes aeque ac Syriarchae in communi cuiuſque prouinciae concilio creati, (vti ex STRABONE *(l)*, qui Lyciarcham ἐν τῷ συνεδρίῳ electum ſcribit, contra Harduinum accurate demonſtrat NORISIVS *(m)*, tanta plerumque profuſione ludos edebant, vt in iure noſtro proditae ſint excuſationes, quibus moleſtiſſima iſta ſacerdotia declinarentur *(n)*. Etiam hos ergo CONSTANTINVS, tamquam ſacerdotalibus decoratos ornamentis, a vilioris conditionis feminarum nuptiis cohibuit, idque adeo in principe Chriſtiano miratus eſt IVSTINIANVS *(o)*, vt ideo exagitare eum videatur. Sed non defuiſſe videntur CONSTANTINO rationes, quamobrem et ad hos legem Papiam Poppaeam proferret. Magna iſti homines in vniuerſa prouincia dignitate eminebant. Eorum enim erat,

[a] *L. 1. C. de perfectiſſ. dign.*
(b) *De mort. perſequ. cap.* 21.
[c] *Inſcr. pag.* 363. 2.
(d) VALES. *ad Euſeb. H. E. Lib.* IIII. *cap.* 15.
(e) *Act.* XVIIII. 31. 35.
(f) MONTFAVC. *Palaeogr. Gr. p.* 161.
(g) *L. 6. §. 14. D. de excuſ.*
(h) *d. L. 6. §. 14. eod.*
(i) *L. 1. C. de offic. com. orient.*
(l) STRABO *Lib.* XIIII. *p.* 665.
(m) *Diſſ.* III. *de Epoch. Syro-Maced. cap* 7. *pag.* 157.
(n) *L. 8. pr. D. de vac. excuſ. mun.*
(o) *Nou.* LXXXVIIII. *cap.* 15.

erat, *ἀρχεῖν τῶν περὶ γῆν ἱερῶν ἁπάντων, ἀρχεῖν τῆς χώρας καὶ τῶν πόλεων ἱερέων, καὶ ἀπονέμειν, ἃ τὸ πρέπον ἑκάστῳ*, *praeeſſe omnibus per prouinciam ſacris, imperare omnibus et regionis et vrbium ſacerdotibus, et vnicuique, quod conuenit, iniungere* (*a*): quin et deorum cultui parum deditos *τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας ἀποστῆσαι*, *ſacerdotali functione abdicare*, quippe quam poteſtatem iis veluti iure poſtliminii deinde reſtituit IVLIANVS (*b*). Hinc paſſim dicuntur *ἱερεῖς*, *ἀρχιερεῖς*, *ἀρχιερεῖς πρῶτοι*, *ἀρχιερεῖς μεγάλοι ἢ μέγιστοι* (*c*), quemadmodum ipſum illud ſplendidiſſimum ſacerdotium *ἔθνους ἱερωσύνη*, *praeſidatus gentis* (*d*) et *ſacerdotium prouinciae* (*e*) in ipſo iure noſtro adpellatur. Quare et nihil eſt honoris, quod non hiſce ſacerdotibus fuerit habitum. MAXIMIANVS Imperator, teſte EVSEBIO (*f*), illis honoris cauſſa dederat militare ſatellitium: ipſi prouinciales annos ſaepe non conſulum, ſed horum ſacerdotum nominibus ſignabant, ceu et ex epiſtola Smyrnenſium de martyrio Policarpi (*g*), et ipſis nummis antiquis apud EZ. SPANHEMIVM (*h*) patet. Saepe etiam maximas ſimul vrbium ac prouinciarum dignitates cum iſto ſacerdotio coniunctas fuiſſe animaduertimus. Sic *Χαριδήμου*, *ἀρχιερέως στρατηγοῦντος* mentio fit in marmore Arundelliano (*i*): *ἀρχιερέως τῆς Ἀσίας ναῶν καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον τῆς πατρίδος διὰ βίου βουλάρχου* in alio marmore apud SPONIVM (*l*), *ἀρχιερέως καὶ δικαστοῦ* apud THOM. SMITHIVM (*m*). Quin ipſa ſacerdotalis illa dignitas in ſe tanti viſa eſt eorum temporum hominibus, vt eam ΣΤΕΦΑΝΟΝ *ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων*, CORONAM *omnibus cariorem opibus* vocare non dubitet PHILOSTRATVS (*n*). Quae quum ita ſint, facile eſt ad exiſtimandum, non in ſpectabilium, clariſſimorum, perfectiſſimorum aut egregiorum ordinibus ſubſtitiſſe illos prouinciarum, pontifices, ſed ad ipſam adſpiraſſe *illuſtrium* dignitatem. Saltim id indicat marmor, quod Sardibus deſcripſit THO. SMITHIVS (*o*):

ΕΞΟΡΙΣΘΕΝΤΩΝ ΑΝΟΣΙΩΝ
ΚΑΜΥΣΑΡΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ ΠΑΡΑ
ΥΠΕΡΕΧΙΟΥ ΤΟΥ ΕΝΔΟΞΟΤΑΤΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΣΤΟΥ.

Vbi *ὑπερέχιος καὶ ἐνδοξότατος*, *ſublimis et glorioſiſſimus* adpellatur pontifex prouinciae. Eos vero titulos non niſi illuſtribus attributos eſſe, vel inde patet, quod praefecti praetorio in nouellis paſſim vocantur *ἐνδοξότατοι* vel in abſtracto, *ἡ σὴ ἐνδοξότης*, *tua gloria* (*p*) item *tua ſublimitas* (*q*), *tua celſitudo* (*r*), *amplitudo tua* (*s*), & ſic porro. Quae quum ita ſint, fuere omnino CONSTANTINO rationes, cur et Phoeniciarchas et Syriarchas (reliquorum enim nomina fortaſſis cum ipſa religione euanuerant,) a viliſſimarum feminarum nuptiis abſtinere vellet. Quia enim ab illuſtribus, in qui-

(a) IVLIAN. *epiſt. 63. pag.* 452.
(b) *Epiſt.* XXXXVIIII. *pag.* 431.
(c) EZ. SPANHEM. *de vſu numiſm. Diſſ. XII. pag.* 418. *Tom. II.*
(d) *L. 6. §. 14. D. de excuſ.*
(e) *L. 17. D. de muner. L. 8. pr. D. de vacat. et exc. mun.*
(f) *Lib. VIII. Hiſt. Eccl. cap.* 14.
(g) EVSEB. *Lib. IIII. Hiſt. Eccl. cap.* 15.
(h) *Ibid. pag.* 147.
(i) *Marm. Ox. pag.* 294. *P.* 11.
(l) *Miſc. Tom. III. pag.* 114.
(m) *Notit. ſept. eccl. Aſ. pag.* 30.
(n) *De vit. ſophiſt. Lib. II. ſegm.* 21.
(o) *Not. ſept. eccleſ. Aſ. pag.* 30.
(p) *Nou. LXXXXIII. cap.* 1.
(q) *L. 7. C. de numer. rat. L. vlt. C. de fabric.*
(r) *L. vlt. de numer.*
(s) *L. 3. C. de diuerſ. offic.*

quibus et hi pontifices cenſebantur, ad perfectiſſimos vſque legem Papiam Poppaeam valere ſemel voluerat: non poterat ſane, quin et horum ſacerdotum haberet rationem. Neque id ſacerdotii vel religionis honori tribuit: ſed quia lex in ſe viris eximiis exoſa erat, ideo nec iſtos ſibi exoſos homines, qui fortaſſis quam maxime huiuſmodi nuptiis ſeſe polluerant, exſortes eius oneris eſſe patiebatur.

Vt et ad feminas, quarum a nuptiis viros perfectiſſimos abſtinere iuſſit imperator, progrediamur: fruſtra meminiſſe videri poterat *ancillarum*, *earumque filiarum*, quum per legem Papiam Poppaeam ne libertinas quidem ducere poſſent ſenatores. Sed quum non ſolum a nuptiis, verum etiam a concubinatu vilium perſonarum cohibuerit ſenatores et perfectiſſimos, nec rarum iis temporibus fuerit, viros in republica principes etiam in ancillarum ruere amplexus (*a*): non abs re fore exiſtimauit, et earum meminiſſe diſerte. Sed et in eo ipſo Auguſto ſeuerior fuit CONSTANTINVS, quod non ſolum *libertinis*, ſed etiam *libertinarum filiabus* ingenuis, ſpem omnem ſenatorii matrimonii inciſit. Quae de *ſcenicis ſcenicarumque filiabus*, itemque *lenonum et arenariorum filiabus*, praecipit, ſatis congruunt legis Papiae Poppaeae rationibus. Scenicae enim et arenarii artem ludricam faciebant. Hos autem aeque ac eorum filias lex Papia Poppaea ſenatoribus ſenatorumque filiis ſponſas nuptaſque eſſe vetuerat. In lenonum filias autem non minus ac in eas, quae manumiſſae a lenone fuerant, proſtratae pudicitiae cadebat ſuſpicio. De nouo vero Conſtantinus addit *tabernarias*, *earumque filias*, id eſt, mulierculas, quae exercentes cauponariam, eſculenta potulentaque vendebant pretio minimo. Hinc NONIO MARCELLO (*b*) *taberna* praecipue dicitur *οἰνὼν* vel *vinaria*, quo faex ciuitatis potandi cauſſa confluebat. Has vero perſonas ipſa vilitas quaeſtus indignas reddebat ſenatorum et perfectiſſimorum virorum nuptiis. Semper enim tam abiecta viſa eſt tabernariorum conditio, vt ſi cui ſordidum quid ac vile oſtendere vellent, eum veteres cum HORATIO (*c*) remitterent ad

- - - - - - - Forum Appi,
Differtum nautis, CAVPONIBVS *atque malignis.*

Vnde et alibi idem poeta Venuſinus (*d*):

Nulla TABERNA *meos habeat neque pila libellos.*

Accedit, quod, vt ſupra ex VLPIANO (*e*) notauimus, plerumque *exercentes cauponariam*, *ſub praetextu inſtrumenti cauponii*, *proſtitutas mulieres habere ſolerent*, et hinc CATVLLO taberna dicatur *ſalax*, dum ſcribit:

SALAX TABERNA *voſque contubernales*
A pileatis nona fratribus pila.

P 2 Quum

(a) *L. vn. C. Theod. de concub.* L. 1. C. *Th. de mul. quae ſe ſeru.*
(b) *Cap.* 12. §. 55.
[c] *Serm. lib.* 1. *Sat. V. v.* 4.
(d) *Serm. lib.* 1. *Sat. IIII. v.* 7.
(e) *L.* 43. §. 9. *ff. de Rit. Nupt.*

Digitized by Google

Quum itaque lenis non multo meliores eſſent tabernariae · cum iis quoque earumque filiabus Senatores ex rationibus legis Papiae Poppaeae rem habere nolebat CONSTANTINVS. Poſtremo et vitari iubet, *quae mercibus publice praefuerunt*. Quamuis enim mercatura nihil habeat, quod vituperes: Romanis tamen ſemper ſorduerat tabernaria illa eorum negotiatio, *qui mercabantur a mercatoribus, quod ſtatim venderent, quoſque nihil proficere exiſtimabant, niſi admodum mentirentur* (a). Hinc et alibi CONSTANTINVS (b) edixit, *ne quis* EX VLTIMIS NEGOTIATORIBVS *aliqua frui dignitate pertentaret*. Et IVSTINIANVS (c) iis, *qui in* ALIQVO NEGOTIO *conſtiterint*, omnem ſpem ademit *fruendi codicillis perfectiſſimatus*. Vnde facile reddi poterit ratio, cur et perfectiſſimorum connubio eas indignas habuerit CONSTANTINVS.

Denique et, quod ad poenas attinet, quaedam in lege Papia Poppaea Princeps iſte innouauit. Lex Papia Poppaea nuptias has non reſcindebat, ſed poenis quibuſdam coercebat, qui aduerſus legem iniiſſent Matrimonium. Ex oratione quidem Marci et Commodi, imperatorum, inter perſonas, in quas lex illa nuptias inhibuerat, *nec nuptiae erant*: nec tamen, qui eiusmodi matrimonium contrahere conſtituerant, infames habebantur, multo minus ea ignominia notabantur Senatores, qui libertinam aliamque perſonam vilem non vxorem, ſed concubinam habuiſſent. Qualia exempla Romae non defuiſſe, vel ex VLPIANO (d) patet, qui Seuerum Imp. in liberta Pontii Paulini ſenatoris ſtatuiſſe ait, vt donationes ei factae ratae eſſent: *quia non fuerit adfectione vxoris habita, ſed magis* CONCVBINAE. Quamuis etiam lex Papia Poppaea liberos, ex huius modi matrimonio ſuſceptos, teſte PAVLLO (e), exſortes eſſe iuberet paternae hereditatis: poterat tamen pater naturalis iis donare, inter viuos et mortis cauſſa, poterat iiſdem legare et vendere, immo et ipſam hoc modo locupletare concubinam. Aſt multo feuerior CONSTANTINVS primo ſenatores et perfectiſſimos, qui ex his perſonis liberos ſuſceperint, infamia notat, quin indignos iudicat Romana ciuitate, ſi recte capio verba: *Placet maculam ſubire infamiae, et* ALIENOS A ROMANIS LEGIBVS *fieri*. Deinde non ſolum, qui nuptias cum his mulierculis contraxerint, notat, ſed et, qui eaſdem in concubinatu habuerint. Neque enim diſtingui patitur imperator, *legitimosne* pater *hos liberos dixerit, an naturales*. Praeterea non ſolum cum Marco Imp. has nuptias nullas eſſe iubet, verum etiam omnia, quae vel huiuſmodi vxori, vel concubinae, vel liberis ex eo matrimonio natis, a viro patreue viuo donata vel dictis cauſſa et in fraudem legis vendita fuerint, legitimae ſoboli vel propinquis reſtitui, aut his deficientibus, vel intra bimeſtre ſpatium non retrahendibus, a fiſco occupari iubet. Haec CONSTANTINVS aduerſus eos, qui latum clauum et perfectiſſimatus ornamenta tam abiectarum perſonarum conſortio contaminaſſent, conſtituit. Cuius rei quas cauſſas ille habuerit, infra, vbi de concubinatu agemus, dicendi erit occaſio.

III.

(a) CIC. *lib. 1. de offic. cap. 42.*
(b) L. 6. C. *de dign.*
(c) L. *vn.* C. *de perfect. dign.*
(d) L. 3. §. 1. D. *de Don. inter. vir. et vx.*
(e) *Lib. IIII. recept. ſent. tit. 8. §. 4.*

Digitized by Google

III. Eamdem viam ingreſſi ſunt VALENT. et MARCIANVS AVGVSTI qui prid. non. Apriles Altio et Aſterio coſſ. id eſt anno aerae vulgaris 354. ſingulari nouella (*a*), ex qua quaedam in codice noſtro repetuntur (*b*), eaſdem nuptias *ſenatorum perfectiſſimorum*, *duumuirorum*, *flaminum municipalium*, *et ſacerdotum prouinciae* cum ancillis, ancillarum filiabus, libertabus, earumque filiabus ſiue ciuibus ſiue Latinis, ſcenicis, earumque filiabus, tabernariis, earumque filiabus aliiſque abiectis perſonis denuo prohibent, addita interpretatione, *humilem vel abiectam perſonam minime eam intelligi*, *quae licet pauper*, *ab ingenuis tamen parentibus nata ſit*. Id quod ideo monendum putabant Imperatores, quod Conſtantinus M. in ſua conſtitutione addiderat: *Vel tabernaria*, *vel tabernariae filia*, *vel humili vel abiecta perſona*. Quae verba iuſto latiorem admittere potuiſſent interpretationem, niſi eam ſuis limitibus circumſcripſiſſent Valent. et Marcianus. Manſit ergo lex Conſtantini, vſque ad tempora Iuſtini ſenioris, idque liquet ex CASSIODORI (*c*) formula, qua matrimonium huiuſmodi confirmatur, et liberi inde nati legitimi eſſe iubentur. Ad quod CASSIODORI caput recte obſeruauit GVIL. FORNERIVS (*d*), eatenus tantum ab vſu receſſiſſe conſtitutionem Conſtantini, quod confirmatio huiusmodi nuptiarum peti poſſet a principibus, quod tamen fieri vetuerat Conſtantinus.

IIII. Sed illi capiti de ſenatorum nuptiis primum derogauit IVSTINVS, poſtea IVSTINIANVS Imperator illud penitus aboleuit. Et ille quidem huius iam nobiliſſimi Caeſaris inſtigationibus ad id commotus, viris ſummis nuptias cum ſcenicis mulieribus permiſit. Quum enim IVSTINIANVS, a Iuſtino adoptatus, deperiret Theodoram, ſcenicam et parum integrae exiſtimationis feminam, quippe *embolariam*, vti demonſtrauit ALEMANNVS (*e*): neque cum ea ſine dedecore, ſalua lege Papia Poppaea et Conſtantini M. conſtitutione, nuptiae fieri poſſent: facile perſuaſit IVSTINO, ſeni decrepito, vt edita conſtitutione illud Conſtantini M. edictum tolleret, et non modo clariſſimis ac perfectiſſimis viris, ſed illuſtribus etiam indecoras cum mulieribus ſcenicis nuptias concederet. Rem ita refert PROCOPIVS (*f*): *Τότε δὴ τὴν ἐγγύην πρὸς τὴν Θεοδώραν ἐνεχείρει ποιεῖν· ἀδύνατον δὲ ὂν, ἄνδρα ἐς ἀξίωμα βυλῆς ἥκοντα ἑταίρᾳ γυναικὶ ξυνοικίζεσθαι, νόμοις ἄνωθεν τοῖς παλαιοτάτοις ἀποῤῥηθὲν, λῦσαί τε τοὺς νόμους τὸν βασιλέα νόμῳ ἑτέρῳ ἠνάγκασε· καὶ τὸ ἐνθένδε ἅτε γαμετῇ τῇ Θεοδώρᾳ ξυνῴκησε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι βάσιμον κατεστήσατο τὴν πρὸς ἑταίρας ἐγγύην. Tum* IVSTINIANVS *cum Theodora moliri nuptias adgreditur. Nam quum viris ſenatoriis, (quod priſca lege cautum eſt,) vxorem ducere meretricem non liceat: ille principem, (* IVSTINVM, *) adigit ad legem noua conſtitutione euertendam. Et exinde Theodorae matrimonio iungitur; aditu reliquis ad meretricia connubia facto.*

Extat etiamnum haec IVSTINI conſtitutio in codice noſtro (*g*). Quamuis enim illa IVSTINIANO tribui ſoleat, neque adnotati ſint conſules, quibus illa prodierit in lucem: non IVSTINIANI tamen: ſed IVSTINI illam eſſe, partim inde inferri poteſt, quod NIC. ALEMANNVS (*h*) in vetere codi-

[a] *Nou. Marcian. tit. IIII.*
[b] L. 7. D. *de inceſt. nupt.*
[c] *Lib. VII. Var. cap.* 40.
[d] *Not. ad Caſſiod. l. c. pag.* 318.
[e] *Ad Procop. pag.* 33.
[f] *Anecdot. pag.* 45.
[g] L. 23. C. *de nupt.*
[h] *Ad Procop. anecd. pag.* 38. *ſequ.*

Digitized by Google

codice MSC. reperit IVST. quibus quatuor litteris Iuſtinum ἀναλφάβητον nomen ſuum exprimere ſolitum eſſe, tradit PROCOPIVS (*a*): partim quod illa ſcripta ſit ad DEMOSTHENEM *praefectum praetorio*, quem ſub IVSTINO ſeniore annis aerae Chriſtianae 521. 522. et 523. ſplendidiſſimo illo munere perfunctum eſſe, ex alia conſtitutione eiuſdem Iuſtini diſcimus. Et quid ſaepius contigit, quam vt IVSTINI conſtitutiones viri etiam eruditi, nominum ſimilitudine decepti, Iuſtiniano tribuant? Exemplis ſane compluribus id euicerunt NIC. ALEMANNVS (*b*) et PETR. RELANDVS (*c*), quos conſuluiſſe non poenitebit.

Ipſa IVSTINI conſtitutio perquam lepida eſt, et de qua vere vſurpaueris illud SENECAE (*d*): *Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam* LEX CVM PROLOGO. Primo enim Imperator, rationem redditurus nouae legis: *Imperialis beneuolentiae proprium hoc eſſe*, ait, *vt omni tempore ſubditorum commoda tam inueſtigare, quam eis mederi procuret*. Recte et ſapienter. Sed dum ſtatim ad curam illam imperialem et prouidentiam etiam id pertinere arbitratur, *vt lapſus mulierum, per quos indignam honore conuerſationem elegerint, competente moderatione ſubleuentur*, id eſt, vt viliſſimis ſcortis, et mulieribus ſcenicis via ad virorum perfectiſſimorum, ſenatorum, quin ipſorum principum lectos geniales emuniatur: id ſane ille non tam facile perſuadebit prudentioribus. Intereſt enim reipublicae, vt iſta proſtibula, quae verecundia ſexus a turpiſſimo vitae genere non cohibuit, poenis potius coerceantur, quam vt eorum lapſus competente moderatione ſubleuentur. Multo minus publici ſaporis eſt illa Iuſtini philoſophia: *Non debere iis ſpem melioris conditionis adimi, vt ad eam reſpicientes improuidam et minus honeſtam electionem facilius derelinquant*. Quaſi vero propoſita ſpes impunitatis magis a libidine reuocet mulierculas, turpiſſimo quaeſtui deditas, quam metus infamiae ac publicae animaduerſionis. Quaſi non tanto procliuiores futurae ſint ad quaeuis probra, ſi ad ſpem huiuſmodi altioris fortunae erigantur. Quanto rectius de vulgi ingenio ARISTOTELES (*e*): Οὐ γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ, οὐδ' ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρὸν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας. *Non enim ita nati ſunt homines, vt pudori obſequantur, ſed vt* METVI: *nec vt abſtineant a prauis ob turpitudinem, ſed ob* SVPPLICIA *et* POENAS. Quare neſcio an non paene improba ſint, quae ſequuntur: *Nam ita credimus, Dei beneuolentiam, et circa genus humanum nimiam clementiam, quantum noſtrae naturae poſſibile eſt, imitari, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur, et poenitentiam ſuſcipere noſtram, et ad meliorem eam ſtatum deducere*. Id ſcilicet erat Deum imitari, impuros Iuſtiniani amores lege iuuare, et mulieri ſcenicae et ſtupris infami viam pandere ad ſupremum inter homines faſtigium. Ipſa porro lex prologo non admodum diſſimilis eſt. Porro enim rhetoricatur IVSTINVS: *Itaque quum iniuſtum ſit, ſeruos quidem libertate donatos poſſe per diuinam indulgentiam natalibus ſuis reſtitui, poſtque huiuſmodi principale beneficium ita degere, quaſi numquam ſeruiſſent, ſed ingenui nati eſſent; mulieres autem, quae ſcenicis quidem ludis*

(a) *Anecdot. pag. 28.*
(b) *Ad Procop. pag. 116.*
(c) *Faſt. conſular. pag. 691.*
(d) *Epiſt. 9.*
(e) *Ethic. Lib. X. cap. vlt.*

ludis ſeſe antea immiſcuerunt, *poſtea vero ſpreta mala conditione*, *ad meliorem migrarunt ſententiam*, *et inhoneſtam profeſſionem effugerunt*, *nullam ſpem habere principalis beneficii*, *quod eas ad illum ſtatum reduceret*, *in quo ſi nihil inhoneſti peccatum*, (fortaſſe *patratum*,) *eſſet*, *commorari potuerunt*: *praeſente ſanctione clementiſſima principale beneficium eis ſub hac lege condonamus*. Sed vide tu mihi ratiocinandi acumen. Libertini poſſunt natalibus reſtitui: proinde et ſcenicae mulieres et corpora quaeſtuaria a ſenatoriis nuptiis non ſunt arcenda. Seruilis conditio in ſe non turpis, ſed miſerrima eſt, et hinc, quum in eam inuitos plerumque fortuna demergat, commiſeratione digna: at mulieres iſtae ſua ſponte in vitae genus turpiſſimum ruunt, odio hinc et poenis, quam commiſeratione, digniores. Ivstinvs tamen et his permittit: *vt*, *ſi derelicta mala et inhoneſta conuerſatione*, *commodiorem vitam amplexae fuerint*, *honeſtatique ſe dederint*: *liceat eis ſupplicare Numini*, (Ivstino) *vt diuinos adflatus*, (reſcriptum principale,) *ſine dubio mereantur*, *et tunc ad matrimonium venire* poſſint *legitimum*, *his*, *qui eis iungendi ſint*, *nullo timore tenendis*, *ne ſcitis praeteritarum legum infirmum eſſe videatur tale coniugium*, *ſed ita validum permanere tale matrimonium*, *confidentibus*, *quaſi nulla praecedente inhoneſta vita*, *vxores eas duxerint*, *ſiue dignitate praediti ſint*, *ſiue alio modo ſcenicas in matrimonium ducere prohibeantur*, *dum tamen dotalibus omnino inſtrumentis non ſine ſcriptis tale probetur coniugium*. Accedunt et alia, quae ad deſtruendam legem Papiam Poppaeam et Conſtantini M. conſtitutionem pertinent: veluti, quod et *liberos ex tali matrimonio procreandos*, *ſuos et legitimos patri eſſe*, *licet alios ex priore matrimonio legitimos habeat*, iubet, quodque mulieribus huiuſmodi, etiamſi poſt diuinum reſcriptum, ad matrimonium venire diſtulerint, *ſalua nihilominus eſſe debeat exiſtimatio*, *tam in aliis omnibus*, *quam ad tranſmittendam*, *quibus voluerint*, *ſuam ſubſtantiam*, *et ſuſcipiendam competentem ſibi legibus ab aliis relictam*, *vel ab inteſtato delatam hereditatem*. Talis eſt Ivstini conſtitutio, in qua et id notatu dignum videtur, quod quum Conſtantinus etiam ancillas, libertas, tabernarias, earumque et lenonum ac arenariorum filias, nec non, quae mercimoniis publice praefuerint, conſtitutione ſua notaſſet: Ivstinvs non niſi mulierum ſcenicarum meminerit, vt eo minus poſſet dubitari, in ſolius Theodorae gratiam, quae ex illa faece hominum erat, totam hanc legem conditam fuiſſet.

V. Neque tamen hic ſubſtitit Ivstiniani in euertenda hac lege induſtria. Ducta enim Theodora, paullo poſt rerum potitus, ab hac inſigni cura auſpicatus eſt imperium, nouamque *ad omnes magiſtratus* conſtitutionem miſit, qua denuo ratas eſſe iuſſit ſenatorum cum ſcenicis mulieribus nuptias, addiditque, ad eiuſmodi matrimonium ne diuino quidem illo adflatu, ſeu reſcripto principali, quod Ivstinvs exegerat, in poſterum opus fore mulierculis, ſed ſuffecturas ipſis dotales tabulas. Non exſtat integra illa conſtitutio, ſed ipſe tamen eam collaudat et ſuſius recenſet Ivstinianvs (a), cuius ex verbis ſimul quodammodo tempus, quo edita eſt, diuinare licet. Ait enim, *conſtitutionem hanc poſitam eſſe in quinto libro omnium conſtitutionum*, *ſuae pietati cognominis libri*. Manifeſto vero loquitur

[a] *L.* 33. *pr. C. de epiſc. aud. L.* 29. *C. de nupt.*

Digitized by Google

tur de codice Iuſtinianeo, quem ſcribi coeptum anno 528. idibus Februarii, palam eſt (a). Ipſe vero Iuſtinianus quum imperare coeperit menſe Auguſto anni 527. inter quos temporis characteres non niſi ſemeſtre intercedit ſpatium: conſequens eſt, vt primo ſtatim imperii anno conſtitutionem illam ediderit, quum recentiſſima adhuc eſſet nuptiarum cum ſcenica muliere contractarum memoria.

Sexennio poſt, anno 534. ſimilem iterum promulgauit conſtitutionem, eamque *ad omnes vbique terrarum epiſcopos* miſit, quaſi et ecclesiae intereſſet, ſcenicas mulieres nubere ſenatoribus, et quaſi immineret periculum, ne ſi eorum thalamis excluderentur, aliquid detrimenti caperet Chriſtiana reſpublica. Ita enim fere Imperator illa conſtitutione (b), quam et Graece edidit ALEMANNVS (c), loquitur: *Quoniam enim oportebat, per praeſentem ſanctionem, et vobis vbique terrarum poſitis religioſiſſimis epiſcopis haec facere manifeſta: quare congregantes, quae ad ipſam pertinent, expoſitione latiore ſancita, etiam eamdem diuinam conſtitutionem fecimus ad vos*, ὅπως τὴν ἱερατικὴν διασώζοντες σεμνότητα καὶ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ ἀντεχόμενοι ταῦτα φυλάττοιτε τότε ἐκ τοῦ μεγάλου θεοῦ δέος καὶ βασιλικὴν ἀγανάκτησιν εἴ τι τούτων παραβαίνοιτε λογιζόμενοι. *vt ſacerdotalem conſeruantes reuerentiam, et* CONTINENTIAE *ſtudioſi, haec cuſtodiatis, tam* MAGNI DEI METVM, *quam imperialem indignationem, ſi quid horum praetermiſeritis, conſiderantes.* Ceterum hac conſtitutione non ſolum vetuit inuitam mulierem, aut ancillam aut libertam in ſcenam vel orcheſtram protrahi, iis, qui eam conuerti volentem prohibuerint, eiuſue fideiuſſores ad certum auri modum redigerent, publicationem bonorum et relegationem interminatus: verum etiam *licentiam dedit, conuerſis huiusmodi mulieribus, liberis et ingenuis exſiſtentibus, ad matrimonium tranſire legitimum, etiamſi contigerint honeſtiſſimis dignitatibus, qui illas duxerint, decorati, non amplius indigentibus imperialibus reſcriptis, ſed ſua poteſtate nuptias celebrantibus, nuptialibus inſtrumentis omnimodo inter ipſos factis.* Quae eadem et de filiabus ſcenicarum intelligi iubet.

Hucuſque ſcenicis tantum mulieribus conſuluerant IVSTINVS et IVSTINIANVS, nec dum eius priuilegii participes erant ancillae, ancillarumque filiae, libertinae aliaeque, quas Conſtantinus indignas iudicauerat ſenatorum connubio. At quinquennio poſt, anno 539. totam illam Conſtantini M. conſtitutionem vna veluti litura inducens (d): *Etſi*, inquit, *certa a Conſtantino piae memoriae, in conſtitutione ad Gregorium ſcripta, quaedam de talibus dicta ſunt filiis, haec non recipimus: quoniam et non vtendo perempta eſt. Phoeniciarcharum enim et Syriarcharum, et magiſtratuum, et inſignium meminit, et clariſſimorum, et neque naturales eſſe vult ex his procedentes, amouens eis etiam imperialis munificentiae manſuetudinem. Quam videlicet conſtitutionem* OMNINO PERIMIMVS. Ita euanuit hoc primum, multoque magis ſecundum legis Papiae Poppaeae caput: quamuis cauſſa, quam interſerit imperator, ac ſi non vtendo peremta eſſet Conſtantini conſtitutio, plane falſa ſit. Praeterquam enim, quod non ſequitur, vt, ſi Phoe-

[a] *Conſt.* Haec quae neceſſario *de nouo cod. fac.*

(b) L. 33. §. 1. C. *de epiſc. aud.*

(c) *Not. ad Procop. anecd. pag.* 41.

[d] *Nou.* LXXXVIIII. *cap.* 15.

Digitized by Google

Phoeniciarcharum et Syriarcharum nomina Iuſtiniani temporibus non amplius audiebantur, conſtitutio illa, quae etiam de viris perfectiſſimis et ſenatoribus agit, ab vſu receſſerit: ipſe etiam PROCOPIVS (*a*) teſtatur, conſtitutionem illam ante IVSTINIANI tempora tam religioſe fuiſſe obſeruatam, vt *ἀδύνατον* viſum fuerit, *ἄνδρα ἐς ἀξίωμα βουλῆς ἥκοντα ἑταίρᾳ γυναικὶ ξυνοικίζεσθαι*, quandoquidem id fuerit *virum ad ſenatoriam dignitatem euectum meretricem vxorem ducere*: *νόμοις τοῖς παλαιοτάτοις ἀπορρηθὲν*, *legibus antiquiſſimis prohibitum*.

Vix biennio circumacto denuo hanc Conſtantini conſtitutionem, ſibi tam exoſam, tollit IVSTINIANVS (*b*) qui et alibi (*c*) toties eamdem rem agit, vt nihil enixius voluiſſe videatur, quam vt ſublata e republica legis Papiae Poppaeae, et Conſtantinianeae conſtitutionis memoria matrimonii cum Theodora contracti ignominia minueretur, aliorumque ſaltim imitatione ei exemplo color aliquis paullatim accederet.

[a] *Anecdot. pag.* 45.
(b) *Nou. CXVII. cap.* 6.
(c) *Nou. LXXVIII. cap.* 3. *et Nou. LI.*

C A P V T III.

AD CAPVT III. LEGIS PAPIAE POPP.

DE SEXAGENARIIS, QVINQVAGENARIIS ET SPADONIBVS

I. P*Roximum fuiſſe videtur caput de ſexagenariis, quinquagenariis et ſpadonibus*. II. *An lex Papia Poppaea inter ſexagenarios et quinquagenarias nec non cum ſpadonibus nuptias eſſe vetuerit?* Iac. Perizonius *laudatus*. *Sexagenarios et quinquagenarias lex Papia Poppaea poenis potius ſoluit*. *Argumenta, quibus vulgo probant ſententiam priorem*. *Locus* Suetonii *et* Vlpiani *explicatus*. *Diſtincte proponuntur caput legis tertium et SCtum ſub Tiberio et Claudio facta*. III. *Legis caput expoſitum*. *Homines quamdiu generare et parere poſſint?* IIII. *Spadones quinam? Locus* Nonii *emendatus*. *Lex Maenia quando lata?* V. *SCtum non Pernicianum, ſed Perſicianum dicendum*. Iac. Perizionius *laudatus*. *Ex eo ſenatuſconſulto ſenum nuptiae haud reſcindebantur*. *Spadonibus ſaepe nuptae mulieres*. L. 39. D. de iure dotium L. 10. C. de repudiis *explicatae*. VI. *SC. Claudianum*. VII. *SCtum Caluiſianum*. *An dicendum Caluitianum? An idem cum Claudiano? Impar matrimonium*. VIII. *Quando hoc caput vna cum SCtis illis abrogatum*. *Spadonum nuptias primus inhibuit Leo*. Petrus Gregorius *defenſus*.

I. PRoximum procul dubio fuit caput de SEXAGENARIIS, QVINQVAGENARIIS et SPADONIBVS. Eodem enim libro primo commenta-

riorum, quo de ſenatoriis nuptiis egerat, etiam quis SPADO ſit, explicauit VLPIANVS (*a*). Vnde acute colligit IAC. GOTHOFREDVS, de *ſpadonibus*, et aliis fortaſſe, qui procreandis liberis ſufficere haud videbantur, capite ſtatim proximo legis Papiae Poppaeae ſancitum aliquid fuiſſe.

II. Quamuis autem id vero videatur ſimillimum: quale tamen illud caput fuerit, paullo videtur obſcurius. Plerique Auguſtum nuptias ſexagenariorum et quinquagenariarum prohibuiſſe exiſtimant, quippe quae nupturientium aetas fini legis Papiae Poppaeae quam maxime aduerſetur. Et ita veluti ex compacto ſcripſerunt ANT. AVGVSTINVS (*b*), IVSTVS LIPSIVS (*c*), BARN. BRISSONIVS (*d*), FR. HOTOMANVS (*e*), IANVS VINC. GRAVINA (*f*), et IAC. GOTHOFREDVS (*g*), qui hoc legis caput tale fuiſſe ſuſpicatur: *Sexagenario maſculo, quinquagenariae feminae nuptias contrahere, ius ne eſto; poſt eos tantum annos coniuges poenis huius legis ſoluuntor; Spadonibus item nuptias contrahere ius ne eſto.*

Et non deſunt quidem, quae hanc ſententiam ſtabilire videntur, teſtimonia. Primo enim SENECA in inſigni apud LACTANTIVM (*h*) fragmento: *Quare*, inquit, *apud poetas ſalaciſſimus Iupiter deſierit liberos tollere? vtrum* SEXAGENARIVS *factus eſt, et illi* LEX PAPIA *fibulam impoſuit? an impetrauit ius trium liberorum?* Decerptus hic locus eſt ex SENECAE libris philoſophiae moralis, in quibus poetarum *θεογονίας* exagitaſſe videtur philoſophus. Quaerit igitur, ſi verae ſint illae a poetis celebratae deorum generationes: cur deſierit iam Iupiter liberos tollere: quum fingatur ſalaciſſimus, quique ſe olim in omnes paene formas compoſuerit, vt amoribus furtiuis potiretur? *An*, inquit, *ſexagenarius* factus eſt, quo aetatis anno non amplius licet vxorem ducere, liberorum quaerendorum cauſſa? *An* LEX PAPIA *fibulam impoſuit?* Fibula vero, teſte CORNELIO CELSO (*i*), erat circulus, quo verenda conſtringebant comoedi et cantores, qui vocem ſeruare, acutioremque reddere cuperent. Qua de re IVVENALIS (*l*):

> *Soluitur his magno comoedi* FIBVLA, *ſunt quae*
> *Chryſogonum cantare vetent.*

Et MARTIALIS (*m*):

> *Dic mihi ſimpliciter, comoedis et citharoedis*
> FIBVLA, *quid praeſtas?*

Quum ergo infibulati iſti nebulones non poſſent non ad Venerem tardiores eſſe: facile patet, quid ſibi velit SENECA, dum Ioui lege PAPIA fibulam impoſitam eſſe, acute ſcribit.

Eodem quibusdam pertinere videtur locus VLPIANI (*n*): *Aliquando vir et vxor*

[a] VLP. *Lib. I. L.* 128. *D. de Verb. Sign.*
[b] *De Legib. et SC. pag.* 1213. *Tom. II. Theſaur. Graeu.*
[c] *Exc. ad Tacit. Ann. Lib.* IIII. C.
(d) *De iure connub. pag.* 160.
[e] *De legib. pag.* 87.
[f] *De leg. et SC.* §. 37.
(g) *Leg. Pap. Popp. cap.* 2.
(h) *Lib.* I. *Inſt. diu. cap.* 16.
(i) *Lib. VII. cap.* 25.
(l) *Sat. VI. v.* 73.
[m] *Lib. XI. Epigr.* 17.
[n] *Fragm. tit.* 16. §. 1.

Digitized by Google

et vxor ſolidum inter ſe capere poſſunt, *ſi vtrique lege Papia Poppaea* FINITOS ANNOS *in matrimonio exceſſerint*. Eo enim confirmari videtur, quod viſum, eſt GOTHOFREDO ad ſexageſimum vſque annum viris; ad quinquageſimum feminis permiſſas fuiſſe nuptias, eoſque coniuges, qui illam aetatem in matrimonio exceſſerint, immunes fuiſſe a poenis orbitatis. Clariſſimus porro videtur locus IVSTINIANI *(a)*: *Nuptiae, quae inter maſculos et feminas maiores vel minores ſexagenariis vel quinquagenariis* LEGE IVLIA et PAPIA *prohibitae ſunt*, *homines volentes contrahere*, *ex nullo modo vel ex nulla parte prohibeantur*.

Denique et ſpadonibus non magis, quam ſenibus licuiſſe per hanc legem nuptias contrahere, non ſolum ex *lege* 128. *D. de* Verb. Sign. colligi poſſe videtur, verum etiam ex hoc loco MARTIALIS *(b)*:

Spadone quum ſis euiratior fluxo,
Sedere in equitum an liceat tibi ſcamnis,
Videbo, *Didyme*: NON LICET MARITORVM.

Lege ergo aliqua ſpadonibus interdictum fuiſſe oportet, ne ducerent vxores, eaque non alia eſſe potuit, ac Papia Poppaea *de maritandis ordinibus*.

Sed quamtumuis haec ſpecioſa videantur: luculenter tamen, rem aliter ſe habere, docuit V. C. IAC. PERIZONIVS *(c)*. Nam qui huius capitis mentionem facit, SVETONIVS *(d)*, tres eiusdem veluti periodos diſtinguit, dum de Claudio refert, *cum* CAPITI PAPIAE LEGIS, *a Tiberio Caeſare*, *quaſi ſexagenarii generare non poſſint*, ADDITO, OBROGASSE. Ex hoc vero quantiuis pretii loco, quem a vi priuata criticorum, et ipſius IAC. GOTHOFREDI iam vindicauit IAC. PERIZONIVS, clariſſime patet, primo nihil de ſexagenariorum et quinquagenariarum nuptiis prohibendis lege Papia Poppaea cautum fuiſſe: deinde illud caput ADDITVM fuiſſe a Tiberio Imperatore: ac denique ei capiti a Tiberio addito obrogaſſe Claudium. *Obrogare* autem *eſt aliquid mutare ex prima lege*, vti id vocabulum interpretatur VLPIANVS *(e)*.

Quae ita paullo obſcurius notauit SVETONIVS, ea diſtinctius exponit VLPIANVS *(f)*, cuius ipſa verba vt vt paullo prolixiora adſcribere iuuabit: *Qui intra ſexageſimum*, *vel quae intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit*, *licet* IPSIS LEGIBVS *poſt hanc aetatem liberatus eſſet*, *perpetuis tamen poenis tenebitur* EX SC. PERNICIANO. *Sed* CLAVDIANO SC. *maior ſexagenario*, *ſi minorem quinquagenaria duxerit*, *perinde habebitur*, *ac ſi minor ſexaginta annorum duxiſſet vxorem* - - *Quod ſi major quinquagenaria minori ſexagenario nupſerit*, *impar matrimonium adpellatur*, *et* SC. CALVITIANO *cauetur*, *non proficere ad capiendas hereditates et legatas dotes*. *Itaque mortua muliere dos caduca erit*.

Ex hoc demum loco intelligimus, primo quale fuerit illud legis Papiae Poppaeae caput, cui SC. nouum quid adiecerit Tiberius. Auguſtus nimirum

[a] L. 27. C. *de nupt.*
[b] *Lib. V. Epigr.* 42.
[c] *Diſſ. de lege Vocon. pag.* 153. *ſeq.*
[d] *Claud. cap.* 23.
[e] *Fragm. tit.* 1. §. 3.
[f] *Ibid. tit.* 16. §. 3.

Digitized by Google

rum poenis caelibatus exemerat ſexagenarios et quinquagenarias, quibus ipſa effaeta ſenectute natura vacationem dediſſe videbatur praeſtandae rei publicae prolis. Idemque credere par eſt de ſpadonibus, qui, ne ſi vellent quidem, liberis locupletare poterant rem publicam. Vnde tale fuiſſe crediderim legis Papiae Poppaeae caput tertium:

Omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaerundorum cauſſa inire tenentor. Sexagenarii maſculi et quinquagenariae feminae, nec non SPADONES *a poenis huius legis liberi ſunto.*

Deinde idem VLPIANI locus argumento eſt, Tiberium, quum animaduerteret, multos, qui neutri legi paruiſſent, ad eam aetatem peruenire, auctorem fuiſſe ſenatusconſulti, quod *Pernicianum* vocat Vlpianus, quo patres conſcripti ſexagenariis maſculis et quinquagenariis feminis nuptias ad euitandas caelibatus poenas prodeſſe vetarent. Quare tale procul dubio fuit hoc SC.

Vti ſexagenariorum et quinquagenariarum nec non Spadonum, nuptiae ne ſient: ſiue ſient, vir et vxor poenis caelibatus perpetuo teneantur.

Tertio et qua in re Claudius Imperator capiti iſti, a Tiberio addito, obrogarit, ex eodem VLPIANI loco adparet. Perpetuis enim caelibatus poenis exemit ſexagenarios, dummodo non effoetas, et quibus vterus iam exaruiſſet, ſed quinquagenaria minores vxores duxiſſent, ſiquidem ex eo matrimonio adhuc proles quodammodo ſperari poſſe videbatur. Senatus conſultum ergo Claudianum ita ſe procul omni dubio habuit.

Vti qui maior ſexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde habeatur, ac ſi minor ſexaginta annorum vxorem duxiſſet.

Haec omnia SVETONIVS obſeruauerat: VLPIANVS vero et id poſtremo addit, prodiiſſe demum SC., quod Caluitianum vocat, quo cautum, vt, quod ſeni maſculo, ducenti iuuenculam indulſiſſet Claudius, non procederet in nuptiis vetulae cum viro iuuene, ex quibus nulla ſpes eſſet proditurae ſobolis. Quamobrem tale fuiſſe oportet SC. Caluitianum:

Vti quae quinquagenaria maior minori ſexagenario nupſerit, quiue minor ſexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, eis impar illud matrimonium ad capiendas hereditates doteſue legatas proficiat, ſed dos, mortua muliere, caduca ſiet.

Hoc ergo eſt tertium legis Papiae Poppaeae caput: hae mutationes, quas illud paullatim ſubiit. Quibus obſeruatis, facile patet, quid de argumentis ſupra allatis ſentiendum ſit. SENECAE et IVSTINIANI teſtimonia, quamuis legis Iuliae et Papiae faciant mentionem, non tamen de ipſa lege, ſed de SCtis ad illam factis agunt. *Quae vero SCta ad leges ſequuta, ea ipſis legibus ſaepe tribui ſolent*, vti ipſe obſeruat vir eximius, IAC. Go-

Gothofredvs (*a*), qui, quum id fateatur circa legem Iuſtiniani, idem facile procul dubio ſubolfeciſſet de loco Senecae, ſi illum cum Vlpiano contendere voluiſſet paullo attentius. Quod vero ex eiuſdem Vlpiani fragmento ducitur argumentum, plane eſt ἀπροσδιόνυσον, quippe quo non demonſtratur, legem Papiam Poppaeam inter ſexagenarios et quinquagenarias nuptias prohibuiſſe, ſed ſolidum inter ſe capere potuiſſe coniuges, iametſi orbos, dummodo illos annos in matrimonio exceſſiſſent. Qua de re infra, vbi de ſolidi capacitate erit agendum, plura monebimus.

III. Quum ergo quale fuerit tertium legis Papiae Poppaeae caput, quaeque illi ſubinde SCta acceſſerint, ſatis adhuc fuerit demonſtratum: proximum eſt, vt de ſingulis iam vberius agamus.

Diximus, Auguſtum poenis caelibatus ſoluiſſe eos eaſque, qui quaeue caelibes ad ſenectutem perueniſſent. Ita enim diſerte Vlpianvs: *Qui intra ſexageſimum, vel quae intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit*, ipsis legibvs *poſt hanc legem liberatus erat*. Itaque haec procul dubio exceptio fuit a regula, quam lex praeſcripſerat, vt omnes puberes ac viri potentes inirent matrimonium, ſi poenas effugere coelibatus vellent. Hinc caput iſtud ita reſtituimus: *Omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaerundorum cauſſa inire tenentor. Sexagenarii maſculi, quinquagenariae feminae, a poenis huius legis liberi ſunto.*

Iuſſit ergo Auguſtus, vt omnes pvberes viriqve potentes liberorvm qvaervndorvm cavssa inirent matrimonivm. Nam huius modi quid hac lege cautum fuiſſe, non ipſe tantum finis, qui Auguſto obuerſabatur, indicat, ſed et ex veterum teſtimoniis idem clariſſime intelligitur. Saltim Tertvllianvs (*b*) auctor eſt leges Papiam et Iuliam, quas ideo *vaniſſimas* vocat, coegisse *matrimonium contrahi*, *et liberos ſuſcipi*. Et scholiastes Horatii a Crvqvio editus (*c*): *Lex marita*, inquit, *dicitur*, *quae de maritandis ordinibus lata erat*, *quae et Iulia dicta eſt*. *Caeſar enim poſt bellum legem tulit*, *ne quis aut* caelebs *eſſet*, *aut vidua* nvbilis, *quo poſſet iactura iuuenum reparari*, *quae bellis ciuilibus contigerat*. Hinc etiam ii, qui vxores duxerant, *liberorum quaerendorum cauſſa* dicebantur paruiſſe legi Iuliae, et Papiae, veluti apud Ivvenalem (*d*) Vrſidius, de quo poeta:

> *Sed placet Vrſidio* lex Ivlia, tollere *dulcem*
> *Cogitat* heredem, *cariturus turture magno*
> *Mulorumque iubis et captatore Macello.*

Et hinc legis iuſſu nubere dicebantur, qui iuſtum inibant matrimonium. Martial. *Epigr. Lib. V. epigr. 76.*

> *Quae* legis ivssv *nupſit tibi*, *Laelia*, *Quinte.*
> *Vxorem potes hanc dicere legitimam.*

Et Ovid. *de art. amand. Lib. II. verſ. 157. ſequ.*

> *Non* legis ivssv *lectum vexiſtis in vnum*,
> *Fungitur in vobis munere legis amor.*

Apv-

[a] *Not. ad Leg. Pap. Popp. pag.* 332.
[b] *Apolog. cap.* 4.
(c) *Schol. ad Horat. Epod. XVIII.*
[d] *Sat. VI. v.* 38. *ſeqq.*

Digitized by Google

Apvlei. *Apolog. II.* ſub finem: *vxorem ducis, leges iubent*. Quae omnia docent, legem Papiam, (etenim de hac loca iſta loquuntur), praeceptum hoc complexum eſſe, vt omnes ingenui puberes vxores ducerent, ceu et vir doctiſſimus, Petr. Perrenon. *Animaduerſion. Lib. I. cap. 9.* obſeruauit.

Voluerat igitur Auguſtus omnes puberes et nubiles contrahere matrimonium: eique capiti commode ſubiunxit exceptionem: SEXAGENARII MASCVLI, QVINQVAGENARIAE FEMINAE A POENIS HVIVS LEGIS LIBERI SVNTO. Vulgo ſexagenaria aetas credebantur generandi vires extinguere. Quamuis enim, Aristotele (*a*) iudice, ad ſeptuageſimum annum veneri ſufficiant maſculi: neque deſint eorum exempla, multo prouectiore aetate liberos dicuntur procreaſſe (*b*): tamen, quum, vti recte apud Pavllvm (*c*) noſtrum Theophrastvs docet, *τὸ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται*: ſexagenarios procreandis liberis haud ſufficere lex noſtra ſtatuit, qua aetate et arrogare demum licebat Romanis, quia antea magis liberorum creationi ſtudere debent patres familias (*d*). De femina vero inter omnes conſtabat, eam poſt quinquageſimum aetatis annum haud parere, idque et Pavllvs (*e*) agnoſcit, dum ad edictum ſcribit: *ſi ſterilis ancilla ſit, cuius partus venit, vel* MAIOR ANNIS QVINQVAGINTA, *quum id emtor ignorauerit, ex emto tenetur venditor:* nec non ipſe Ivstinianvs (*f*), qui conſultus ab aduocatione Caeſariana, *an ſi maior quinquagenaria partum ediderit, huius modi ſoboles patri ſuccedere debeat?* reſpondet, *licet mirabilis huius modi partus inueniatur, et raro contingat: nihil tamen eorum, quae probabiliter a natura noſcuntur eſſe producta, reſpui*. Quum ergo hos ſenes vel ad matrimonium adigere, vel eo tempore, quo generare et parere haud poterant, poenis caelibatus ac orbitatis adficere, abſonum videretur: Auguſtus eos ab illo tempore immunes eſſe iuſſit a poenis caelibatus, eatenus, vt poſt ſexageſimum annum maſculi, poſt quinquageſimum feminae, qui quaeue legi haud paruerant, poenis his non amplius ſubiicerentur, eaeque ab iis annis ceſſarent, quibus ipſa natura ſenibus vacationem huius muneris dediſſet.

IIII. Eadem benignitate et SPADONIBVS gratiam legis Papiae Poppaeae fecit. Quum vero et alias ſpeciatim ſpadones dicantur, *οἱ βάκηλοι*, qui valetudine praepediti, aut vitio corporali, liberis operam dare nequeunt, et ita opponantur caſtratis et eunuchis, quibus neceſſaria ad generandum pars corporis deeſt (*g*): hic tamen tam *generalis eſt ſpadonum adpellatio: vt eo nomine et hi, qui natura ſpadones ſunt, item thlibiae, et thlaſiae, et ſi quod aliud ſpadonum genus eſt, contineantur* (*h*). Siue enim natura quis ad Venerem inhabilis, ſiue hominum aliorum ſcelere exſectus, euiratuſque eſſet: nulla eius culpa erat, quae mereri videretur animaduerſionem: nec magis exſectus liberorum procreationi ſtudere poterat, quam quos morbus aut valetudo impediebat (*i*). Aliud ſtatuendum de eo, qui ſe

(a) *Hiſt. animal. Lib. V.*
[b] *Plin. Hiſt. nat. Lib. VII. cap. 24.*
(c) *L. 6. D. de legib.*
(d) L. 15. §. 2. D. *de adopt. et emancip.*
(e) L. 21. *pr.* D. *de act. emt.*
(f) L. 12. C. *de legit. her.*
(g) L. 6. L. 7. D. *de aedil. edict.* L. 14. D. *de manumiſſ. vind.* L. 6. D. *de liber. et poſtum.*
(h) VLP. *Lib.* 1. L. 128. D. *de verb. ſignif.*
(i) L. 15. §. 2. D. *de adopt.*

ſe ipſum exſciderat. *Qui enim*, vti apud NONIVM (*a*) ait VARRO, *patriam*, *maiorem parentem*; *exſtinguit*, *in eo eſt culpa*: *quod facit pro ſua parte is*, *qui ſe* EVNVCHAT, *vt ne aliquando liberos producat*. Ita enim reſtituenda exiſtimo verba extrema, *aut aliqua liberos producit*. Vbi et obiter moneo, legem *Maeniam* dictam fuiſſe, ad quam haec ſcripſit VARRO, non, vti alii vocant, *Maniam*, vel *Miniam*. Nota enim eſt gens MAENIA vel MAINIA, PATINO (*b*) etiam MAIANIA, cuius permulti denarii exſtant apud VAILLANTIVM. Legem illam IO. FREINSHEMIVS (*c*) latam exiſtimat anno v. c. 465. *M. Valerio Potito* et *C. Aelio Paeto* coſſ. Sed compertum mihi eſt, rogationi iſti nomen eſſe inditum a *C. Maenio Nepote*, qui vna cum *L. Furio Camillo* conſul fuit anno v. c. 416. Anno enim praecedente lex, teſte LIVIO (*d*), lata eſt, *vt legum*, *quae centuriatis comitiis ferrentur*, *ante initum ſuffragium patres auctores fierent*. Et quamuis eam legem tribuere videatur Q. Publilio, dictatori: facile tamen fieri potuit, vt Publilius C. Maenium, conſulem ex plebe deſignatum rogationem plebi fecundiſſimam ad populum ferre iuſſerit, ab eoque lex dicta ſit Maenia, quemadmodum eam binis locis NONIVS (*e*), et CICERO (*f*) ita vocant.

Tale fuit caput tertium legis PAPIAE POPPAEAE. Caue itaque credas, Auguſtum viris ſexagenariis et mulieribus quinquagenariis nuptiis interdixiſſe. Saepe eius modi nuptias contrahebant Romani, non tantum ante legem Papiam, verum et illa iam lata. Notus eſt Ciceronis iocus, cuius meminit QVINCTILIANVS (*g*). Obiurgatus enim ab amicis, quod annos 62. natus Publiliam puellam duceret, reſpondiſſe fertur: *cras mulier erit*. Nec ignotum eſt Apuleii matrimonium cum Pudentilla, de quo mox plura dicemus. Equidem non videbatur id matrimonium honeſtum, quia LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA non contrahebatur, et hinc Auguſtus Septiciae, quae filiis irata cum iam parere non poſſet, Publicio ſeni admodum nupſerat, et nuptias, et ſuprema iudicia, teſte VAL. MAX. (*h*) improbauit, quin et dotem virum retinere vetuit, non autem ideo prohibitum erat inter ſenes matrimonium, eaque extraordinaria fuit Auguſti ſeueritas, non tam nuptiis ſenilibus, quam defraudatione liberorum prouocata. Maneat itaque, primum hoc caput legi Papiae Poppaeae addidiſſe Tiberium, perſuaſum, generare non poſſe ſexagenarios, vti iam e Suetonio vidimus.

V. Factum id eſt SCto, quod PERNICIANVM vocat VLPIANVS, ſed perperam, quum Pernicius, qui illi SCto nomen facere potuerit, nullus in faſtis monimentiſque vetuſtis occurrat. Hinc ingenioſe laudatiſſimus PERIZONIVS (*i*) conditum illud eſſe ſuſpicatur ſub conſulatu PAVLLI FABII PERSICI, qui vna cum *L. Vitellio* faſces conſulares tenuit, tertio ante exceſſum Tiberii anno. Fabios enim illos a ſolo plerumque cognomine Perſicos adpellatos fuiſſe, cum e SENECA (*l*), tum ex illa Claudii imp. oratio-

(a) *De verb. ſign. cap. 2. n. 289.*
(b) *De famil. Rom. p. 163.*
(c) *Suppl. Liu. Lib. XI. cap. 27. ſeqq.*
(d) *Lib. VIII. cap. 12.*
(e) *Ibid. et num 785.*
(f) *Brut. cap. 14.*
(g) *Inſt. orat. Lib. VI. cap. 4.*
(h) *Lib. VII. cap. 7. §. 4.*
(i) *De leg. Vocon. pag. 156.*
(l) *De benefic. Lib. II. cap. 21.*

Digitized by Google

tione apud GRVTERVM (*a*), vbi PERSICVS, NOB. VIR AMICVS CAES. memoratur, diſcimus. Vnde vix dubitandum, quin iſtud SC. non *Pernicianum*, ſed *Perſicianum* dicendum ſit, eiuſque natalis incidat in annum ab v. c. 786.

Ceterum eo cautum fuiſſe diximus, VTI SEXAGENARIORVM ET QVINQVAGENARIARVM NEC NON SPADONVM NVPTIAE NE SIENT. Opus itaque ſaepe numero erat probatione aetatis, quae ex tabulariis publicis petebatur, ita tamen vt ſi diuerſae profeſſiones proferrentur, non *ea potiſſimum ſtaretur, quae noceret, ſed cauſſa cognita veritas excuteretur, et ex eo potiſſimum anni computarentur, ex quo praecipuam fidem ea in re conſtare credibilius videretur*, vti eleganter reſcripſit Traianus vel Hadrianus apud CELSVM (*b*). Ceterum plerique, qui vel in hoc SC. incidunt, vel iſtud ius ipſa lege Papia Poppaea ſtabilitum eſſe contendunt, illud parum recte videntur intellexiſſe. Irritas enim ac reſcindendas fuiſſe huiuſmodi nuptias, tantum non omnes putant, perperam intelligentes IAC. GOTHOFREDVM (*c*), qui *eas nuptias* ait *in totum fuiſſe prohibitas: item poſt hos annos contrahere nuptias nulli licuiſſe: ſenibus ademtam nuptiarum contrahendarum poteſtatem, et veluti fibulam fuiſſe impoſitam: denique nuptias has, veluti vero coniugii fine deſtitutas, prohibitas hac lege indefinite fuiſſe*: et quae ſunt huius generis alia. Sed non magis has nuptias SCtum Perſicianum reſcindebat, quam lex Papia Poppaea matrimonium ſenatoris cum libertina. Iniuſtae erant iſtae ſenum nuptiae, quia contra SCtum fuerant contractae, vnde et a poenis coelibatus haud amplius liberabant: attamen ideo non erant reſcindendae. Iniuſtae enim nuptiae conſtabant, quamuis ciuili effectu deſtitutae, adeo, vt vir accuſare huiuſmodi vxorem poſſet adulterii (*d*), quod non poterat, ſi nullum eſſet inter virum et adulteram matrimonium (*e*). Hinc quum Pudentillam, quam ſexagenariam ferebant accuſatores, vxorem duxiſſet Apuleius: non id agebant tamen eius aduerſarii, vt reſcinderetur matrimonium, ſed poenam irrogatam volebant marito, quod feminam carminibus ac veneficio ad has nuptias pellexiſſet (*f*). Immo, quis ſibi perſuaſerit, ſenum nuptias reſciſſas fuiſſe poſt illud SCtum, quum ne ſpadonum quidem matrimonia reſcinderentur? Vulgo equidem docent, matrimonium eos contrahere non potuiſſe, *L.* 39. *D. de iure dot.* adeoque nec ancillam matrimonii cauſſa manumittere, *l.* 14. *fin. D. de manum. vind.* neque illis dotem fuiſſe, neque dotis actionem, *d. l.* 39. ſed vinculum illud oportuiſſe diſſolui, *l.* 60. *ſeq. de donat. inter vir. et vx. l.* 10. *C. de repud. Nouell.* XXXII. *cap.* 6. Enimuero conſtitiſſe etiam cum ſpadonibus matrimonium, facile demonſtrabitur. VLPIANVS (*g*) diſputans, an dotis actio locum habeat, ſi mulier ſpadoni nupſerit? Diſtinguendum arbitratur, caſtratus fuerit, nec ne, et in caſtrato quidem dotem eſſe negat, at in eo, qui non ſit caſtratus, quia ſit matrimonium, et dotem et dotis actionem eſſe adfirmat. Si caſtratorum nuptias ſtare non paſſae ſunt leges, qui potuit quaeſtio naſci de dote? Sic et alibi quaerit iureconſultus, poſſitne ſpado poſtumum heredem ſcribere? Eamque quaeſtionem ſimili diſtin-

(a) *Inſcr. pag.* 502.
(b) CELS. *Lib. XXX. L.* 13. *D. de probat.*
(c) *Not. ad Leg. Pap. Popp. pag.* 318.
(d) *L.* 13. §. 1. *D. ad Leg. Iul. de adult.*
(e) *L.* 13. §. 4. *eod.*
(f) APVLEI. *Apol.* II. *p.* 316.
(g) *L.* 39. *D. de iure dot.*

Digitized by Google

ſtinctione expedit (a). Qui potuiſſet huiusmodi quaeſtio incidere, ſi non conſtitiſſent ſpadonum matrimonia? Subſiſtebant ergo eatenus, vt non reſcinderentur, quamuis iura maritorum ipſis negarent leges. Quin Romae huiusmodi nuptiae erant frequentiſſimae, poſtquam a virtute deſcitum, et ad vitia tranſcurſum fuerat. Notat huiusmodi coniunctionem IVVENALIS (b):

> *Quum tener* VXOREM DVCAT SPADO; *Maeuia Tuſcum*
> *Figat aprum*, - - .
> *Difficile eſt Satyram non ſcribere*,

Idemque alio loco (c) hanc eiuſmodi impurorum complexuum rationem reddit, quod ſic *abortiuo non ſit opus*: quae ratio facile etiam inducere potuit feminas, vt tabulas cum ſpadonibus ſignarent: quemadmodum ſaeculo adhuc quarto nuptias celebrauit Eutropius ſpado, de quo CLAVDIANVS (d):

> *At ſoror, et ſi quid portentis creditur*, VXOR
> *Mulcebat matres epulis, et more pudicae*
> *Coniugis* EVNVCHI *celebrabat vota* MARITI.

Non ergo huiuſmodi nuptiae a Romanis reſcindebantur, quamuis ipſi rectae rationi aduerſarentur. Neque id probant leges, quas vulgo eam in rem allegant. De *l. 39. D. de iure dot.* iam egimus, vidimuſque, vix potuiſſe incidere quaeſtionem de dote dotiſque actione, ſi leges non paſſae eſſent ſtare huiuſmodi matrimonium. Neque CAIVS et HERMOGENIANVS in *l. 60. et ſegq. de donat. inter vir. et vxor.* de diſſolutione huius matrimonii loquuntur, ſed de iis, qui bona gratia ob ſacerdotium vel ſterilitatem, vel ſenectutem, vel valetudinem, vel militiam diſcedunt. Denique *L. 10. C. de repud.* mulieri quidem IVSTINIANVS concedit, vt viro mittat repudium, ſi intra biennium virum ſe haud praeſtitiſſet, idque repetit in *Nouella* XXII. *cap. 6. et Nou.* CXVII. *cap. 12.* niſi quod in priore ad triennium id ſpatium extendit: ſed de matrimonio inter ſpadonem et mulierem, a magiſtratu reſciſſo, nihil vel in his, vel in aliis legibus memoratur.

Vnde multo minus ſenum nuptias hoc SCto reſciſſas fuiſſe dixeris, quamuis eodem cautum eſſet, VT VIR ET VXOR POENIS CAELIBATVS PERPETVO TENERENTVR. Quum itaque ex lege PAPIA POPPAEA et caelibes immunes ab his poenis eſſent, ſi ad eam aetatem perueniſſent: Senatusconſultum ne iis quidem pepercit, qui, ſenes demum legi parere et inire matrimonium induxerant animum. Et haec quidem ratio eſt, cur ſenibus matrimonio interdixiſſe dicatur Tiberius.

VI. Sequitur SCtum Claudianum, quo capiti illi a Tiberio addito obrogatum fuiſſe refert SVETONIVS. Neque enim Claudius id caput *abrogauit*, vti IAC. GOTHOFREDVS reſcribit, ſed illud mutauit paullulum et mitigauit, ſanciens, VT QVI MAIOR SEXAGENARIO MINOREM QVINQVAGENARIA DVXERIT, PERINDE HABEATVR, AC SI MINOR SEXAGIN-

(a) *L. 6. pr. et §. 1. D. de lib. et poſtum.*
(b) *Sat. I. v. 22.*
(c) *Satyr. VI. v. 367.*
(d) *Aduerſ. Eutrop. Lib. II. v. 83.*

TA ANNORVM DVXISSET VXOREM. Multum referre putabat Claudius, vtrum ſenex iuuenculam, an eaque ſenem vetulamque duxiſſet. Occurrebant Catonis et Maſiniſſae exempla, qui grandes natu liberos e puellis ſuſtulerant (*a*). Hinc SCtum Perſicianum non quidem ſuſtulit: eidem tamen eatenus obrogauit, vt ſi ſexagenario maior vxorem in viridi aetate conſtitutam duxiſſet, coniuges illi iisdem iuribus fruerentur, ac ſi ea vtriuſque eſſet aetas, quae procreandis liberis ſufficere videretur. Et hinc apud PLINIVM (*b*) Domitii Tulli vxor, quamuis diu vidua parum decore ſequuta eſſet matrimonium diuitis ſenis, et ita perditi morbo, vt eſſe taedio poſſet vxori, quam iuuenis ſanuſque duxiſſet: tamen matrimonii nomine ampliſſimam bonorum partem ab eo iure capiebat; quia huiusmodi matrimonium ex SCto Claudiano non erat irritum.

VII. Quum vero id a quibuſdam ad eum caſum extenderetur, ſi quinquagenaria maior iuueni nupſiſſet: id occaſionem dedit nouo SCto quod *Caluitianum* vocat VLPIANVS. Aſt idem vir eximius IAC. PERIZONIVS (*c*), illud *Caluiſianum* potius vocandum eſſe monet, quum *Caluiſiorum* cognomen ſub Nerone et eius ſucceſſoribus ſit frequentiſſimum: *Caluitiorum* autem nuſquam apud veteres fiat mentio. Quocumque tempore illud conditum ſit, ſaltim cum CVIACIO (*d*) non reſcribendum eſt *Claudianum*, a quo illud diſerte VLPIANVS diſtinguit. Claudianum enim ſexagenariis quinquagenaria minores ducentibus iura iuſti connubii dedit: Caluiſiano autem cautum, VT QVAE QVINQVAGENARIA MAIOR MINORI SEXAGENARIO NVPSERIT, QVIQVE MINOR SEXAGENARIO MAIOREM QVINQVAGENARIA DVXISSET, EIS IMPAR ILLVD MATRIMONIVM AD CAPIENDAS HEREDITATES DOTESVE LEGATAS NE PROFICIAT, SED DOS, MORTVA MVLIERE, CADVCA FIAT. Impar ergo dicitur matrimonium, quod cum imberbe contraxerat vetula, eamque adpellationem IVSTINIANVS (*e*) demum vna cum hoc ipſo iure aboleuit. Vnde errare dixeris IAC. GOTHOFREDVM, qui omnes nuptias, contra legem PAPIAM POPPAEAM contractas, *impares* vocatas eſſe ſuſpicatur, notatus ideo a viro conſultiſſimo ANT. SCHVLTINGIO (*f*). Verum nec impar iſtud matrimonium reſciſſum eſt, ſed dos, quae conſtante illo fungebatur, mortua demum muliere, caduca fiebat, ſaluis tamen, vti credere par eſt, impenſis a marito in rem dotalem factis. Generatim enim PAPINIANVS (*g*): *Dote propter illicitum matrimonium caduca facta, exceptis impenſis neceſſariis, quae dotem ipſo iure minuere ſolent, quod iudicio de dote redditurus eſſet, maritus ſoluere debet.*

VIII. Enimuero haec omnia ſtatim ex eo tempore corruiſſe videntur, quo CONSTANTINVS M. omnes caelibatus orbitatiſque poenas ſuſtulerat (*h*). Noua tamen conſtitutione Perſicianum et Caluiſianum SCta ſuſtulit IVSTINIANVS (*i*); ita reſcribens ad Ioannem, praefectum praetorio: *Sancimus, nuptias,*

(a) PLIN. *Hiſt. Nat. Lib. VII. cap. 13. et X. 5.*
(b) *Lib. VIII. epiſt. 18.*
(c) *De lege Voc. pag. 63.*
(d) *Ad Vlp. fragm. tit. 16. §. 4.*
(e) L. 12. C. *de legit. her.*
(f) *Iuriſp. vet. anteiuſt. pag. 615.*
(g) L. 61. D. *de ritu nupt.*
(h) L. vn. C. *Theod. de infirm. poen. caelib.*
(i) L. 27. C. *de nupt.*

nuptias, quae inter maſculos et feminas maiores vel minores ſexagenariis vel quinquagenariis, lege Iulia vel Papia prohibitae ſunt, homines volentes contrahere, et ex nullo modo, vel ex nulla parte tales nuptias impediri. In qua lege FR. BALDVINVS (a) fruſtra expungi iubet verba: *vel minores*. Non tam enim de lege Papia Poppaea loquitur imperator, quam de SCtis ad legem Papiam Poppaeam factis, Perſiciano et Caluiſiano, quae inprimis ſublata volebat.

Denique quod ad ſpadonum nuptias attinet, eas ne ſub Chriſtianis quidem principibus reſcindi conſueuiſſe, paullo ante Eutropii eunuchi exemplo ex CLAVDIANO demonſtrauimus. At primus eas, vti recte a PETRO GREGORIO (b) obſeruatum eſt, ſuſtulit LEO imperator, ſingulari eam in rem ſcripta conſtitutione (c), cuius ſub finem ſanciuit, *vt ſi quis eunuchorum ad matrimonium procedere comperiatur, et ipſe ſtupri poenae obnoxius ſit, et, qui ſacerdos huiuſmodi coniunctionem profanato ſacrificio perficere auſus fuerit, ſacerdotali dignitate denudetur*. Quare qui GREGORIVM erroris arguunt, non ſatis accurate diſcernere videntur nuptias illicitas ab iis, quas ſtare leges haud patiebantur. Quamuis enim iniuſtae ſemper viſae ſint ſpadonum nuptiae: eas tamen non diremtas fuiſſe, ſemel initas, iam ſupra demonſtrauimus.

C A P V T IIII.

AD CAP. IIII. LEGIS PAP. POPP. DE CONCVBINATV.

I. *IN lege Papia Poppaea etiam de concubinatu actum, idque capite quarto factum videtur*. II. *Quale hoc caput fuerit?* III. *Ante legem Papiam Poppaeam concubinatus parum honeſtus videbatur. Pellex, concubina, amica quae dictae ſint ante et poſt hanc legem? Concubinatus ex hac lege honeſtus. An quis ſimul vxorem et concubinam habere potuerit?* IIII. *Concubinae eſſe poterant, quae vxores per has leges eſſe non poterant. An et propinquae et adfines? Concubinae et vxoris differentia.* L. 1. pr. D. de concub. *explicata. An coniunctio legitima dici poſſit concubinatus? Cur et viri nobiles concubinas adſumſerint? Ingenua, in quam ſtuprum committebatur, in concubinatu haberi non poterat. An ἀντινομία ſit inter* L. 3. pr. D. de concubin. L. 24. D. de rit. nupt. et L. 31. pr. D. de donat. V. *Conſtantinus M. primus indirecte tollere voluit concubinatum. Legitimatio per ſubſequens matrimonium cur inuenta?* VI. *Succeſſores Conſtantini legitimationem illam indulgentes tanquam beneficium ordinarium, concubinatum firmarunt. Leo ſuſtulit concubinatum tantum in oriente. In occidente ille diutiſſime viguit.*

I. DE concubinatu caput exſtitiſſe in lege Papia Poppaea, nec IAC. GOTHOFREDVS nec VINC. GRAVINA vidit: et tamen id videtur con-

(a) *Iuſtinian. Lib. III.*
(b) *Lib. VII. Syntagm. cap. 2.*
(c) *Nouell. Leon. LXXXXVIII.*

certiſſimum. Nam primo MARCIANVS (*a*) diſerte ſcribit, *concubinatum* PER LEGES *nomen adſumſiſſe*, id eſt per leges Iuliam et Papiam, κατ' ἐξοχὴν dictas *νόμους* vel *leges*, vti recte haec verba interpretatur EM. MERILLIVS (*b*). Deinde VLPIANVM (*c*) in commentario ad hanc legem etiam de concubinatu egiſſe, argumento eſt fragmentum bene longum ex libro II. ex quo numero inferimus, illud fragmentum non ad caput de diuortio libertinae, de quo VLPIANVS demum libro III. egerat, ſed ad hunc ipſum locum pertinere, adeoque de concubinatu praecepiſſe caput huius legis quartum.

II. Id vero, vti ex laudato VLPIANI fragmento liquet, tale fuiſſe videtur:

Quas perſonas per hanc legem vxores habere non licet, eas concubinas habere ius eſto. Ingenuam honeſtam in concubinatu habere ius ne eſto.

III. Quae priuſquam more noſtro interpretemur, paucis obſeruandum videtur, ante hanc legem parum honeſtum viſum fuiſſe concubinatum, nec quidquam inter *amicam*, *pellicem*, *concubinam*, interfuiſſe: poſtea vero hanc coniunctionem diſerte permiſſam eſſe lege Papia Poppaea, ex eoque tempore ſimul CONCVBINATVS et CONCVBINAE vocabula ſenſu paullo honeſtiore accipi conſueuiſſe, et id ipſum innuere MARCIANVM, dum *concubinatum* NOMEN *per leges adſumſiſſe*, ſcribit: nec non CLEMENTEM ALEXANDRINVM (*d*), dum ſaepe conqueritur: καὶ τὸ λάγνον τὰς ἐπικέχυται ταῖς πόλεσι, νόμος γινόμενον. *At nunc, quidquid eſt impudicum et libidinoſum, diffuſum eſt in ciuitatibus, et iam* PRO LEGE *habetur*: et paucis interiectis: Ταῦτα οἱ σοφοὶ τὸν νόμον ἐπιτρέπουσιν. *Haec ſapientes leges permittunt*. Hinc MASVRIVS SABINVS apud PAVLLVM (*e*) refert, PELLICEM *apud* ANTIQVOS *eam habitam, quae quum vxor non eſſet, cum aliquo tamen viuebat, quam nunc vero nomine amicam*, PAVLLO HONESTIORE *concubinam adpellari*. Addit PAVLLVS, GRANIVM FLACCVM *in libro de iure Papiriano ſcribere, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor ſit, corpus miſceat, quondam*, (ita enim reſcribendum puto pro *quoſdam*, addicentibus etiam quibuſdam codicibus,) *eam, quae vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam παλλακὴν Graeci vocant*. Ex hoc loco patet, vocabula *amica*, *concubina*, *pellex* ante legem Iuliam promiſcue accepta fuiſſe, quia non magis caelibis, quam mariti, conſuetudo cum muliercula, aqua et igni non accepta, honeſta iudicabatur. Tempore autem Maſurii Sabini, et Granii Flacci, (quem ſub Caeſare floruiſſe, et hinc in Auguſti tempora vitam producere potuiſſe, ex CENSORINO (*f*) docet CAR. ANDR. DVKERVS,) (*g*), ea dici coepit *pellex*, quae cum eo, cui vxor erat, miſcebat corpus, illa autem *concubina* vel *amica*, quae vxoris loco ſine nuptis in domo erat. Quum enim pellicis vocabulum, teſte GELLIO (*h*), probroſum haberetur: non videbatur conuenire coniunctioni, quae per legem nomen adſumſerat: adeoque iſtud vocabulum tantum haeſit iis, quae alie-

[a] *L. 3. §. 1. D. de concub.*
(b) *Lib. III. Obſ. cap. 25. et Lib. I. Variant. Cuiac. cap. 30.*
[c] VLP. *Lib. II. L. 1. D. de concub.*
[d] *Paedagog. Lib III. cap. 3.*
(e) *L. 144. D. de Verb. Sign.*
(f) *De die natali cap. 3.*
[g] *De Latinit. ICt. pag. 137.*
[h] *Lib. IIII. cap. 3.*

alieno marito ſuccubuerant, reliquae concubinae dici malebant. Haec, vt paucis demonſtremus, palam eſt, veteres, qui ante Auguſtum floruerunt, auctores promiſcue vſurpaſſe *pellicis* et *concubinae* vocabula. *Pellex* Iunonis vocatur Alcumena apud PLAVTVM (*a*), quia cum Ioue, Iunonis marito, corpus miſcuerat:

— — — I hac mecum, vt videas ſimul
Tuam Alcumenam, PELLICEM, *Iuno mea*.

Et tamen Alexandro M. quoque, licet nondum marito *pellices* fuiſſe ſcribunt PLINIVS (*b*), DIODORVS SICVLVS (*c*), et ex eo CVRTIVS (*d*): et apud OVIDIVM (*e*), Deianira Herculis vxor, Omphalem pellicem vocat quae marito ſuo ſuccumberet, ſe expulſa, dum canit:

Forſitan expulſa me Aetolide Deianira,
Nomine depoſito PELLICIS, *vxor erit*.

Ita aeque promiſcue veteres accipiunt vocabulum concubinae. PLAVTO (*f*) concubina eſt meretrix pecunia a caelibe emta, vbi ſcribit:

Illam minorem in CONCVBINATVM *ſibi*
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.

At CICERO (*g*) et eam concubinam vocat, quae ducta fuerat a patre familias Romae, vxorem habente in Hiſpania.

Ita ante legem Papiam Poppaeam pellices et concubinae pari paſſu ambulabant, neque melior erat harum, quam illarum, conditio: quam in rem multa egregia diſſeruit CHRISTFR. WAECHTLERVS (*h*), dum magno adparatu docet, huius modi concubinatum, qualem in iure noſtro deſcribi videmus, nec apud Graecos, nec apud veteres Romanos receptum fuiſſe, ſed improbitatem ſub imperatoribus hoc augmentum accepiſſe. Poſteaquam vero concubinatus per leges nomen adſumſit, numquam concubina adpellata eſt *pellex*, ſed CONVICTRIX (*i*), ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΣΥΜΒΙΟΣ (*l*), VXOR GRATVITA (*m*), id eſt, quae per coemtionem haud conuenerat in manum, vti eleganter ea vocabula exponit EM. MERILLIVS (*n*), item SODALITIARIA (*o*), AMICA, (quod vocabulum etiam in iure noſtro concubinam notat in illis (*p*): *Titiae*, AMICAE *meae, cum qua ſine mendacio* (id eſt, ſine amoris diſſimulatione, *vixi*,) et quae ſunt aliae honeſtiores huius generis adpellationes. Pellicatus autem non fuit honeſta licitaque coniunctio, quum eo tempore, quo quis vxorem vel concubinam habebat, aliam concubinam habere non poſſet (*q*). Nec puto inſcriptiones, in quibus

[a] *Merc. Act.* IIII. *Scen.* 1. *v.* 23.
[b] *Hiſt. Nat. Lib.* XXXV. *cap.* 10.
(c) *Lib.* XVII. *cap.* 77.
(d) *Lib.* VI. *cap.* 6.
(e) *Epiſt.* VIIII. *v.* 131.
[f] *Poen. prolog. v.* 102.
(g) *De orator. Lib.* I. *cap.* 40.
(h) *Act. Erud. anni* 1714. *p.* 371.
(i) GRVTER. *pag.* 795. *num.* 8.
[l] *Id. ibid. num.* 9.
[m] *Id. pag.* 800. *num.* 21.
(n) *Obſ. Lib.* II. *cap.* 15.
(o) GRVT. *pag.* 602. *num.* 5.
[p] *L.* 35. *D. de aur. arg. aer. leg.*
[q] PAVLL. *Sent. Lib.* II. *tit.* 20. §. 1. *L. vlt.* §. 2. *D. de diuort.*

Digitized by Google

bus quidam profitentur, ſe monimentum fieri iuſſiſſe SIBI EX VXORI CONCVBINAE (*a*), ita interpretandas eſſe, ac ſi, qui monimentum fieri iuſſerant, eodem tempore et vxores, et concubinas habuerint, (neque enim id flagitium palam profeſſi eſſent homines, niſi quos omni pudori decoxiſſe dixeris,) ſed intelligenda arbitror de concubinis à morte vxorum ductis. Saepe enim Romanos vxoribus, vel vxores maritis, antea defunctis commune ſepulcrum fieri iuſſiſſe, in vulgus notum eſt. Exemplo eſſe poterit inſcriptio apud REINESIVM (*b*):

AELIO ATHENA
M. AELIO CHRISER
M. AELIO POLIBIO
ET M. AEMILIO MARITO PRIMIGENIO.
ET AELIOPO LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSS.

Ex qua quis profecto fruſtra colligeret, Aeliam Athenaidem uno tempore tot maritos habuiſſe.

IIII. Ad ipſum legis caput, quod attinet, eas tantum concubinas habere ius erat, QVAS PER HANC LEGEM VXORES HABERE NON LICEBAT. Hinc et ingenuus per hanc legem concubinam poterat habere iudicio publico damnatam (*c*), quaeſtu meretricio infamem (*d*), obſcuro loco natam (*e*), ancillam (*f*), mulierem ex ea prouincia, in qua quis officium adminiſtrabat (*g*), quas omnes vxores duci non potuiſſe, iam ſupra obſeruauimus. Quum etiam ex SCto Perſiciano, de quo antecedente capite egimus, non eſſet iuſtum inter ſenes matrimonium: licebat contra cuiuſcumque aetatis concubinam habere, dum ne minor eſſet annis duodecim (*h*).

Non abs re autem addidimus: PER HANC LEGEM. De ſolis enim legibus ciuilibus id erat intelligendum. Quare ſi coniunctioni vel naturalis verecundia, vel ipſa honeſtas obſtabat: non magis concubinatui locus erat, quam nuptiis. Quemadmodum ergo nefas erat, duas ſimul habere vxores: ita et vnica habenda concubina (*i*): ſemperque turpis ac infamis viſa eſt vita, *inter ſtupra concubinarum, et oſcula*, vel *mollia concubinarum et ſpadonum agmina* tranſacta, qualem in Sophonio Tigellino et Fabio Valente TACITVS (*l*), in Commodo AEL. LAMPRIDIVS (*m*) reprehendit. Quin ipſe IVSTINIANVS (*n*) eas, quae cum pluribus aliis vni viro corpora praebent, non concubinas, ſed πορνευομένας *fornicantes* dicendas eſſe ait, nec eas aliarum concubinarum iuribus frui patitur. Quemadmodum deinde inceſtae erant nuptiae inter proximos cognatos et adfines: ita et nefandus erat inter has perſonas concubinatus. Saltim VLPIANO (*o*) prope nefaria vide-

[a] GRVT. *pag.* 621. *num.* 5. *et pag.* 938. *num.* 2. REINES. *claſſ.* XIIII. *num.* 183.
(b) *Inſcript. claſſ.* XIIII. *num.*
[c] *L.* 1. §. 2. *D. de concub.*
(d) L. 10. *D. de his quae vt indign.* L. 3. *pr. D. de concub.*
(e) L. 3. *pr. D. eod.*
(f) L. 38. *pr. D. de reb. auct. iud. poſſ.*
(g) *L.* 5. *D. de concub.*
(h) L. 4. §. 4. *D. eod.*
(i) *Nou. XVIII. cap.* 5.
(l) *Lib.* I. *Hiſt. cap.* 72. *Lib.* III. *cap.* 11.
[m] *Vit.* Commod. *cap.* 15.
(n) *Nou. XVIII. cap.* 5.
(o) VLP. *Lib.* II. L. 1. §. 3. *D. de concub.*

videtur coniunctio, *ſi quae in patroni fuit concubinatu, deinde in filii eſſe coeperit, vel in nepotis, vel contra*. Et alibi idem iureconſultus (a), verecundiae ſtudioſiſſimus, eum *inceſtum committere ait, qui concubinam habuerit, ſororis filiam*, licet libertinam. Vt adeo non iniuria CVIACIVM (b) erroris coarguat EM. MERILLIVS (c), priuignam a Cocceio Caſſiano in concubinatu haberi potuiſſe ex ea ratione exiſtimantem, quia, quae vxores eſſe nequiuerint, in concubinatu tamen haberi omnino potuerint.

Eas itaque mulieres CONCVBINAS HABERE IVS ERAT. Nam non ſolum honeſtum erat concubinae nomen (d), verum etiam LICITA *cum ea conſuetudo* (e). Quamuis enim effectibus nuptiarum, qui ex iure ciuili ſunt priuaretur, aut etiam effectus quoſdam naturales legum impedimento amitteret iſta coniunctio, atque hinc nec amica matronali ornamento fulgeret, nec liberi ex ea procreati in poteſtate patris eſſent: ab vxore tamen ſolo delectu et animi deſtinatione differebat (*f*), nec quidquam inter eas, niſi dignitate, intererat (*g*). Hinc vxoris loco eſſe dicebatur (*h*), liberique eius tametſi naturales vel nothi dicerentur, et nec heredes eſſent patri, nec eius nomen ferrent, ſed vel maternum nomen retinerent, vel ei adderent cognomen patris: non tamen erant ſpurii, nec infamia, aut leuis notae macula notati credebantur, vti vulgo quaeſiti, quamuis non eſſent pars familiae paternae. Quae omnia egregie illuſtrat marmor apud GRVTERVM (*i*).

C. MAMERCIO SP. F.
IANVARIO Q. AED. PRAET.
IIVIR. Q. ET.
P. PACCIVS IANVARIVS
FILIO NATVRALI ET
MAMERCIA GRAPTE
MATER INFELICISS. FILIO
ET COGNATAE PIISSIMIS
FECERVNT.

Poſitum eſt monimentum *C. Mamercio Ianuario*, et *Cognatae*, piiſſimis. *Cognata* enim hic non adpellatiuum videtur, ſed nomen proprium feminae, vxoris forſan *C. Mamerci Ianuarii*. Nam et alibi *L. Cognatae* (*l*) et *Primigenii Cognati* (*m*) mentionem faciunt lapides. Is *C. Mamercius Ianuarius* erat filius naturalis *P. Paccii Ianuarii*, ex *Mamercia Grapta*. Vnde illud SP. F. non eſt *ſpurius filius*, vti in indice interpretatur SCALIGER, ſed antiqua formula: SINE PATRE FILIVS, quam liberorum extra matrimonium quaeſitorum nominibus ſubiici conſueuiſſe docet PLVTAR-

[a] *L. 56. D. de ritu. nupt.*
[b] *Lib. V. obſ. cap. 6.*
(c) *Lib. III. obſ. cap. 17.*
(d) *L. 144. D. vbi ſupra.*
(e) *L. 5. C. ad SC. Orphit.*
(f) PAVLL. *lib. II. ſent. tit. 20. §. 1.*
(g) *L. 49. §. 4. D. de Legat. 3.*
(h) *L. 144. D. de V. S.*
(i) *Inſcr. pag. 434. num. 4.*
[l] *Ib. pag. 601. n. 4.*
(m) *Ib. pag. 952. n. 3.*

TARCHVS (*a*). Neque enim ſpuriorum nomen inditum naturalibus vel ex concubina natis, ſed *vulgo conceptis, qui patrem demonſtrare non poterant, vel poterant quidem, ſed eum habebant, quem habere non licebat*, vti ait MODESTINVS (*b*). Nec credibile eſt, parentes filium, tot honoribus in colonia functum, ſpurium vocare voluiſſe, quum nec vulgo, nec ex iniuſtis nuptiis conceptus eſſet, ſed ex concubinatu. Fuerat enim Q. AED. PRAET. IIVIR. Q. ET. id eſt, *Quaeſtor, Aedilis praetor, et Duumuir quinquennalis iterum*, ita enim IT. pro ET reſcribendum eſſe monet MARQV. GVDIVS. Ex quo ſimul patet, ne vllam quidem notam haeſiſſe liberis naturalibus, ſiquidem ad maximos aliquando honores adſpirabant, nec ſibi ignominiae ducebant, nominibus ſuis adſcribere hanc natalium conditionem. Sic et qui lapidem Praeneſtinum Fortunae Iouis pueri primigeniae dedicauit apud GRVTERVM (*c*), adpellare ſe non dubitat NOTVM RVFICANAE L. F. PLOTILLAE. Et *Epipodius* quidam (*d*), qui patri naturali monimentum ponit, ſub finem addit.

EPIPODIVS. FILIVS. NA.
PATRI PIENTISS.

In primus notandum, hunc *C. Mamercium* matris *Mamerciae* nomen retinuiſſe, quia ratione matris omnes liberi tam naturales, quam legitimi eiuſdem iuris ſunt (*e*): eidem vero addidiſſe cognomen paternum *Ianuarii*: quemadmodum et *C. Modius Felix* apud GRVTERVM (*f*) quum ex Siluia et legitimum et naturalem filium habuiſſet: illum ſuo, hunc matris nomine *Siluinum* vocat. Inſcriptio ita ſe habet:

C. MODIVS. FELIX.
ET. C. MODIO. FELICI. FIL.
ET. COCCEIO. SILVINO. FIL.
NATVR. ET. MODIO. RENATO.
LIB. ET. SATTIAE. SILVIAE.
VXORI. V. V. S. S. F.

Apud eumdem (*g*) *L. Oppii Valeriani* filius naturalis non Oppius vocatur, ſed A. FVLVIVS A. F. CELER, procul dubio ab A. FVLVIA CELERE matre. Equidem *Q. Lollii Felicis* filia naturalis, *Lollia Ionis*, nomen gentile patris naturalis fert in marmore (*h*): ſed eadem et liberta erat patris naturalis. Libertos autem et libertas patroni nomen gentile adſumſiſſe, tralatitium eſt. Alias ſi vel maxime patres agnoſcerent liberos naturales vel extra matrimonium quaeſitos: non tamen gentile nomen ſuum ab illis ferri patiebantur, ſed nonnunquam cognomen tantum. Quemadmodum quum

(a) *Quaeſt. Rom. pag.* 316.
(b) *L.* 23. *D. de ſtatu hom.*
(c) *Grut. pag.* 76. *num.* 7.
(d) *Ib. pag.* 547. *num.* 8.
(e) §. *pen. Inſt. de SC. Orphit.*
(f) *Inſcr. pag.* 696. *num.* 9.
(g) *Ib. pag.* 684.
(h) *Ib. pag.* 945.

quum Iul. Caeſar, teſte SVETONIO (a), *filium ex Cleopatra natum ſuo nomine adpellari pateretur*, is tamen non Iulius, ſed *Caeſaria* dictus eſt, vti ex SVETONIO (b) et DIONE (c) diſcimus. Antonii vero liberorum ex Cleopatra natorum nemo Antonii nomen tulit, ſed omnibus nomina Ptolemaeorum familiae familiaria indita ſunt. Vnum enim *Ptolemaeum Philadelphum*, alterum *Alexandrum*, filiam *Cleopatram* dictos eſſe, ſcribit DIO CASSIVS (d).

Sed vt e diuerticulo in viam redeamus: quamuis nec inhoneſtus nec illicitus eſſet concubinatus, ſed veluti inaequale matrimonium (e): non tamen, vti recte contra CVIACIVM docuit MERILLIVS, *coniunctio legitima* dici poteſt. Id enim nomen ſoli matrimonio competit, non concubinatui, ob quem etiam nemo poenas caelibatus orbitatiſque effugiebat. Quare et ii fere, qui iam e iuſto matrimonio liberos procreauerant, patriaeque et Priamo fecerant ſatis, concubinam poſtea ſolebant adſciſcere, ne liberis inducerent nouercam, hereditatemque ſperatam iis interuerterent. Sic SVETONIVS (f) refert, ipſum *Veſpaſianum*, *Imperatorem*, *poſt vxoris exceſſum Caenidem*, *Antoniae libertam*, *et a manu*, *dilectam quondam ſibi*, *reuocaſſe* IN CONTVBERNIVM, *et habuiſſe*, *etiam Imperatorem*, PAENAE IVSTAE VXORIS LOCO, id eſt, tanquam concubinam, quam vxoris loco eſſe, et iureconſulti dicere ſolebant (g). Sed et Antoninus Pius amiſſa Fauſtina, concubinam habuit (h). Et M. Aurelius Antoninus, recti exempli imperator, concubinam ſibi adſciuit, procuratoris vxoris ſuae filiam, *ne tot liberis* NOVERCAM *ſuperduceret* (i). Denique praeſidibus, qui vxores non habebant, ſingulas concubinas, quod ſine his eſſe non poſſent, Alexander Imp. conceſſit (l): proculdubio reſpiciens ad eos, qui vxores amiſerant. Idem et priuati facere ſolebant frequenter: eaque fortaſſis ratio fuit, quam ob rem Auguſtus concubinatum Romanis primum conceſſerat.

Adiecimus denique: INGENVAM HONESTAM IN CONCVBINATV HABERE IVS NE ESTO. Honeſta vero erat ingenua, in quam ſtuprum committebatur. Eam enim regulam probat VLPIANVS (m), quod *ſolae illae in concubinatu haberi poſſint*, *ſine metu criminis*, *in quas ſtuprum non committatur*. Stuprum vero committitur in virginem vel viduam ingenuam, et honeſte viuentem (n). Non itaque in obſcuro loco natam, ludionis, lenonis, arenarii filiam, vel eam quae quaeſtum fecerit corpore (o). In has, inquam, non committebatur ſtuprum, id eſt non erat is ſtupri ex lege Iulia de adulteriis reus, qui cum huiuſmodi muliercula rem habuerat. Vnde et OVIDIVS (p) hos amplexus vocat *Venerem tutam*, et *conceſſa furta*, dum canit:

Eſte procul vittae tenues, inſigne pudoris,
Quaeque tegis medios, inſtita longa, pedes.

(a) *Iul. cap.* 52.
(b) *Aug. cap.* 17.
(c) *Lib.* XXXX.
(d) *Lib.* XXXXVIIII. *pag.* 416.
(e) L. 3. C. *de natur. liber.*
(f) *Veſp. cap.* 3.
(g) L. 144 D. *de V. S.*
(h) IVL. CAPIT. *vit. Anton. cap.* 8.
(i) IVL. CAPIT. *in vita Marci cap.* 29.
(l) LAMPRID. *Alex. cap.* 13.
(m) VLP. *Lib.* I. L. 1. §. 1. D. *de concubin.*
(n) L. 34. *pr.* D. *ad L. Iul. de adult.*
(o) L. 3. *pr.* D. *de concub.*
(p) *De arte amandi Lib.* I. *v.* 30.

Digitized by Google

Nos VENEREM TVTAM, CONCESSAQVE FVRTA *canemus*:
Inque meo nullum carmine crimen erit:

Senſus eſt, non ſe profiteri artem amandi ingenuas, vel inſidias pudicis ſtruendi, ſed iis, in quas non admittatur ſtuprum. Et HORATIVS (*a*):

- - *Me libertina, neque vno*
Contenta Phryne macerat.

Et has proinde etiam concubinas licebat habere. Alioquin, ſi quis honeſtae vitae et ingenuam mulierem in concubinatum habere mallet, *id ſine teſtatione, hoc manifeſtum faciente, non concedebatur*, vti eodem loco docet MARCIANVS (*b*), qui etiam addit, *neceſſe eſſe viro vel vxorem ingenuam habere, vel recuſantem ſtuprum cum ea committere*. Sunt, qui poſtrema haec verba committunt cum iis, quae alio loco MODESTINVS et PAPINIANVS inculcant, et *ἀντινομίαν* manifeſtam in his ſibi videntur deprehendere. Quum enim MARCIANVS eum, qui honeſtae vitae atque ingenuam mulierem in torum recepit, neque eam iuſtam vxorem eſſe vult ſtuprum committere dicat: MODESTINVS (*c*) contra ait: *In liberae mulieris conſuetudine non concubinatus, ſed* NVPTIAE *intelligendae ſunt, ſi non corpore quaeſtum fecerit*, et in eumdem ſenſum PAPINIANVS (*d*): *An maritalis honor vel affectio pridem praeceſſerit*, PERSONIS COMPARATIS, *vitae coniunctione conſiderata, perpendendum eſſe, reſpondi: neque enim tabulas facere matrimonium*. Sed ſalua res eſt: In dubio omnino praeſumebatur ingenuam, quae cum viro miſcuerat corpus, non eſſe concubinam, ſed vxorem, niſi vel obſcuro loco nata, vel vulgaris, vel iudicio publico damnata fuiſſet, vel teſtatio exſtaret, quae mulierem ſeſe in concubinatum dediſſe faceret manifeſtum. Et ea eſt ſententia MODESTINI. Aſt ſi mulier, quantumuis ingenua, proſtrauiſſet pudicitiam, vel artem ludicram feciſſet: non cenſebatur vxor, ſed concubina, etiamſi dotalia inſtrumenta exſtarent, et vir eam pleno honore dilexiſſet: quale exemplum ſupra in Coccei Caſſiani V. C. concubina (*e*) vidimus. Tabulae enim non faciunt matrimonium inter eas perſonas, inter quas per leges non eſt ius connubii. Et haec eſt ſententia PAPINIANI. Denique ſi vir ingenuam honeſte viuentem, quacum conſuetudinem habuerat, vxorem habere recuſaret: praeſumtio quidem militabat pro muliere, quod non in concubinatu, ſed matrimonio vixerit, adeoque et illa vxoris iuribus fruebatur: ſed maritus, qui eam vxorem habere recuſabat, et concubinam tamen habere non poterat, tamquam ſtuprator merito habebatur. Et haec eſt ſententia MARCIANI, inter quam et reliquas nihil omnino pugnae eſt.

V. Talis erat veterum Romanorum concubinatus, qui ex lege PAPIA POPPAEA nomen adſumſerat. Eum quis primus ſubruerit, nondum inter omnes conſtat. Alii enim a LEONE eum putant ſublatum, alii multo prius ab vſu receſſiſſe contendunt. Sed reuera de eo profligando primus cogitauit CON-

(a) *Epod.* XIIII. *v.* 15.
(b) *d. L.* 3. *pr.*
(c) L. 24. *D. de ritu nupt.*
(d) L. 31. *pr. D. de donat.*
(e) L. 16. *D. de his quae vt indign.*

CONSTANTINVS M. ita tamen vt quum imparem ſe fere eſſe intelligeret abolendae conſuetudini tam inolitae, obliqua quaſi via procederet, idque ageret potiſſimum, vt ciues, quas hactenus concubinas habuerant, eas in poſterum vxores habere mallent. Primo itaque, quum obſeruaret, et concubinis et liberis naturalibus donari legarique poſſe: non abs re ſuſpicabatur, facilius tabulas ſignaturos ciues, ſi ſibi eam facultatem ereptam viderent. Id vero factum eſſe a CONSTANTINO, diſcimus ex conſtitutione VALENTINIANI (a), qua Conſtantini legem temperaturus, liberis naturalibus, ſi legitimi liberi vel parentes exſtent, vnciam: his vero non exſtantibus, tres vncias teſtamento relinqui poſſe ſtatuit, adeoque ſatis aperte innuit, Conſtantinum M. multo minus relinqui paſſum eſſe liberis naturalibus. Praeuidebat enim Imperator, parentes aegre laturos hanc liberorum conditionem, et cum concubina potius facturos iuſtas nuptias, quam vt eam liberoſque ex ſe natos ſe mortuis in mendicitate viuere paterentur. Deinde eodem conſilio et legitimationem per ſubſequens matrimonium inuexit, non vt ea perpetuus eſſet patriam poteſtatem conſequendi modus, ſed vt, quod recte obſeruauit DES. HERALDVS (b), liberi, qui ante id tempus ex concubinis nati fuerant, huius beneficii, in poſterum naſcituris haud profuturi, fierent participes, parenteſque, eo inuitati, tanto aequiore animo iuſtas nuptias illegitimae conſuetudini anteferrent. Equidem nec ea CONSTANTINI de legitimatione conſtitutio exſtat: ex ZENONIS (c) tamen epiſtola, quae illius mentionem facit, ſatis adparet, eum legitimationem non niſi iis liberis, qui antehac ex concubinis editi fuerant, prodeſſe voluiſſe. Vnde et ZENO eam legitimationem quidem renouat, ſed itidem non in poſterum valituram. Idem poſtea fecerunt ANASTASIVS (d) et IVSTINVS (e), quorum hic non minus, ac anteceſſores, conſtitutionem ſuam ad caſus poſtea exſtituros proferri vetuit. Poſtremo IVSTINIANVS (f), vel ignarus ſcopi, quem ſibi in his conſtitutionibus propoſuerant anteriores principes, vel concubinatui non admodum infenſus, conſtituit, vt ſubſequens inter virum et concubinam matrimonium ordinarius ac perpetuus eſſet legitimandi modus. Tertio ne viri in dignitatibus conſtituti, alios exemplo corrumperent: idem CONSTANTINVS (g) duriſſimam illam, quam capite II. huius libri explicauimus, conſtitutionem edidit, et ne concubinas quidem viliores a viris perfectiſſimis haberi paſſus eſt. Quae itidem ad euertendum concubinatum comparata fuiſſe, facile eſt ad intelligendum, quum vix veroſimile eſſet, mulierem ingenuam quantumuis obſcuro loco natam viro etiam clariſſimo perfectiſſimoue ſe daturam eſſe in concubinatum, quum nec ſibi nec liberis inde quidquam ſperare poſſet emolumenti.

VI. Nec forſan effectu caritura fuiſſent illa CONSTANTINI conſilia, ſi eadem ſeueritate rem agere voluiſſent ſucceſſores. Sed his rem parum curae fuiſſe, vel inde patet, quod non ſolum nullam, quae eo pertineat,

S 2 con-

(a) L. 1. C. Th. *de natur. lib.*

(b) *Lib. I. Rer. et Quaeſt. quotid. cap.* 6. §. 11.

(c) L. 5. C. *de natur. lib.*

(d) L. 6. C. *eod.*

(e) L. 7. C. *eod.*

(f) L. 10. C. *eod. Nou.* XII, *cap.* 4. *Nou.* XVIII. *cap.* 11. *Nou.* XVIIII.

(g) L. 1. C. *de nat. lib.*

Digitized by Google

conſtitutionem, praeter vnicam illam de pellicatu (*a*) codicibus inſeri iuſſerint, verum etiam pleraque a CONSTANTINO ſancita nouis legibus et conſtitutionibus ſuis ſubuerterint. Nam iam obſeruauimus, vel naturalibus liberis aliquid relinqui paſſum eſſe Valentinianum, et Iuſtinianum legitimationem per ſubſequens matrimonium omnibus promiſcue indulſiſſe. Hinc adhuc IVSTINIANI temporibus concubinatus erat *licita conſuetudo* (*b*), in qua quis caſte viuere poſſet (*c*): nec prius ille publica lege ſublatus eſt, quam temporibus LEONIS (*d*), cuius tamen conſtitutio non niſi in oriente valuit. In occidente concubinatu nihil erat frequentius; inter Francos, Langobardos et Germanos reliquos; eumque ipſi clerici exemplo ſuo probabant, donec ſub purioris religionis exortum publica lege vbique inter Chriſtianos aboleretur. Qua de re in ANTIQVITATIBVS IVRIS GERMANICI a nobis fuſius actum eſſe meminimus, vt non opus ſit plura hic addere, vel noſtra ipſorummet expilare ſcrinia.

(a) *L. vn. C. de concub.*
(b) *L. 5. C. ad SC. Orphit.*
(c) *Nouell. XVIII. cap. 5.*
(d) *Nou. Leon. LXXXXI.*

C A P V T V.

AD CAP. LEGIS PAP. POPP. V. DE SPONSALIBVS.

I. P*Roximum caput de ſponſalibus egit. Suetonii locus explicatus. Quid eo capite ſancitum? Vlpiani locus vindicatus et expoſitus.* II. *Verba capitis V. Aliae gentes ſeram Venerem laudabant. Romani puellas vix viri potentes ducebant. An irrita fuerint ſponſalia cum puella decenni minore? Intra biennium ſponſa erat domum ducenda.* L. 17. D. de ſponſal. *a* CVIACII *et* GOTHOFREDI *emendationibus vindicata. Quaenam iuſtae cauſſae ſponſalia vltra biennium trahendi?* L. 2. C. de ſponſalibus *expoſita. Sponſae ſaepe adhuc infantes. Auguſtus an Iuſtinianus pubertatis terminum in feminis definiuerit. Impubes domum ducta non erat vxor, niſi ab anno aetatis duodecimo. Nuptiae aliquando inter pueros et puellas celebratae.* III. *Vacatio a morte viri vel diuortio data. Vacatio quid? An et viris vacatio huiuſmodi data?* IIII. *A* GOTHOFREDO *adſuta lacinia de virginibus Veſtalibus ad hanc legem non pertinet.* V. *Vſus legis hodiernus.*

I. PRoximum legis PAPIAE POPPAEAE caput de ſponſalibus egiſſe videtur. Inter prima ſaltim capita et hoc fuiſſe, vel inde patet, quod primo ſtatim commentariorum libro de eo dixerit CAIVS, iureconſultus (*a*).

Vt vero, quid hoc capite Auguſtus ſanxerit, paullo inquiramus accuratius: breuiter illud, ſed eleganter, deſcribitur a SVETONIO (*b*), qui, vbi de lege Iulia de maritandis ordinibus loquitur: *quum etiam*, inquit, *immaturi-*

(a) *Lib. I. L. 17. D. de ſponſal.*
(b) *Aug. cap. 34.*

turitate ſponſarum et matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, TEMPVS *ſponſas habendi* COARCTAVIT, *diuortiis modum impoſuit*. Nimirum, lata lege Iulia, nullum inter maritos et ſponſos diſcrimen ſtatuerat Auguſtus; ſed hos aeque ac illos a poenis caelibatus immunes eſſe iuſſerat. Quemadmodum vero ingenioſa aduerſus leges eſſe ſolet improbitas: ita inde occaſionem arripiebant Romani, vim legis Papiae Poppaeae immaturitate ſponſarum eludendi. Stipulabantur enim ſibi puellas, nondum viri potentes, eoque obtentu, nuptias diutiſſime trahebant, donec potiti maritorum praemiis, ſponſas repudiarent, fraudem hoc modo legi facientes impudentiſſime.

Quum itaque eo fieret, vt ex lege ſapienter ſcripta haud magna ad rem publicam vtilitas redundaret: conſultum viſum eſt principi prudentiſſimo, tempus ſponſas habendi coarctari, certoſque definiri annos, intra quos eae domum ducendae eſſent, ſi quis ſponſalia ſibi prodeſſe vellet ad euitandas caelibatus poenas, praemiaque nuptiarum capienda. Rem omnem accuratius exponit DIO CASSIVS (a), cuius ipſa verba adſcribemus: Ὡς δὲ ἐν βρέφη τινὲς ἐγγυώμενοι τὰς μὲν τιμὰς γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν οὐ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μεθ' ἣν οὐ δὲ ΔΤΟΙΝ 'ΕΤΟΙΝ διελθόντοιν γαμήσει τις, τοῦτ' ἐστὶ ΔΕΚΕΤΙΝ πάντως ἐγγυᾶσθαι τινά γέ τι ἀπ' αὐτῆς ἀπολαύσοντα· δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἐς τὸ πλῆρες νομίζεται: *at quum quidem puellas deſponderent, et praemia nihilominus ferrent maritorum, rem opuſque mariti non praeſtarent: ſtatuit, nulla ſponſalia firma eſſe, quae,* BIENNIO EXACTO, *nuptiae non ſequerentur: hoc eſt; vt omnino* DECENNEM *deſpondere opus eſſet, ſi quis ſponſionis eius fructum vellet percipere. Puellis enim duodecimus annus plenus ad nuptias definita aetas cenſetur.* Ex eo autem loco diſcimus, primo, ſponſalia vltra biennium trahi non potuiſſe per legem Papiam Poppaeam: deinde deſponderi non potuiſſe puellas decenni minores: poſtremo, duodecennes viris potentes iam eo tempore habitas eſſe.

Nec tantum de tempore ſponſas habendi, hoc capite actum videtur, verum etiam de ſpatio, intra quod poſt coniugis mortem vel repudium ad ſecunda vota tranſeundum eſſet. Nam prioribus verbis ſtatim ſubiungit SVETONIVS: *Diuortiis modum impoſuit*. Quod non modo ita intelligendum, quod Auguſtus ea lege licentiae repudiandi vxores modum impoſuerit, verum etiam, quod praecipue vitae caelibi poſt diuortium certos annos praefiniuerit, intra quos nuptiae rurſum fieri deberent. Quam legis Papiae Poppaeae ſanctionem ita deſcribit VLPIANVS (b): *Feminis lex* IVLIA A MORTE VIRI *anni tribuit vacationem, a* DIVORTIO *ſex menſium: lex autem Papia a morte viri* BIENNII, *a repudio* ANNI ET SEX MENSIVM. Equidem primus hunc locum ſollicitauit vir ſummus, IAC. CVIACIVS, qui pro *biennii* reſcribi iuſſit *triennii*, quia ex SVETONIO (c), triennii vacationem ab Auguſto datam eſſe, conſtet. Sed et τῷ πάνυ CVIACIO, et qui eius emendationem probauit, Is. CASAVBONO fraudi fuit male intellectus SVETONII locus, qui non de vacatione feminae a morte mariti, ſed de vacatione ipſius non quidem Papiae ſed Iuliae legis, cuius-

bus

(a) *Lib.* LIIII. *pag.* 541.

(b) *Fragm. tit.* 14. §. 1.

(c) *Aug. cap.* 34.

bus conceſſa, loquitur. Neque enim prius lex Iulia de maritandis ordinibus perlata eſt, quam vacatione triennii data, id eſt conceſſo iis, qui nondum vxores duxerant trium annorum ſpatio, πρὸς παρασκευήν, vti loquitur DIO (*a*), id eſt, vt interea ſe praepararent ad ducendas vxores, procreandoſque liberos. Quare et eximius vir IAC. GOTHOFREDVS (*b*), et celeberrimus SCHVLTINGIVS (*c*) recte negarunt, mutandum aliquid eſſe in loco VLPIANI, quo, quid lege Iulia ea de re cautum ſit, quidque poſtea mutauerit lex Papia Poppaea, tam diſtincte exponitur.

II. Ex his ergo adparet, tale fere fuiſſe legis PAPIAE POPPAEAE caput quintum:

> *Sponſam poſt hanc legem decenni minorem nemo habeto, deſponſam intra biennium domum ducito: ni duxerit, praemiis maritorum ne fruitor. Feminis a morte viri biennii; a repudio anni et ſex menſium vacatio eſto.*

SPONSAM, ait lex, POST HANC LEGEM DECENNI MINOREM NEMO HABETO. Aliae gentes laudandos exiſtimabant, qui ſero animum adpellerent ad nuptias, rati, id quod res eſt, properatam Venerem robori et maturitati liberorum aeque ac ipſorum parentum officere. Hinc ARISTOTELES (*d*) expedire iudicat reipublicae, ſi mares circiter anno aetatis trigeſimo ſeptimo, feminae duodeuiceſimo inirent matrimonium. Lycurgus, teſte PLVTARCHO (*e*), non quidem certos finiuit annos, ſed tamen non niſi robuſtas et grandes virgines elocari voluit. Eamdem ob cauſſam non abs re maiores noſtros collaudauit TACITVS (*f*), *quod* SERA *apud illos fuerit iuuenum* VENVS, *et hinc inexhauſta pubertas*. Eum enim morem patrium permultum contuliſſe ad inuſitatum illud corporum Germanorum robur, ſingulari eaque pererudita diatriba eleganter ſuo more vir doctiſſimus, HERM. CONRINGIVS, demonſtrauit. Denique, vt alia omittamus, de Africanis quibuſdam memoriae prodidit NIC. DAMASCENVS, ὅτι τῶν θυγατέρων ἀρίστας κρίνουσι τὰς πλεῖστον χρόνον μεμενηκυίας παρθένους, *eas filias ab illis iudicari optimas, quae quam diutiſſime virgines manſerint.*

At aliter rationes componebant Romani, quos PLVTARCHVS (*g*) teneras admodum puellas non modo deſpondere, verum etiam elocare et ducere conſueuiſſe refert, ea huius conſuetudinis reddita ratione, quod magna ſit huius aetatis ſimplicitas, et ſub inſtitutione mariti vxor tam tenera illius mores facilius imbibat, atque ita publicae res priuataeque eo tranquilliores eſſe ſoleant. Hinc factum, vt ſaepe puellae adhuc infantes deſponderentur pueris, ceu vel exemplo Caeſaris patet, cui Coſſutia, teſte SVETONIO (*h*), *adhuc tum praetextato deſponſa fuerat.*

Quum vero ita legi Iuliae de maritandis ordinibus haud ſatisfieret, eaque ſponſalia repudiis et diuortiis occaſionem frequentiſſime darent: lege demum Papia Poppaea cautum eſt, ne quis ſponſam decenni minorem in poſterum haberet. Quod vero non ita intelligendum, ac ſi ex eo tempore nefas viſum eſſet, ſtipulari ſibi puellam decenni minorem. Id enim et ſub Augu-

(a) *Lib. LVI. pag. 577.*
(b) *Not. ad leg. Pap. Popp. pag. 320.*
(c) *Ad Vlpian. pag. 609.*
(d) *Lib. VII. Polit. cap. 16.*
(e) *Compar. Lycurgi et Numae pag. 76.*
(f) *De mor. Germ. cap. 20.*
(g) *Ibid.*
(h) *Iul. cap. 1.*

Auguſto, et poſt eius tempora frequentiſſime factum eſſe conſtat. Ipſe enim Auguſtus natam ex filia Attici Arippae filiam *vix* ANNICVLAM *Tiberio Claudio Neroni*, *Druſilla nato*, *priuigno ſuo* DESPONDIT, teſte CORNELIO NEPOTE (*a*). Aliud exemplum marmor hoc apud GRVTERVM (*b*) memorat:

DIIS. MANIBVS.
VALERIAE. M. F.
FORTVNATAE.
VIXIT. ANNOS. VIII.
MENSES. VIII. DIES. XVIII.
M. VALERIVS. ANICETVS.
VIX. ANN. XX. QVI. FVIT.
SPON.
EIVS.

Sed ſenſus legis eſt, ſponſalia cum decenni minore, non futura legitima. Subſiſtebant ergo, ſed ita, vt is, cui deſponſa eſſet, ſponſi iure non perfrueretur, quia eam ſecundum legem intra biennium domum ducere non poſſet. Hinc MODESTINVS (*e*), quem poſt hanc legem vixiſſe, nemo dubitat: *In ſponſalibus*, inquit, *in contrahendis*, AETAS *contrahentium* DEFINITA NON EST, *vt in matrimoniis*. (Eatenus nimirum, vt immatura ſponſalia nulla vel irrita ſint,) *Quapropter* A PRIMORDIO AETATIS *ſponſalia effici poſſunt*, *ſi modo id fieri ab vtraque perſona intelligatur*, *id eſt*, *ſi non ſint minores ſeptem annis*.

Hinc porro ſponſo lex iniungit, VT DESPONSAM INTRA BIENNIVM DOMVM DVCAT, non quod lex inuitum cogeret facere nuptias, ſed quod, ſi non duceret, praemiis maritorum non frueretur. Ea tamen neceſſitate ſponſos eximebant iuſtae cauſſae, de quibus CAIVS (*d*): *ſaepe iuſtae ac neceſſariae cauſſae*, *non ſolum annum*, *vel biennium*, *ſed etiam triennium vel quadriennium*, *et vlterius trahunt ſponſalia*, *veluti valetudo ſponſi ſponſaeue*, *vel mortes parentium*, *aut capitalia crimina*, *aut longiores peregrinationes*, *quae ex neceſſitate fiunt*. In hoc textu IAC. CVIACIO (*e*) abundare videntur verba *annum vel*. *Nuſquam enim*, inquit, *huic rei annum fuiſſe praeſcriptum*, *legimus*, *ſed biennium*, *vt conſequens ſit*, *Caium ſcripſiſſe*: *Saepe iuſtae ac neceſſariae cauſſae non ſolum biennium*, *ſed etiam triennium*, *quadriennium et vlterius trahunt ſponſalia*. Poſtea tamen verba iſta retineri poſſe concedit, ſi dicamus, his, qui ſibi deſpondiſſent puellam XI. annorum, legibus fuiſſe praeſcriptum annum, ad contrahendas nuptias. Enimuero nec de hac legis ſanctione vel apud DIONEM vel apud quemquam veterum aut vola aut veſtigium occurrit. Vnde IAC. GOTHOFREDVS (*f*) vel ſcriptum fuiſſe ſuſpicatur *annu. M. VI.* id eſt, *annum*, *menſes VI.* vel ſtatuendum eſſe, Caium non de lege Papia Poppaea, ſed de Iulia loqui, quae per annum tantum trahi ſponſalia conceſſerit. Enimuero vti prius

(a) *Vit. Attic. cap.* 19.
(b) *Inſcr. pag.* 837. *num.* 2.
(c) *L.* 14. *D. de ſponſal.*
(d) CAI. *Lib. I. L.* 17. *D. de ſponſ.*
(e) *Lib.* XVI. *obſ. cap.* 35.
(f) *Not. ad leg. Pap. pag.* 310.

prius paullo argutius eſt: ita poſterius plane non videtur veroſimile. Diſerte enim Dio et Svetonius obſeruant, legem Iuliam ſponſis praemia maritorum indiſtincte indulſiſſe, et poſtea demum ob fraudem legi factam biennium, intra quod ſponſae domum ducendae eſſent, praefinitum eſſe lege Papia Poppaea. Quid vero opus fuiſſet noua illa legis Papiae Poppaeae ſanctione, ſi lex Iulia iam tempus, et quidem multo breuius, praefiniuiſſet, intra quod ſponſi nuptias facere tenerentur? Neutra virorum ſummorum coniectura opus videtur. Rectiſſime enim ſe habent Caii verba, ſi ea de ſpatio temporis, ad quod vltra iſtud biennium ob iuſtam et neceſſariam cauſſam ſponſalia trahi poſſint, intelligas, vt ſenſus ſit: *Saepe iuſtae ac neceſſariae cauſſae* (vltra iſtud biennium, quod lex Papia Poppaea finiuit,) *non ſolum annum vel biennium, ſed etiam triennium, et quadriennium, et vlterius trahunt ſponſalia.*

Ceterum iuſtae illae ac neceſſariae cauſſae non omnes quidem, ſed quaedam tantum exempli cauſſa a Caio adferuntur. In his eſt primo *valetudo ſponſi ſponſaeue*, puta diuturna, et talis, quae impedimento eſſe poſſit nuptiis. Deinde *mors parentium*, ob luctum, intra cuius tempus nuptias celebrare indecorum atque inauſpicatum videbatur, adeo, vt ne exacto quidem luctus tempore, nuptias celebrare liceret menſe Februario, quo Manibus parentum ſacra piacularia fiebant. Qua de re Ovidius *(a)*;

Dum tamen haec fient, viduae ceſſate puellae,
Exſpectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi quae cupidae matura videbere matri
Comat virgineas haſta recurua comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab ignibus atris
Aufer: habent alias moeſta ſepulcra faces.

Excuſabant porro *capitalia crimina*: Siue enim ſponſus, ſiue ſponſa, ſiue eorum parentes rei poſtulati eſſent criminis capitalis: induciae merito poſcebantur nuptiis, ne, ſi alteruter ſponſorum capitis damnaretur, alterum participem fieri oporteret iſtius calamitatis. Praeterea in parentum periculo liberi in tanto luctu ac ſquallore erant *(b)*, vt non poſſent ſine ignominia de nuptiis cogitare. Denique et *longas peregrinationes*, *quae ex neceſſitate fiunt*, iuſtis illis cauſſis accenſet Caivs: quod procul dubio de abſentia rei publicae cauſſa intelligendum eſt, cuius ſolius rationem habuiſſe legem Papiam Poppaeam, ex Vlpiani *(c)* et Pavlli *(d)* teſtimoniis, infra explicandis, patebit.

Quid vero ſi nulla vrgente huius modi cauſſa ſponſalia traherentur? Tunc ſponſus praemiis maritorvm non frvebatvr. Sed ea poena non ſufficiebat poſteris. Constantinvs *(e)* enim praeterea ſponſae militis, (paganum enim, qui rei publicae cauſſa non aberat, ſponſa, niſi duodecenni minor, exſpectare non tenebatur,) permiſit, vt circumacto a ſponſalibus biennio, impune ſibi aliam conditionem quaereret. Quin et idem face-

(a) *Faſtor. Lib.* II. *v.* 567. *ſeqq.*
(b) *Liu. Lib.* VI. *cap.* 20. *Lib.* XXXXIII. *cap.* 16.
(c) *Fragm. tit.* 16. §. 1. *L.* 36. *et* L. 38. D. *ex quib. cauſſ. maior.*
(d) *L.* 35 *et L.* 17. *D. eod.*
(e) *L.* 2. *C. de ſponſal.*

facere licebat patri, tutori vel curatori puellae ſi culpa penes ſponſum eſſet, per eumque ſtaret, quo minus puella domum duceretur (*a*). Nam ſi propter aetatem duci non poſſet: non licebat quidem ſponſae, circumacto a ſponſalibus biennio, aliam conditionem quaerere: at ſponſus interea praemiis mariti non fruebatur, quia contra legem immaturam et decenni minorem ſibi fuerat ſtipulatus (*b*).

Quum itaque Auguſtus puellas anno aetatis duodecimo virilis patientiae legem accipere poſſe ſtatuerit: non abs re quaeri poſſet, an non vana ſit IVSTINIANI (*c*) gloriatio, qua ſibi id tribuere videtur, quod pubertatis annos definiuerit, quum ſaltim, quod ad feminas attinet, id pridem fecerit Auguſtus? Sed facile vnus quiſque animaduertet, nec Iuſtinianum iure reprehendi, nec ad Auguſtum referri poſſe inuenti pubertatis termini originem. Nuſquam id ſibi tribuit IVSTINIANVS, quod pubertatis annos primus definiuerit, ſed quod, quum Caſſiani habitu corporis; Proculeiani annis; Priſcus Iauolenus vtriuſque pubertatem aeſtimarent, ipſe Proculeianorum ſententia firmata, liti illi finem impoſuerit. Nec Auguſtus primus dici poteſt ſtatuiſſe, quo aetatis anno puberes cenſeantur feminae. Nam, vti recte CONTIVS (*d*) et VVLTEIVS (*e*) obſeruarunt, de earum pubertate apud veteres non quaerebatur, quia non aetate tutela liberabantur, ſed conuentione in manum. Si vero nubere vellent, non de pubertate quaeſtio erat, ſed de viri potentia, quae, vti ampliſſimus BYNKERSHOEKIVS (*f*) coniecit, ex eo iudicari poterat, quod iam tributum menſtruum naturae ſoluere coepiſſent. Ex quo etiam patet, cur non vti in maribus, ita in feminis, inſpectione corporis opus eſſe crederent veteres. Vix enim matri vel nutrici poterat ignotum eſſe, quando id accidat puellae, ex quo matura viro et plenis nubilis annis iudicaretur. Quum vero id plerumque anno aetatis duodecimo contingat, legem Auguſtus tulit de eo, quod fit ἐπὶ τὸ πλεῖον. Poſtquam autem diſcrimen inter pupillarum et perpetuam feminarum tutelam inualuit, et puellae primum pupillari, ac ea aetate exacta, perpetuae et legitimae tutelae ſubeſſe coeperunt, ac demum perpetua mulierum tutela ſenſim ab vſu receſſit: etiam de puellarum pubertate quaeſitum, quam ipſam quoque anno duodecimo impleto incipere, e veteribus VLPIANVS (*g*) et MACROBIVS (*h*) obſeruarunt.

Vt autem ad legem noſtram reuertamur, diximus, ſponſam ſaltim duodecennem fuiſſe domum ducendam, quia tunc matura viro videbatur. Quid ergo, ſi quis eas inducias anteuertiſſet, et puellam nondum viri potentem deduxiſſet domum? Tunc vero non prius iuſta vxor videbatur, quam legitimam illam aetatem attigiſſet. Hinc et dotem vir petere non poterat, antequam duodecimum aetatis annum impleſſet, quia nuptiae nondum vtiliter fuerant conſequutae (*i*). Ex eadem ratione ante eum annum, repudiata conditione diſcedens, rei vxoriae actione experiri non poterat, quia pecunia in cauſſam dotis numerata dos facta non fuerat: quamuis eidem

(a) *L. 4. C. Th. eod.*
(b) *L. 6. C. Th. eod.*
(c) *L. vlt. C. quando tut. eſſe deſ.*
(d) *Lection. ſubſeciu. Lib. II. cap. 15. §. 3.*
(e) *Ad pr. Inſt. quib. mod. tut. fin.*
(f) *Obſeruat. Lib. III. cap. 24.*
(g) *Fragm. tit. XI. §. 1.*
(h) *Saturnal. Lib. VII. cap. 7. et Somn. Scip. Lib. I. cap. 6.*
(i) *L. 68. D. de iure dot.*

liceret pecuniam condicere, eique condictioni dotis priuilegium daretur ex ſententia VLPIANI (*a*) et HERMOGENIANI (*b*). Sed et legatum cum conditione: *filiae meae*, QVVM NVPSERIT, *do lego*, peti non poterat ab ea, quae nondum nubilis in domum mariti deducta fuerat (*c*). Denique et vitium puellae immaturae, licet domum ductae, illatum vir non tamquam maritus, ſed tamquam ſponſus ex reſcripto D. Seueri perſequebatur (*d*): modo ſponſalia anteceſſiſſent: ſi quidem alias immatura domum ducta ne ſponſae quidem loco erat (*e*). Quae omnia breuiter complexus POMPONIVS (*f*): *minor*, inquit, *annis duodecim nupta tunc legitima vxor ſit, cum apud virum expleuit duodecim annos*.

Non ergo ſi duodecenni minor nupſiſſet, nuptiae reſcindebantur, nec in patrem, qui filiam minorem duodecim annis nuptum dederat, dabatur actio in factum, *quia ignoſcendum videbatur ei, qui filiam ſuam maturius in familiam ſponſi perducere voluerit, quum id adſectu propenſiore magis, quam dolo malo crederetur feciſſe* (*g*): ſed tamen hoc non cenſebatur matrimonium. Hinc et poſt legem Papiam Poppaeam ſaepe vel impuberibus nupſiſſe, vel domum deductas videmus virgines immaturas: In marmore Romano apud GRVTERVM (*h*), legimus:

HERACLAE. QVI. VIX.
ANN. XI. MENS. V. AVR.
PATRONA CONIVGI.
BEN. MER. FEC.

En maritum impuberem annorum XI. et v. menſium, quum diem ſupremum obiret. Vxoris ipſo anno XII. defunctae elogium hoc eſtat Baiis (*i*):

DIS. MANIBVS.
POBLICIAE. ALBANAE.
C. CANVLEIVS. L. F.
CON. B. M. V.
A. XII.

Octennem vxorem reperies in marmore apud eumdem (*l*):

SABINVS. REGVL.
V. F.
SIBI. ET.
FLORENTI. CONIVGI.
SEROTINAE.
AN. VIII.

Septem-

(a) L. 17. §. 1. D. *de reb. auctor. iud. poſſid.*
(b) L. 74. D. *de iur. dot.*
(c) L. 10. pr. D. *de condit. et demonſtr.*
(d) L. 13. §. 3. et §. 8. D. *ad leg. Iul. de adulter.*
(e) L. 9. D. *de ſponſal.*
(f) L. 4. D. *de ritu nupt.*
(g) L. 11. §. 3. D. *quod falſo tutor. auctore.*
(h) *Inſcript. pag.* 788. *num.* 8.
(i) *Ib. pag.* 815. *num.* 13.
(l) *Ib. pag.* 824. *n.* 1.

Digitized by Google

Septennem denique in epigrammate quod poſt GRVTERVM (a) emendatius extulit FABRETTVS (b), in quo et haec legimus:

SEPTEM. ME. NATAM
ANNORVM. GREMIO.
IPSE. RECEPIT. XXXX.
ANNOS. NATA. NECIS. POTIOR.

Adderem exemplum impuriſſimarum nuptiarum Gytonis cum puella immatura apud PETRONIVM (c), niſi ibi laſciuiam potius quam conſilium deprehenderem. Satis enim demonſtratum arbitror, deduci domum potuiſſe ſponſas etiam immaturas, quamuis tunc nec vir, nec vxor, nec dos, nec nuptiae intelligerentur, priuſquam nupta duodecimum aetatis annum in domo mariti expleuiſſet.

III. Altera huius capitis parte de vacatione feminis ſoluto matrimonio conceſſa agitur. Et huc pertinent verba: FEMINIS A MORTE VIRI BIENNII, A REPVDIO ANNI ET SEX MENSIVM VACATIO ESTO. *Vacatio*, vti a GOTHOFREDO obſeruatur, modo pro ſpatio temporis a lege πρὸς παρασκευὴν conceſſo accipitur, modo pro indulgentia ac lege ſolutione, quo ſenſu SVETONIVS (d) Claudium *ciuibus*, *naues mercaturae cauſſa fabricantibus*, VACATIONEM *legis Papiae Poppaeae dediſſe*, refert. Hic vero *vacatio* eſt ſpatium, intra quod viduae et repudiatae, quamuis maritum non haberent, immunes tamen erant a poenis caelibatus. Et viduis quidem a morte mariti biennii; repudiatis anni et ſex menſium, Auguſtus indulſerat, fortaſſis, quia viduis ob tempus luctus non tam cito liceret admittere procos, quam repudiatis, quae plerumque iam de conditione tranſegerant cum aliis, quando a viris diuertebant. Iureconſulti tamen et illis feminis biennii vacationem tribuiſſe videntur, quarum mariti non quidem naturalem, ſed ciuilem, mortem obierant, veluti qui ſerui poenae facti, vel quibus aqua et igni interdictum, vel qui deportati fuerant in inſulam. Haec enim coniugis calamitas ſtatim ſoluebat nuptias, et hinc proculdubio illico tanquam caelibes vel viduae habebantur vxores, quauquam hic caſus praeoccuparet mortem, et nonnunquam longum tempus occuparet. Nec tamen ſtatim caelibatus poenis ſuberant vxores deportatorum: ſed idem illis concedebatur ſpatium, quod viduis Auguſtus hac lege indulſerat. Id enim ex CAII (e) fragmento colligo, quod huc pertinere recte vidit IAC. GOTHOFREDVS (f).

Quando vero feminis tantum huiuſmodi vacationem datam eſſe teſtatur VLPIANVS: quid cauſſae eſſe dixeris, cur lex non et viris ſe aeque benignam praebuerit? IAC CVIACIVS (g) in hanc quaeſtionem incidens: *A die diuortii*, inquit, *vel mortis vxoris*, *cuius temporis vacatio data ſit maribus lege Iulia vel Papia*, *ignoro*. *Forſitan nulla*: *quoniam de feminis tantum Vlpianus ſcribit*, *in quas mitiores*, *quam in viros*, *leges fuere ſemper*.

T 2 Recte

(a) *Ib. pag.* 1046. *n.* 6.
(b) *Inſcr. cap.* 5. *pag.* 421.
(c) *Satyr. pag.* 25.
(d) *Claud. cap.* 18.
(e) CAI. *Lib.* I. L. 29. *D. de poen.*
(f) *Ad leg. Pap. Popp. pag.* 275.
(g) *Lib. VI. obſ. cap.* 38.

Digitized by Google

Recte ſuſpicatur CVIACIVS, nullam vacationem datam eſſe maribus; ſed cauſſam non videtur peruidiſſe. Neque enim de ſola legislatoris benignitate erga ſexum infirmiorem hic cogitandum videtur, ſed vel praecipue eum mouit, quod maribus ſemper in procliui ſit, nouam quaerere conditionem, non item feminis, quas et luctus et ipſa ſexus verecundia ad noua vota feſtinare, multoque magis ſibi nouos maritos quaerere vetat. Vidua ſaltim x. menſes, lugere tenebatur maritum (*a*), et ſi ſui iuris facta, antequam eluxerat, nuberet, infamia notabatur (*b*), eandemque ignominiam ſubibant pater et mater, qui eam nuptum collocauerant, maritus, qui eamdem duxerat; et qui filium ducere iuſſerat, ſocer (*c*). Vnde haud parum mirati homines ſunt Marci Imp. filiam, Lucii Veri viduam nondum decurſo luctus tempore Claudio Pompeio nubentem (*d*). Deinde quomodo repudiatae ſtatim reperiſſent maritum, quum huic verendum eſſet, ne grauidam in torum reciperet, quod in ipſo Auguſto reprehenſum eſſe, docet ACRON ad HORAT. *Carm. Lib. III. od. 6.* Nihil horum imminebat maritis ad ſecunda vota tranſituris, quippe qui neque vxorem lugere, teſte PAVLLO (*e*), neque a diuortio exſpectare aliquamdiu, antequam nouas ſignarent tabulas, compellebantur. Quin tantum abeſt, vt eis ſpatium aliquod πρὸς παρασκευὴν videretur indulgendum; vt plerumque iam cum noua nupta fuerit tranſactum, quando vxori priori dabatur repudium. Ad id ipſum eſt, quod notat IVVENALIS (*f*):

Tres rugae ſubeant, et ſe cutis arida laxet:
Fiant obſcuri dentes, oculique minores:
Collige ſarcinulas, dicit libertus, et exi:
Iam grauis es nobis, et ſaepe emungeris, exi
Ocyus, et PROPERA *ſicco* VENIT ALTERA *naſo.*

Quae ſi expendas paullo accuratius, non mirum videbitur, feminis, et marito orbatae, et repudiatae, vacationem aliquam conceſſam fuiſſe lege Papia Poppaea, quae conceſſa non fuerat maritis, qui vxores vel inuiti amiſerant, vel vltro repudiarant.

IIII. Tale fuit quintum legis Papiae Poppaeae caput. Adſuit illi GOTHOFREDVS laciniam bene longam de virginibus Veſtalibus e populo legendis, forte ducendis, et more maiorum capiendis a pontifice maximo. Sed ipſum GELLII locum, ex quo ſua hauſit, et capite primo huius commentarii interpretati ſumus, et eum non ad legem PAPIAM POPPAEAM, ſed ad aliam, ab hac diuerſam, legem PAPIAM pertinuiſſe, fuſius demonſtrauimus.

V. Ceterum quum hodie vix vlla ſint maritorum, multo minus ſponſorum praemia: ſuperuacua videri poſſet quaeſtio, an et noſtris temporibus id caput obtineat? Sed non inutiliter tamen quaeri poteſt, an, quae de viripotentiae termino, nec non de vacatione a ſoluti matrimonii tempore conceſſa lex praecipit, noſtris temporibus obſeruentur? Paucis ergo reſponde-

(a) SEN. *Epiſt. LXV.* APVLEI. *Metam. Lib.* VIII.
(b) *L. 2. C. de ſecund. nupt.*
(c) *L. 2. L. 11. D. de his qui not. infam.*
(d) *Iul. Capitolin. Marc. cap.* 20.
(e) L. 9. *pr. D. eod.*
(f) *Sat. VI. verſ.* 143. *ſeqq.*

demus, quum pubertatem ex viripotentiam in coniugibus ipſe exigat matrimonii finis, eam etiamnum merito requiri in iis, qui de nuptiis cogitant. Equidem ius pontificium, quod in quaeſtionibus de matrimonio maximam vbique auctoritatem obtinuit, etiam impuberes duodecenni minoribus iungi patitur, ſi malitia, vti lepide pontifex loquitur, aetatem ſuppleat (a); (quamuis ne id quidem ob NICOLAI PAPAE (b) prohibitionem ſine diſpenſatione fieri poſſe putet AVG. BARBOSA (c). At vix tamen vtiquam nuptiae huius modi conceduntur priuatis. Quin et ante plenam pubertatem maſculis aegre indulgentur in Saxonia, quum parum prudentiae ad regendam vxorem et familiam ineſſe credatur imberbi iuueni, qui, vt ait HORATIVS (d),

Gaudet equis, canibuſque et aprico gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtil um tardus prouiſor, prodigus aeris,
Sublimis, cupiduſque et amata relinquere pernix.

Attamen ſi meliora ſuadentes audire nolint, vel ſi iam benedictio ſacerdotalis aut coitus acceſſerit: priore caſu non impediunt nuptias, dummodo ſponſi non ſint impuberes: poſteriore ne quidem impuberes, inter ſe coeuntes diſiungunt, dummodo ſint pubertati proximi. Quam in rem et CARPZOVIVS (e) quaedam notauit. Ita et ſoluto morte matrimonio feminis ob periculum impraegnationis ne conceditur quidem intra annum luctus nubere, tantumque abeſt, vt vacatio quaedam denegetur, vt ei impune per omnem vitam in viduitate permanere liceat. Sin vero vir vxorue cauſſam diuortio dedit, illi non intra quinquennium, quod THEODOSIVS et VALENTINIANVS (f) conſtituerunt, ſed aliquando in perpetuum nuptiis interdici ſolet. In hoc vero vſus hodiernus a iure antiquo facit diuortium; quod et vir amiſſam vxorem elugere teneatur ſex menſibus. Qui mos quamuis et honeſtus ſit, et fere vbique, teſte CYPRAEO (g), receptus, facilius tamen maſculis gratia legis ſit, quam feminis, quarum impraegnatio ſemper videtur metuenda.

[a] *Cap. impuberes* 3. *cap. de illis* 9. *et cap. vlt. X. de ſponſal. imp.*
(b) *Cap.* 2. *X. eod.*
[c] *Ad c.* 24. *X. de ſponſal.*
(d) *Art. poet. verſ.* 162. *ſeqq.*
(e) *Iuriſprud. conſiſt. Lib. II. tit.* 1. *defin.* 13.
[f] *L.* 8. §. 4. *C. de repud.*
[g] *Cap.* 13. *de ſponſal.* §. 96.

CAPVT VI.

AD CAPVT LEGIS VI.

DE POENIS INIVSTARVM NVPTIARVM.

I. *Caput VI. legis Papiae Poppaeae de poenis iniuſtarum nuptiarum egit. Verba capitis.* II. *In poenam incidebant, qui ſcientes dolo malo ad-*

Digitized by Google

aduerſus legem coibant. III. *Liberi quaeſiti contra legem non erant heredes ſui*. IIII. *Idem non proderant parentibus*. V. *Nihil hi capiebant ex teſtamento*. VI. *Nec inter ſe quidquam capiebant*. *Aliquando in fraudem legis liberis relinquebatur, quod parentibus relinqui non poterat*. *In fraudem eiuſdem legis fiebant fideicommiſſa tacita*. *SC. Plantianum*. *VII. Dos quomodo caduca facta?*

I. QVae adhuc expoſuimus legis Papiae Poppaeae capita ab VLPIANO, CLEM. TERENTIO, et PAVLLO duobus primis, a CAIO et MARCELLO libro primo commentariorum explicata ſunt. Quum vero eodem libro II. VLPIANVS, TER. CLEMENS, et PAVLLVS, nec non eodem libro primo MARCELLVS de poenis iniuſtarum nuptiarum agant, ſeptimum autem legis caput, teſte GELLIO (*a*), iam ad praemia parentum et nuptorum pertinuerit: non poſſumus non exiſtimare, ſexto hoc capite de poenis iniuſtarum nuptiarum actum eſſe.

Et ſupra quidem oſtendimus, legem hanc fuiſſe minus quam perfectam, quippe quae matrimonia in quaſdam perſonas inhibuit, ſed inita tamen et contracta non reſcidit: idque primum mutatum eſſe diximus SCto vel oratione Marci Aurelii et Commodi Imperatorum. Nec tamen ideo extra poenas erant huiuſmodi nuptiae: ſiquidem qui contra leges coierant, coniugum vel nuptorum iuribus haud perfruebantur, quamuis, vti diximus, non diuellerentur coniuges tam male conciliati. Recte itaque EM. MERILLIVS (*b*) obſeruauit, ſanctionem poenalem, quam titulo Inſtitutionum de nuptiis inſeruit IVSTINIANVS (*c*), maximam partem ex lege Papia Poppaea eſſe deſcriptam. Vnde ex ea, aliiſque veterum Prudentum fragmentis ita reſtituendum erit hoc caput:

Si qui ſcientes, dolo malo, aduerſus hanc legem coierint: nec vir, nec vxor, nec ſocer ſocruſue nec gener nuruſue intelliguntor: liberi quaeſiti natiue legitimi et heredes ſui ne ſunto, neue parentibus proſunto: neue HEREDITATEM, QVAE EIS LEGE OBVENERIT, *legatumue ipſi coniuges, neque inter ſe quidquam capiunto: mortuaque muliere dos caduca eſto*.

II. Poena ergo proponebatur non omnibus, qui aduerſus legem inierant matrimonium, ſed QVI SCIENTES DOLO MALO ADVERSVS LEGEM COIERANT. Oportebat nimirum eos, qui coierant, ſciuiſſe, cuius conditionis vel viro nubant, vel vxorem ducant. Sine ſcientia enim dolus vel improbum conſilium haud intelligitur. Per eam autem ſcientiam et hic legislatores non delatoriam curioſitatem, ſed talem notitiam, quae ſupinam ignorantiam excludit, intelligunt. Id quod ita eleganter explicat VLPIANVS (*d*): *Nec* SVPINA IGNORANTIA *ferenda eſt, factum ignorantis, vt nec* SCRVPVLOSA INQVISITIO *exigenda*. *Scientia enim hoc modo aeſtimanda eſt, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit, neque delatoria curioſitas exigatur*. Hinc ſi forte ſenatoris filia nupſiſſet Barbario Phi-

[a] *Lib. III cap.* 15.
(b) *Lib. V. obſ. cap.* 11.
(c) §. 12. *Inſt. de nupt.*
(d) *L.* 6. *D. de iur. et facti ign.*

Digitized by Google

Philippo, quem ingenuum, ciuem, et ſenatorem eſſe credebat, quum deinde ſeruus adpareret: vel ſi ſenator bona fide duxiſſet libertinam, ab omnibus pro ingenua habitam: ii ſane a poena fuiſſent immunes, quia nec ſcientes, nec dolo malo aduerſus leges coierant. Neque alteri coniugi alterius ſcientia fraudi erat. Quo pertinet fragmentum TERENTII CLEMENTIS (*a*): *iniquiſſimum videtur, cuique* SCIENTIAM ALTERIVS, *quam ſuam, nocere, vel* IGNORANTIAM ALTERIVS *alii profuturam*. Quo ipſo innuit, ſi Barbarius Philippus feminam ingenuam, conditionis mariti ignaram duxerit, tunc nec ſcientiam mariti vxori fraudi, nec vxoris ignorantiam illi emolumento futuram. Hanc enim ob illius ſcientiam non incurrere poenas iniuſti matrimonii, illum autem ob huius ignorantiam non fieri iuſtum maritum. Haec eſt vera ac genuina harum legum ſententia, quam adſequuti non videntur interpretes, qui has leges de ſcientia vel ignorantia procuratorum accipiunt, de qua ſpecie non cogitaſſe iureconſultos, vel inſcriptio eos docere poterat.

III. Ad poenas ipſas illegitimi concubitus quod attinet, primo NEC VIR, NEC VXOR, NEC SOCER SOCRVSVE, NEC GENER NVRVSVE INTELLIGEBANTVR. Quamuis enim non reſcinderetur eiuſmodi matrimonium: effectibus tamen eiuſdem ciuilibus plane deſtituebatur. Hinc nec iura mariti viro, nec iura vxoris mulieri competebant, ſed vterque poenis caelibatus et orbitatis ſuberat: qua de re iam ſupra quaedam obſeruare me memini, quum de oratione Marci et Commodi diſſererem. Quare nec inter ſocerum vel ſocrum et generum vel nurum ea intercedebant iura mutua et reciproca, quae alias ſecundum leges intercedebant. Sane quum lege Iulia *iudiciorum publicorum* cautum eſſet, *ne cui inuito denuncietur teſtimonium aduerſus ſocerum vel generum*: id procul dubio ceſſauit in matrimonio iniuſto et contra leges Iuliam et Papiam contracto. Eoque pertinet fragmentum PAVLLI (*b*), quo legem illam Iuliam iudiciorum publicorum recenſet, nec non TERENTII CLEMENTIS (*c*) quo *ſoceri* et *ſocrus* vocabula interpretatur: ex quibus vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (*d*) perperam exſculpere voluit hoc legis noſtrae caput: *Gener ſocerue inuiti in reos teſtimonium ne dicunto*. Haec enim repetita fuiſſe lege Papia, quum iam Iulia de iudiciis publicis ea ſatis inculcaſſet, vix veroſimile, nec legis noſtrae ſcopo conſentaneum eſt. Ex eo vero porro conſequebatur, vt LIBERI QVAESITI NATIVE LEGITIMI ET HEREDES SVI NON ESSENT. Pertinet huc locus IVLII PAVLLI (*e*): *ſui heredes ſunt primo loco filius, filia, in poteſtate patris conſtituti, nec intereſt, adoptiui ſint, an naturales, et* SECVNDVM LEGEM IVLIAM PAPIAMVE QVAESITI, *modo maneant in poteſtate*. Seruauit id PAVLLI fragmentum Pariator legum Moſaicarum et Romanarum (*f*), quod interpretaturus PETRVS PITHOEVS speciem ponit, quod mulier manumiſſa ea conditione, ne nuberet, intra annum praeſtiterit iuſiurandum, ſe liberorum quaerendorum cauſſa nubere. Hos enim *liberos ſecundum legem Iuliam Papiamue quaeſitos* dici eo loco exiſtimat vir doctiſſimus. Sed vereor, vt recte PAVLLVM intellexerit.

De-

[a] TER. CLEM. *Lib. II. L. 5. D. eod.*
[b] PAVLL. *Lib. II. L. 4. D. de teſtib.*
[c] TER. CLEM. *Lib. II. L. 146. D. de Verb. Sign.*
[d] *Leg. Pap. Popp. cap. 6.*
[e] *Lib. IIII. Sent. tit. 8. §. 4.*
[f] *Tit. XVI. §. 3.*

Digitized by Google

Deſcribit ille heredes ſuos, taleſque eſſe ait primo loco filios filiaſue, in patria poteſtate conſtitutos: ſecundo loco nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, dummodo et ipſi in poteſtate aui proauiue ſint, nec mortuo illo in alterius recidant poteſtatem. Addit iureconſultus, nihil intereſſe, naturales ſint, an adoptiui, modo, ſi naturales, ſecundum legem Papiam Poppaeam quaeſiti adeoque ex iuſtis nuptiis nati ſint. Vt adeo particulae ET declaratiua hic ſit ſignificatio, qualem in pluribus iuris noſtri locis notant IVL. PACIVS (*a*) et IO. STRAVCHIVS (*b*), adeoque ſenſus emergat naturales licet liberos non eſſe heredes ſuos, ſi contra praecepta legum quaeſiti ſint. Hinc DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. (*c*) quaeſiti per epiſtolam, an liberi ex ingenua et liberta procreati iuſti patri filii naſcantur? id adfirmabant, quia erant ſecundum legem Iuliam et Papiam quaeſiti. Contra ſi Cocceius Caſſianus v. c. de quo ſupra egimus ex Rufina vulgari muliere ſuſcepiſſet liberos, illi tanquam contra legem quaeſiti, illegitimi procul dubio fuiſſent: quum non poſſint iuſti liberi, niſi ex iuſto naſci matrimonio.

IV. Addidimus in lege: NEVE PROSVNTO, quibus verbis tertia iniuſtarum nuptiarum poena continetur. Diſerte PAVLLVS (*d*): *Ex lege autem nati proſunt*. Ex lege nimirum Papia Poppaea, quam eo loco interpretatur iureconſultus, et quam κατ' ἐξοχὴν dictam eſſe legem, obſeruauimus. Ita recte inde colligas, aduerſus legem natos quaeſitoſque non profuiſſe parentibus ad capienda foecunditatis praemia, quum abſurdum videretur, praemia a lege conſtituta illis attribui, qui contra legis praecepta coierant.

V. Quarta poena eſt: NEVE HEREDITATEM, QVAE EIS OBVENERIT, LEGATVMVE IPSI CONIVGES CAPIVNTO. Qui enim contra leges inierant matrimonium, non erant coniuges, adeoque eiuſdem conditionis habebantur ac ſi in caelibatu permanſiſſent. His vero quae quauis vltima voluntate deſtinata fuerant, ea vel aerario populi, vel principis fiſco cedebant, niſi intra centum dies legi parerent (*e*): Primo ergo non capiebant HEREDITATEM LEGE OBVENIENTEM. Verba enim haec fuiſſe legitima, ex VLPIANI (*f*) fragmento, quo iſta interpretatur, adparet. Et quamuis alias ea loquutio ad hereditatem legitimam vel ſucceſſionem inteſtatorum pertineat: eo tamen ſenſu hic non accipitur in lege Papia Poppaea, quae innuptis non hereditatem legitimam, ſed teſtamento relictam eripi iuſſerat. Vnde laudatus modo VLPIANVS: LEGE OBVENIRE *hereditatem non improprie quis dixerit et eam, quae ex teſtamento defertur, quia lege* XII. *tabularum teſtamentariae hereditates confirmantur*. Deinde nec legatum capiebant, immo nec mortis cauſſa donata, quia et mortis cauſſa donationem hereditati, quae ex teſtamento venit, et legatis ſenatus conſulto adſimilatam eſſe, PAVLLVS (*g*) obſeruat. Et hinc patet, cur quid inter mortis cauſſa donationem et omnia, quae mortis cauſſa quis ceperit, interſit, tam prolixe ad hoc caput explicet MARCELLVS (*h*). Enimuero poſtquam et caelibes capere aliquid ex teſtamento potuerunt ob conſtitutionem Conſtan-

[a] *Ad* §. 1. *Inſt. de tutel. et* §. 3. *Inſt. de interdict.*
[b] *Lexic partic. iur. pag.* 61.
(c) *L.* 15. *C. de nupt.*
(d) PAVLL. *Lib. II. L.* 37. §. 7. *D. de op. libert.*
(e) VLPIAN. *tit.* 17. §. 1. *tit.* 22. §. 3.
(f) VLP. *Lib II. L.* 130. *D. de V. S.*
(g) *L.* 35. *D. de mort. cauſſ donat.*
(h) MARCELL. *Lib. I. L.* 38. *D. eod.*

ſtantini M. a SOZOMENO (a) etiam memoratam: procul dubio etiam haec poena iniuſtarum nuptiarum ab vſu receſſit.

VI. Praeterea nec INTER SE QVIDQVAM CAPIEBANT. Cuius poenae teſtem locupletiſſimum habemus VLPIANVM (b), diſerte ſcribentem: *Aliquando nihil inter ſe capiunt coniuges, id eſt, ſi* CONTRA LEGEM *Iuliam Papiamque Poppaeam contraxerint matrimonium, verbi gratia, ſi famoſam quis vxorem duxerit, aut libertinam ſenator*. Nec intererat, per ſe, an per alios inuicem capturi eſſent coniuges. Omnibus enim inſtitutionibus in fraudem legum inuentis, iura obſtabant. Multa in fraudem legis excogitauerat improbitas, quae, tamen ſi palam fiebant, irrita erant, ac fruſtranea. Primo enim aliquando iniuſta vxor, quia maritus capere per leges non poterat, vnum ex priuignis ſuis in patria poteſtate mariti conſtitutum ſcribebat heredem, non ignorans, ſic hereditatem nihilominus adquiſitum iri patri, cuius iuſſu filius eam aditurus eſſet. Et huc pertinet fragmentum VLPIANI (c): quo ea ſpecies tractata fuiſſe videtur, quamuis Tribonianus, abolitis iam caelibatus poenis, non integram legem, ſed rationem decidendi tantum, omiſſa ipſa deciſione, in pandectas retuliſſe videatur. Deinde et fideicommittere ſolebant coniuges in fraudem legis. Coniux enim dicis cauſſa ſcribebat heredem extraneum, addito fideicommiſſo tacito, vt hereditatem reſtitueret coniugi. Quam in rem et chirographum aliquando dabat heres ſcriptus, vt ſuperſtes coniux hereditatem quaſi creditum condicere poſſet. Cuiuſmodi ſpecies eſt apud QVINCTILIANVM (d), qui refert, vxorem, quae per leges inſtitui non potuerit, teſtamentum ſubiecisse marito, et ab inſtitutis heredibus exegiſſe chirographum, quo bona, tacito fideicommiſſo in fraudem legum obligata, ad ſe peruenirent. Similem fraudem refert CAIVS (e): *in fraudem*, inquiens, *iuris fidem accommodat, qui vel id, quod relinquitur, vel aliud tacite promittit reſtituturum ſe perſonae, quae legibus ex teſtamento capere prohibetur, ſiue chirographum eo nomine dederit, ſiue nuda pollicitatione repromiſerit*. Formulam taciti huius modi fideicommiſſi reperies apud CALLISTRATVM (f), apud quem teſtator ad heredes ſcripſerat: VOS ROGO, VT IN EO, QVOD A VOBIS PETII, FIDEM PRAESTETIS, PERQVE DEVM, VT FACIATIS, ROGO. Quaeſitus ergo CALLISTRATVS, an id fideicommiſſum ſubſiſtat? negat, additque, *ſere eo iam decurſum eſſe, vt* FRAVS *legi fieri videatur, quoties quis neque teſtamento, neque codicillis rogaretur, ſed domeſtica cautione et chirographo obligaret ſe ad praeſtandum ei, qui capere non poteſt*. Similis denique ſpecies eſt apud PAVLLVM (g): vt ſatis adpareat, nihil ea fraude, de qua infra capite libri III. vltimo erit dicendi locus, fuiſſe frequentius.

Et aliquamdiu quidem haec fideicommiſſa vtilia fuiſſe videntur. Diſerte enim IVSTINIANVS (h): *quibus*, inquit, *non poterant hereditatem vel legata relinquere, ſi relinquebant, fidei committebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant*. Sed poſtea, non modo ex Papia Poppaea haec fidei-

(a) *Lib. I. Hiſt. Eccl. cap. 9.*
(b) *Fragm. tit. 16. §. 2.*
(c) VLP. *Lib. II. L. 79. D. de adquir. vel omitt. her.*
(d) *Lib. VIIII. Inſt. Orat. cap. 2.*
(e) *L. 10. D. de his, quae vt indign.*
(f) *L. 3. pr. D. de iure fiſci.*
(g) *L. 48. pr. D. eod.*
(h) *§. 1. Inſt. de fideic. hered.*

commiſſa, ſed et, vt auctor eſt VLPIANVS (a), ſenatus irrita eſſe iuſſit fideicommiſſa omnia in fraudem legum facta, adeo, vt quod huius modi fideicommiſſo relictum eſſet, cederet fiſco, et ne quarta quidem maneret penes heredem fiduciarium, ſed et ea fiſco, ex reſcripto Antonini Pii occuparetur. Eſt id SC. PLANCIANVM, de quo MODESTINVS (b): *praeterea qui non capienti rogatus eſt reſtituere hereditatem, SC. Planciano non conceditur, quartam retinere, ſed ea quarta, quam non retinuit, ad fiſcum pertinet, ex reſcripto D. Pii*. Quum ergo hoc SCtum Antoninus Pius reſcripto ſuo illuſtraſſe dicatur eatenus vt quarta heredi fiduciario erepta non in aerarium populi, ſed fiſcum principis deferretur: conſequens eſt, vt illud ante imperium Antonini factum ſit. Deinde quum eiuſdem nominis celebretur SCtum de agnoſcendis liberis, et poſt id tempore Hadriani nouum SCtum factum eſſe dicatur (c): conſequens eſt, vt et Hadriani temporibus anterior ſit ille Plancius conſul a quo iſta SCta adpellantur. Quare non dubito, quin vtrumque SC. factum ſit temporibus Veſpaſiani, ſub cuius imperio M. Plancius Varus, praetura functus laudatur a TACITO (d), et in nummo Claudiopolitano apud IAC. SPONIVM (e) vocatur ΜΑΡΚΟΣ ΠΛΑΝΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Is ergo procul dubio et conſul ſuffectus aliquamdiu fuit, vt facile potuerit auctor huius SC. Planciani eſſe.

VII. Denique et vltima accedit poena: MORTVAQVE MVLIERE DOS CADVCA ESTO. Ita enim loquitur VLPIANVS (f), ſed de nuptiis tantum quinquagenariis maiorum. Verum et ad alia iniuſta matrimonia pertinuiſſe hanc poenam, PAVLLI (g) et PAPINIANI (h) loca perſuadent, quorum prior id etiam in matrimonio eorum, qui officium in prouincia gerebant, cum muliere prouinciali obtinuiſſe ait, alter generatim de quouis matrimonio illicito: *dote*, inquit, *propter* ILLICITVM MATRIMONIVM *caduca facta, exceptis impenſis neceſſariis, quae dotem ipſo iure minuere ſolent, quod iudicio de dote, redditurus eſſet, maritus ſoluere debet*. Immo et ad nuptias contra mandata contractas id protulit ALEXANDER imp. in *epiſtola ad rationales*, quae etiamnum inter codicis GREGORIANI (i) fragmenta exſtat. Caduca itaque dos non ſtatim fiebat, inito matrimonio, (id enim, vti ſaepe dictum, leges non reſcindebant,) nec diſſoluto ſtatim tali coitu, vti colligere quis poſſet ex verbis IVSTINIANI (l), quae tamen, obſeruante eruditiſſimo SCHVLTINGIO (m), non ad quaſuis nuptias contra legem Papiam Poppaeam initas, ſed ad eas, quas nullas eſſe iuſſerat Marci imperatoris oratio, pertinent: ſed demum mortua muliere, ſiue viduum relinqueret ſuperſtitem, ſiue ipſa vel ſoluto matrimonio vel vidua obiiſſet. Tunc vero dos occupabatur a fiſco: quod cur BARN. BRISSONIVS (n) neget, et de ſola dote, quae inceſtis nuptiis acceſſerit, accipiat, ego quidem rationem nullam video.

CA-

(a) *Fragm. tit.* 25. §. 17.
(b) *L.* 59. §. 1. *D. ad leg. Falcid.*
(c) *L.* 3. §. 1. *D. de agn. et al. lib.*
(d) *Lib. II. Hiſt. cap.* 63.
(e) *Itinerar. extr.*
(f) *Fragm. tit.* 16. §. 4.
(g) *L.* 38. §. 1. *D. de rit. nupt.*
(h) *L.* 61. *D. de ritu nupt.*
(i) *Lib.* 5. *tit.* 1. §. 1.
(l) §. 12. *Inſt. de nupt.*
(m) *Iuriſpr. antiqu. Anteiuſtin. pag.* 615.
(n) *De iure connub. pag.* 247.

CAPVT VII.

AD CAPITA LEGIS VII. & VIII.

DE PRIVILEGIIS MARITORVM ET PARENTVM IN GERENDIS PETENDIS QVE HONORIBVS.

I. *Caput ſeptimum et octauum de priuilegiis maritorum et parentum in gerendis petendiſque honoribus egerunt.* II. *Verba capitis ſeptimi reſtituta ex Gellio. Faſces quomodo alternis vicibus habuerint coſſ. An ad obtinendam praerogatiuam hanc profuerint liberi adoptiui? An aut nepotes? An bello amiſſi? Simulatae nuptiae. Quibusdam iura maritorum conceſſa.* III. *Candidati πολύπαιδες reliquis anteferebantur. Proderant etiam liberi, in poteſtate patria non conſtituti. Singuli anni per ſingulos liberos demiſſi. Leges annariae. Locus Liuii explicatur: Qui anni finiti ſingulis magiſtratibus?* IIII. *SCtum ſub Nerone factum de liberis adoptiuis non profuturis.* V. *Ea priuilegia etiam ad decuriones producta.*

I. Hactenus de iniuſtarum nuptiarum poenis: proxima capita de praemiis parentum egiſſe videntur. Septimum certe, teſte Gellio (a), ad priuilegia maritorum et parentum in gerendis honoribus pertinuit. Ait enim Gellivs: *poſtquam ſoboles ciuitati neceſſaria viſa eſt, et ad prolem populi frequentandam praemiis atque inuitamentis uſus fuit: tum antelati in quibusdam rebus, qui uxorem, quique liberos haberent, ſenioribus, neque liberos, neque uxores, habentibus: ſic vti* CAPITE SEPTIMO LEGIS IVLIAE *priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas fit, non qui plures annos natus eſt, ſed, qui plures liberos, quam collega, aut in poteſtate habet, aut bello amiſit. Sed ſi par vtrique numerus liberorum eſt; maritus, aut qui in numero maritorum eſt, praefertur. Si vero ambo et mariti et patres totidem liberorum ſunt: tum ille priſtinus honos inſtauratur, et qui maior natu eſt, prior faſces ſumit. Super his autem, qui aut caelibes ambo ſunt, aut parem numerum filiorum habent, aut* (lego et) *mariti ſunt, et liberos non habent, nihil ſcriptum in lege de aetate eſt. Solitos tamen audio, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere, aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum conſulatum ineuntibus.*

II. Haec Gellivs, ex quo patet ſeptimum legis Iuliae et Papiae Poppaeae caput tale fuiſſe:

Qui plures liberos, quam colllega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit: ei priori ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas eſto. Si par vtrique numerus liberorum erit, maritus, aut, qui in numero maritorum eſt, praefertor. Sin omnes et mariti et patres totidem liberorum erunt, tum, qui maior nata erit, faſces prior ſumito.

 Quum

(a) *Lib. II. cap. 15.*

Quum itaque e duobus collegis ſemper priori faſces darentur illi, qui collegam liberorum numero ſuperaret: primo omnium diſpiciendum, quid ante legem Papiam Poppaeam obtinuerit. Initio libertatis vtrique conſuli faſces praeferebantur. DIONYSIVS enim HALICARNASSEVS (a) diſerte: *Ὡς δὲ κατεστήσαντο ταῦτα, δείσαντες, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μὴ δόξα τοῖς πολλοῖς ἐγγένηται περὶ τῆς καινῆς πολιτείας ἐκ ἀληθὴς, ὅτι δύο βασιλεῖς κύριοι γεγόνασι τῆς πόλεως ἀνθ᾽ ἑνὸς, ἑκατέρου τῶν ὑπάτων τοὺς δώδεκα πελέκεις ἔχοντος, ὥσπερ εἶχον οἱ βασιλεῖς, ἐκρίναντο τὸ δέος ἀφελέσθαι τῶν πολιτῶν.* *His ita conſtitutis, veriti, vt mihi videtur, ne falſam vulgus de immutata republica conciperet opinionem, quaſi duos pro vno vrbi reges praefeciſſent, quia* VTRIQVE CONSVLI, *vti ante regibus*, DVODECIM SECVRES PRAEFEREBANTVR, *decreuerunt ciuibus terrorem eximere*. Brutus itaque et collega, a quibus libertatem auſpicata fuerat cinitas, iisdem, ac reges, inſignibus aliquamdiu vtebantur, duodecim ſingulis faſcibus ac ſecuribus praelatis. Quum vero deinde animaduerterent, haec inſignia terrori eſſe ciuibus, ſeque in duplicatae tyrannidis ſuſpicionem venire, minuere decreuerunt poteſtatis inuidiam, inſtituentes, *τῷ μὲν ἑτέρῳ ὑπάτων τοὺς δώδεκα ἡγεῖσθαι πελέκεις, τῷ δ᾽ ἑτέρῳ δώδεκα ὑπηρέτας ῥάβδους ἔχοντας μόνον, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ κορύνας. Γίνεσθαι δὲ τῶν πελεκέων τὴν παράληψιν ἐν περιτροπῇ ἕνα μῆνα κατέχοντος αὐτοὺς παραλλὰξ ἑκατέρου.* *Vt alterum conſulem* DVODECIM SECVRES *praecederent, alterum duodecim lictores* CVM SOLIS FASCIBVS, *atque etiam cum coronis, vt a quibusdam eſt proditum: collegaeque ſecures ſingulis menſibus ſibi inuicem traderent*. Ita nimirum vertendus locus; non *furcae*, vti vulgo fit, in locum coronarum ſubſtituendae. Latina enim voce hic vti DIONYSIVM, vel denarius Piſonis apud Ez. SPANHEMIVM (b) euincit, in quo faſces, coronis ornati exhibentur. Non ſatis diſtincte ergo rem retulit LIVIVS (c), *id modo cautum eſſe*, ſcribens, a primis iſtis conſulibus, *ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur*. Nam non tam faſces horrebant Romani, quam ſecures: ideoque et has non vtrique, ſed ſingulis, alternis menſibus praeferri volebant.

Poſtea P. Valerius Poplicola non ſolum numerum faſcium ad dimidiam partem minuit, ſed et ſecures iis plane exemit, inſtituitque, teſte DIONYSIO (d), vt conſules ſecuribus non in vrbe, ſed extra illam duntaxat, vterentur. Quem morem ad ſuam aetatem ſeruatum eſſe, ſcribit DIONYSIVS. Ex eo tempore faſces alternis menſibus ſingulis praeferebantur; alterum anteibat accenſus, lictores cum virgis et bacillis pone ſequebantur, eoque menſe, quo quiſque faſces tenebat, CONSVL MAIOR, vti a FESTO (e) traditum eſt, vocabatur. Sed nec id inſtitutum perpetuo valuit. Mos enim iam anno 585. inualuerat, vt alternis non menſibus, ſed diebus faſces mutarentur inter conſules: idque diſcimus ex antiquiſſimo actorum diurnorum fragmento a LVDOVICO VIVE deſcripto, et poſtea edito a STEPH. VIN. PIGHIO (e):

V. K.

(a) *Lib. V. init. pag. 279.*
(b) *Diſſ. X. de vſu et praeſt. nu. pag. 88. Tom. II.*
(c) *Lib. II. cap. 1.*
(d) *Lib. V. p. 292.*
(e) Voc. *maiorem*.
(f) *Annal. Rom. Tom. II. p. 376.*

V. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
. . . .
IV. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. LICINIVM.
. . . .
III. K. APRILEIS.
FASCES PENES AEMILIVM.
. . . .
PRID. K. APRILEIS.
FASCES PENES LICINIVM.

Antiquum denique morem retulit Iul. Caeſar, vt pote quem SVETONIVS (*a*) inſtituiſſe tradit; *vt* QVO MENSE *faſces non haberet conſul*, *accenſus ante eum iret*, *lictores pone ſequerentur*. Sed vter tunc prior faſces ſumſit? Aut fallor ego, aut aetatis habita eſt ratio, vel rerum geſtarum. *M. Iunius Brutus*, vt eſt apud LIVIVM (*b*), *prior*, CONCEDENTE COLLEGA, *faſces habuit*. *Valerius Poplicola* ad Sp. Lucretium collegam adſumtum, *quia* MAIOR NATV *erat*, *priores faſces transferri iuſſit*, vti ſcribit VALERIVS MAXIMVS (*c*). Quin GELLIVS, loco ſupra laudato, et poſt legem Papiam Poppaeam aliquando aetatis rationem habitam eſſe teſtatur, atque inde vix dubito, quin et ante illam aetas praecipue valuerit ad concedendam collegae praerogatiuam.

Eodem modo faſces iam ſub regno mutabant Decemuiri, interregni cauſſa conſtituti. *Vnus enim*, teſte LIVIO (*d*), *cum inſignibus imperii et lictoribus erat: quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumque interuallum regni fuit*. Nec aliter, libera iam republica, Decemuiri, legum ferendarum cauſſa conſtituti: qui primo anno id ſeruabant, vt vnus faſces haberet, et hoc inſigne regium in orbem, ſuam cuiusque vicem, per omnes iret (*e*). Quod quanto erat ciuilius, tanto maior ciuitatem pauor occupabat, quum altero anno, primum honoris diem denunciatione ingentis terroris inſignem facerent, centumque et viginti lictores, ſecures faſcibus illigatas praeferentes, forum implerent. Idem forſan de tribunis militum conſulari poteſtate obſeruandum, quos lictoribus et faſcibus vſos eſſe, ex LIVIO (*f*); eoſdem faſces alternis menſibus ſumſiſſe, vel ex eorum numero colligas. Quamuis enim *interdum viginti* creatos fuiſſe, *interdum plures*, *nonnumquam pauciores*, non temere credam POMPONIO (*g*), ſed ex VI factos a librariis eſſe *viginti*, et ipſe cum BVDAEO, CVIACIO et MVRETO exiſtimem: octenos tamen aliquando creatos fuiſſe, ex LIVIO (*h*), DIODORO SICVLO (*i*), ipſisque marmoribus

[a] *Iul. cap.* 20.
(b) *Lib. II. cap.* 1.
(c) *Lib. III. cap.* 1. §. 1.
(d) *Lib. I. cap.* 27.
(e) LIV. *Lib. III. cap.* 36.
(f) *Lib. IV. cap.* 50.
[g] L. 2. §. 25. D. *de orig. iur.*
(h) *Lib. VI. cap.* 37.
[i] *Lib. XV. p.* 365.

Digitized by Google

ribus apud GRVTERVM (a) videtur certiſſimum, et iam pridem demonſtratum eſt a V. C. IACOBO PERIZONIO (b).

Ita ſe res ante legem Papiam Poppaeam habuit. Hac vero poſtea cautum, vti liberorum et coniugii haberetur ratio, isque prior ſumeret faſces, qui PLVRES LIBEROS, QVAM COLLEGA, IN POTESTATE HABERET. In poteſtate autem quum non modo naturales, ſed et adoptiui eſſent: hos quoque olim parentibus ad conſequendam illam praerogatiuam profuiſſe, vel inde facile adparet; quod id primum mutatum ſub Nerone, vti infra ad hoc caput notabimus. Quin etiamſi nepotes neptesque ex filio vna cum patre in aui poteſtate eſſent: tamen et hi patri petenti honores profuiſſe videntur. *Quod* enim AD HONORES *pertinet*, inquit VLPIANVS (c), *creditur in poteſtate filium habere etiam is, qui in patris poteſtate eſt*. Denique quum BELLO AMISSI *in perpetuum per gloriam viuere intelligantur* (d); etiam hi proderant parentibus, tum ad excuſationem munerum publicorum, tum ad capeſſendos honores et *πρωδρίαν* ante collegas obtinendam. Quamuis quum alias ſecundum legem Papiam Poppaeam bello amiſſos non omnes prodeſſe parentibus conſtet, ſed eos tantum, qui in acie ceciderint (e); et hic eosdem duntaxat intelligendos eſſe, non dubitem.

Pergit lex: SI PAR VTRIQVE NVMERVS LIBERORVM ERIT, MARITVS, AVT QVI IN NVMERO MARITORVM ERIT, PRAEFERTOR. Pari ergo liberorum numero, maritus viduo, eiue qui vxorem repudiauerat, praeferebatur. Neque enim conſuetudo cum concubina cuiquam proderat, neque ſimulatae nuptiae, de quibus CAIVS (f), SIMVLATAE NVPTIAE *nullius momenti ſunt*. Vbi *ſimulatae nuptiae* accipiuntur eo ſenſu, quo TERENTIANVS ille ſenex ait (g):

> - - *Hoc primum in re hac praedico tibi,*
> *Quas credis eſſe has, non ſunt verae nuptiae.*
> So. *Cur* SIMVLAS *igitur?*

Simulabantur autem ſaepe nuptiae, quando dicis cauſſa tabulae ſignabantur ab iis, quibus nunquam eſſet animus, ſponſas domum ducere, ſed eas ſtatim, ſi maritorum praemia abſtuliſſent, repudiare. Qualis eſt ſpecies, de qua DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, Auguſti (h), hunc in modum reſcribunt: *Neque ſine nuptiis* INSTRVMENTA FACTA *ad probationem matrimonii ſunt idonea*, DIVERSVM VERITATE CONTINENTE: *neque non interpoſitis inſtrumentis, iure contractum matrimonium irritum eſt, quum omiſſa quoque ſcriptura, cetera nuptiarum indicia non ſint irrita*. Neque ergo ad auferenda maritorum praemia proderant fictae ſimulataeque nuptiae, ſi *fraus* pelluceret.

Nec maritus tantum, verum etiam, qui IN MARITORVM NVMERO ERAT, praeferebatur collegae. In maritorum vero numero erant partim ſponſi, nondum elapſo a ſponſalibus biennio, quippe quos praemiis maritorum

(a) *Inſcr. p.* 502.
(b) *Animadu. Hiſt. cap.* 2. *p.* 45.
(c) L. 2. *D. de munerib.*
(d) *Princ. Inſt. de excuſ. tut.*
(e) L. 18. *D. de excuſat.*
(f) CAI. *Lib. I.* L. 30. *D. de rit. nupt.*
(g) *Andr. act.* 1. *ſcen.* 2. *v.* 19. *ſequ.*
(h) L. 13. *C. de nupt.*

Digitized by Google

torum gauiſos, iam ſupra diximus, dummodo feminas lege hac prohibitas ſibi non eſſent ſtipulati (a): partim qui principum benignitate τὰ τῶν Γεγαμηκότων δικαιώματα, vt DIO CASSIVS (b) vocat, id eſt, *iura maritorum* impetrauerant. Quemadmodum enim ſupra obſeruauimus, mulieres maritis vilioribus nuptas aliquando *ornamenta conſularis vel ſenatorii matrimonii* ab Imperatoribus obtinuiſſe: ita et ipſi caelibes ſaepe ab iisdem impetrabant *iura maritorum*, id eſt priuilegium aeque fruendi maritorum praemiis, ac ſi vxores liberorum quaerendorum cauſſa duxiſſent. Maxime militibus, vti DIO obſeruat, id beneficium conceſſum, quippe quibus vel vxores habere, vel easdem in caſtra et hiberna ſecum ducere nefas erat. Locum adſero, quia eum nuper male intellectum video a viro docto. Ait DIO: Τοῖς τε στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἐκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ ΤΩΝ ΓΕΓΑΜΗΚΟΤΩΝ ΔΙΚΑΙΩΜΑΤΑ ἔδωκε. *Militibus, quia ex lege vxores habere non poſſent*, IVRA MARITORVM *didit*. Quae verba non ita accipienda, vti accepit vir doctus, ac ſi Claudius primus militibus conceſſerit ius vxores ducendi, ſed quod et iis, qui non duxerant, nec per leges ducere poterant, *iura maritorum*, id eſt eadem iura, quibus mariti gaudebant, indulſerit. Vt adeo *ius maritorum* eodem ſenſu accipiatur, quo *ius liberorum*, orbis etiam, vti nemo ignorat, conceſſum. Eodem modo intelligenda, quae de Nerone idem DIO (c) refert. Addit enim, eadem illum conceſſiſſe, ὅσα ὁ Κλαύδιος ἐδεδώκει, *quae Claudius conceſſerat*. Nondum enim eo tempore licuiſſe militibus vxores ducere, patet ex TACITO (d), qui milites *neque coniugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſuetos*, ORBAS *ſine poſteris* DOMOS *relinquere* ait: patet ex TERTVLLIANO (e), qui *perire* ſcribit *caelibum familias, ſpadonum, et* MILITVM: patet denique ex teſtimonio CAII noſtri (f), qui et militiam accenſet cauſſis, *ob quas commode retineri matrimonium non poſſit*. Non quidem a Venere milites prohibebant leges veteres, ſed a Iunone, vti eleganter alicubi ſcribit LIPSIVS. Quamuis enim iis concederentur *mulieres focariae*, de quibus ANTONINVS in *L. 2. C. de don. inter vir. et vxor.* non tamen concedebantur iuſtae vxores, ante tempora SEVERI, quem recte HERODIANVS (g) obſeruat militibus primum permiſiſſe, γυναιξί τε συνοικεῖν, *cohabitare vxoribus*. A quibus temporibus et milites potuiſſe vxores ducere, ex CONSTANTINI (h), nec non VALENTINIANI, VALENTIS, et GRATIANI (i) conſtitutionibus adparet. At eas tamen vxores et liberos in ea loca, vbi militabant, deducere nefas erat, niſi imperatoris auctoritate, vti non modo lex CONSTANTII (k), verum etiam exempla huiusmodi conceſſionis apud AMMIANVM MARCELLINVM (l) et LIBANIVM (m) ſatis euincunt. Quum itaque non dolo malo et vagae libidinis cauſſa, ſed ob ſanctiones legum militibus abſtinendum eſſet ab vxoribus: non adeo mirum eſt, iis imperatores iura maritorum extra ordinem indulſiſſe, adeoque et eos ad digni-

(a) VLP. *Lib. III. L. 16. D. de ſponſal.*
(b) *Lib. IX. p. 681.*
(c) *Lib. LXI. p. 690.*
(d) *Annal. Lib. XIII. cap. 35.*
(e) *Exhort. ad caſtitatem, p. 565. edit. B. Rhenani.*
(f) *L. 60. D. de donat. inter vir. et vxor.*
(g) *Lib. III. cap. VIII.*
(h) *L. 7. C. de repud.*
(i) *L. 6. 7. C. Th. de tiron. Lib. VII. tit. 13.*
(k) *L. 10. C. de re milit. L. 3. C. Th. eod. Lib. VII. tit. 1.*
(l) *Lib. XX.*
(m) *In Iuliani Imp. necem, pag. 284.*

gnitates euectos, collegis in caelibatu viuentibus non ſecus fuiſſe antelatos, ac ſi ipſi legi Papiae Poppaeae paruiſſent.

Quid vero ſi collegae ambo et mariti, et totidem liberorum parentes eſſent? Tunc, inquit lex, QVI MAIOR NATV, PRIOR FASCES SVMITO. Aetati ergo hoc caſu perinde, ac ante legem Papiam Poppaeam, honor habebatur, vt natu maior minorem anteiret: Quod et tunc obſeruatum ſcribit GELLIVS (*a*), *ſi ambo caelibes eſſent, et parem numerum filiorum haberent; aut ambo eſſent mariti, et liberos non haberent. Tunc enim audiuiſſe ſe ait, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere ſolitos eſſe, aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum conſulatum ineuntibus*. Audiuiſſe ſe hoc ſcribit GELLIVS, eoque ſatis aperte indicat, temporibus Antonini Pii, quibus vixit, eam legem iam ab vſu receſſiſſe. Siquidem imperatores fere ſuo lubitu conſulatum per inſequentium aliquot annorum menſes fere ſingulos, quibuſcumque lubebat, decernere, nec ea in re vel aetatis, vel nobilitatis, vel coniugii aut liberorum habere rationem ſolebant.

III. Caput octauum ex TACITO (*b*) et VLPIANO (*c*) reſtituendum, non minus, ac ſeptimum, ad priuilegia circa honores, non capeſſendos quidem, ſed petendos, comparatum, tale fuiſſe arbitramur:

> *Qui candidatorum plures liberos, ſecundum hanc legem, habebit, praefertor: petentibus honores* SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTVNTOR: *eiſque honores citius, quam per leges annarias licet, petere ſine* FRAVDE *ſua liceto*.

Vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, haec capiti ſeptimo iungit. Sed GELLIVS horum priuilegiorum plane non meminit, nec illius in capite VII. legis Iuliae veſtigium deprehendit. Vnde magis eſt, vt octauum, et a ſuperiore diſtinctum fuiſſe hoc caput, exiſtimemus. Prioris partis meminit TACITVS. Quum enim de praetore in locum Vipſanii Galli, quem mors abſtulerat, ſurrogando certamen intercesſiſſet, et Germanicus ac Druſus Haterium Agrippam, propinquum ſuum, fouerent: *contra plerique nitebantur, vt numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod* LEX *iubebat*. Lex ergo eos, quibus numeroſa proles eſſet, orbis vel pauciorum liberorum parentibus praeferebat: et quaenam vero, niſi Papia Poppaea, quae ſola τῇ πολυπαιδίᾳ praemia conſtituit?

Ait vero lex: QVI CANDIDATORVM. Siue quis enim conſulatum, ſiue praeturam, ſiue magiſtratum peteret: numerus liberorum praeualebat. De praetura iam vidimus exemplum ex TACITO. De tribunatu PLINIVS (*d*): *Caleſtrium Tironem familiariſſime diligo. Ille me in tribunatu* LIBERORVM IVRE PRAECESSIT. Quin in ipſis imperatoribus deligendis aliquando liberorum non plane nullam habitam eſſe rationem, ex IOSEPHO (*e*) colligere licet, qui comparatis inter ſe Vitellio et Veſpaſiano, Οὐδὲ, inquit, *ἀντὶ τοῦ ἡγεμόνος ἀγαθοῦ, τύραννον ὠμότατον*, ΑΠΑΙΔΑ *δὲ ἀντὶ* ΠΑΤΡΟΣ *αἱρεῖσθαι πρὸς πάντων*. *Neque enim pro bono Imperatore crudeliſſimum tyrannum*,

[a] *Lib. II. cap.* 15.
(b) *Annal. Lib. II. cap.* 51.
[c] *L. 2. D. de minor.*
(d) *Lib. VII. epiſt.* 16.
(e) *De Bell. Iud. Lib. V. cap.* 10.

num, NVLLOS *autem habentem* LIBEROS *prae* PATRE *optaturos principem*. Qua in re quamuis falſus ſit IOSEPHVS, et Vitellio liberos fuiſſe, cum ex nummo vetere, tum ex SVETONII *(a)* TACITIQVE *(b)* teſtimoniis, ſatis demonſtrarit Ez. SPANHEMIVS *(c)*: ſaltim id tamen inde diſcimus, et in principibus optandis haud parum ponderis habuiſſe liberorum numerum. Vt autem ad magiſtratus redeamus, liberi candidatis proderant, ſiue quis vrbanum, ſiue prouincialem magiſtratum peteret. Nam quamuis praeſides iuſſu Auguſti ſorte legerentur: ea tamen ſortitione, teſte DIONE *(d)* non erat opus, *ὅτῳ πολυπαιδίας, ἢ γάμου προνομία προσείη*, *ſi cui* MVLTITVDINIS LIBERORVM *aut* NVPTIARVM *cauſſa faceret priuilegium*. Vnde et *propinqua ſorte prouinciarum pleroſque orbos fictis adoptionibus* ADSCIVISSE FILIOS, *eoſque ſortitos prouincias ſtatim dimiſiſſe*, TACITVS *(e)* refert. Sequitur in lege: PLVRES LIBEROS HABEBIT. Ita enim potius reſtituenda verba viſa ſunt: quam, vti in ſuperiore capite: *qui plures liberos in poteſtate habuerit, aut bello amiſerit*: quia et ei liberi in petendis honoribus, proderant, qui ipſe erat in patria poteſtate *(f)*. Sed et adoptiuos profuiſſe, vel inde colligimus, quod vel ideo tot fictitiae adoptiones, teſte TACITO *(g)*, celebrarentur, vt, quibus natura liberi non eſſent, ii tamen adoptiuorum ope illa parentum praemia auferrent.

Poſteriorem capitis partem VLPIANVS *(h)* ſeruauit, qui obiter libro 19. commentariorum ad hanc legem noſtram ſcribit: *Quod enim legibus cauetur*, VT SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTANTVR, *ad honores pertinere D. Seuerus ait, non ad rem ſuam recipiendam*. Nimirum quum legibus Iulia et Papia cautum eſſet, vt ſinguli anni per ſingulos liberos demitterentur: erant, vt fieri ſolet, qui eam regulam inepte traherent ad curationem minorum, exiſtimarentque, et hos rem ſuam maturius recipere a curatoribus, ſi liberos ſuſtuliſſent, ita vt vnius filii vel filiae parens anno aetatis 24. duorum, anno 23. trium, anno 22. maiorennes cenſendi ſint. Sed interceſſit Seuerus Imperator, idque priuilegium ad honores tantum pertinere, reſcripſit.

Habebant Romani leges *annales*, vel vti FESTVS vocat, *annarias*, quibus certa aetas definiebatur eorum, qui magiſtratus eſſent petituri. Eae vti eſt apud LIVIVM *(i)*, primum latae a L. VILLIO, tribuno plebis, anno v. c. 573. vnde et ille *Annalium* cognomen reliquit genti Villiae. Ante hanc legem nullis annis adligata erat honorum petitio. Vnde CICERO *(l)*: *itaque maiores noſtri, veteres illi admodum antiqui*, LEGES ANNALES NON HABEBANT: *quas multis poſt annis attulit ambitio, vt gradus eſſent petitionis inter aequales*. Et TACITVS *(m)*: *apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum, petere magiſtratus: ac* NE AETAS QVIDEM DISTINGVEBATVR, *quin prima iuuenta conſulatum ac dictaturas inirent*. Quum vero legem annariam

[a] *Vitell. cap. 6. Veſp. cap.* 14.
[b] *Hiſt. Lib.* 41. *cap.* 59.
(c) *Diſſ.* XI. *de Vſu et praeſt. Num. pag.* 327.
[d] *Lib.* 53.
[e] L. XV. *Ann. cap.* 19.
(f) *L.* 2. *D. de muner.*
(g) *Lib.* XV. *Ann. cap.* 19.
(h) *L.* 2. *D. de min.*
(i) *Lib.* XL. *cap.* 44.
(l) *Philipp. V. cap.* 17.
[m] *Lib.* XI. *Ann. cap.* 21.

primum a L. Villio latam eſſe, ipſe LIVIVS fateatur : mireris ſane, eumdem, quaſi ſui oblitum alibi referre (a), iam multo ante tribunos plebis P. Scipioni, petenti aedilitatem, obſtitiſſe, *quod nondum* LEGITIMA *ad petendum* AETAS *eſſet*. Sunt qui ideo ante L. Villium annalem legem extitiſſe, cum IANO LANGLAEO (b) exiſtimant, nixi teſtimonio CICERONIS (c), legem eiuſmodi annalem etiam a Pinario Ruſca, diſſuadente Seruilio, latam eſſe, tradentis. Enimuero, nec certum eſt, Ruſcam illum et Seruilium ante Villium vixiſſe : et LIVII locus alia ratione commode poteſt explicari. Nam quum P. Scipio tum vix XXII. annorum eſſet adoleſcens : per legitimam ad petendum aetatem tribuni plebis procul dubio intellexerunt maiorennitatem, indignum fore exiſtimantes Romanorum prudentia, quod iuueni rempublicam crederent, quem lex Laetoria, paullo ante a M. Laetorio Planciano lata, ne maiorennem quidem habeat. Annos aetatis, quibus ſinguli magiſtratus peti poſſent ex lege Villia, nec LIVIVS, nec quiſquam veterum, finiuit. Quum tamen ſubinde glorietur CICERO, ſe magiſtratus, quos geſſerit, omnes annos ſuo, hoc eſt, per leges finito, obtinuiſſe : acute inde collegit STEPH. VIN. PIGHIVS (d), quaeſturae annum legitimum fuiſſe *trigeſimum primum* ; aedilitatis *trigeſimum ſeptimum* ; praeturae *quadrageſimum* ; conſulatus *quadrageſimum tertium*. His enim annis aetatis ſuae ſingulos iſtos honores geſſiſſe Ciceronem, ex hiſtoria eiuſdem ſatis liquet. Confirmat eam coniecturam, quod ad conſulatum attinet, ipſe CICERO (e), dum ſcribit : *quid Macedo Alexander? Quum ab ineunte aetate res maximas gerere coepiſſet, nonne tertio triceſimo anno mortem obiit? Quae eſt aetas, legibus noſtris, decem annis minor, quam conſularis.*

Ante hos annos nemini licebat petere magiſtratus, niſi ob praecox ingenium et edita maturae virtutis ſpecimina lege ſolueretur a ſenatu. Ita ſane lege ſolutos reperio P. Scipionem Aemilianum, apud EPITOMATOREM LIVII (f), et in primis Cn. Pompeium Magnum, quem CICERO (g) ait, *ſenatuſconſulto legibus ſolutum, conſulem ante factum, quam vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet*. Poſtea et imperatores eodem exemplo lege quoſdam ſoluebant, veluti Traianus Plinium, qui ipſe ſe Caleſtrium Tironem in praetura conſequutum eſſe ſcribit, *quum ſibi Caeſar annum remiſiſſet* (h).

Ab his itaque annariis legibus aliquid remiſerat lex Papia Poppaea ob numerum liberorum, quippe qua cautum fuerat, VT SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTERENTVR. Hinc quum praeturam petere nemo poſſet, quadragenario minor : legitima tamen aetas videbatur annorum triginta quinque, ſi quis quinque liberorum parens eſſet. Ita enim intelligendum verbum *demittere*, quod hic nihil aliud ſignificat, ac gratiam facere aliquot annorum, vt non opus ſit mutare textum, et pro *demittere* reſcribere *remittere*. Demiſſis ex lege annis honores CITIVS, QVAM PER ANNARIAS LEGES LICEBAT, PETI SINE FRAVDE *poterant*. Hanc enim for-

(a) *Lib. XXV. cap.* 2.
(b) *Otii Semeſtr. Lib.* VII. *cap.* 10. *pag.* 377.
(c) *De Orat. Lib.* II. *cap.* 66.
(d) *Lib.* II. *Annal. Rom. p.* 334.
(e) *Philipp. V. cap.* 17.
(f) *Lib.* L.
(g) *Pro lege Manil. cap.* 21.
(h) *Lib.* VII. *Epiſt.* 16.

formulam legiſlatoribus ſollemnem additam huic capiti fuiſſe, vel inde liquet, quod VLPIANVS (*a*) eodem libro III. quid inter *poenam* et fraudem *interſit* diligenter explicet.

IIII. Hactenus ipſa legis capita, ſed variis obnoxia fraudibus. Nam primo quum mariti in petendis honoribus et ſortitione prouinciarum ἀγάμοις praeferrentur: candidati adhuc caelibes, imminentibus comitiis, vel propinqua ſortitione, vxores ducebant, quas, honore vel prouincia potiti, ſtatim repudiabant. Huiuſmodi ſane fraudem in quaeſtore vltus et Tiberius, quem *quaeſtura remouit, quod vxorem pridie ſortitionem ductam, poſtridie repudiaſſet* (*b*). Deinde quum, vti diximus, olim et adoptiui liberi parentibus prodeſſent ad capiendos honores: occaſionem inde captabant ciues, fictis adoptionibus legem in ludibrium vertendi, auferendique prolis numeroſae praemia. Rem ita refert TACITVS (*c*): *Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos, cum propinquis comitiis aut ſorte prouinciarum, plerique orbi* FICTIS ADOPTIONIBVS *adſciſcerent filios, praeturaſque et prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptauerant*. Haec quum manifeſto in fraudem legum Iuliae et Papiae eſſent inuenta, eo adegerunt patres, vt SCto cauerent, NE SIMVLATA ADOPTIO IN VLLA PARTE MVNERIS PVBLICI IVVARET, ET NE VSVRPANDIS QVIDEM HEREDITATIBVS PRODESSET. Quae omnia acta ſunt, *C. Memmio Regulo* et *Verginio Ruſo* coſſ. anno v. c. 815.

Ex eo tempore in nulla parte muneris publici adiuuit adoptio: id eſt, nec in petendis honoribus, nec in amoliendis muneribus publicis, profuerunt liberi adoptiui. Quin nec ad alia capienda πολυτεκνίας praemia. Nam et is, cui *in tempus liberorum* tertia pars relicta erat, vtique non poterat adoptando illam tertiam partem conſequi, iudice VLPIANO (*d*). Nec conditio fideicommiſſi, SI SINE LIBERIS DECESSERIT, deficiebat liberis per adoptionem quaeſitis, vti PAPINIANVS (*e*) reſpondit.

V. Quemadmodum vero ſub Nerone haec legis capita quodammodo reſtricta ſunt: ita poſtea illa et ad magiſtratus municipales porrecta eſſe animaduertimus. Nam et PAPINIANI (*f*) temporibus iam inualuerat, *vt, qui* PLVRES LIBEROS *haberet in ſuo collegio, primus rogaretur ſententiam, ceteroſque honoris ordine praecelleret*. Et DIOCLETIANVS cum MAXIMIANO (*g*) reſcripſit: *In albo decurionum praeſcriptis* PATREM *non habenti filios anteferri conſtat*. Eodem pertinet *l. 2. D. de munerib.* quam paullo ante explicauimus, quamque hic non arbitramur repetendam.

(a) *Lib. III. L. 131. D. de verb. ſign.*
(b) SVET *Tiber. cap. 35.*
(c) *Lib. XV. Ann cap. 19.*
[d] *L. 51. §. 1. D. de legat. 2.*
[e] *L. 76. D. de cond. et dem.*
[f] *L. 2. §. 5. D. de decurion.*
(g) *L. 9. C. eod.*

Digitized by Google

CAPVT VIII.

AD CAPVT LEGIS NONVM.

DE IMMVNITATE OB LIBERORVM NVMERVM.

I. *Proximum caput de immunitate ob numerum liberorum egit. Capitis verba. Munera quid? Excuſationes tantum ad munera perſonalia pertinebant. Quid potiorem nominare? Liberi Romae nati tres excuſabant. Quid Romae continentia? Pomoeria ſubinde prolata. Proconſules porta egreſſi, cum imperio erant. Triumphaturis extra urbem ſenatus dabatur.* II. *In Italia nati quatuor excuſabant. Italiae termini temporibus diuerſis. Solum Italicum ab Italia diuerſum. An Auguſtus imitatus ſit Spartanos?* III. *Quinque in prouinciis nati excuſabant. Liberi excuſabant naturales, non adoptiui; legitimi, non illegitimi; ſuperſtites, non defuncti; niſi bello amiſſi. An et bello capti; Explicata* L. 2. C. de his, qui num. lib. excuſ. *Cur Romani capitiuos non redemerint?* IIII. *Munera intelliguntur perſonalia*. Lex. 5. §. 2. D. de iur. immunit. *priuilegium complectitur*. V. *Fraus legi facta per oblationem liberorum alienorum. Hinc profeſſio liberorum ad acta publica. Eius moris vetuſtas. Locus* IVLII CAPITOLINI *explicatus*.

I. Poſtquam lex noſtra de iis parentum priuilegiis, quae ad honores capeſſendos petendoſque pertinent, egit: ſequente capite proculdubio ſimile praemium, quod ad excuſationem a muneribus publicis pertineret, propoſuit. Argumento eſt non ſolum materiae ſimilitudo, verum etiam, quod quum de prioribus capitibus omnibus ab VLPIANO et TER. CLEMENTE actum fuerit libris commentariorum primo, ſecundo, et tertio: poſterior hic de excuſatione a muneribus publicis eodem *libro* III. differat (*a*). Ex quo conſequitur, vt hoc loco quaedam huiuſmodi priuilegia a lege Papia Poppaea fuerint propoſita.

Ceterum huius priuilegii tot exſtant in iure noſtro veſtigia, vt de eius genuina ſententia parum laborare debeamus. Neque enim eſt dubium, quin tale fuerit hoc legis caput:

> *Qui ſecundum hanc legem liberos tres*, ROMAE NATOS INCOLVMES, *qui quatuor in Italia, quinque in prouinciis habebit, omnium munerum perſonalium immunitatem habeto*.

MVNERA quae fuerint apud veteres, ſatis e iure noſtro conſtat. Quemadmodum enim *honores* gerebant, qui cum dignitate adminiſtrabant rem publicam, ſiue ſumtus eſſent faciendi, ſiue ſine erogatione dignitate perfrue-

(a) *Lib.* III. L. 147. D. *de verb. ſign.* L. 16. D. *de prob.* L. 21. D. *de rit. nupt.*

Digitized by Google

fruerentur (*a*) : ita *munera* erant onera , ſeiuncta a dignitate ſubeunda ab omnibus , lege , more , imperioue eius , qui iubendi habebat poteſtatem (*b*): et haec prout vel animi corporiſue laboribus , vel patrimonii ſumtibus et [illegible] , vel vtriſque expediebantur , ita vel *perſonalia* , vel *patrimonialia* , vel *mixta* vocari ſolebant (*c*) . A patrimonialibus et mixtis nulla priuilegia praeſtabant vacationem (*d*) . Vnde et excuſatio ob numerum liberorum ad ſola perſonalia pertinet , qualia erant tutela , curatio calendarii , (cuius ſaepe et in marmoribus , et in ipſo iure noſtro mentio fit ,) item productio tironum , equorumque , curſus vehicularis ſollicitudo , emendi frumenti atque olei cura , calefactio balnei publici , aliaque ab ARCADIO CHARISIO (*e*) prolixius recenſita .

Quum ergo haec munera nulla cum dignitate , multiſque cum moleſtiis eſſent coniuncta : antiquitus prodita erant quaedam vacationum atque excuſationum cauſſae , quibus munera non quidem patrimonialia et mixta , ſed perſonalia tamen auerti poſſent . Nam aut *excuſare* ſe poterant vocati ad munera publica , aut *nominare potiorem* , id eſt , alium indicare , iuſtamque exprimere cauſſam , cur is potius munus obire teneatur , verbi gratia , quia ſit locupletior (*f*) . Inter haec magnum intererat diſcrimen . *Excuſati* enim omnino vacationem impetrabant . *Nominatores* ab onere quidem ſuſcipiendi munus liberabantur , ſed periculo tamen ſuo , ſi alius ſuſcepiſſet , pro quo ipſi fideiuſſiſſe cenſebantur (*g*) . Illis vero excuſationum cauſſis antiquitus proditis , Auguſtus etiam numerum liberorum addidit , hac ipſa lege Papia Poppaea .

Excuſabant vero liberi SECVNDVM HANC LEGEM SVSCEPTI , TRES ROMAE NATI . Legitima fuiſſe verba illa poſtrema , patet ex fragmento TER. CLEMENTIS (*h*) , in quo illa hunc in modum explicantur : *Qui in continentibus vrbis nati ſunt* , ROMAE NATI *intelliguntur* . Quamuis enim alias vrbis adpellatio muris finiretur (*i*) , et certa eius eſſent pomoeria , tam libera adhuc republica a L. Cornelio Sulla , quam ſub Imperatoribus a Iulio Caeſare (*l*) , Auguſto (*m*) , Claudio (*n*) , Nerone , Traiano , non autem ab Aureliano (*o*) prolata : tam longe lateque tamen circa vrbem omnia occupata erant aedificiis , vt iam DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*p*) ſcribat , ſi quis velit Romae magnitudinem exquirere , cum nullum habiturum ſignum , certum , quo dignoſcatur , quouſque ſit haec vrbs progreſſa , aut vbi vrbs eſſe deſinat . Cum vrbanis enim aedificiis ipſa ſuburbia nexu quodam perpetuo cohaerere , eaque ſpectantibus vrbis in infinitam longitudinem porrectae ſpeciem praebere . Et ARISTIDES (*q*) , eamdem oſtendens Romae magnitudinem : *deſcendit* , inquit , *vſque ad mare* , *vbi commune emporium* , *communiſque omnium* , *quae terra proueniunt* , *diſpenſatio* . *Qua-*

cun-

[a] *L.* 14. *pr. et* §. 1. *D. de mun. et bonor.*

[b] *L.* 214. *D. de verb. ſign.*

(c) *L.* 18. §. 1. *ſequ. L.* 16. *L.* 26. *L.* 27. *D. de mun. et bonor.*

[d] *L.* 10. *L.* 11. *D. de excuſ. L.* 6. §. *penult. L. vlt.* §. 22. *D. de muner. et bonor.*

(e) L. 18. §. 2. *D. de muner. et bonor.*

(f) PAVLL. *Sent. rec. Lib.* II. *tit.* 28. §. 1. 2. *L.* 1. *C. de pot. ad mun.*

(g) *L.* 2. *D. de fideiuſſ.*

[h] TER. CLEM. *Lib.* III. *L.* 147. *D de verb. ſign.*

(i) *L.* 2. *D. eod.*

[l] GELL. *Lib.* XIII. *cap.* 14.

(m) TAC. *Annal. Lib.* XII. *cap.* 23.

[n] *Idem ibid.*

(o) VOPIS. *Aurelian. cap.* 21.

(p) *Lib.* IIII. *pag.* 210.

(q) *Orat. in Rom. Tom.* I. *pag.* 345. *ſeq.*

Digitized by Google

cunque in parte vrbis conſtiterit quis, nihil prohibet ; quo minus ſit pariter et in medio. Quidquid nunc Italiae reſtat, completum iri vniuerſa mihi videtur, vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protenſa. Quidquid ergo in continentibus illis Romae natum fuerat, Romae intelligebatur natum : quia VRBIS *adpellatio muris* ; ROMAE *autem continentibus aedificiis finiebatur* (a). Quam diſtinctionem receptam fuiſſe, etiam ex his MARCELLI verbis (b) patet : VRBS *eſt Roma, quae muro cingeretur* : ROMA *eſt etiam, qua continenti* (lego continentia) *aedificia eſſent*. *Nam Romam non muro tenus aeſtimari, ex conſuetudine quotidiana poteſt intelligi, quum dicamus, Romam nos ire, etiamſi extra vrbem habitaremus*. Et ſane *vrbem* ab *vrbo* adpellatam eſſe, iam e veteribus obſeruarunt VARRO (c) et POMPONIVS (d), *Vrbare* vero, iiſdem teſtibus, eſt aratro definire. Quum ergo deſignaturi moenia aratro aptarent aeneum vomerem, iunctiſque bobus, mare et femina, circum lineamenta, quibus futura moenia deſignauerant, ſulcum profundum ducerent (e), idque illis *vrbare* diceretur : facile eſt ad exiſtimandum, vrbem moenibus vel pomoeriis fuiſſe finitam. Hinc quando ex veteri iure publico negabatur, licere proconſuli in vrbe cum imperio eſſe : extra vrbem is eſſe intelligebatur, ſimul ac paludatus pedem porta extuliſſet (f). Ex eadem ratione triumphaturis extra portam in ſuburbiis, vel *ad vrbem* ſenatus dabatur, ne portam ingreſſi priuati fierent (g). Aſt vbi non de vrbe, ſed de Roma erat ſermo, id eſt, quoties de priuilegiis eorum, qui Romae habitarent, quaerebatur : Roma erat, qua continentia erant aedificia. Vnde et in vetere lege apud FRONTINVM *lib. II. de aquaeductibus* iunguntur VRBS ROMA, ET HAEC AEDIFICIA, QVAE VRBI CONTINENTIA SVNT. Quod ſpatium poſtremis temporibus centum ab vrbe lapidibus definitum videtur. Haec enim Romae dioeceſis ſaepe Italiae et prouinciis opponitur, veluti in conſtitutione CONSTANTINI (h), aliiſque locis quamplurimis, iam a IAC. GOTHOFREDO (i) collectis, qui et alio loco (l) *regiones ſuburbicarias*, toties memoratas imperatoribus et ſcriptoribus medii aeui, de hoc ipſo ſpatio, intra centeſimum circa vrbem lapidem concluſo, exponit, quod et facit vir ſummus, CL. SALMASIVS (m). Id ſaltim certum, has ſuburbicarias regiones, partes, vel prouincias, vocari etiam *vrbicarias* (n), quaſi quae ad ipſam vrbem referrentur, itemque *vicinas* et *quatuor prouincias* (o), eaſque a reliqua Italia diſtinctas (p), et praefecto Vrbi, aliquando et conſulari, ſubfuiſſe (q). Vnde ſane recte colligas, eaſdem fuiſſe has regiones ſuburbicarias cum ſpatio illo centum ab vrbe lapidum, quod ſaeculis poſterioribus pro Roma habitum, eoſque egregie falli, qui, vt Pontifici Romano, ex vetuſtis canonibus ſuburbicariarum regionum Epiſcopo, dioeceſim ampliſſimam vindicent, complures prouincias huic regioni ſuburbicariae adiiciunt. Quod ſane facit EM. SCHELSTRA-

TE-

(a) *L. 2. pr. D. de verb. ſign.*
(b) *L. 87. D. de verb. ſign.*
(c) *Lib.* IIII. *de Ling. Lat. cap.* 32.
(d) *L. 239. D. de verb. ſign.*
(e) PLVT. *Rom. Quaeſt.* 24. DIONYS. HAL. *Lib. I. pag.* 75.
(f) *Liu. lib.* XXXXII. *cap.* 49.
(g) SEN. *de Benef. cap.* 14.
(h) *L. 2. C. Theod. de in integr. reſtit. Lib. II. tit.* 16.
(i) *Ad Cod. Th. Tom. I. pag.* 162.
(l) *Diſſ. de ſuburbicar. region. cap.* 4. *et* 5.
(m) *Ad Trebell. Poll. de* XXX. *tyr. cap.* 24.
(n) *L. 9. C. Th. de extraord. cogn.*
(o) *L. 1. C. Th. de calc. coctor.*
(p) *L. 9. C. Th. de extraord. cogn.*
(q) *L. 9. C. Th. de annona.*

TENVS (a), qui illum canonem 6. concilii Nicaeni non ſolum de Tuſcia, ſed et de Vmbria et reliquis Italiae regionibus ad Siciliam vſque exponere, eaſque regiones pontifici, tanquam metropolitae, totum occidentem, tanquam patriarchae, vniuerſum orbem Chriſtianum, tanquam capiti et Chriſti vicario paruiſſe, contendit.

Romae igitur, et qua continentia aedificia erant, immo, vt ſuſpicor, poſtea in ſuburbicariis quoque regionibus, tres liberi excuſabant. In huiuſmodi enim priuilegiis, in quibus Roma ab Italia diſtinguitur, etiam ſuburbicarios melioris fuiſſe conditionis, quam reliquos Italos, quam plurimis exemplis conſtat. Vt vel vno rem illuſtrem: beneficium reſtitutionis in integrum in minori aetate laeſis Romae olim, et intra centeſimum vrbis milliarium, ad expletum vſque annum trigeſimum; in Italia ad annum vigeſimum nonum, in ceteris prouinciis ad annum viceſimum octauum dabatur (b). An dubitemus, quin eodem modo et tres liberi ſuffecerint Romae et in ſuburbicariis, quum plures in Italia et prouinciis exigerentur?

II. Nimirum, SI QVATVOR IN ITALIA quis ſuſtuliſſet, vacationem munerum impetrabat. Et Italia quidem diuerſimode accipitur. Antiquiſſimis temporibus ea non ab Alpibus, ſed ab Andenna et Rubicone fluminibus et Apennino in Bruttios vſque et Lucanos porrigebatur. Reliquum enim tractum vltra et cis Padum ad Alpes vſque, Galli, Veneti, Hiſtri Ligures inſederant. Quum vero Galli etiam, et reliqui populi inalpini, ciuitate donarentur: Italia ab Auguſti temporibus vniuerſa illa terra inter Alpes et vtrumque mare interiecta dici coepit. Et ea quidem vocis ſignificatio obtinet, quoties opponuntur ſibi inuicem *Italici* et *prouinciales*, quod ſaepe fit apud SVETONIVM (c), PLINIVM (d), et IVL. CAPITOLINVM (e). Quin et eundem tractum in animo habuit DIO CASSIVS (f), vbi τὴν. ΤΗΝ ΝΥΝ Ι'ΤΑΛΙΑΝ οἰκοῦντων meminit. Denique quum vniuerſa Italia ciuitate donata, multis etiam colonis atque vrbibus per prouincias ius Italicum dari ſoleret ab imperatoribus: et illa loca omnia dici coeperunt *ſolum Italicum*, veluti apud VLPIANVM (g), ad quem quaedam egregia ſuo more notauit V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (h). Quemadmodum vero prima capitis noſtri pars non de ciuibus Romanis vbique, ſed de Romae habitantibus: ita nec altera de iis, qui iuris Italici erant, ſed qui Italiam incolebant, loquitur, adeoque altera vocis notio hic locum inuenit, et Italia ab Alpibus ad Siciliam vſque procurrit, excluſa tamen vrbe, et poſtea etiam prouinciis ſuburbicariis, vti paullo ante oſtendimus. Et in hoc tractu quatuor liberi a muneribus perſonalibus excuſabant. Qua in re quidem Spartanos imitatum eſſe Auguſtum, exiſtimat IAC. GOTHOFREDVS (i): apud quos quatuor liberorum parentes ab omnibus muneribus publicis excuſatos fuiſſe, iam ſupra ex ARISTOTELE (l), et AELIANO (m) obſeruauimus. Sed vix eſt, vt ea in re viro eximio adſentiamur. Neque enim tum ea erant tempora, quibus Romani a Graecis peterent leges: et ipſi Spar-

(a) *Antiquit. eccl. illuſtr. Tom. II. Diſſ. VI.*
(b) *L. 2. C. Th. de in integr. reſt.*
(c) *Veſp. cap. 9.*
(d) *Lib.* VIIII. *Epiſt.* XXIII.
(e) *Vit. Antonin. cap. 4.*
(f) *Lib.* XXXVII. *pag.* 37.
(g) *Fragm. tit.* XVIIII. §. 1.
(h) *Iuriſpr. antiq. Anteiuſt. pag.* 619.
(i) *Not. ad leg. Pap. Popp. pag.* 283.
(l) *Lib. II. Polit. cap.* 9.
(m) *Lib. VI. Var. Hiſt. cap.* 6.

Spartani a Lycurgi diſciplina iam pridem deſciuerant, adeoque non veroſimilius eſt, Auguſtum ea in re Lacedaemonios, potius quam Perſas eſſe imitatum, apud quos itidem quaedam πολυπαιδίας praemia obtinuiſſe, eodem loco monuimus.

III. Sequuntur prouincialium priuilegia. Hos QVINQVE LIBERI excuſabant. Aequum enim videbatur, Romam incolentibus plus indulgeri, quam habitantibus Italiam, et hos denique melioris eſſe conditionis, quam qui in prouinciis degerent. Sicuti autem per Romam habitantes non ciues; per Italos non, qui Italici iuris erant, intelligi diximus: ita nec in prouinciis quidquam intererat, vtrum quis origine Romanus an in Italia, vel prouincia natus eſſet. Ad locum enim habitationis, non ad cuiuſque originem attendebatur. Hinc e. g. Romanum in Cilicia habitantem, non niſi quinque liberi excuſabant, quum contra ciui Romano, domo Cilici, ſed Romae habitanti tres ibidem nati prodeſſent. Ex quo ſimul intelligitur, cur ſublato licet ab Antonino Caracalla per orbem Romanum inter ciues et peregrinos diſcrimine (a), hoc tamen diſcrimen inter Romae, Italiae et prouinciarum incolas ad tempora vſque Iuſtiniani obtinuerit, quibus tres Romae natos, quatuor in Italia, quinque in prouinciis ad excuſandos parentes profuiſſe vel ex inſtitutionum libello (b) notum eſt.

IV. Excuſabant porro liberi vtriuſque ſexus, tam naturales, quam adoptiui antequam hi ob SC. ſub Nerone factum prodeſſe deſierunt (c). Excuſabant deinde nati ex iuſtis nuptiis vel ſecundum legem Papiam Poppaeam quaeſiti, poſtea et legitimati, non autem illegitimi (d), de quibus ſuperiore capite VI. actum, nec imperfecti. Quod adeo verum eſt, vt GELLIVS (e) referat, accurate ac ſollicite quaeſitum eſſe Romae, an octauo menſe ex vtero viuus editus infans, et ſtatim mortuus, ius trium liberorum ſuppleſſet? Multa enim veteribus opinio erat, et tantum non vbique pro vera recepta, poſtquam mulieris vterus receperit ſemen, gigni hominem, menſe ſeptimo rariter, nunquam octauo, ſaepe nono, ſaepius decimo. Et hinc *abortio quibuſdam*, *non partus videbatur menſis octaui intempeſtiuitas*. Immo ne e legitimis quidem et perfectis omnes proderant, ſed SVPERSTITES tantum ET INCOLVMES. Sine liberis enim eſſe dicebantur, non ſolum qui nullos vmquam procreauerant, ſed et qui amiſerant procreatos: quemadmodum et apud Graecos, obſeruante viro ſummo EZ. SPANHEMIO, liberis orbati ſaepe adpellantur ἄπαιδες vel ἄτεκνοι, veluti apud AESCHYLVM, a quo Perſae (f) ob liberos in praelio Salaminio amiſſos τοκῆες ἄπαιδες, *parentes* SINE LIBERIS dicuntur: qui et alibi ἀτέκνους πολιάρχας deflet (g). Eodem modo et Romani *orbos* vocabant promiſcue, et qui numquam liberos ſuſtulerant, et qui iis erant ſuperſtites. Qui itaque liberi turbato naturae ordine fata parentum praeuerterant, non excuſabant, niſi acie cecidiſſent pro republica (h). Quo caſu et nepotes ex filiis bello amiſſis ſuperſtites numerum liberorum ſupplere ſolere, PHILIPPI imperatores (i) ſtatuunt: Contra iidem filium ab hoſtibus captum parenti prodeſſe

(a) *L. 17. D. de ſtatu hom.*
(b) *pr. Inſt. de excuſ. tut.*
(c) *L. 2. §. 7. D. de vacat.*
(d) *L. 2. §. 3. D. de excuſ.*
(e) *Lib. III. cap. 16.*
(f) PERS. *v.* 581.
(g) *Sept. Theb. pag.* 834.
(h) *L. 1. §. ult. L. 2. § 2. L. 5. § 5 D. de vacat.*
(i) *L. 3. C. de his qui num. lib.*

deſſe negant; dum Seuero reſcribunt (a): *Filium ab hoſtibus captum ac needum reuerſum ad excuſationem munerum perſonalium patri proficere non poſſe, magis placuit*. Formula, qua Imperatores vtuntur, dubitatum ea de re eſſe, indicio eſt. Sed ſane ex principiis Romanorum conſultiſſima ratione nititur Philipporum deciſio. Liberi enim ex lege noſtra proſunt tantum SVPERSTITES atque INCOLVMES. Capitis vero deminutio maxima et media morti aequiparanda videbatur Romanis. Vnde, quam rationem vulgo allegant ex TRYPHONINO (b), *ac ſi Romani ciues bellica potius virtute, quam clementia hoſtium niti voluerint*, ea recte quidem ſe habet, ſi quaeritur, cur Romani captiuos non redemerint? Sed ad *legem illam 2. C. de his qui num. lib. vel paup. ſe excuſ.* explicandam, nihil omnino facit. Id potius monendum, ex filio bello amiſſo, nepotes in locum patris ſui ſucceſſiſſe, etiamſi hic inuitus vxorem duxerit (c). Quamuis enim pater filium iure cogere non poſſet ad vxorem ducendam, vti ad hoc caput ſcribit TER. CLEMENS (d); inito tamen ſemel matrimonio, etiam ſi id inuitus feciſſet filius, nepotes auo proderant.

V. Verba poſtrema AB OMNIBVS MVNERIBVS PVBLICIS EXCVSANTOR, vti iam ſupra occupauimus, non ad munera *patrimonialia*, aut *mixta*, ſed ad *perſonalia* tantum pertinent. A prioribus enim nec aetatem, nec numerum liberorum excuſare, notat VLPIANVS (e). Priuilegium ergo fuit, quando ad Syluium Candidum reſcribit Eluius Pertinax (f): *Εἰ καὶ μὴ πασῶν λειτουργιῶν ἀφιᾶσι τοὺς πατέρας ὁ τῶν τέκνων ἀριθμὸς ἀλλ' ἐπειδὴ ἑκκαίδεκα παῖδας ἔχειν διὰ τοῦ βιβλίου ἐδήλωσας, οὐκ ἔστιν ἄλογον, ὥστε συγχωρῆσαι σχολάζειν τῇ παιδοτροφίᾳ καὶ ἀνεῖσθαί σε τῶν λειτουργιῶν. Etſi* NON AB OMNIBVS *muneribus excuſat patrem liberorum numerus: tamen, quia ſedecim filios habere te per libellum retuliſti, non eſt abſurdum, vt concedamus tibi vacare filiorum educationi, et hinc tibi remittamus munera*. Sed quamuis alioquin ad exemplum non trahantur huiuſmodi conſtitutiones: hanc tamen pro lege etiam poſt Iuſtiniani tempora valuiſſe, ex his CONSTANTINI HARMENOPVLI (g) verbis diſcimus: Ὁ ἔχων ΔΕΚΑΕΞ ΠΑΙΔΑΣ, *πάντων λειτουργημάτων ἀπαλλάττεται. Qui* SEDECIM *habet* LIBEROS, *ab omnibus muneribus eximitur*.

VI. Quemadmodum vero nullum prope huius legis caput a fraudibus immune fuit; ita et in hoc ingenioſa admodum fuit improbitas. Nam excuſationem meriturí ſaepe liberos alienos pro ſuis offerebant: de qua fraude adhuc conqueritur CONSTANTINVS M. (h) Ne itaque improles etiam ea priuilegia parentum innaderent, prudenter ſanxit imperator, vt, ſi fraus pateſieret, iſti immunitate priuarentur. Quo itaque certo conſtaret, liberos quemque ſuos, non alienos offerre principi: inſtitutum iam olim fuerat, vt parentes liberorum recens natorum nomina in tabulas publicas referenda curarent: Quae dicitur *natalis profeſſio* (i), et a *profeſſione cenſuali* in

(a) *L. 2. C. eod.*
(b) *L. 12. princ. D. de capt. et poſtlim.*
(c) *pr. Inſt. de excuſ.*
(d) TER. CLEM. *Lib. III. L. 21. D. de rit. nupt.*
(e) *L. 2. §. 4. D. de vacat.*
(f) L. 5. §. 2. *de iur. immun.*
(g) *Lib. II. tit. 5. §. 7.*
(h) L. *vn.* C. *Theod. de his qui num. lib.* Lib. XXII. *tit. 17.*
(i) L. 6. C. *de fide inſtr.*

iure noſtro (*a*) diſcernitur, nec non *παιδογραφία*, vel *natiuitatis ſcriptura* (*b*). Hic mos vel paullo ante, vel ſtatim poſt legem noſtram inualuerat. Nam iam Caii Caligulae natiuitatem in acta relatam eſſe, SVETONIVS (*c*) refert. Eum autem *Germanico* patre et C. *Fonteio Capitone* coſſ. anno poſt legem Papiam Poppaeam tertio natum eſſe, ſatis conſtat. Sed fortaſſis eo tempore filii tantum illuſtrium actis inſcribebantur. Poſtea vero omnibus parentibus impoſita neceſſitas, liberos recens natos profitendi. Saltim id neceſſarium viſum eſt tempore TERENTII CLEMENTIS (*d*), qui in ſuis ad legem noſtram commentariis diſquirit, an et a matre vel auo facta profeſſio filiorum vel nepotum recipienda ſit, idque adfirmat. Quin ante TER. CLEM. aetatem ſub Domitiano vel Traiano eius profeſſionis vſum vulgarem fuiſſe, docet IVVENALIS (*e*), ita loquentem inducens adulterum:

Nullum ergo meritum eſt, ingrate ac perfide? nullum?
Quod tibi filiolus vel filia naſcitur ex me.
Tollis enim, et LIBRIS ACTORVM *ſpargere gaudes*
Argumenta viri: foribus ſuſpende coronas.
Iam pater es: dedimus, quod famae opponere poſſis.
Iura parentis habes.

Falluntur itaque, qui Marcum Antoninum Imp. primum vel profeſſionem hanc inueniſſe, vel tabulariorum publicorum vſum ideo in prouinciis inſtituiſſe, ſibi perſuadent, decepti verbis IVLII CAPITOLINI (*f*): *inter haec liberales cauſſas ita muniuit, vt primus iuberet apud praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos* LIBEROS *profiteri intra trigeſimum diem, nomine impoſito. Per prouincias tabulariorum publicorum vſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud praefectos aerarii: vt ſi forte aliquis in prouincia natus cauſſam liberalem diceret, teſtationes inde faceret.* Sane non inueniſſe Marcum profeſſionem, ex Iuuenalis teſtimonio patet. Nec tabulariorum vſum eum per prouincias inſtituiſſe, diſcimus ex lapide vetere apud GRVTERVM (*g*):

SILVANO. AVG.
SACRVM.
PRO SALVTE. IMP.
CAES. HADRIANI
ANTONINI. AVG. PII. P. P.
ET. LIBERORVM. EIVS.

ATIMETVS. LIB.
TABVL. P. H. C.

Si

[a] *L. vlt. C. ſine cenſu vel reliqu.*
(b) *L. 2. §. 1. D. de excuſat.*
(c) *Calig. cap.* 8.
[d] TER. CLEM. *Lib. III. L. 16. D. de probat.*
(e) *Sat.* VIIII. *v.* 82.
(f) *In vita Marci cap.* 9.
(g) *Inſcr. pag.* 63. *num.* 10.

Si itaque Antonini Pii temporibus tabulariis per prouinciam Hiſpaniae citerioris praefuit Atimetus, Caeſaris libertus, eodemque circiter tempore *patrem filiam Pudentillam ſibi natam* MORE CETERORVM *profeſſum eſſe*, APVLEIVS *(a)* ſcribit: quo pacto id inſtitutum eius demum ſucceſſori tribui poſſet? Quid ergo? An erraſſe dicemus Iulium Capitolinum? Neque id ego dixerim. Omnino M. Antoninus eam profeſſionem primus *liberalium cauſſarum gratia* fieri voluit: omnino tabulariorum prouincialium vſum ad eas cauſſas primus produxit, quum antea ad id potiſſimum comparatum eſſet hoc inſtitutum, vt liberorum numerus et aetas inde probaretur, nec improles parentum iura ac priuilegia inuaderent. Ex his ergo actis conſtabat, quot cuique eſſent liberi, quaeque eorum ſit conditio. Aſt quum et hic non raro fraudes admitterentur, et maxime quod ad liberales cauſſas attinet, aliquando parentes dominis, vel hi parentibus facerent praeiudicium: non niſi praeſumtio ex tabulariis petebatur, quam probationibus excludere liquidis cuiuis licere ſaepe reſcripſerunt Principes *(b)*: idemque iam olim ſenſerat SCAEVOLA *(c)*, quum mulier grauida repudiata, filium enixa, abſente marito, eum, vt ſpurium, in actis eſſet profeſſa. Quia enim quaerebatur, virum is in poteſtate patris ſit, et matre inteſtata mortua iuſſu patris hereditatem matris adire poſſit, an obſit patri profeſſio a matre irata facta: veritati locum ſuperfore, SCAEVOLA reſpondit.

(a) *Apolog. II. pag. 539.* L. 24. L. 39. C. *de liberali cauſſa.*
(b) *L. 14. C. de probat. L. 15. L. 22.* (c) *L. 29. §. 1. D. de probat.*

CAPVT VIIII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM.

DE IVRE QVIRITIVM OB LIBEROS CONSEQVENDO.

I. D*Ecimum legis caput egit de iure Quiritium ob liberos conſequendo. Capitis ſententia. Verba* TER ENIXA *ex SC. ſunt. Legis Papiae Poppaeae capita nec non SCta a Iac. Gothofredo confuſa diſtincte proponuntur.* II. *Legis caput non de Latinis Iunianis, ſed colonariis egit. Anniculus et annicula quis quaeue?* Lex 132. D. de verb. ſign. *expoſita. Henr. Noriſius laudatus. Ius Quiritium quale? An idem ac ius Latii? Buchnerus notatus. Iura Quiritium et ciuitatis non ſemper dicuntur promiſcue. Illa ad iura priuata, haec ad publica pertinent. Cur in Inſcriptionibus infantes etiam dicantur* BENE MERENTES. *Reineſii inſcriptio explicata.* III. *Lex Iunia Norbana hoc priuilegium etiam ad libertinos Latinae conditionis protulit, ſed non ad omnes. Minor 30. annis teſtamento manumiſſus an ex lege Aelia Sentia fuerit Latinus? Is ciuis fiebat, 1. ſi duxiſſet vxorem liberorum quaerendorum cauſſa. An et cum ciue Romana Latino fuerit matrimonium? Formula antiqua:* LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA. 2. *Si filium filiamue*

 anni-

anniculum vel anniculam haberet. 3. Si cauſſam magiſtratui probaſſet. Hoc beneficium SC. etiam Latinis per epiſtolam vel inter amicos manumiſſis conceſſum. IV. *SCtum incertae aetatis de Latina. Ea ter enixa iura Quiritium conſequebatur. Hoc SCtum non eſſe Tertullianum, contra Gothofredum demonſtratur.* V. *SCtum de liberis ciuis Romanae Latino nuptae, vt matris conditionem ſequerentur. Lex Menſia, cui hoc SCto derogatum. Latini an peregrini? Id demoſtratum contra M. Vertranium Maurum et alios. SCti huius aetas. Lex Menſia incertae aetatis atque originis.*

I. QVum ſemel de parentum priuilegiis agere coepiſſet lex PAPIA POPPAEA: procul dubio et illud, quod ad conſequenda iura Quiritium pertinuit, reliquis, de quibus adhuc diximus, praemiis ſubiunxit; idque vel inde patet, quod de ea re libro commentariorum ſecundo PAVLLVS (*a*); tertio TER. CLEMENS (*b*) diſſeruerunt.

Caput illud, quod nobis decimum eſt, ita reſtituit IAC. GOTHOFREDVS: *Latinus, qui filius filiaue natus nataue, et anniculus anniculaue factus factaue erit, et Latina, ſi ter enixa fuerit, ius Quiritium conſequitor.* Sed vereor, vt rem acu tetigerit, vir eximius. Scrupulum enim haud leuem iniicit VLPIANVS (*c*), cuius ipſa verba adſcribo: *Latini*, inquit, *ius Quiritium conſequuntur his modis: beneficio principali*, LIBERIS, *iteratione, militia, naua, aedificio, piſtrino, praeterea* EX SCTO *veluti quae ſit ter enixa.* Et paucis interiectis: LIBERIS *Latinus ius Quiritium conſequitur, qui minor triginta annorum manumiſſionis tempore fuit. Nam* LEGE IVNIA *cautum eſt, vt ſi ciuem Romanum vel Latinam vxorem duxerit, teſtatione interpoſita, quod liberorum quaerendorum cauſſa vxorem duxerit, poſtea filio filiaue nato nataue, et anniculo facto poſſit apud Praetorem vel Praeſidem prouinciae cauſſam probare, et fieri ciuis Romanus, tam ipſe, quam filius filiaue eius; et vxor, ſcilicet, ſi et ipſa Latina ſit. Nam ſi vxor ciuis Romana ſit, partus quoque ciuis Romanus eſt* EX SENATVSCONSVLTO, *quod auctore D. Hadriano factum eſt.*

Ex his ergo VLPIANI fragmentis tria colligimus. Primum, quod Latina ter enixa iura Quiritium non ſit conſequuta ex lege Papia Poppaea, ſed ex SCto quodam, fortaſſis ad illuſtrandam legem Papiam Poppaeam facto. Alterum, quod quidem Latinus, ducta ſollemniter vxore, interpoſitaque teſtatione, ſe id liberum quaerundorum cauſſa facere, et ſibi, et liberis, et vxori meruerit iura Quiritium, ſimul ac anniculum anniculamue ex eo matrimonio habuerit; verum id ius non ſit ex lege Iulia et Papia, ſed ex IVNIA NORBANA, quae fere tota de libertinis Latinis egit, vt opus non ſit textum ſollicitare, et cum PETRO PITHOEO (*d*) reſcribere: *lege Iulia*. Tertium, quod SC. aliquod factum ſit auctore Hadriano Imp. quo ex patre Latino et vxore ciue Romana natus ciuis eſſe iuberetur, quum antea res ſecus ſe haberet per LEGEM MENSIAM. Omnia tamen haec legi

Papiae

(a) PAVLL. *Lib. II. L. 134. de verb. ſign.*

(b) TER. CLEM. *Lib. III. L. 52. D. de legat. 2.*

(c) VLP. *Fragm. tit.* 3. §. 1. *et* XII.

(d) *Not. ad Parator. Leg. Moſ. et Rom. tit. XVI. §. 6. pag. 798.*

Papiae Poppaeae adſcribere non dubitat IAC. GOTHOFREDVS, quum ſint originis diuerſiſſimae.

Simile tamen quid etiam lege noſtra cautum eſſe, vel ex laudata *L. 134. D. de verb. ſign.* colligas, vbi PAVLLVS in commentariis ad legem Iuliam et Papiam, quid ANNICVLVS ANNICVLAVE ſit, latius interpretatur. Quid vero opus fuiſſet eo exceſſu, ſi nec in lege id occurriſſet vocabulum, nec SCtum in quo illud exſtitiſſe nouimus, ad legem noſtram pertinuiſſet? Res tamen ſatis clara videtur. VLPIANVS loquitur de Latinis per manumiſſionem ad hanc conditionem redactis. Tales vero non erant iis temporibus, quibus lex Iulia et Papia ferebatur. Quamuis enim et ex lege AELIA SENTIA quidam videri poſſent Latini facti, quum VLPIANVS (*a*) ſcribat: *teſtamento manumiſſum minorem triginta annis* LEX AELIA SENTIA *perinde haberi iubet, atque ſi domini voluntate in libertate eſſet, ideoque* LATINVS *fit*, ſimiliaque etiam in fragmento veteris ICti a PETRO PITHOEO edito (*b*) legantur: nihil tamen certius eſt, quam Latinos hos factos eſſe, non ex lege Aelia Sentia, ſed ex Iunia Norbana, quae omnes, non iuſte manumiſſos, Latinae conditionis eſſe iubebat. Ex lege Aelia Sentia illi domini voluntate *in libertate* erant, quod facti eſt: ſed non *erant liberi*, quod iuris. Dubiae itaque videbantur conditionis, donec lex Iunia Norbana omnes Latinos fieri voluit, non iuſte manumiſſos, ceu iam IAC. CVIACIVS (*c*), et ANTONIVS SCHVLTINGIVS (*d*) docuerunt. Quum itaque nulli ſub Auguſto eſſent Latini libertinae conditionis, ſed ii demum a tempore latae legis Iuniae Norbanae, id eſt, ab anno v. c. 771. innotuerint: de iis ſane agere non potuit legis noſtrae caput. At multae tunc paſſim erant coloniae Latini iuris, de quibus accurate vir ſummus EZ. SPANHEMIVS (*e*). His vero Latinis colonariis id priuilegium indulſiſſe videtur lex Papia Poppaea, vt ſi anniculum anniculamue filium filiamue ſuſtuliſſent, iura Quiritium conſequerentur. Quum enim iam olim, teſte LIVIO (*f*), lex fuiſſet ſociis ac Latini nominis, *qui* STIRPEM *ex ſe domi relinquerent, vt ciues Romani fierent*: hoc priuilegium et renouaſſe, et magis perpoliuiſſe videtur Auguſtus, ſanciens primum, vt illud et ad Latinos colonarios pertineret: deinde, vt ii, filio vel filia ſuſcepto ſuſceptaue, ciues fierent, quamuis non migrarent Romam, ſed in coloniis ſuis manerent: denique, vt id beneficium conſequerentur, non qui ſtirpem domi reliquiſſent, ſed quibus anniculus anniculaue eſſet. Quae quum ita ſint, tale omnino fuiſſe videtur legis noſtrae caput:

> *Latinus, cui ex Latina filius filiaue natus nataue, et* ANNICVLVS ANNICVLAVE, *factus factaue erit, iura Quiritium conſequitor.*

Quum deinde ſub Tiberio ferretur lex IVNIA NORBANA, eaque ſanciretur, vt non iuſte manumiſſi iure Latinorum in colonias deductorum fruerentur: etiam ad hos libertinos vel Latinos Iunianos prolatum eſt hoc priuilegium, additis quibuſdam conditionibus. Caput itaque iſtud legis Iuniae Norbanae ita reſtituimus ex Vlpiano: *La-*

(a) *Fragm. tit.* 1. §. 12.
(b) §. 16. *apud* SCHVLTING. *p.* 807.
(c) *Obſ. Lib. XVII. cap.* 20.
(d) *Not. ad* VLPIAN. *pag.* 560.
(e) *Orb. Rom. Exerc.* I. *cap.* 9.
(f) *Lib. XII. cap.* 8.

Latinus, qui minor triginta annorum teſtamento manumiſſus, ciuem Romanam Latinamue duxerit, teſtatione interpoſita, quod liberorum quaerendorum cauſſa vxorem duxerit, poſtea filio filiaue nato nataue et anniculo anniculaue facto factaue, apud praetorem vel praeſidem prouinciae cauſſam probato, et tum ipſe et filius filiaue, tum et vxor ſi Latina fuerit, iura Quiritium conſequitor.

Quum vero paullo liberalius hac lege actum videretur cum vxoribus Latinorum, quae aeque ac mariti, vno edito partu, iura Quiritium conſequebantur porro: SCtum hoc nouum accedit:

Vti Latina ter enixa ius Quiritium conſequeretur.

Denique quia frequentia eſſe coeperant Latinorum ciuiumque matrimonia, parumque dignum videbatur praerogatiua ciuium, vt liberi ex eo nati matrimonio patri potius Latino, quam matri, ciui Romanae, iura Quiritium deberent: ſub Hadriano, eoque auctore, cenſuit Senatus,

Vt ſi ciuis Romana Latino nupſerit, liberi, qui ex ea naſcantur, matris ſequerentur conditionem, et iura Quiritium conſequerentur.

Ita diſcernendas exiſtimamus ſanctiones diuerſiſſimas, quas eximius vir, IAC. GOTHOFREDVS, vti ex eius commentario patet, perperam confudit. Iam vero de ſingulis ſeorſum.

II. Ipſa Lex Papia Poppaea ait: LATINVS, CVI EX LATINA FILIVS FILIAVE NATVS NATAVE. Loquitur vero non de Latii incolis, vel ſociis nominis Latini, qui multo ante Auguſtum legibus Iulia et Plotia ciuitatis iura conſequuti fuerant, vti ſupra capite I. demonſtrauimus; nec de Latinis Iunianis, quorum nomen demum ſub Tiberio audiri coepit: ſed de iis, qui extra Latium iuris Latini erant. Sic Nemauſienſibus ius Latii datum eſſe, STRABO (*a*) docet. Nouocomenſibus idem ius conceſſerat vel Iul. Caeſar, vel Pompeius Strabo (*b*), qui et omnes Gallos Tranſpadanos iure Latii donauerat (*c*). Omitto alias eius iuris colonias, quarum nummos iuſto opere explicauit IO. FOY VAILLANTIVS. His Latinis non erat cum ciue Romana ius connubii, niſi id conceſſum eſſet a principe, vti teſtatur VLPIANVS (*d*). Hinc ſi inconſulto principe, duxiſſent ciuem: liberi inde nati non erant patris, ſed tanquam extra nuptias quaeſiti habebantur, adeoque nec vllo modo prodeſſe poterant parentibus. Hinc in lege noſtra ſcriptum fuiſſe videtur, LATINVS, CVI EX LATINA FILIVS FILIAVE NATVS NATAVE: quia, vti dixi, cum ciue Romana Latino non erat ius connubii. Sequitur: ET ANNICVLVS ANNICVLAVE FACTVS FACTAVE ERIT. Talis, interprete PAVLLO (*e*), *non eſt infans, ſtatim vt natus eſt, ſed trecenteſimo ſexageſimo quinto die incipiente plane, non exacto, quia annum ciuiliter, non ad momenta temporum, ſed ad dies numeramus.* Ego dies vltimus

(a) *Lib. IIII. pag. 157.*
(b) EZ. SPANH. *Orb. Rom. Exerc. I. §. 9. pag. 19.*
(c) ASC. PAEDIAN. *ad Cic. in Piſon. pag. 2062.*
(d) *Fragm. tit. V. §. 4.*
(e) PAVLL. *Lib. II. L. 134. D. de verb. ſign.*

mus coeptus habebatur pro completo, quia hic de commodo aliquo vel priuilegio quaerebatur: eodem modo, quo minorum annus XXV. coeptus pro expleto accipitur, in petendis honoribus (*a*). Inde et amiſſus dicebatur anniculus, qui trecenteſimo ſexageſimo quinto die nondum elapſo deceſſerat. Idem enim PAVLLVS ad aliud caput ſcribit (*b*): ANNICVLVS *amittitur, qui extremo anni die moritur. Et conſuetudo loquendi id ita eſſe declarat: Ante diem decimum Kalendarum: poſt diem decimum Kalendarum: neque vtro enim ſermone vndecim dies ſignificantur.* Vexauit hic locus interpretes etiam maximos; qui quum exiſtimarent: *Ante diem decimum Kal.* idem eſſe ac XI. Kal. deprehendere vix potuerunt: quomodo haec loquendi formula quidquam faciat ad eius iuris, quod Paullus explicat, illuſtrationem. Hinc LAVR. VALLA (*c*) et ALCIATVS (*d*) reſcribi iubent: *Vtroque ſermone vndecima dies ſignificatur.* Rectius ANTONIVS AVGVSTINVS (*e*) legere maluit: *neutro ſermone*, et ita Florentiae ſcriptum eſſe adſeuerat. Sed eum hac in re omnino falſum eſſe exiſtimat eminentiſſimus vir HENR. NORISIVS (*f*). Florentiae enim, vti ſe *autoptes* obſeruaſſe ait, non legi, *vtroque ſermone*, nec *neutro ſermone*, ſed *neque vtro enim ſermone*. Sed ampliſſimus BRENCMANNVS (*g*) vtrumque Florentiae eſſet teſtatur, alterum a prima, alterum a ſecunda manu, id eſt, a librario alterum, alterum a correctore, vti etiam exhibuit TAVRELLIVS. Eaque lectione alterutra nihil eſt verius. Ait enim Paullus, anniculum dici die trecenteſimo quinto, incipiente plane, adeoque illo die vltimo amiſſum, anniculum deceſſiſſe videri. Id vero non abſurdum eſſe probat argumento a vulgari loquendi conſuetudine ducto, quae ſi quid *ante* X. *Kal.* factum dicitur, ipſum diem termini, nempe primas ſequentes Kalendas computari iubet; non autem diem vndecimum, qui Kalendas ſequitur, nempe diem menſis II. Vulgata enim formula ANTE DIEM DECIMVM KAL. vel POST DIEM DECIMVM KAL. non ſignificari vndecimum diem, ſed decimum Kalendarum, tot exemplis veterum demonſtrauit laudatus modo HENRICVS NORISIVS (*h*), vt alia addere, idem videatur, ac actum agere.

Ipſum priuilegium Latinis, anniculi parentibus, conceſſum, qua in re conſtiterit, patet ex verbis inſequentibus: IVRA QVIRITIVM CONSEQVITOR. *Iura Quiritium* latius accepta omnia iura et priuilegia, quibus ciues Romani pollebant, complectuntur. Aſt ſtrictius intellecta opponuntur *ciuitati Romanae*, vel eiuſdem iuribus. Poſterioris notionis exemplum non vnum eſt apud PLINIVM (*i*), qui ſubinde aliis *iura Quiritium*, aliis *iura ciuitatis* petit a Traiano Imperatore. Vbi quidem AVG. BVCHNERVS per ius Quiritium intelligendum eſſe monet ius Latii: contra V. C. IO. FR. GRONOVIVS *iura Quiritium* et *ciuitatem Romanam* promiſcue accipi exiſtimat, cui et CHRISTOPHORVS CELLARIVS v. c. ſuum adiungit ſuffragium. Enimuero, quamuis negari nequeat, ius Quiritium et ius ciuitatis aliquando promiſcue dici, tamen in illo PLINII loco, quod pace tantorum Manium dixerim, neuter mihi rem acu videtur tetigiſſe. *Iura* enim *Quiritium*

PLI-

[a] L. 8. *D. de munerib.*
(b) L. 132. *D. de verb. ſign.*
[c] *Elegant. Lib. IIII. cap.* 80.
(d) *Comment. ad L.* 132. *D. de verb. ſign.*
(e) *Emendat. Lib.* IIII. *cap.* 6.
(f) *Cenotaph. Piſan. Diſſ.* II. *cap.* 17 *p.* 345.
(g) *Hiſt. Pand. lib.* IIII. *cap* 4. *p.* 345.
(h) *Ibid. pag.* 342.
(i) *Lib. X. Epiſt.* 4. *et* 32.

Digitized by Google

Plinio ſunt iura ciuium Romanorum priuata, quae in iure libertatis, gentis, connubiorum, teſtamenti factionis, hereditatis atque vſucapionis conſiſtebant. *Ciuitas* vero *Romana* iura publica, veluti cenſus, militiae, tributorum, honorum, ſuffragiorum, ſacrorum, ſimiliaque complectebantur, vti poſt Car. Sigonivm (*a*) accuratius docuit vir ſummus, Ez. Spanhemivs (*b*). Sed legem noſtram latius accepiſſe arbitror iura Quiritium, ſiquidem Vlpianvs (*c*), cui eius notitiam debemus, vbi *Latinos* ivs Quiritivm *beneficio principis, liberis, iteratione, militia, naue, aedificio vel piſtrino ait conſequi*, ſtatim ſubiicit: *Beneficio principali Latinus* civitatem Romanam *accipit, ſi ab Imperatore* ivs Quiritivm *impetrauerit*. Promiſcue ergo Vlpianvs in hoc capite ſumit *iura Quiritium* et *ciuitatis*, atque inde effici arbitror, Latinum, anniculi anniculaeue parentem, non modo iurium priuatorum, ſed publicorum quoque factum eſſe participem. Inprimis vero Latinis gratiſſimum erat hoc ius Quiritium, quia iam et capere poterant ex aliorum teſtamentis, et ipſi teſtamenta condere. Idque ius ipſis erat, etiamſi dubia tempore conditi teſtamenti fuiſſet eorum conditio: quo pertinet locus Terentii Clementis (*d*): *Non oportet* privs *de* conditione *cuiuſquam quaeri, quam hereditas legatumue ad eum pertineat*.

Haec lucem adfundere arbitror tot marmoribus vetuſtis, in quibus parentes liberos, etiam infantes, *bene de ſe meritos*, eſſe, profitentur. Sane apud Gvtervm (*e*) legimus:

DIS. MAN.
BLOSSIA. ONOMASTE.
MATER.
FILIO. BENEMERENTI.
FECIT.
BLOSSIO. VALENTI.
VIXIT ANNIS. II.
MENSIBVS. VII.

Hic ſane mater puerum nondum triennem vocat filium *bene merentem*. Multo liberalius apud Reinesivm (*f*) mater:

FILIO. MEGETHO. BENE
MERENTI. DVLCISSIMO.
QVI. BIXIT. PLENOS. ANNO.

Vbi procul dubio lapicida pro pleno ſculpſit plenos nullo ſenſu. Non alio enimuero beneficio parentes demereri potuerunt filii biennes et anniculi,

(a) *De antiquo iure ciu. Rom. Lib. I. cap. 6.*
(b) *Orb. Rom. Exerc. I. §. 12.*
(c) *Fragm. tit. III. §. 1. 2.*
(d) Ter. Clem. *Lib. III. L. 52. D. de legat. 2.*
(e) *Inſcr. pag. 673. num. 5.*
(f) *Inſcr. Claſſ. XX. n. 128.*

Digitized by Google

culi, niſi hoc vnico, quod horum cauſſa illi iura Quiritium conſequuti ſunt, vel quod iiſdem infantes illis ad ſolidi capacitatem profuerunt. Vnde *ἐμφατικῶς* in marmore poſteriore additur: QVI BIXIT PLENO ANNO, vt viator eum ſciret *anniculum* fuiſſe, et parentibus ad priuilegia quaedam legis Papiae-Poppaeae conſequenda profuiſſe.

III. Haec de legis noſtrae capite. Illud vero ad libertos Latinos protulit lex IVNIA NORBANA, quam anno v. c. 772. M. Iunio Silano et L. Iunio Norbano coſſ. latam nouimus. Haec praeter libertinos *ciues* quibus Ser. Tullius; et *dedititios*, quibus lex Aelia Sentia hanc conditionem impoſuerat, tertium reperit libertinorum genus, *Latinorum Iunianorum*, quales fiebant omnes non iuſte manumiſſi, praeter tortos, vinctos, ſtigmate vſtos, alioque adfectos ſupplicio (*a*). Eadem tamen lege prodita erant media quaedam, quibus Latini Iuniani ad iuſtam libertatem ciuitatemque Romanam peruenirent: quo et illud caput, quod paulló ante protulimus, pertinet.

LATINVS, lex inquit. Aſt non loquitur de Latinis coloniarlis; quibus iam lege Papia Poppaea abunde proſpectum fuerat, ſed de Iuniano, *eo* QVI MINOR TRIGINTA ANNORVM TESTAMENTO MANVMISSVS. Cautum enim fuerat lege Aelia Sentia, vt minor triginta annorum ſeruus ne manumitteretur, niſi cauſſa apud conſilium probata. Hinc ſine conſilio, licet *vindicta*, manumiſſus ſeruus manebat: *Teſtamento vero manumiſſus*, inquit VLPIANVS (*b*), *perinde habebatur, atque ſi domini voluntate in libertate eſſet*: id eſt, vti ſupra id expoſuimus, in libertate erat, quod facti eſt, non liber tamen, quod iuris. Aſt quia lex Iunia Norbana omnes non iuſte manumiſſos et dominorum tamen voluntate in libertate commorantes, Latinos eſſe iuſſerat, Vlpianus porro addit: *ideoque Latinus fiebat*, ex lege non Aelia Sentia, ſed vti dixi, ex Iunia Norbana. Idcirco teſtatores cupientes ſeruos ſuos ante iuſtam aetatem manumiſſos ad ciuitatem perduci, in teſtamento ſuo datis libertatibus adſcribebant formulam: LIBERI SVNTO, QVVM ANNORVM ERVNT XXX (*c*) item: QVVM PER LEGES LICEBIT, LIBERI SVNTO (*d*). Vti iam ab aliis viris doctis poſt IAC. CVIACIVM (*e*) obſeruatum eſt. Ita vero manumiſſus, interea, dum annum trigeſimum nondum expleuerat, ex lege Aelia Sentia erat ſtatu liber: adeoque ſperare poterat libertatem plenam iuraque Quiritium, ſimulac illam aetatem legitimam attigiſſet. Contra ſi, conditione hac non adiecta, libertate eſſet donatus, liber quidem fiebat, ſed Latinae conditionis, et licet iuſtam aetatem ſuperaſſet, iurium tamen Quiritium exſors manebat.

Poterant autem et ſtatu liberi, et ſine conditione ante annum aetatis trigeſimum manumiſſi, ſi anniculum anniculamque ſuſcepiſſent, iura Quiritium conſequi, certis conditionibus, quarum primam prae ſe ferunt verba: QVI CIVEM ROMANAM LATINAMVE DVXERIT, TESTATIONE INTERPOSITA, QVOD LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA VXO-

(a) CAI. *Inſt. Lib. I. tit. 1. §. 2.*
(b) *Fragm. tit. I. §. 12.*
(c) *L. 39. §. 2. D. ſam. erc. L. 46. D. de manum. teſtam. L. vlt. D. de reb. dub. L. 13. §. vlt. D. de ſtatu lib.*
(d) *L. 38. D. de manumiſſ. teſt.*
(e) *Ad Vlpian. tit. 1. §. 12.*

REM DVXERIT. Requirebatur itaque matrimonium. Quamuis enim Latinis Iunianis ius connubii neque cum ciuibus Romanis, neque cum Latinis eſſet, erat tamen ius matrimonii, id eſt, ius gentibus omnibus commune, cum muliere indiuiduam vitae conſuetudinem ineundi, ex eaque procreandi liberos, quod ſaepe *matrimonium* (a), nec non *matrimonium ſine connubio* (b) vocant veteres, quemadmodum contra iis, qui loquebantur accuratius, ſola coniunctio legitima ciuium NVPTIARVM et CONNVBII nomine veniebat. Quo autem appareret, matrimonium inire libertinum, non in concubinatum feminam liberam adſumere, teſtatio initio ad acta publica, vti videtur, poſtea tabulis dotalibus interponenda erat, matrimonium iniri LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA. Antiqua formula, qua iam Cenſores vſos nouimus, quibus teſte GELLIO (c), ius iurandum praeſtabant ciues, ſe vxorem liberum quaeſundorum cauſſa habere. Hinc apud ENNIVM (d) matrona: *Duxit me*, inquit, *vxorem, liberorum ſibi quaeſundum cauſſa*. Poſtremis vero temporibus ob caput legis noſtrae tertium hanc formulam tabulis matrimonialibus inſertam fuiſſe, binis locis teſtatur AVGVSTINVS (e), cuius verba iam alii exſcripſerunt.

Alteram conditionem exprimunt verba: POSTEA FILIO FILIAVE, NATO NATAVE ET ANNICVLO ANNICVLAVE FACTO FACTAVE. Exigebat enim lex non ſolum matrimonium liberorum quaerendorum cauſſa initum, verum etiam prolem ex eo matrimonio ſuſceptam, nec hanc tantum, ſed vt filius filiaue ex eo matrimonio natus natauē annum plenum vixiſſet. Quod quo pacto intelligendum ſit, paullo ante explicauimus. Addit lex et tertiam conditionem: CAVSSA APVD PRAETOREM VEL PRAESIDEM PROVINCIAE PROBATA. Vnde non ipſo iure ciuis erat Latinus, anniculi pater, ſed cauſſa demum probata, id eſt productis tabulis, quibus, ſe matrimonium liberorum quaerendorum cauſſa inire, teſtationem interpoſuerat, exhibito teſtimonio publico magiſtratus, apud quem infantis recens editi nomen profeſſus fuerat, teſtibus denique productis, qui infantem illum anniculum factum eſſe, confirmarent. His factis, TVM IPSE ET FILIVS FILIAVE, TVM ET VXOR, SI LATINA ESSET, (ciuis enim eo legis beneficio non indigebat) IVRA QVIRITIVM CONSEQVEBATVR.

Tale fuit legis Iuniae Norbanae priuilegium: quod tamen ad eos tantum qui teſtamento manumiſſi fuerant, pertinuiſſe iam monuimus. Nam minores triginta annis inter viuos, ſed minus ſollemniter manumiſſi, iteratione aliiſque modis, ſupra explicatis iura Quiritium conſequebantur. Poſtea tamen prodiit SCtum *ex quo et his*, teſte VLPIANO (f), *conceſſum eſt, etiam* LIBERIS *ius Quiritium conſequi*. Sctum Largianum hic in animo habuiſſe VLPIANVM, ſuſpicatur M. VERTRANIVS MAVRVS (g), ſed ſuſpicatur tantum. Nam tale quid eo SCto inductum fuiſſe, nemo veterum prodidit memoriae.

IV. Hanc legem Iuniam et aliud SC. ſequutum eſt, aeque incertae aetatis, quo cautum, VTI LATINA, SI TER ENIXA FVERIT, IVRA QVI-

(a) *L. 13. §. 1. D. ad L. Iul. de adult.*
(b) *Collat. Leg. Moſ. et Rom. tit. 4. §. 5.*
(c) *Lib. IIII. cap. 3.*
(d) FEST. *in voce* quaeſo.
(e) *Adu. Iulian. Lib. III. et Serm. XLIV.*
(f) *Fragm. tit. III. §. 4.*
(g) *De iure liber. cap. 29.*

Digitized by Google

QVIRITIVM CONSEQVERETVR. Eo ergo legi Iuniae Norbanae eatenus derogatum eſt, vt Latinae non amplius in poſterum anniculus anniculaue ad iura Quiritium conſequenda ſufficeret, ſed SI TER ENIXA eſſet, tunc demum eius beneficii fieret particeps. Ter autem enixa videbatur, non ſolum, quae ter peperiſſet per interualla, ſed et quae intra breuiſſimum temporis ſpatium tergeminos fudiſſet, vti rem ad caput legis XII. exponit PAVLLVS (*a*). Neque enim exempla deſunt, quod mulieres et quaternos et quinos enixae ſint, etiam poſt quadrageſimum a primo partu diem (*b*). Quum vero idem PAVLLVS (*c*) vtero exſectos matri ad hoc beneficium conſequendum profuiſſe neget: multo minus credibile eſt, ei profuiſſe partum monſtroſum, quem alias profuiſſe in hac lege teſtatur VLPIANVS (*d*).

Aetas huius SCti, vti aliorum plerorumque incerta eſt: nec magis expeditum, an de SCto Tertulliano loquatur Vlpianus, quod viro ſummo IAC. CVIACIO viſum eſt. Saltim ex hoc SCto noſtro profuiſſe videntur tres ex interuallo in lucem prodeuntes, vti paullo ante vidimus. In Tertulliano hi non profuerunt (*e*). Senatus ita cenſuit: quo autem tempore id contigerit, nec Vlpianus addit, nec vllus veterum, quantum memini, prodidit memoriae.

V. Idem denique ſenatus cenſuit, VT SI CIVIS ROMANA LATINO NVPSERIT, LIBERI, QVI EX EA NASCANTVR, MATRIS SEQVERENTVR CONDITIONEM, ET IVRA QVIRITIVM CONSEQVERENTVR. Superuacuum hoc SC. videri poterat. Quum enim inter Latinum et ciuem non ſit ius connubii: exiſtimari poſſet, liberos non potuiſſe non conditionem matris ſequi, aeque ac naturales et vulgo quaeſitos, ſiquidem VLPIANO (*f*) *haec* LEX NATVRAE videtur, *vt qui naſcitur ſine legitimo matrimonio*, MATREM SEQVATVR. Sed addit eodem loco VLPIANVS: *niſi* LEX SPECIALIS *aliud inducit*. Qualis autem circa ius Quiritium lex ſpecialis aliud induxerit, idem VLPIANVS (*g*) alibi ita oſtendit: *Excepto eo, qui ex peregrino et ciue Romana peregrinus naſcitur, quoniam* LEX MENSIA *ex alterutro peregrino natum* DETERIORIS PARENTIS *conditionem ſequi iubet*. Non male ergo coniecit vir ſummus IAC. CVIACIVS (*h*), SCto noſtro derogatum eſſe LEGI MENSIAE. Et quamuis M. VERTRANIVS MAVRVS intercedat, negetque legem Menſiam ad Latinos pertinuiſſe, quum peregrinorum tantum, non Latinorum, meminerit: nemo tamen ignorat, ratione ſtatus homines diuidi in ciues et peregrinos, adeoque omnes, qui ciues non erant, peregrinos fuiſſe. Equidem *peregrinos* aliquando a *Latinis* ſeiungi animaduertimus ab VLPIANO (*i*) et MARCIANO (*l*): ſed accuratius qui loquuntur, et Latinos peregrinis accenſent. Refert APPIANVS (*m*) Nouocomenſem, qui et magiſtratum in patria geſſerat et iura Quiritium fuerat conſequutus, virgis a Marcello caeſum eſſe in contume-

[a] *L. 137. D. de verb. ſign.*
(b) *L. 3. D. ſi pars her. pet. Plin. hiſt. nat. Lib. VII. cap. 11.*
(c) *L. 132. §. 1. D. de verb. ſign.*
(d) *L. 135. D. de verb. ſign.*
(e) PAVLL. *Rec. Sent. Lib.* IIII. *tit. 9. §. 2.*
(f) *L. 24. D. de ſtatu hom.*
(g) *Fragm. tit. V. §. 8.*
(h) *Not. ad Vlpian. Fragm. tit.* III. *§. 3. et Obſ. Lib.* XV. *cap. 13.*
[i] *Fragm. tit. 5. §. 4. tit. 19. §. 4.*
(l) *L. 17. §. 1. D. de poen.*
[m] *De bello ciu. Lib.* II. *pag. 443.*

tumeliam Caeſaris, additque: *καὶ τὸν νοῦν ὑπὸ ὀργῆς ἀνεκάλυπτε, τὰς* ΞΕΝΙΑΣ *σύμβολον καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε, καὶ δεικνύναι τῷ Καίσαρι*. *Sic ille mentem ſuam iratus aperuit, atque pro* PEREGRINO *tractatum; ire, et notas oſtendere Caeſari iuſſit*. Non ſane hic Marcellus Nouocomenſi ſtatus mouit controuerſiam, tanquam Latino, quod ius iam ante Caeſarem omnes tranſpadani acceperant (*a*): ſed tanquam ciui. Vnde ipſe APPIANVS addit: *ὃ πασχόντων οὐ Ῥωμαίων*; *quae alias pati non ſolent ciues Romani*. Latinum itaque pro peregrino tractauit Marcellus, eumque virgis lacerauit, vt ſe non ciuem, ſed Latinum, id eſt, peregrinum eſſe intelligeret. Latinos enim, vti alios peregrinos, virgis caedi potuiſſe, docet DIODORVS SICVLVS (*b*), vbi de Clodio: *Τοὺς μὲν πολίτας τοῖς πατρίοις ἔθεσιν ἐκόλαζεν ἀπαραιτήτως, τοὺς δὲ συμμάχους ῥάβδοις ἐμάστιγε*. *In Romanos quidem more maiorum animaduertit citra ſpem veniae*: SOCIOS *autem* NOMINIS LATINI VIRGIS CECIDIT. Sed et SALLVSTIVS (*c*) referens Turpillium praefectum Vaccae oppido impoſitum a Metello VERBERATVM *capitis poenas ſoluiſſe*: ne cui id mirum videatur, ſtatim ſubiungit: *nam is ciuis* EX LATIO *erat*. Peregrini itaque erant, quia ciuitatis exſortes, quamuis melioris, quam prouinciales, conditionis. Quae quum ita ſint, nihil omnino impedit, quo minus legi Menſiae hoc SCto derogatum eſſe cum CVIACIO dicamus.

Ipſius SCti originem ad Hadrianum refert VLPIANVS, et ita quidem, vt illud *eo auctore* factum eſſe teſtetur: id eſt eo vel conſule, vel certe ad ſenatum referente. Quare, quum maximam partem imperii extra Romam fuerit: paene adducor, vt illius epocham in conſulatum Hadriani II. et Salinatoris incidere exiſtimem. Sed exiſtimo tantum, ne quis ſibi id praedictum neget.

Aſt quando lata ſit LEX MENSIA tam obſcurum eſt, vt ne familia quidem Menſia apud veteres celebretur. Non ignoti ſunt METTII, MESTRII, quos et MENSTRIOS dictos eſſe, REINESIVS (*d*) obſeruat, ac denique MESSII. Sed Menſiae familiae vix vola vel veſtigium occurrit, idque permouit, ni fallor, ANT. AVGVSTINVM (*e*) vt hanc legem non *Menſiam*, ſed *Meſſiam* adpellandam exiſtimaret. Rem tamen vtpote incertam ego aliorum indagini relinquere malim.

(a) ASCON. PAEDIAN. *in Cic. adu. Piſon. pag.* 2061.
(b) *Exc. Peireſc.* 273.
(c) *Bell. Iugurth.*
(d) *Inſcr. Claſſ. XV. num.* 24.
(e) *De legibus et SCtis pag.* 1239. *Tom. II. Theſaur. Graeu.*

CAPVT

Digitized by Google

C A P V T X.

AD CAPVT LEGIS VNDECIMVM.

DE LIBERTI LIBERATIONE AB OPERIS OB NVMERVM LIBERORVM.

VNdecimum legis caput quale ſuerit? Eius legitima verba. I. *Ad quos libertinos hoc priuilegium pertinuerit? Operarum locatio ad beſtias depugnandas. Ludus beſtiarius, venatorius, matutinus, ſpoliarius.* II. *Liberti patrono debebant operas, dona, munera. Dona, munera et operae fabriles quomodo promiſſae. Serui initio vrbis opificiis paene ſoli vacabant. Donorum et munerum diſcrimen. Merces manumiſſionis non poterat promitti ſed dari. Alia, quae a libertis ſibi ſtipulabantur patroni.* III. *Liberatio ab his oneribus per duos liberos vel vnum quinquennem. Quinquennis filius iam olim libertinis aliquando profuit. Sc. apud* Liv. Lib. xlv. cap. 15.

NIhil veroſimilius eſt, quam priuilegia, ciuibus et Latinis colonariis conceſſa ſequutum eſſe multiplex illud πολυπαιδίας praemium, quod in liberatione ab operis conſtitit. Saltim eodem libro II. commentariorum Pavllvs (a) egit de liberatione libertorum ab operis, et ipſa nobis ſeruauit legitima eius capitis verba, quae talia ſunt:

QVI LIBERTINVS DVO PLVRESVE A SE GENITOS NATVSVE IN SVA POTESTATE HABEBIT, PRAETER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCAVERIT, NE QVIS EORVM OPERAS DONI MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSA PATRONO PATRONAE LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE, FACERE, PRAESTARE DEBETO. ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABVERIT, VEL VNVM QVINQVENNEM, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR.

I. Hoc itaque priuilegium pertinet ad libertinos, ſed non ad *Latinos Iunianos*, quales eo tempore nullos fuiſſe diximus, nec ad *dedititios*, quibus parum fauebat nullamque ſpem melioris conditionis reliquerat Auguſtus, verum ad eos, qui iuſtam conſequuti libertatem ciues Romani facti fuerant. Argumento eſt, quod in lege exſtant verba: QVI LIBERTINVS A SE GENITOS NATASVE IN SVA POTESTATE HABEBIT. In poteſtate vero liberos non habebant, niſi ciues Romani. Ex quo etiam colligas, non id ea-

(a) PAVLL. *Lib.* II. L. 35. *L.* 37. *D. de op. libert.*

id caput pertinuiſſe ad libertas. Eae ſolis nuptiis operarum obligatione liberabantur, vti infra ad caput XXXVIII. demonſtrabimus. Innuptae vero non liberabantur, niſi eſſent maiores quinquaginta annis *(a)*. Quum vero lex non dicat, *qui libertinus duo pluresve* SIMVL *in poteſtate habebit*: non abs re PAVLLVS *(b)*, liberos etiam amiſſos non ſolum ad operas quae imponuntur poſtea, ſed et ad eas, quae amiſſo vno et ſequente paullo poſt alterius natiuitate, promittuntur, amolienda profuiſſe, docet. Quod ita breuiter eloquitur ALEXANDER Imp. *(c) Qui autem duos filios in poteſtate vel* DIVERSIS TEMPORIBVS *habuit, lege Iulia de maritandis ordinibus obligatione operarum liberatur*. Proderant etiam hi liberi non ſolum parentibus, verum etiam fideiuſſoribus, quos libertus operarum cauſſa dederat, immo et expromiſſoribus *(d)*. Non autem heredes liberti liberabantur, ſi ex eo poſtumi fuiſſent nati, quippe quos defunctus numquam in poteſtate habuerat *(e)*.

Exceperat lex ab hoc beneficio EOS, QVI ARTEM LVDICRAM FECERANT, de quibus iam ad capita legis prima: nec non QVI OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARENT, LOCAVERANT. Cur enim operis honeſtioribus liberantur homines, qui ſe ipſi longe vilioribus addixerant, leuiſſimoque pretio *ſua vendiderant funera*, vti eleganter ait IVVENALIS *(f)*? Equidem Romani non modo e gladiatorum pugnis voluptatem capiebant, ſed et cum beſtiis committebant homines, et immani iſto ſpectulo oculos paſcebant. Vnde gladiatores et beſtiarios coniungens SENECA *(g)*, dubitare ait homines iſtos viliſſimi pretii, *vtrum ſe ad* GLADIVM *locent, an ad* CVLTRVM. Vocantur hi alias *beſtiarii (h)*, *arenarii (i)*, *κατακοντιζόμενοι (l)*, *venatores*, vel *familia venatoria (m)*, quemadmodum et ipſum immane ſpectaculum *venatio (n) ludus venatorius (o)*, *κυνηγέσιον* vel *κυνηγέσια (p)* itemque *ludus beſtiarum (q)* dicebatur. Et olim quidem plerumque ſerui a dominis in poenam addicebantur venationi: poſteaquam vero id vetuit lex non *Paetinia*, vti PETRVS FABER *(r)* credit, ſed *Petronia*, lata A. V. C. 813. C. Petronio Turpilliano et C. Caeſonio Poeto coſſ. *(s)* non defuerunt ex libertinis, ipſiſque ingenuis viliſſimae animae, qui operas ad id munus vltro locarent, quique aliquamdiu ſaginati in ſpoliario, poſtea cum beſtiis committebantur, et quidem mane, vti meridie gladiatores inter ſe conferebant manus, vnde et hi *meridiani*, illi *matutini* vocantur *(t)*. LVDI ſane MATVTINI occurrunt in marmoribus *(u)* vti et LVDI SPOLIARII *(x)*. Quamuis vero genti togatae, vti diximus, in deliciis eſſet immane iſtud ſpectaculum; infames tamen illis erant, qui mercede conducti, tam leui auctoramenro ſe ad hanc feralem pugnam patiebantur ſaginari.

Vnde

(a) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 35. D *de op. libert.*
(b) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 37. §. 1. 2. *eod.*
(c) *L.* 6. §. 1. *C. eod.*
(d) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 37. §. *vlt. D. eod.*
(e) PAVLL. *Ibid. L.* 37. §. 7. *D. eod.*
[f] *Satyr.* VIII. *v.* 192.
[g] *Epiſt.* LXXXVII.
[h] SVET. *Claud. cap.* 34.
(i) GRVT. *pag.* 484. *num.* 6.
[l] XIPHIL. *Lib.* LVIII.
(m) GRVT. *pag.* 334. *num.* 11.
(n) SVET. *Ner. cap* 4.
(o) L. 8. L. 11. D. *de poen.*
(p) REINES. *Inſcr. claſſ. V. num.* 65.
(q) SEN. *Ep.* CXXI. *et libro* III. *de ira, cap. vlt.*
(r) *Semeſtr. Lib.* II. *cap.* 11.
(s) L. 11. D. *ad L. Corn. de ſicar.*
(t) PET. FAB. *Lib.* I. *Semeſtr. cap.* 6.
(u) GRVT. *p.* 41. *nu.* 10. *p.* 335. *n.* 1. 2. *pag* 411. *nu.* 1. REINES. *Claſſ.* I. *nu.* 157.
[x] GRVT. *pag.* 489. *num.* 12.

Digitized by Google

Vnde nec mirandum, eoſdem etiam eo beneficio indignos viſos eſſe Imperatori optimo, quod aliis honeſtioris vitae libertinis, duorum liberorum parentibus hac lege noſtra indulſerat.

II. Quanam vero in re conſtiterit illud priuilegium, ex ſequentibus legis verbis adparet: NE QVIS EORVM OPERAS, DONI MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE FACERE PRAESTARE DEBETO. Patronum iuribus quibuſdam pinguiſſimis gauiſum eſſe in libertum, tralatitium eſt. Inter haec etiam erant *operae*, *dona* et *munera*, quae patronus a liberto iure exigebat: *Operae* erant diurna officia (*a*), et in *officiales* et *fabriles* diuidebantur. Illae in officio perſonae; hae in artificio conſiſtebant. Illas libertus ipſo iure (*b*): has tunc demum debebat, ſi promiſiſſet (*c*). Illae ſoli patrono (*d*): hae et aliis, quibus ille eas praeſtitas vellet (*e*), immo et heredibus patroni (*f*) erant praeſtandae. Promittebant vero operas fabriles non ſerui ante manumiſſionem: (hi enim nihil promittere poterant domino,) ſed iam manumiſſi (*g*), et ita quidem, vt non ſolum ſtipulatio intercederat; ſed et liberti iurarent, ſe illas patrono praeſtituros. Quod iuſiurandum aeque, ac alias verborum obligationes, ratum fuiſſe, CAIVS (*h*) teſtatur, dum ſcribit: *Item et alio caſu, vno loquente, et ſine interrogatione alio promittente, contrahitur obligatio, id eſt, ſi libertus patrono aut donum, aut munus, aut operas ſe daturum,* IVRAVERIT. Ne autem fidem falleret libertus, et iurato promittere detrectaret manumiſſus, quod ſeruus ſeſe iuraturum pollicitus fuerat: ita ſibi proſpiciebant domini, vt aut fideiuſſores ſibi dari iuberent, aut expromiſſores (*i*). Immo etiamſi hac cautione non vſus eſſet patronus: deprehenſo tamen dolo libertatem praetor negabat liberto, qui iurare nollet ſuper iis, quae ſeruus pollicitus fuerat. Eo pertinent illa CICERONIS (*l*): *Itaque vſurpaui vetus illud Druſi, vt ferunt, Praetoris, in eo, qui eadem liber non iuraret, me iſtos* LIBEROS NON ADDIXISSE. Scilicet quamuis dominos circumacto in gyrum homine, illud ſollemne: HVNC EGO HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO eſſet proloquutus: nondum tamen erat liber, niſi lictor vindicta eum tetigiſſet, et praetor addixiſſet liberum. Non vero addicebat Praetor, niſi ſeruus liberaſſet fidem, et iuraſſet, quae antea promiſerat. Ceterum operae hae fabriles ad lucrum pertinebant, earumque praeſtatio pecuniaria vtilitate conſtabat (*m*). Romulus enim, artes manuarias et ſellularias parum conuenire nouae reip. ſuae exiſtimans, iſtis operam dare vetuit ciues, et δούλοις τε καὶ ξένοις ἀπέδωκε μεθοδεύειν, *ſeruis ac peregrinis eas exercendas dedit*. Id quod diu Romae obſeruatum eſſe teſtatur DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*n*). Artes ergo manuarias et opificia plerumque exercebant

(a) L. 1. D. *de op. lib.*
(b) L. 26. §. 12. D. *de condict. indeb.*
(c) L. 3. *pr.* L. 5. L. 7. *pr.* D. *de op. lib.*
(d) L. 9. §. 1. D. *de op. libert.*
[e] d. L. 9. §. 1.
[f] L. 6. D. *eod.*
(g) L. 7. §. 2. D. *eod.*
[h] *Lib.* IIII. *Inſt. cap.* 9. §. 4.
(i) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 37. §. *vlt.* D. *eod.*
(l) *Ad Attic. Lib. VII. Epiſt.* 21.
(m) L. 6. D. *de op. libert.*
(n) *Lib.* II *pag.* 98.

bant ſerui, eaque ratio eſt, cur illas *illiberales* adpellarent, tanquam indignas homine ingenuo. Praeterea et litteris imbuebantur ſerui, interque illos erant grammatici, litteratores, philoſophi, medici, anagnoſtae, aliique eius generis viri docti. Quantum ex vtriſque operis lucri domini ceperint, facile eſt ad exiſtimandum, idque vel exemplum Craſſi illius diuitis docet, quem integras fabrorum familias habuiſſe, ex eorumque operis maximum lucrum feciſſe, refert PLVTARCHVS (*a*). Ne vero tanto lucro plane exciderent domini; a ſeruis quos manumiſſuri erant, certas ſibi operas fabriles ſtipulabantur, quae aliquando etiam pecunia vel penſione annua ſolebant aeſtimari (*b*). Id enim facere eis licebat, dummodo patronus operas liberti non locaret aliis, quibus ipſe vti poſſet (*c*). Si plus exigeret patronus, quam promiſſum erat, ei non adſiſtebat Praetor, eoque pertinet elegans ſpecies apud DOSITHEVM (*d*). Conquerebatur patronus ſe a libertis circumuentum, qui tabernas ſuas exercentes, ſibi nihil darent. Reſpondebat aduocatus a multo tempore libertos ſingulos patrono praeſtitiſſe denarium, eumque illos in poſterum quoque praeſtituros pollicebatur, ſi eos pateretur negotiari. Dixit itaque Hadrianus Auguſtus: *φροντίσατε οὖν, μὴ πάλιν μέμφηται· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς νοῦν κοινὸν ἔχῃ. Curate igitur, ne iterum queratur, ſed et ipſe* SENSVM COMMVNEM HABEAT.

Denique et DONA et MVNERA debebant liberti, ſi promiſiſſent. Clare enim VLPIANVS (*e*): *Iurare autem debet, operas, donum, munus ſe praeſtiturum.* Hinc libertus apud QVINCTILIANVM (*f*): *Huic*, inquit, *debeo* MVNVS, *operas, teſtamentum*. Et CAIVS (*g*): *exponendum hic, quid ſit* DONVM, MVNVS, *aut operae*. Quam particulam, a reliquo corpore auulſam ſeruauit ANIANVS, ſed ita, vt per eius induſtriam nihilo hodie ſimus inſtructiores, quam per alterum fragmentum PAVLLI (*h*): *Egentem patronum libertus, obligatione* DONI, MVNERIS, *et operarum ſolutus alere cogendus eſt, pro modo facultatum ſuarum.* Quantum autem ex aliis Iureconſultorum fragmentis intelligimus (*i*), iſtud inter dona muneraque diſcrimen intererat, quod illa ſponte; haec ob certam cauſſam praeſtarentur. Hinc veteres GLOSSAE NOMICAE: *Μούνους τὸ μετ' αἰτίας δῶρον, ὡς τὸ γενεθλιακὸν ἢ γαμικόν.* MVNVS, *quod ob cauſſam donatur, veluti natalitium, vel nuptiale.* Et FRONTO: MVNVS, *quod amicus, vel cliens, vel libertus* OFFICII CAVSSA *mittunt.* Ad *dona* itaque referenda ſtrenae, xeniola, miſſio partis extorum; ad *munera* donationes nuptiales, natalitiae, luſtricae, Saturnales, ac ſimiles, quas vti ex elegante TERENTII (*l*) loco conſtat, etiam a ſeruis domini ad rem attentiores flagitabant.

Horum omnium gratia fiebat libertis, qui liberos ſuſtulerant. Quin et ſi ALIVM QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM ſe praeſtituras, IVRAVERINT vel PROMISERINT, eo omni ob liberos liberabantur ex lege noſtra. Solebant enim patroni ſibi mercedem manumiſſionis ſtipulari, idque inhibuerat lex Aelia Sentia, qua tamen

(a) *In vita Craſſi.*
(b) L. 39. *pr. et* §. 1. D. *de op. libert.*
(c) L. 25. §. 1. *ſequ.* D. *eod.*
(d) § *Lib. III. Sentent. Hadr. Lib. III.* §. 8. *pag.* 66.
(e) *L.* 7. §. 3. D. *eod.*
(f) *Declam. vlt.*
(g) *Inſt. Lib. II. tit.* 9. §. 4.
(h) *Sent. rec. Lib. II. tit.* 32. §. 1.
(i) L. 214. D. *de verb. ſign.*
(l) *Phorm. act.* 1. *ſcen.* 1. *v.* 51. *ſeq.*

tamen non prohibebantur *patroni*, *a libertis mercedes capere*, *ſed obligare eos*, *itaque ſi ſponte ſua libertus patrono mercedem praeſtitiſſet*, *nullum libertus legis praemium conſequebatur*, vti loquitur TER. CLEMENS (*a*). Poterat ergo per legem Aeliam Sentiam patronus mercedem ſponte oblatam capere, ſed non ſibi eandem ſtipulari. Sed et alia multa ſibi clam ſtipulabantur patroni ad rem attentiores, veluti, *ἵνα τὸν δημοσίᾳ διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγεμόνων γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τὴν ἐλευθερίαν*. *Vt acceptum e publico frumentum menſtruum*, *et ſi qua alia liberalitate principum in egenos ciues conferuntur*, *patronis relinquant*, qualia exempla *αὐτόπτης* refert DIONYSIVS HALICARNASSEVS (*b*). Quin et liberis patronorum liberti aliquid promittebant, quo caſu *nihil intereſſe* cenſebatur, teſte PAVLLO (*c*), *vtrum ipſi promiſerint patrono*, *an* EIS *qui* IN POTESTATE EIVS *erant*.

Horum nihil praeſtare cogebitur libertus, qui duos pluresue filios filiasue ex ſe genitos natasue in poteſtate ſua habuerat. Quo pertinent, verba legis: NE QVIS EORVM DARE, FACERE PRAESTARE DEBETO. Liberabantur vero ab operis, muneribus, donis non ſolum futuris, ſed et praeteritis (*d*), quin etiamſi operae iam petitae eſſent, abſolutio videbatur facienda: niſi libertus operarum nomine condemnatus erat, quia iam pecuniam quaſi ex contractu debere coeperat (*e*). Quid vero ſi creditori ſuo libertum delegaſſet patronus? Tunc operis praeteritis non liberabatur libertus numero liberorum. Solutionis enim vicem continebat haec delegatio. *Poteſt tamen dici*, inquit PAVLLVS (*f*), *ſi in id*, *quod patrono promiſit*, *alii poſtea delegatus ſit*, *poſſe eum liberari ex hac lege: nam verum eſt*, *eum patrono expromiſiſſe*, *quamuis patrono nunc non debeat*. *Quod ſi ab initio delegante patrono libertus promiſerit*, *non liberari eum*.

III. Additur poſtremo: ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABVERIT, VEL VNVM QVINQVENNEM, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR. Quibus verbis duo indulgentur liberris. Alterum, vt liberarentur, quamuis non eodem tempore duos in poteſtate habuerint: alterum, vt et vnus alius quinquennis ſufficeret ad liberandum ab operis libertum. Non additur *vnus vnaue* quinquennis: vti alias lex accurate vtrumque ſexum coniungit. Ex quo efficitur, filiam vnam quinquennem patri libertino non profuiſſe. Nec, vt antea mentio fit donorum et munerum, ſed operarum tantum. Ex quo colligo, ab his quoque ſolis, non ab illis filium quinquennem liberaſſe. Quod vero quinque annorum aetatem exigit lex Papia Poppaea, id ad veteris iuris rationem videtur pertinere. Iam olim enim, teſte LIVIO (*g*), libertinis ex SCto filius quinquenni maior profuit, vt in tribus ruſticas deſcriberentur, quum alias omnes libertini in quatuor tribus vrbanas, tamquam minus honorificas, referrentur.

[a] *L.* 32. §. 1. *D. qui et a quib. manum.*
(b) *Lib.* IIII. *pag.* 228.
(c) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 37. §. 3. *D. de op. libert.*
(d) IB. *L.* 37. §. 5. *D. eod.*
(e) IB. *d. L.* 37. §. 6. *eod.*
(f) IB. *L.* 37. §. 4. *D. eod.*
(g) *Lib.* XXXXV. *cap.* 15.

CAPVT XI.

AD CAPVT LEGIS DVODECIMVM.

DE LIBERATIONE MVLIERVM A TVTELA OB NVMERVM LIBERORVM.

I. *Legis noſtrae caput* XII. *de mulierum liberatione a tutela egit, eoque pertinent verba* TER ENIXA *ex* L. 137. ff. de V. S. II. *Teſtimoniis probatum, mulieres ingenuas trium, libertinas quatuor liberorum matres a tutela liberatas. Caput noſtrum quale fuerit?* III. *Ingenua ter enixa. Ius trium liberorum. Tutela mulierum perpetua. Horum tutorum poteſtas. Tutela haec vel teſtamentaria vel legitima vel datiua. Tutores a maritis teſtamento dati, et a feminis libera optione electi. Quaenam tutela ceſſitia? Cur conuentione in manum finita? Poteſtas mariti in vxorem, accuratius demonſtrata. An et maritus vxoris tutor fuerit? Ingenuae trium liberorum matres et inter viuos et per teſtamentum de rebus ſuis libere diſponebant. Contra Em. Merillium oſtenſum, mulieres et in ſcriptis teſtari potuiſſe.* L. 77. §. 24. ff. de leg. 2. *expoſita.* IIII. *Libertinae quatuor liberorum iure liberatae tutela patronorum. Hinc et teſtamentum condere poterant, relicta patrono ſuperſtiti portione virili. Cur patrono in libertae bonis nihil iuris ex edicto datum? Quamdiu tutela mulierum durarit?*

I. DE praemiis parentum dum egit LEX PAPIA POPPAEA, veroſimile eſt, eodem loco de liberatione a tutela, quae mulieribus ob numerum liberorum contingebat, actum eſſe. PAVLLVS (a) ſane, dum eodem *libro II. commentariorum* explicauit verba TER ENIXA, non reſpexit ad caput X. vti viſum GOTHOFREDO, in quo illa locum habere non potuiſſe, iam ſupra demonſtrauimus, ſed ad hoc ipſum caput duodecimum. Quod vero nullum praeterea in toto pandectarum opere occurrit fragmentum, quocum iſta verba TER ENIXA coaſſari queant, id haud leui argumento eſſe poterit, verba haec pertinuiſſe ad ius, temporibus Iuſtiniani, paene abolitum. Quale profecto eſt tutela, cui mulieres ſuberant, perpetua, cui etiam verba PAVLLI accurate conuenire, paullo poſt res ipſa docebit.

II. Primo itaque veteres auctores veluti ex compacto teſtantur, feminas ingenuas, ter enixas, a tutela liberatas fuiſſe. PLVTARCHVS (b), vbi de virginibus Veſtalibus, earumque priuilegiis ſcribit, inter alios honores indultum iis fuiſſe ait, *διατίθεσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ τἆλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διάγουσας*, ὥσπερ ΑΙ ΤΡΙΠΑΙΔΕΣ, *vt vel ſuperſtite patre iis teſtari liceret, et ſine tutore libere adminiſtrare res ſuas, non ſecus, ac ſi* TRES ESSENT LIBERI. Ex quo loco, quem iam ſupra capite II. libri primi expoſuimus, iam id duntaxat colligimus, trium liberorum matres non

(a) PAVLL. *Lib. II. L. 137. D. de verb. ſign.*

[b] *In Numa pag. 66.*

Digitized by Google

non quidem tempore Numae, ſed aetate PLVTARCHI, de rebus ſuis potuiſſe diſponere ἄνευ προστάτου, ſine tutore. Id vero et DIO (a) confirmat, dum iisdem Veſtalibus ab Auguſto conceſſa ait, ὥσπερ ΑΙ ΤΕΚΟΥΣΟΙ ἄχον, vel, vt iam SCIPIO GENTILIS (b) et V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (c) legendum eſſe monuerunt, ὅσα περ ΑΙ ΤΡΙΣ ΤΕΚΟΥΣΑΙ ἄχον, *quaecumque habebant, quae* TER PEPERISSENT. Denique in fragmento regularum ex vetere iureconſulto ſuperſtite, et cum Pariatore legum Moſaicarum et Romanorum edito a PETRO PITHOEO (d) legimus: *mulier ſine tutoris auctoritate libertatem dare non poteſt, niſi* LIBERORVM IVS HABEAT: *tunc enim ex vindicta ſine tutore poteſt manumittere.* Quae omnia quin ex lege Papia Poppaea ſint, vel inde colligas, quod illa et libertinas quatuor liberorum iure a tutela patronorum liberas eſſe iuſſit. En verba VLPIANI (e): *in bonis libertae patrono nihil iuris ex edicto datur, itaque, ſi inteſtata moritur liberta, ſemper ad eum hereditas pertinet. Licet liberi ſint libertae, quoniam non ſunt ſui heredes matri, non obſtant patrono. Lex Papia Poppaea enim poſtea libertas* QVATVOR LIBERORVM IVRE *tutela patronorum liberauit, et quum intulerit, iam poſſe eas ſine auctoritate patronorum teſtari, proſpexit, vt pro numero liberorum libertae ſuperſtitum virilis pars patrono debeatur.* Quae quum ita ſint, vix dubitandum videtur, quin tale fuerit duodecimum hoc legis PAPIAE POPPAEAE caput:

> *Ingenua* TER ENIXA, *vel ius trium liberorum conſequuta; libertina, quatuor liberorum iure, tutela liberator. Eidem ſine patroni auctoritate, dum pro numero liberorum ſibi ſuperſtitum virilem partem ei relinquit, teſtari fas eſto.*

III. Prior itaque huius capitis pars ad mulieres ingenuas pertinet, et quidem TER ENIXAS, quae verba quemadmodum in hac lege accipiantur, iam ſupra ex PAVLLO (f) docuimus. Trium enim liberorum matres tantum a tutela liberabantur, niſi lege ſolutae ius trium liberorum ſenatus, vel poſtea principis beneficio, conſequerentur. Vnde additum fuiſſe videtur: VEL IVS TRIVM LIBERORVM CONSEQVVTA. Sic ipſa Liuia Auguſti vxor, tametſi bis enixa, tutela tamen non liberabatur, niſi lege ſoluta (g). Et Statia Irene apud GRVTERVM (h) monimentum donationis mancipationiſque cauſſa tradens, quoties nomen ſuum repetit, addit IVS LIBERORVM HABENS, vel per ſigla: I. L. H. vt intelligerent lectores, cur nulla adhibita tutoris auctoritate donare et mancipare res ſuas potuerit. Quo de iure trium liberorum plura infra adſpergemus. Iam vt caput vniuerſum rectius intelligatur, quaedam de tutela mulierum delibanda ſunt.

Romae ab antiquiſſimis temporibus feminae non modo impuberes, ſed et adultae et nubiles et ad ſenectutem decliues ſui iuris ob ſexus lubricitatem

(a) *Lib. LVI. pag.* 578.
(b) *Ad Apulei. Apol. n.* 1021.
(c) *Iuriſpr. vet. anteiuſtin. pag.* 605.
(d) *Fragm. Reg. et vetere ICto* §. 15.
(e) *Fragm. tit. XXVIIII.* §. 2. 3.
(f) PAVLL. *Lib. II. L.* 137. *D. de verb.*
(g) DIO *Lib.* XXXXVIIII. *pag.* 414.
(h) *Inſcrip. pag.* 1081.

in perpetua tutela erant. *Maiores* enim, inquit Cato apud LIVIVM (*a*) *nullam, ne priuatam quidem rem, agere ſeminas ſine* AVCTORE *voluerunt, in* MANV *eſſe parentum, ſratrum, virorum.* Erant ergo mulieres *in manu parentum*, quamdiu durabat patria poteſtas: *in manu fratrum* aliorumque agnatorum, tamquam legitimorum tutorum, ſi eſſent ſui iuris, ac denique *in manu virorum*, quibus cum in manum conuenerant. Sic et CICERO (*b*): *Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii maiores noſtri in* TVTORVM POTESTATE *eſſe voluerunt. Mulieres omnes*, inquit, puta quae nec in patria poteſtate, nec in maritorum manu erant.

Ceterum ea mulierum tutela vel *pupillaris* erat, vel *perpetua*. Illa finiebatur anno XII: hac et puberes vel viri potentes tenebantur. Tutor impuberis et gerebat, et interponebat auctoritatem: puberis auctor quidem fiebat, quoties mulier vel lege aut legitimo iudicio agere, vel ſe obligare, vel ciuile negotium gerere, vel rem mancipi alienare, vel denique libertae permittere vellet, vt in alieni ſerui contubernio moraretur: ſed non gerebat, vti obſeruat VLPIANVS (*e*). Hinc et recte illi ſine tutoris auctoritate ſoluebatur (*d*): recte illa alienabat res, nec mancipi (*e*), aliaque huius generis negotia explicabat, quae pupillae non niſi tutore auctore peragunt. Porro tutela haec vel TESTAMENTARIA erat, vel *legitima*, vel *datiua*. *Teſtamentariam* plerumque omittunt. Vnde de ea agendum paullo accuratius. Paullo poſt a nobis demonſtrabitur, vxores, quae in manum conuenerant, in poteſtate fuiſſe maritorum, tamquam filiasfamilias. Quemadmodum itaque paterfamilias liberis pupillis poterat tutores teſtamento dare: ita maritus morti proximus teſtamento tutorem dabat vxori, tamquam filiaefamilias. Quod eo frequentius fiebat, quo minus aliquando feminae proximorum agnatorum tutelae ſubeſſe vellent. Quin ſaepe factum nouimus, vt mariti de tutela quidem vxorum teſtarentur, tantum vt excluderent legitimos, ſed ita vt plures nominarent, adiicerentque conditionem, ſi vxor hunc vel illum ſibi elegerit. Quamuis enim perſona incerta tutor dari iure non poſſit (*f*): poteſt tamen tutor ſub conditione dari (*g*); poſſunt et plures alternatiue teſtamento inſtitui. Nam quod AFRICANVS (*h*) negat, ita recte tutorem dari: *illi aut illi filiis meis, vtri eorum volet, Titius tutor eſto:* id tantum ideo fit, quod Titius forte conſtituere nolit, vtri ex filiis tutor eſſe velit. Id vero non verendum erat, de muliere, cui relicta fuerat optio, quae facile conſtituebat, vtri ex tutoribus ſibi teſtamento datis ſubeſſe mallet. Ne vero hanc teſtamentariam mulierum tutelam fingere videamur: vades dabimus locupletes, et primo quidem CICERONEM (*i*), a nullo fere interpretum recte intellectum. De fictionibus enim et interpretationibus ICtorum agens: *Quum*, inquit, *permulta praeclare legibus eſſent conſtituta, ea iureconſultorum ingeniis pleraque corrupta ſunt. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt; hi inuenerunt genera tutorum, quae* POTESTATE MVLIERVM *contineantur.* Habemus tutores qui mulierum poteſtate continentur, qui non alii

(a) *Lib.* XXXIIII. *cap.* 9.
(b) *Pro Muraena cap.* 12.
(c) *Fragm. tit.* XI. §. 25. 27.
(d) CIC. *Topp. cap.* 11.
(e) VLPIAN. *ibid.*
(f) *L.* 20. *pr. L.* 30. *D. qui teſt. tut.*
(g) *L.* 28. §. 2. *D. eod.*
(h) *L.* 24. *pr. D. eod.*
(i) *Pro Muraena cap.* 12.

alii ſunt , quam hac lege teſtamento mariti dati vt optio penes mulieres eſſet . Multo dilucidior eſt locus Livii (a) , qui inter praemia Hiſpalae Fecenniae ob prodita Bacchanalia a ſenatu decreta et hoc fuiſſe refert , *vt Fecenniae Hiſpalae datio , deminutio , gentis enuptio ,* TVTORIS OPTIO *item eſſet , quaſi ei* VIR TESTAMENTO *dediſſet* . Sequitur tutela mulierum LEGITIMA , quae ita continebatur poteſtate agnatorum , vt quodammodo in bonis eſſe videretur . Hinc non ſolum de legitima hac tutela nihil ſine omnium tutorum auctoritate poterat deminui (*b*) , vel vſucapi (*c*) , verum etiam ipſa haec tutela recte in iure cedebatur aliis (*d*). Agnati enim eam poterant tranſcribere in extraneum , tamdiu futurum tutorem , quamdiu illibatum eſſet ius cedentium. Hinc cedentibus mortuis vel capite minutis, ius ceſſionarii exſpirabat : et ceſſionario mortuo vel deportato , tutela ad cedentem redibat , cui ab ipſa lege vocato , alius non poterat anteferri (*e*). Ceterum tutelam hanc *ceſſitiam* lex Claudia quodammodo coarctauit , de qua idem VLPIANVS (*f*): *Feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia ſuſtinet , excepta tutela patronorum*. Ita enim lego cum v. c. ANT. SCHVLTINGIO , et vocabulum SVSTINET interpretor *conſeruat* , vt ſenſus ſit , legem Claudiam legitimas tutelas conſeruare , dum eas non patiatur cedi extraneis , praeterquam tutelas legitimas patronorum . Quare dum CONSTANTINVS (*g*) ſcribit : *In feminis* TVTELAM *legitimam conſanguineus vel patronus non recuſet* , non ille ſuſtulit legem Claudiam , vti viſum viro ſummo IAC. CVIACIO , ſed eam ad patronos quoque protulit , et ne ab his quidem tutelas libertarum legitimas extraneis cedi paſſus eſt . Denique et DATIVAE tutelae erat locus , ſi vel maritus , quod ad tutelam vxoris , inteſtatus deceſſiſſet , vel non eſſet ; cui deberetur tutela legitima , vel agnatus tutor impubes eſſet . Tunc vero in vrbe praetor cum maiore parte tribunorum plebis ex lege Atilia : in prouinciis Praeſides ex lege Iulia et Titia tutorem mulieri dabant , veluti ad dotem dandam dicendam promittendamue . Quod et exemplum Hiſpalae Fecenniae et caput legis noſtrae 14. confirmat , de quo infra erit diſſerendi locus .

Talis erat mulierum tutela , quae variis modis finiebatur , veluti ſacerdotio Veſtali , morte , et capitis deminutione , cuius et in manum conuentio erat ſpecies . Vxores enim Romanorum , teſte GELLIO (*h*) vel *in manum* conueniebant , vel *in matrimonium* . In manum conueniebant *confarreatione , coemtione* et *vſu* . In matrimonium ſolo conſenſu , cuius ſequiore aeuo ſignum erant tabulae vel inſtrumenta dotalia . Confarreatae , coemtae vel vſucaptae erant in *manu maritorum* (*i*) , adeoque in eorundem poteſtate , quum *manum* in iure poteſtatem notare , tralatitium ſit . Eaedem , teſte GELLIO (*l*) , erant *in mancipio* , id eſt in dominio iuris Quiritium , vnde non ſolum coemi , et vſucapi , verum etiam remancipari (*m*) et intertumpi earum vſus poterat . Inde etiam eſt , quod in manum conuentionem

nem

(a) *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 19.
(b) CIC. *pro Flacco cap.* 34.
(c) *Id. ad Attic. Lib.* I. *Epiſt.* V.
(d) VLP. *tit.* XI. §. 6.
(e) *Id. ibid.* §. 7.
(f) *Ibid.* §. 8.
(g) *L.* 2. *C. Th. de tut. et curat.*
(h) *Lib.* XVIII. *cap.* 6.
(i) VLP. *tit.* 9. *rubr.* LIV. *lib.* XXXIIII. *cap.* 3.
(l) *Lib.* IIII. *cap.* 3.
(m) RAEVARD. *ad XII. Tab. pag.* 98.

Digitized by Google

nem capitis deminutionem vocat VLPIANVS *(a)*, quod intelligi non poteſt, niſi vxorem ſui iuris eſſe deſiiſſe, fatearis. Redigebatur ergo vxor in manum conuentione in poteſtatem mariti, adeo vt loco filiae familias, et heredis ſui DIONYS. HALICARNASSEO *(b)* et GELLIO *(c)* teſtibus, eſſet, nulluſque ſit effectus patriae poteſtatis, quin ſe huiuſmodi matrimonio exſereret. Hinc maritus animaduertebat in vxores vinolas, adulteras, aliiſque vitiis pollutas, ceu alibi exemplis demonſtratur. Nec ignotum eſt iudicium de moribus, ob quos maritus vxorem vel dote vniuerſa, vel eius parte mulctatam domo expellere poterat *(d)*, tam libere, vt quidam data opera vxores male moratas, ſed beatas dote, quaererent, tantum vt hanc dotem lucrarentur. Cuius rei exemplum eſt apud PLVTARCHVM *(e)* et VALER. MAXIMVM *(f)*. Vti porro pater adquirebat per filium: ita vxoris bona omnia dotis nomine marito eſſe adquiſita, docet CICERO *(g)*. Quin dum VLPIANVS *(h)* ſcribit: *adquiritur nobis etiam per eas perſonas, quas in poteſtate, manu, mancipioue habemus*, procul dubio etiam de vxoribus loquitur, quas in manu mancipioque fuiſſe paullo ante vidimus. Sicuti porro patri liberos aliis venumdare, mancipare et in adoptionem dare iure licebat: ita et Romanos vxores aliis ceſſiſſe ac veluti vendidiſſe legimus. Nam Catonem Vticenſem vxorem Marciam preſentem deſpondiſſe Hortenſio; Auguſto vero Tiberium Neronem Liuiam vxorem, etiam praegnantem ceſſiſſe, auctores locupletiſſimos PLVTARCHVM *(i)*, TACITVM *(l)*, DIONEM *(m)* habemus. Denique vti liberi patri erant heredes ſui, et pater contra liberis, ſi quod peculium haberent, iure ſuccedebat: ita idem obtinebat in vxoribus, quae maritis, quibuſque mariti heredes legitimi erant. Hinc GELLIVS *(n)* eas in familiam maritorum et in ſui heredis locum veniſſe ait, et SERVIVS ad illa VIRGILII *(o)*:

Quaeſitas ſanguine DOTES,
Abnegat, externuſque in regnum quaeritur HERES:

De IVRE, inquit, *traxit, vt non generum, ſed* HEREDEM *diceret. Nam per coemtionem facto matrimonio coniuges ſibi inuicem ſuccedebant*. Quae quum ita ſint, manifeſtum profecto videtur, vxores conuenientes in manum redactas eſſe in poteſtatem maritorum, adeoque tanquam capite minutas in tutorum poteſtate eſſe deſiiſſe.

Ex eo vero etiam patet, maritum non fuiſſe tutorem vxoris. Aut enim in manum conuenerat, aut in matrimonium. Si prius: non magis ei tutore opus erat, quam filio familias, in patria conſtitutio poteſtate. Sin poſterius: matrimonio nihil diminuebatur de tutela legitima, iidemque, qui antea, manebant tutores. Et ita intelligendum marmor apud GRVTERVM vbi

(a) *Fragm. tit. XI. §. 13.*
(b) *Lib. II. pag. 95.*
(c) GELL. *Lib. XVIII. cap. 6.*
(d) *L. 1. C. Th. de iure dot. et ibi* IAC. GOTHOFR.
(e) *In Mario pag. 247.*
(f) *Lib.* VIII. *cap. 2. §. 3.*
(g) *Top. cap. 3.*
(h) *Fragm. tit. 19. §. 18.*
(i) *In Catone.*
(l) *Annal. Lib. V. cap. 1.*
(m) *Lib. XXXXVIII. pag. 384.*
(n) *Ibid.*
(o) *Aen. Lib.* VII. *v. 423. ſequ.*

Digitized by Google

(a): vbi *Furſannia*, L. F. *Saturnina* monimentum ſe feciſſe profitetur SIBI CONIVGI ET TVTORI SVO. Furſannia enim iſta non conuenerat in manum, nec tutorem habebat coniugem; ſed alium, qui ante matrimonium eius tutor fuerat. Illum enim vocat M. VALERIVM ISAVRVM; hunc L. ISYCHIVM: vt mirum videatur, quemquam eruditorum ex hoc marmore inferre potuiſſe, maritos olim fuiſſe vxorum ſuarum tutores.

Hiſce modis quibus mulieris finiebatur tutela, alium adiecit lex Papia Poppaea, ius trium liberorum. Et hinc facile intelliguntur legis verba: INGENVA, TER ENIXA, VEL IVS TRIVM LIBERORVM CONSEQVVTA, TVTELA LIBERATOR. Tutela, ait lex, adeoque non tantum *legitima*, de qua haec capit IAC. GOTHOFREDVS, ſed omni, ſiue teſtamentaria, ſiue datiua, vt poſſet libere res ſuas adminiſtrare, et de iiſdem vel inter viuos, vel mortis cauſſa diſponere.

Ex quo facem allucere licebit verbis PAPINIANI (*b*), quae ICum eximium, EM. MERILLIVM (*c*) in ſententiam admodum paradoxam deduxerunt. Profert ibi PAPINIANVS elegantem hanc e teſtamento paterno formulam: *Mando filiae meae, pro ſalute ſollicitus ipſius, vt,* QVOAD LIBEROS TOLLAT, *teſtamentum non faciat. Ita enim poterit* SINE PERICVLO *viuere*. Inde vir laudatus colligit, non licuiſſe olim mulieribus teſtari niſi per nuncupationem, quia alioquin vix excogitari poſſit ratio, cur pater ſaluti filiae teſtamentum conditurae metuerit, niſi quod mulieres ſemper oportuerit teſtari per nuncupationem, adeoque nunquam occulta fuerit ſuprema earum voluntas. Addit teſtimonia Graecorum, HARMENOPVLI (*d*) et ATTALIOTAE (*e*), qui non magis mulieres aiunt teſtari poſſe μυστικῶς, quam ἀναπεφασμένως. Denique multa diſſerit de Zelotypia maritorum, ob quam non paſſi ſint Romani feminas ſcribere occulta, ne forte eo obtentu ad moechos exararent.

Arcana verba notata manu.

Sed falli hic virum eximium, vel inde patet, quod multa apud veteres commemorentur *ſcripta* feminarum teſtamenta. *Tabularum* Aebutiae, *plenarum furoris* meminit VAL. MAXIMVS (*f*). Galba quum e Liuiae Auguſtae teſtamento HS quingenties praecipuum habuiſſet, *quia* NOTATA *non* PERSCRIPTA *erat ſumma, Tiberio legatum ad quingenta reuocante, ne haec quidem accepit*, ait SVETONIVS (*g*). In ſcriptis ergo teſtata fuerat Liuia; alias locus non fuiſſet errori circa notas numerorum. Ne vero, quod Liuiae licuit, aliis feminis haud licuiſſe exiſtimes, de Verania refert PLINIVS (*h*) eam, vt in periculo credulam, *popoſciſſe codicillos, et legatum Regulo* SCRIPSISSE: et paucis interiectis de Aurelia, ornata femina: *Aurelia* SIGNATVRA *teſtamentum ſumſerat pulcherrimas tunicas, Regulus quum veniſſet ad ſignandum: Rogo, inquit, has mihi leges. Aurelia ludere hominem putabat, ille ſerio inſtabat. Nec multa: coegit mulierem, aperire tabulas, et ſibi tunicas, quas erat induta legare. Obſeruauit* SCRIBENTEM, *inſpe-*

(a) *Inſcript. pag. 552. num. 2.*
(b) L. 77. §. 24. *D. de legat. 2.*
(c) *Obſ. Lib. II. cap. 1. et Lib. IIII. cap. 39.*
(d) *Lib. V. tit. 1. §. 32.*
(e) *Synopſ. tit. 32.*
(f) *Lib. VII. cap. 8. §. 2.*
(g) *Galb. cap. 5.*
(h) *Lib. II. Epiſt. XX.*

inſpexit an SCRIPSERIT. Ita et in ipſo iure noſtro mentio fit *filiae a matre* SCRIPTAE *heredis* (*a*), *teſtamenti a Titia facti*; *in quo* MANV SVA *quaedam cauiſſet* (*b*), *heredum a femina* SCRIPTORVM (*c*) TABVLARVM *pupillarium*, *a matre factarum* (*d*), et ſimilium: vbi fruſtra MERILLIVS intelligit teſtamenta nuncupatiua, quum et in ſcripturam redacta nuncupatione, natura tamen teſtamenti haud mutetur, nec ideo heres eſſe incipiat *ſcriptus*, qui *nuncupatus* ante fuerat, quum hic *ſcripto* in iure noſtro opponitur (*e*). Quidquid ergo ſit de Graecorum ſequioris aeui moribus, quantamcumque curam adhibuerint Romani, ne occulta ſcriberent mulieres: certiſſimum ſaltim eſt, eas omnino in ſcriptis condere potuiſſe teſtamenta. Quid ergo de loco PAPINIANI? Is, ſi quid video, ad legem noſtram pertinet. Femina, ſiue in ſcriptis teſtaretur, ſiue per nuncupationem, nunquam poterat teſtari tam occulte, vt heredis nomen euulgatum non iri certo poſſet confidere. Teſtamentum enim condere haud poterat, niſi auctore tutore, quamdiu erat in tutela (*f*). Siue ergo tutorem praeteriiſſet, ſiue eum inſtituiſſet heredem, ſiue per eumdem heredes ſcripti legitimiue praeteriti reſciſcerent, ſibi vel deſtinatam vel ademtam eſſe hereditatem: teſtamentum facile fiebat internecinum. Quare optimum pro filia conſilium capiebat pater, dum ei mandabat, ne teſtamentum faceret, *donec ſuſtuliſſet liberos*. Trium enim liberorum matres a tutela liberabantur, et ex eo tempore occulte iis teſtari licebat, adeoque ſine periculo viuere. Ita lex perſpicua videtur, et intellectu facillima.

IIII. Haec de ingenuarum tutela. Libertinae eodem fruebantur priuilegio, ſi quatuor enixae eſſent liberos, vel ius quatuor liberorum impetraſſent. Hinc in lege noſtra porro ſequitur: LIBERTINA QVATVOR LIBERORVM IVRE TVTELA LIBERATOR. Libertinae, ciuitatem Romanam conſequutae, id eſt manumiſſae teſtamento, cenſu vel vindicta, aeque ac ingenuae, in tutela perpetua erant, vel patroni, ſi ſuperſtes eſſent, vel eius filiorum, nepotumue, ſi ad plures abiiſſet. Eius tutelae ratio erat conſultiſſima. Patroni enim libertis quaſi agnati erant. Eorum hi adoptabant nomina, iis tamquam agnatis hereditatem inteſtati relinquebant, ſi ipſis non eſſent liberi et heredes ſui. Vnde IVSTINIANVS in conſtitutione Graeca, quam e baſilicis exſcripſit CVIACIVS (*g*), redditurus huius ſucceſſionis rationem, ait: Ἐπειδὴ δὲ δοκοῦσι ΣΥΓΓΕΝΕΙΣ *εἶναι τῶν ἐλευθερουμένων οἱ ἐλευθεροῦντες αὐτούς*. *Siquidem* AGNATI *libertorum videntur*, *qui illos manumiſerunt*. Quum itaque libertis tamquam agnati ſuccedant patroni: credebant veteres, *voluiſſe legem*, *etiam tutelas ad eos pertinere*, *quum et agnatos*, *quos ad hereditatem lex vocat*, *eoſdem et tutores eſſe iuſſiſſet*: *quia plerumque*, *vbi ſucceſſionis eſt emolumentum*, *ibi et tutelae onus eſſe debet* (*h*). Ex quo conſequebatur, vt et libertae in perpetua eſſent patronorum tutela, eaeque nec omnino teſtari, nec alienare, nec quidquam agere poſſent ſine eorum auctoritate.

Aſt ea tutela libertae liberabantur quatuor liberorum iure, ſiue totidem liberos eſſent enixae, ſiue id ius impetraſſent vel priuilegio vel beneficio Prin-

(a) *L. 19. D. de inoff. teſt.*
(b) L. 37. §. 6. *D. de legat.* 3.
(c) *L. 3. C. de inoff. teſt.*
(d) *L. 33. D. de vulg. et pupill. ſubſt.*
(e) *L. 21. pr. D. qui teſt. fac. poſſ.*
(f) VLPIAN. *tit.* 20. §. 15.
(g) *Obſ. Lib.* XX. *cap.* 34.
(h) §. 7. *Inſt. de legit. patr. tut.*

Principis. Beneficio ſane principis id ius nonnumquam datum eſſe exemplo Corneliae Zozimae patet, cui dedicatum marmor apud GRVTERVM (a), HABENT IVS QVATTVOR LIBER. BENEFICIO CAESAR. Priuilegio contra feminis naues mercaturae cauſſa fabricantibus ius quatuor liberorum dederat Claudius Imp. teſte SVETONIO (b).

Additum in lege noſtra fuerat: EIDEM SINE AVCTORITATE PATRONI TESTARI FAS ESTO, DVM PRO NVMERO LIBERORVM SIBI SVPERSTITVM VIRILEM PARTEM PATRONO RELINQVAT. Ita enim legem et *intuliſſe* et *patrono proſpexiſſe* ait VLPIANVS (c), vt mirum ſit, poſtrema haec verba omiſſa eſſe a IAC. GOTHOFREDO, et contra ex lege Falcidia huic capiti ab eo adſutam eſſe laciniam: *eique, quibus quid ita datum legatumue ſit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto*, vt huo referre poſſet *L. 131. pr. D. de verb. ſign.* vbi quid fraus ſit exponit VLPIANVS, cuius tamen alio pertinuiſſe fragmentum iam ſupra ad caput legis octauum oſtendimus. Quater ergo enixa, vel ius totidem liberorum conſequuta, libere teſtabatur. Videtur quidem liberta, et cum in tutela erat, teſtari potuiſſe, ſed eodem fere iure, ac prodigus, quia patrono hereditatem nullo modo poterat interuertere. Non ei erant liberi et heredes ſui, qui excluderent patronum. Si vel liberos vel alium quemcumque heredem inſtituere vellet liberta: patronus non fiebat auctor. Idem, ne tutela ſolueretur, et ipſe hereditate excideret, illam in manum conuenire non patiebatur. Ergo non erat, quod patronus hereditatis iacturam metueret: et inde facile patet ratio, cur VLPIANVS (d) ſcribat: *in bonis libertae patrono nihil iuris ex edicto datur*. (Quid enim ei opus erat auxilio praetoris, quum ipſe ſibi poſſet conſulere?) *Itaque ſi inteſtata moriatur liberta, ſemper ad eum hereditas pertinet*. Teſtari itaque, vti vixi, aliter non poterat, quam auctore tutore. Liberata vero tutela, heredem quemcumque iure inſtituebat. Ne tamen omni loco excideret patronus, ei pro numero liberorum ſuperſtitum vel heredum relinquenda erat PORTIO VIRILIS. Melior ergo ex hac lege erat conditio libertorum, quam libertarum. Illi ſi non haberent C. ſeſtertium, libere teſtabantur, et patronum iure excludebant: ſin centenarii, et vel ἄπαιδες, vel vnius filii filiaeue parentes eſſent: dimidiam, ſin duo eſſent liberi, portionem virilem, ſin tres, nihil patronis relinquere cogebantur (e). Hae ſemper patrono debebant portionem virilem, ſiue vnum ſiue plures liberos haberent ſuperſtites, donec IVSTINIANVS libertos libertaſque ad eamque conditionem redegit (f).

Ceterum id priuilegium tamdiu viguit, quamdiu ipſa feminarum tutela. Ea vero manſit ad tempora ſaltim LEONIS Magni, qui ad Erythrium Praefectum praetorio reſcripſit (g): *conſtitutione diuae memoriae Conſtantini, lege Claudia ſublata, pro antiqui iuris auctoritate, ſaluo manente agnationis iure, tam conſanguineus, id eſt frater, quam patruus, ceterique legitimi ad pupillarum feminarum tutelam vocantur*. Interpolatam eſſe hanc Leonis conſtitutionem, additumque epitheton *pupillarum*, vel inde patet, quod

(a) *Inſcr. pag. 631. num. 2.*
(b) *Claud. cap. 19.*
(c) *Tit. XXVIIII. §. 3.*
(d) *Ibid. §. 2.*
(e) *§. 2. Inſt. de ſucceſſ. libert.*
(f) *§. 3. Inſt. eod.*
(g) *L. 3. C. de legit. tut.*

Digitized by Google

quod ad legem Claudiam prouocauerat Leo, quam non ad pupillarem, ſed perpetuam feminarum tutelam pertinuiſſe iam ſupra monuimus. Poſt Leonem tamen paullatim ab vſu receſſiſſe videtur haec tutela, idque vel inde colligas, quod Iuſtinianus nullam eius volam vel veſtigium in tota iuris digeſtione exſtare paſſus eſt.

CAPVT XII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM TERTIVM.

DE DIVORTIO LIBERTAE PROHIBITO.

I. *Caput* XIII. *de diuortio libertae egit*. II. *Gothofredus illud multis laciniis auxit. Eius legitima verba*. III. *Diuortia initio permiſſa viris, non vxoribus. Hae quando a viris diuertere coeperint? Locus Martialis expoſitus. Libertae non licebat a patrono diuertere. Quaenam libertae, et qui patroni intelligantur? An deſponſatae patronis repudium dare potuerint? an concubinae recte a patrono diſceſſerint?* L. 1. pr. D. de concub. expoſita. *An de concubina aliquid in lege fuerit? Quando eeſſerit hoc ius patronorum?* IIII. *Lacinia de genero ac ſocero a Gothofredo adſuta quo pertineat?*

I. Superiori capiti illud proxime ſubiunctum fuiſſe videtur, quod itidem ad libertinas, et quidem patronis nuptas pertinuit, easque a viris prohibuit diuertere. Quamuis enim vir eximius, Iac. Gothofredvs id ipſi capiti ſeptimo praemittat, huc tamen potius illud pertinere vel ideo arbitramur, quod Vlpianvs (a) et Marcellvs (b) libro demum tertio, Pavllvs (c) libro II. commentariorum de hoc patronorum priuilegio egerunt.

II. Et Gothofredvs quidem, quamuis legitima huius capitis verba exſtent, illis tamen varias lacinias adſuere non dubitauit, ipſumque caput tale fuiſſe fingit:

Si ſecundum H. L. nuptiae contractae fuerint, DIVORTII FACIVNDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA EST, INVITO PATRONO, *cumque altero connubii ius*, QVAMDIV PATRONVS VXOREM EAM ESSE VOLET NE ESTO. GENER SOCERVE *inuiti in reos teſtimonium ne dicunto. Liberta quae patroni voluntate nupta erit, operarum obligatione liberator. Quae in concubinatu patroni erit, ab inuito eo diſcedere, alterique ſe in matrimonium vel concubinatum dare ius eſto.*

Enimuero eum rem acu tetigiſſe vix arbitror. Quamuis enim primo hanc formulam: *Si ſecundum* H. L. *nuptiae contractae fuerint*, ſollemnem fuiſſe lar-

(a) VLP. *Lib.* III. L. *vlt. D. de divort. rit. nupt.* L. 27. *L.* 29. *L.* 48. *D. de rit. nupt.*
(b) MARCELL. *Lib.* III. L. 50. *D. de*
(c) PAVLL. *Lib.* II. L. 1. *D. de concub.* L. 63. *D. ſol. matr.*

largiamur legi Papiae Poppaeae; non tamen eſt, cur eam hic locum habuiſſe exiſtimemus, quum ſtatim ſequatur: QVAE PATRONO NVPTA EST. Deinde nemo temere crediderit, ei capiti aliquid de generi ſoceriue priuilegio in dicendo teſtimonio additum fuiſſe, quum et ex alia lege Iulia id priuilegium deſcendat, et cum capite noſtro vix quidquam habeat commercii. De liberta porro ab operis liberanda non hoc caput egit: ſed longe poſterius, quod nobis XXXVIIII. vti ſuo loco demonſtrabimus. Denique quae de liberta concubina addidit GOTHOFREDVS, ea et parum accurate expreſſa, et non tam ex ipſa lege, quam eiuſdem interpretatione eſſe, paullo poſt adparebit. Quae quum ita ſint, collatis inter ſe fragmentis VLPIANI (*a*), ita potius reſtituenda arbitramur legitima huius capitis verba:

NE DIVORTII FACIVNDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE NVPTA EST PATRONO, QVAMDIV IS EAM VXOREM ESSE VOLET, NEVE INVITO ILLO ALII NVBENDI POTESTAS ESTO.

Sic ergo id vnum hoc capite cauetur, ne liberta, patrono nupta, ab illo inuito diuortat, aliique ſe det in matrimonium.

III. De ea re lex ait: NE DIVORTII FACIVNDI POTESTAS LIBERTAE ESTO. Diuortiorum, vti in vulgus notum, magna erat apud Romanos licentia, maxime, ex quo vxores in manum conuenire coeperant paullo rarius. Saltim olim maritis non ſine cauſſa ſontica: vxoribus nullo modo diuortia permiſerat Romulus, vti iam PLVTARCHVS (*b*) obſeruauit: Quam legem et in XII. tabulas migraſſe, e loco CICERONIS (*c*) colligunt. Sed et PLAVTI (*d*) temporibus nondum vxoribus ius videtur fuiſſe diuortendi a maritis. Apud illum enim grauiter conqueritur Syra:

Ecaſtor, lege dura viuunt mulieres,
Multoque iniquiore miſerae, quam viri.
Nam ſi vir ſcortum duxit, clam vxorem ſuam,
Id ſi reſciuit vxor, impune eſt viro:
Vxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro fit CAVSSA, *exigitur matrimonio.*
Vtinam lex eſſet EADEM, *quae* VXORI *eſt, viro!*

Et paucis interiectis (*e*):

Ecaſtor faxim, ſi itidem plectantur viri,
Vti ILLAE EXIGVNTVR, *quae in ſe culpam commerent,*
Plures viri ſint VIDVI, *quam nunc mulieres.*

Tantum ergo abeſt, vt primis reip. temporibus a maritis diuortere potuerint vxores, vt Sp. Caruilium mirarentur Romani, anno ab v. c. circiter quadringenteſimo, vxorem primum repudiantem, ceu DIONYSIVS HALICARN. (*f*) PLVTARCHVS (*g*) et VALER. MAXIMVS (*h*) referunt. Aſt poſtea-

Bb 2

(a) VLP. *Lib.* III. *L. vlt. pr. D. de divort.* L. 45. *pr. D de rit. nupt.*
(b) *In Romulo pag.* 39.
[c] *Philipp.* II. *cap.* 28.
[d] *Mercat. Act.* IIII. *Scen.* 6. *v.* 1. *ſequ.*
(e) *Ibid. v.* 10. *ſequ.*
(f) *Lib.* II. *pag.* 96.
(g) *In Romulo p.* 39. *et in Numa p.* 77.
(h) *Lib.* II. *cap.* 1.

Digitized by Google

ſteaquam rarius, vti dixi, vxores conuenire coeperunt in manum; hae quoque maritis repudium mittere, aliiſque nubere religioni ſibi non ducebant. Exemplum Paullae Valeriae eſt apud CICERONEM (a), quae *diuortium ſine cauſſa fecerat, quo die vir e prouincia venturus erat, nuptura D. Bruto*. Similia repudia tam frequenter paullatim mitti coeperant, vt in ea paſſim inuehantur auctores grauiſſimi. SENECA (b) ſane: *Numquid iam*, inquit, *vlla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres feminae non conſulum numero, ſed* MARITORVM, *annos ſuos computant, et exeunt matrimonii cauſſa, nubunt repudii?* Et IVVENALIS (c):

- - - *Sic fiunt* OCTO MARITI
Quinque per auctumnos. - - -

Denique MARTIALIS (d):

- - - *Toties quae nubit, adultera* LEGE *eſt*,
Offendat moecha ſimpliciore minus.

Qui poſtremus locus ex ipſa lege noſtra videtur interpretandus, qua Auguſtum diuortiis modum impoſuiſſe, teſtis locupletiſſimus eſt SVETONIVS (e). Si qua ergo mulier ſine iuſta ac legitima cauſſa, viro miſiſſet repudium, aliique nupſiſſet: adultera habebatur, quia nec prius matrimonium iuſte ſolutum, nec poſterius ratum erat. Id ſi vxor feciſſet ſaepius, non ſimplex erat adultera, ſed quauis moecha deterior, pluribuſque probris inquinata.

Quamuis vero iſte mos inualuiſſet, vt frequenter vxores a viris diuorterent: non tamen DIVORTII FACIVNDI POTESTAS *erat* LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA ERAT. Loquitur lex de LIBERTA, et quidem de ciue Romana per cenſum vel vindictam manumiſſa. Cum ea ſola enim connubii ius erat, non cum Latina vel dedititia. Loquitur porro de ea, quae ius aureorum anulorum non fuerat conſequuta. Licet enim et id beneficium iura patronatus nemini adimeret: ex libertina tamen faciebat ingenuam (f), et quum nuptiae ad ius patronatus non pertineant, vix videbatur ad eam porrigendum, quod de ſola liberta lege cautum fuerat. Et huc procul dubio pertinet fragmentum VLPIANI (g): *Etiam* FEMINAE *ius annulorum aureorum impetrare, et natalibus reſtitui poterunt*. Nec deinde ad eam libertam pertinebat hoc priuilegium, quae libertatem ex fideicommiſſo fuerat conſequuta. Ita enim a principe reſcriptum eſſe reſtatur MARCELLVS (h), cuius haec verba ſunt: *Proxime conſtitutum dicitur, vt quum quis libertam ſuam duxerit vxorem, quam* EX FIDEICOMMISSI CAVSSA *manumiſerit, liceat libertae inuito eo nuptias contrahere: puto, quia non ferendus*, (forſan *praeferendus*) *is, qui ex neceſſitate manumiſit, non ſuo arbitrio: magis enim debitam libertatem praeſtitit, quam vllum beneficium in mulierem contulit*. Hactenus MARCELLVS, qui quum Antonini Pii aetate potiſſimum floruerit, ab eoque Imperatore, teſte IVLIO CAPITOLINO in faciendo iure adhibitus fuerit in conſilium, et tamen de conſtitutione iſta, tanquam ſibi non niſi ex fama nota ſcribat: *Proxime conſtitutum dicitur*: veroſimile eſt, auctorem illius eſſe Hadrianum. Meminit eiuſ-

(a) *Lib.* VIII. *ad Famil. Epiſt.* 7.
(b) *Lib.* III. *de Benef. cap.* 16.
(c) *Sat.* VI. *v.* 20.
(d) *Lib.* VI. *Epigr.* 7.
(e) *Aug. cap.* 34.
(f) *L. pen. et vlt. D. de iur. aur. ann.*
(g) VLP. *Lib.* III. *L.* 4. *D. eod.*
(h) MARCELL. *Lib.* III. *L.* 50. *D. de rit. nupt.*

Digitized by Google

eiuſdem exceptionis MODESTINVS (a), vbi patrono inuito libertam ab eo diſcedere poſſe negat, *niſi* EX CAVSSA FIDEICOMMISSI *manumiſſa ſit: tunc enim poſſe, licet eius ſit liberta*. Contra non licebat libertae communi ab alterutro, cui nupſerat patrono diſcedere. Quamuis enim ei id ius vindicaſſet Priſcus Iauolenus: plerique tamen, teſte CAIO (b), recte probarunt, libertam eo caſu ad hoc ius non eſſe admittendam, *quia libertam eius eſſe, negari non poſſit, licet alterius quoque ſit liberta*.

Addit lex: QVAE PATRONO NVPTA ERIT. Patronus eſt, qui manumiſit eum eamue, quem quamue in iuſta ſeruitute habuerat. Nec intereſt, diuturna fuerit haec ſeruitus, an momentanea. Vnde et is patronus erat, *qui hac lege emerat, vt manumitteret* (c). Quod ius quidem VLPIANVS ex reſcripto Imperatoris ſui et diui patris eius, id eſt, ex conſtitutione Antonini Caracallae et Seueri eſſe ait: ſed ſimile quid iam olim a Marco Aurelio Antonino et Commodo conſtitutum eſſe, ex aliis VLPIANI fragmentis (d), et reſcripto ALEXANDRI (e) patet. Vnde malim exiſtimare, Seuerum, et Caracallam hoc ius nouis conſtitutionibus renouaſſe, quam ſollicitare textum, et cum HALOANDRO in *d. L.* 45. *D. de rit. nupt.* legere *D. Marci* pro *D. patris*.

Deinde et filius familias hoc iure gaudebat, ſi caſtrenſis peculii ancillam matrimonii cauſſa manumiſiſſet. Erat enim et hic, patronus ſecundum conſtitutiones: nec patri eius vllum ius in libertam competebat, vti cenſet VLPIANVS (f). Quaerit idem, an pari iure fruatur, qui iurauerit, ſe patronum eſſe? idque negat (g), quum alibi id videatur diſerte adfirmare (h). Sed omnino arbitror veteres diſcreuiſſe iura patronatus, quae in ſola reuerentia conſiſtunt, ab iis, quae cum praeſtationibus quibuſdam eſſent coniuncta. Quorum illa et ei, qui ſeſe patronum eſſe iurauerat, concedenda; haec eidem deneganda exiſtimabant. Hinc nolebant quidem eum, qui ſe patronum eſſe iurauerat, in ius vocari; at minime illi conceſſerunt ius ſuccedendi ab inteſtato (i), nec paſſi ſunt ab eo impediri libertam, meditantem diuortium, et in alterius torum conceſſuram.

Negat praeterea VLPIANVS, eum hoc iure frui, qui non ſuis numis compararit ancillam, quam manumiſit (l), vel ab alio, vt manumitteret, pecuniam acceperit (m). Aſt in diuerſa itum video circa quaeſtionem, an et captiuo patrono ius ſit, intercedere ſecundis nuptiis libertae, ſibi nuptae? De ea enim ſpecie ita diſſerit VLPIANVS (n): *ſi ab hoſtibus patronus captus eſſe proponatur, vereor, ne poſſit iſta connubium habere nubendo, quemadmodum haberet, ſi mortuus eſſet. Et, qui* IVLIANI *ſententiam probarent, dicerent, non habituram connubium, putat enim* IVLIANVS, *durare eius libertae matrimonium etiam in captiuitate propter patroni reuerentiam. Certe* ***ſi in aliam ſeruitutem patronus ſit deductus, procul dubio diſſolutum erit*** ma-

(a) *L.* 10. *D. de diuort.*
(b) *L.* 46. *D. de rit. nupt.*
(c) VLP. *Lib.* III. *L.* 45. *pr. D. de rit. nupt.*
(d) *L.* 3. §. 2. *D. de ſuis et legit. L.* 10. *pr. D. de in ius voc.*
(e) *L.* 3. *C. ſi mancip. ita fuerit alien.*
(f) VLP. *Lib.* III. *L.* 45. §. 3. *D. de rit. nupt.*
(g) IB. *L.* 43. §. 1. *D. eod.*
(h) *L.* 8. §. 1. *D. de in ius voc.*
(i) *L.* 14. *D. de iure patr.*
(l) VLP. *Lib.* III. *L.* 45. §. 2. *D. de rit. nupt.*
(m) *L.* 3. §. 4. *D. de oper. libert.*
(n) VLP. *Lib.* III. *L.* 45. §. *vlt. D. de rit. nupt.*

Digitized by Google

matrimonium. Fuere itaque qui id ius patrono eſſe cum Iuliano concederent: fuere, qui illud eidem negarent. VLPIANVS, qua erat modeſtia, timidiuſcule Iuliani ſententiam deſerit, vſus formula: *vereor ne poſſit*, qua vſos eſſe veteres, qui inter diſſentientes proferebant ſententiam, exemplis oſtendit FR. DVARENVS (*a*). Exiſtimat itaque, ex principiis iuris omnino exſpiraſſe captiui patroni ius in libertam, eamque impediri non poſſe, quo minus ſibi nouam conditionem quaerat: ſaltim id certum eſſe, ſi Patronus in aliam ſeruitutem fuerit ductus, veluti ſi ſeruus poenae factus atrocitate ſententiae, vel ſi pretii participandi cauſſa ſe paſſus ſit venumdari. Denique quum ius patronatus non ſolum ad manumiſſorem, ſed et ad eiuſdem liberos pertineret: conſequens erat, vt et filius familias ancillam a patre manumiſſam, quam vxorem duxerat, poſſet impedire, quo minus a ſe diſcederet, aliamque conditionem matrimonio ſuo anteferret. Idemque dicendum videbatur, ſi alterius patroni filius, viuo altero, communem libertam duxiſſet (*b*). Si filiusfamilias iuſſu patris ancillam matrimonii cauſſa manumiſerat, eamque deinde duxerat pater: ea liberta, IVLIANO (*c*) iudice, perinde habebatur, atque ſi ab ipſo patre eſſet manumiſſa, et proinde, pater qui eam vxorem duxerat, hoc beneficio legis Papiae Poppaeae aduerſus illam recte vtebatur. Denique id ius non erat illi, qui libertam fratri adſignatam a patre vxorem duxerat, quia omne ius libertorum adſignatorum in eum tranſtulerat, ſenatus, cui id pater tribuiſſet (*d*).

Non abs re lex noſtra porro addit QVAE PATRONO NVPTA EST. Vbi enim iuſtae nuptiae non interuenerant, nec beneficio huic locus eſſe videbatur. Hinc non impediebat lex, quo minus deſponſa liberta patrono mitteret repudium (*e*), aliique nuberet. Inuitam enim patronus ducere non poterat, neque eouſque porrigenda videbatur debita patrono reuerentia, vt liberta inuita cum eo indiuiduam vitae conſuetudinem inauſpicato inire cogeretur (*f*), niſi ea lege manumiſſa eſſet, vt patrono nuberet (*g*). Quid vero ſi is, cui per leges libertam ducere nefas erat, eandem tamen pleno adfectu diligeret, ac pro vxore haberet? Ea tantum abeſt, vt a patrono diſcedere non poſſet, vt ne liceret quidem patrono, eamdem habere in matrimonio, quamdiu id maneret impedimentum. Sin autem patronus v. c. ſenator, libertinae iunctus eam dignitatem amiſerat: in ea conditione erat liberta, vt vxor eſſe inciperet, ex eoque ſequebatur, vt iam ab eo tempore patronus, ſenatu motus, eam meditantem diuortium iure prohiberet. Et haec ipſa ſpecies eſt, quam ad hoc legis caput tractauit VLPIANVS (*h*), dum ſcribit: *ſi quis in ſenatorio ordine agens libertinam habuerit vxorem, quamuis interim vxor non ſit, attamen in ea conditione eſt, vt, ſi amiſerit dignitatem*, VXOR ESSE INCIPIAT.

Ob eamdem rationem patrono denegabatur id beneficium, ſi contra legis praeſcriptum feciſſet nuptias cum liberta, quae artem ludricam, aut quaeſtum corpore feciſſet (*i*). Sed quid de liberta concubina dicamus? IAC. GOTHOFREDVS, vti ſupra vidimus, eam quoque a patrono diſcedere, et

alii

(a) *Diſp. anniuerſ. Lib.* II. *Diſp. XI.*
(b) *L. 48. pr. D. de rit. nupt.*
(c) L. 51. §. 1. *D. eod.*
(d) L. 48. §. 2. *D. eod.*
(e) VLP. *Lib.* III. L. 45. §. 4. *D. eod.*
(f) L. 28. *D. de rit. nupt.*
(g) VLP. *Lib.* III. L. 29. *D. eod.*
(h) VLP. *Lib.* III. L. 25. *D. de rit. nupt.*
(i) *L. 48. §. 1. D. eod.*

alii vel nubere vel ſeſe in concubinatum dare potuiſſe ſtatuit. Sed falſum primo eſt, ea de re legem noſtram quidquam cauiſſe: nec magis deinde verum videtur, libertae ex concubinatu patroni in alterius cuiuſdam matrimonium tranſire fuiſſe integrum. Fraudi viro eximio fuit locus hic vexatiſſimus VLPIANI *(a)*, quem expendere iuuabit paullo accuratius. *Quae in concubinatu eſt, ab inuito patrono poterit diſcedere, et alteri ſe in matrimonium aut in concubinatum dare. Ego quidem probo in concubina, adimendum ei connubium, ſi patronum inuitum deſerat, quippe quum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere.* Verba haec paene perplexa quibuſdam et ἀνταλεγόμενα videntur. Initio enim legis VLPIANVS concubinam ab inuito patrono diſcedere, aliique aut nubere aut ſe in concubinatum dare poſſe concedit: deinde vero ſtatim ſubiungit contrarium, adimendum eſſe libertae connubium, ſi patronum inuitum deſerat. Id quod adeo torſit interpretes quoſdam, vt prius comma plane expungere non dubitarent *(b)*. Accedit, quod VLPIANVS in hac lege concubinae patronum inuitum deſerenti concedat, vt alii ſe poſſit in concubinatum dare, quum tamen alibi *(c)* cum IVLIANO diſerte ſcribat, *eam nec* IN CONCVBINATV *alterius patroni*, (*vel* vti HALOANDER reſcribi iubet, *alterius, quam patroni*,) *eſſe poſſe*. Denique vix adparet, quomodo huic deciſioni VLPIANI quadret addita ratio: *Quippe quum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere*. Enimuero vix eſt, quod nodum in ſcirpo quaeramus. Pleriſque, ſi quid video, vna littera perperam poſita illuſit. Prima periodus nec adulterina eſt, nec, quod IAC. GOTHOFREDO viſum, VLPIANI complectitur ſententiam: ſed eſt ipſa queſtio, quam proponit iureconſultus. Quaerit VLPIANVS: *quae in concubinatu eſt,* AN (ita lego pro AB) *inuito patrono poterit diſcedere, et alteri ſe aut in matrimonium, aut in concubinatum dare?* Diſſenſiſſe enim circa hanc quaeſtionem veteres, vel ex IVLIANI ſententia patet, qui libertae ne concubinatum quidem, nedum matrimonium cum alio, quam cum patrono, concedit *(d)*. Quid vero VLPIANVS? *Ego quidem*, inquit, *probo in concubina, adimendum ei connubium, ſi patronum inuitum deſerat*. Negat ergo, concubinam, patrono deſerto, alii nubere poſſe, aſt non, vti IVLIANVS, negat, eamdem ſe alii in concubinatum dare poſſe, addita ratione, *quippe quum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere*. Quorum verborum non is ſenſus eſt, quem ei vulgo adfingunt interpretes, et in his vir eximius, BARN. BRISSONIVS *(e)*, ac ſi honeſtius ſit patrono, libertinam in concubinatu habere, quam in matrimonio: (ea enim ratio ἀπροσδιόνυσος eſſet, nec quadraret deciſioni VLPIANI,) ſed id innuit VLPIANVS, honeſtius eſſe patrono, concubinam quae ab eo inuito diſceſſerit, alterius concubinam eſſe, quam ad dignitatem matrisfamilias adſpirare, eumque fructum capere illatae patrono iniuriae, vt melioris apud virum alterum conditionis ſit, quam apud patronum.

Ita textus VLPIANI nihil habet, quod offendere poſſit. Iam id addo, libertam concubinam ne tunc quidem in concubinatum ſe dare potuiſſe alii, ſi patronus furere coeperit. Ita enim PAVLLVS *(f)* non in libro XII. ad

(a) *L. 1. pr. D. de concubin.*
(b) SCHARD. *Lex. iurid. voce* concubina.
(c) VLP. *Lib.* III. 11. *L. pr. D. de diuort.*
[d] *L. 11. pr. D. de diuort.*
(e) *De iure connub. pag.* 260.
(f) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 2. *D. de concubin.*

ad legem Iul. et Papiam, (quum decem tantum ſcripſerit,) ſed in libro 11. *ſi patronus libertam concubinam habens furere coeperit ; in concubinatu eam eſſe*, (id eſt concubinatum furore non ſolui, nec libertam ſe alii vel in matrimonium, vel in concubinatum dare poſſe) *humanius dicitur*. Cuius deciſionis hanc rationem reddit VLPIANVS (*a*), quod *inuitus accipiatur non ſolum, qui diſſentit, verum etiam, qui non conſentit*, adeoque et ignorans et furioſus.

Ceterum libertae tamdiu non licebat a patrono diſcedere, QVAMDIV PATRONVS EAM VXOREM ESSE VELLET. Quare patronus hoc excidebat beneficio, ſimul ac vel patronus eſſe, aut cum liberta in matrimonio viuere velle deſiiſſet (*b*). Velle autem deſiiſſe videbatur, non ſolum qui libertae diuortium diſerte conceſſiſſet, verum etiam, qui quidquam feciſſet, ex quo poſſet colligi, eum a libertae nuptiis abhorrere : veluti qui contra diſcedentem actionem rerum amotarum inſtituiſſet, vel eamdem accuſaſſet adulterii, vel noua feciſſet ſponſalia, vel concubinam aliam ſibi adhibuiſſet (*c*).

Denique in lege ſequitur, *libertae* NEC ALII, PATRONO INVITO, NVBENDI POTESTATEM *eſſe*. Quod ſi itaque in alterius torum conceſſerat : cuicumque nupſiſſet, pro non nupta habebatur, et nec dos, nec nuptiae intelligebantur. Hinc etiam, ſoluta altera coniunctione illegitima, denegabatur ei dotis actio (*d*). Et ex eadem ratione liberos ex illo coitu natos legitimos haud fuiſſe, facile eſt ad intelligendum. Quamuis autem liberta, diſcedens a patrono inuita maneret vxor, diuortiumque ipſo iure nullum eſſet : in poenam tamen illatae patrono iniuriae eorum commodorum faciebat iacturam, quae alioquin vxoribus competunt. Hinc negabatur ei bonorum poſſeſſio ex edicto VNDE VIR ET VXOR. De qua VLPIANVS (*e*) : *ſi diuortium quidem ſequutum ſit, veruntamen iure durat matrimonium : haec ſucceſſio locum non habet. Hoc autem in huiuſmodi ſpeciebus procedit ; Liberta ab inuito patrono diuortit :* LEX IVLIA *de maritandis ordinibus retinet iſtam in matrimonio, dum eam prohibet alii nubere inuito patrono. Item Iulia de adulteriis, niſi certo modo* (adhibitis praeter libertum ſeptem teſtibus, *diuortium factum ſit, pro infecto habet*. Nec dubito, quin huius modi libertae, tamquam indignae eripuerit fiſcus, quidquid ante iſthoc diuortium ei patronus ſecundum leges decimarias teſtamento deſtinauerat.

IIII. Addit huic capiti GOTHOFREDVS verba : GENER SOCERVE *inuiti in reos teſtimonium ne dicunto*. Sed ab ea hoc loco aliena eſſe et ad caput VI. pertinere, iam ſupra obſeruauimus. Explicat quidem TER. CLEMENS in *lib. II. commentariorum.* (*f*) vocabula SOCER et SOCRVS : ſed legem eis id dediſſe vt aduerſus ſe inuicem ſoceri et generi nuruſue teſtimonium dicere non cogerentur, id vero non addit. Nec id priuilegium ex lege PAPIA POPPAEA eſt, ſed, vti ex PAVLLI (*g*) et CAII (*h*) commentariis, aliiſque locis (*i*) conſtat, ex lege Iulia de iudiciis publicis. Qua occaſione vero iureconſulti huius iuris meminerint, iam ad caput ſextum oſtendimus.

CAPVT

(a) VLP. *Lib.* III. L. 45. §. 5. *D. de rit. nupt.*
(b) VLP. *Lib.* III. L. 11. §. 1. *D. de diuort.*
(c) IB. L. 11. §. 2. *D. de diuort.*
(d) IB. *L.* 11. *pr. D.*
[e] L. 1. §. 1. *D. unde vir et vxor.*
(f) *L.* 146. *D. de verb. ſign.*
(g) L. 4. *D. de teſtib.*
(h) L. 5. *D. eod.*
[i] *L.* 10. *pr. D. de grad. et adfin.*

CAPVT XIII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM QVARTVM.

DE TVTORE MVLIERI DOTIS CAVSSA DANDO.

I. *Caput decimum quartum quale ſuerit?* II. *Dotis apud Romanos ratio. Quid dotem dare, dicere, promittere? Tutoris ad id datio. Cur praetori, et non ſimul tribunis plebis id negotium datum?* III. *Tria SCta, quae ad hanc legem acceſſerunt. Eiuſdem abrogatio.*

I. Qvaecumque hactenus expendimus legis Papiae Poppaeae capita, ea omnia in tribus prioribus Vlpiani et Ter. Clementis commentariis locum habuerunt. Quum vero adhuc vnicum ex libro III. ſuperſit Ter. Clementis *(a)* fragmentum, quod de tutore dotis cauſſa dato agit: de ſequentibus autem capitibus omnibus aliis libris agatur: non abs re ſuſpicamur, decimum quartum legis caput egiſſe de tutore ad dotem dandam, dicendam, promittendamue dato. Et quia ex nullo fragmento Pandectarum, quale id fuerit, ſuſpicari licet: veroſimile ſane eſt, illud fragmentum Terentii ad ius, Iuſtiniani temporibus abrogatum, pertinuiſſe. Tale vero eſt, quod nobis ita deſcribit Vlpianvs *(b)*: *ex lege* Ivlia *de maritandis ordinibus tutor datur a praetore vrbis ei mulieri virginiue, quam ex hac ipſa lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue, ſi legitimum tutorem pupillum habeat.* Ex his ergo verbis, quibus Ter. Clem. fragmentum accurate quadrat, tale fuiſſe patet hoc decimum quartum legis noſtrae caput:

> *Ei mulieri virginiue, quam ex H. L. nubere oportebit, tutor ad* DOTEM DANDAM, DICENDAM PROMITTENDAMVE, *ſi legitimum tutorem pupillum habeat, a praetore vrbano dator.*

Eodem modo hoc caput, quod ipſi quintum eſt, extulit Iac. Gothofredvs, niſi quod vltima verba, Charondam ſequutus ita ſiſtit: *ſi legitimum tutorem non habeat:* quae tamen lectio, et codici Tiliano, in quo noſtra occurrit *(c)*, plane aduerſatur.

II. Dabatur ergo ex hac lege tutor MVLIERI VIRGINIVE QVAM EX H. L. NVBERE OPORTEBAT, adeoque tam impuberi quam viri potenti. Quamuis enim legitimus annus, quo femina nubere poſſet, ex capite huius legis quinto eſſet duodecimus: eodem tamen loco monuimus: etiam infantia maiores potuiſſe deſponderi, et ſaepe deſponſas eſſe, adeoque et dotem procul dubio recte ab iis datam, dictam promiſſamue eſſe. Quorum nihil explicari ab iis poterat, ſine auctoritate tutorum. Ad feminas vero adultas

(a) *Lib.* III. *L.* 61. *D. de iur. dot.*
[b] *Fragm. tit.* XI. §. 20.
(c) CVIAC. *ad Vlp. eod. et Lib.* XXVII. *obſ. cap.* 28.

et maiores id caput pertinuiſſe, vel ideo nemo negauerit, quod eas, in perpetua vixiſſe tutela, nec quidquam ſine tutorum auctoritate promittere aut alienare potuiſſe, iam ſupra oſtendimus.

Hic porro in lege ſequitur: TVTOR AD DOTEM DANDAM, DICENDAM PROMITTENDAMVE DATOR. Dotis apud Romanos longe alia ratio erat, ac apud alias gentes. Pleraeque olim nationes iis moribus vtebantur, vt maritus ſibi coemeret vxorem. De Hebraeis, Syris, aliiſque gentibus orientalibus res clara eſt. Sane Saul pro filia Michol popoſcit centum Philiſtaeorum praeputia (*a*). Calebus filiam Axam ei promiſit, qui capturus eſſet Cariath Sepher (*b*): quam operam pro pretio ſponſae fuiſſe obſeruat V. C. IO. DOVGHTAEVS (*c*). Ita et Iacobi vxores ſe a Labane patre venditas, id eſt, pro opera quatuordecim annorum marito addictas conqueruntur (*d*). Apud Aſſyrios patres mercatum filiarum inſtituiſſe, docet AELIANVS (*e*), idemque de Armeniis IVSTINIANVS (*f*) tradit. Similia de Germanis noſtris obſeruat TACITVS (*g*) ex quo, nec non ex legibus, a Lindenbrogio editis, conſtat, pleraſque originis Germanicae gentes hunc morem ſeruaſſe quam diutiſſime, vt vxores ſibi pretio coemerent, et dotem non vxor marito, ſed maritus vxori adferret (*h*).

Dotem itaque apud pleraſque gentes non vxor marito, ſed maritus vxori conſtituebat: Haec vero ſi quid adferret ad maritum, id ideo fiebat, quia moribus antiquis non filiae ſed filii parentum hereditatem cernerent, ceu praeclare docuit V. C. IAC. PERIZONIVS (*i*). Hinc aliquid dabatur filiabus, quo augerent virorum patrimonium, ne plane exſortes eſſent bonorum, paternorum, quale quid etiamnum inter principes paſſim obtinere nouimus.

Aſt apud Romanos alia erat dotis natura et indoles. Ii enim ante legem Voconiam, et poſtea, quum eam ciuitatis opulentia peruertiſſet, filias aeque ac filios ad ſucceſſionem in bona paterna vocabant, et nihilominus illis dabant dotes, quas ad ſuſtinenda matrimonii onera ad virum adferrent. Nimirum apud Romanos et vxor maritum, et maritus vxorem coemebat. De coemtione mariti praeclarus locus VARRONIS exſtat apud NONIVM (*l*), vbi *nubentes*, *veteri* lege *Romana*, *tres aſſes ad maritum venientes ferre ſolitas*, ait, *quorum unum*, *quem in manu tulerint* EMENDI CAVSSA, *marito dederint; alterum*, *quem in pede habuerint*, *in foro larium familiarium poſuerint*, *tertium*, *in ſacciperione conditum*, *in compito vicinali conſueuerint reſignare*. De vxoris vero coemtione et marmora teſtimonium perhibent, et in illis Patauinum in quo legimus:

PVBL.

(a) 1. *Sam.* XVIII. 25.
(b) *Ioſ.* XV. 16.
(c) *Annal. S. ad* 1. *Sam.* XVIII. 25.
(d) *Gen.* XXXI. 14.
(e) *Hiſt. var. Lib.* IIII. *cap.* 1.
(f) *Nou.* XXXI.
(g) *de Mor. Germ. cap.* 18.
(h) *V.* C. NIC. HIER. GVNDH. *de emt. vx. cap.* 1.
(i) *De lege Voc. pag.* 87.
(l) *Cap.* 12. *num.* 1.

Digitized by Google

PVBL. CLAVD. QVAEST.
AER.
ANTONINAM. VOLVMNIAM.
VIRGINEM.
VOLENT. AVSPIC.
A. PARENTIBVS. SVIS. COEMIT.
ET. FAC. IIII. IN. DOM.
DVXIT.

Quemadmodum vero illi tres aſſes, quos ſecum noua nupta adferebat, quaſi arrha erant emtionis: ita dos veluti iuſtum pretium habebatur: eoque fiebat, vt, quamdiu iſte coemtionis ritus Romae vigebat, vix maritum reperiret virgo indotata. Hinc apud PLAVTVM (*a*) Euclio:

Virginem habeo grandem, DOTE CASSAM *atque* ILLOCABILEM,
Neque eam queo locare cuiquam.

Quin et poſtea vix virum inueniebat indotata, adeo vt PAVLLVS (*b*) noſter ſcribat: *Reipublicae noſtrae intereſt, mulieres dotes ſaluas habere*, PROPTER QVAS *nubere poſſunt*. Si qua vero indotata reciperetur in torum: ea magis concubina videbatur, quam materfamilias. Et ita intelligenda illa Lesbonici apud PLAVTVM (*c*):

Nolo ego mibi te tam proſpicere, qui meam egeſtatem leues,
Sed vt inops, infamis ne ſim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam ſororem in CONCVBINATVM *tibi*
Sic SINE DOTE *dediſſe magis, quam in matrimonium*.

Hinc quamuis nec dos nec domum deductio faceret nuptias: plerumque tamen illae e dotalibus inſtrumentis iudicabantur, non ſecus ac hodie ex προλογία eccleſiaſtica. Quod pluribus demonſtrare non opus eſt.

Dos illa vel DABATVR, vel DICEBATVR, vel PROMITTEBATVR. *Dabatur* et *promittebatur* a quocumque: *Dicebatur* a muliere nuptura, eiuſue debitore, itemque patre vel auo paterno (*d*). DABATVR ita, vt pecunia dotalis conſignata pridie nuptias apud auſpices deponeretur, in craſtino nuptiarum viro tradenda: quemadmodum Meſſalina ſuper flagitia cetera atque dedecora etiam C. Silio nupſiſſe dicebatur, DOTE *inter auſpices* CONSIGNATA (*e*): quod et TACITVS (*f*) confirmat, et IVVENALIS (*g*), qui plane iuridice:

- - - *Dudum*, inquit, *ſedet illa parato*
Flammeolo, Tyriuſque palam genialis in hortis
Sternitur, et RITV *decies centena* DABVNTVR,
ANTIQVO, *veniet cum* SIGNATORIVS AVSPEX.

DICTIO DOTIS fiebat verbis ſollemnibus (*h*), nulla tamen praecedente hanc obligationem interrogatione, vti obſeruauit CAIVS (*i*). Quamuis enim haec conciliare ſibi non poſſe videatur vir ſummus, CL. SALMASIVS (*l*), et

[a] *Aulul. Act. Scen. II. v. 14.*
[b] *L. 2. D. de iur. dot.*
[c] *Trin. Act. III. Scen. II. v. 6.*
[d] VLPIAN. *Tit. VI.* §. 1. 11.
[e] SVET. *Claud. cap. 26.*
(f) *Annal. Lib. XI. cap. 27.*
(g) *Sat. X. v. 329.*
[h] *L. 3. C. Theod. de iur. nupt.*
[i] *Inſt. Lib. II. tit. 9. §. 3.*
(l) *de Modo vſur. cap. 16.*

Digitized by Google

et ideo, ſollemnia verba vel ideo interceſſiſſe neget, quod ſtipulatio non fuerit adhibita: eum tamen hic fugit ratio, parum quippe cogitantem, non ſola ſtipulatione verborum obligationem conſtitiſſe, ſed et aliis modis, veluti dotis dictione, et promiſſione operarum iurata, de quibus modis, quos Tribonianus ſilentio tranſmittit, Caivs (a) agit paullo accuratius. Credibile autem eſt, dotem dicturum expreſſiſſe ſummam, eamdemque acceptaſſe ſponſum, quemadmodum apud Terentivm (b) Chremes:

--- *Dos*, inquit, *Pamphile eſt*
Talenta quindecim.

Cui Pamphilus ſtatim reſpondet: *Accipio*. Similes fere formulae in iure noſtro (c) paſſim occurrunt.

Promitti denique dos ſolebat a quocumque, dum promittens interrogatus reſponderet et ſtipulato promitteret. Cuiuſmodi promiſſionis exemplum eſt apud Plavtvm (d):

Ly. *Iſthac lege, cum iſta dote, filiam tuam ſponden' mihi uxorem dare?*
Ca. *Spondeo*.

Nihil vero horum ſine auctoritate tutoris explicari potuiſſe ab ipſa muliere, iam ſupra monuimus: idemque confirmat Cicero (e): *Dotem Valeria pecuniam omnem ſuam dixerat. Nihil iſtorum explicari poteſt, niſi oſtenderis illam in tutela Flacci non fuiſſe. Si fuit, quaecumque* sine hoc avctore *eſt dicta* dos, *nulla eſt*. Quum vero contingere poſſet, vt legitimus tutor quem habebat nuptura mulier, adhuc eſſet impubes: eo caſu tutor ei ex hac lege dabatur ad dotem *dandam*, *dicendam*, *promittendamue*. Nullum huius tutoris in pandectis noſtris exſtat veſtigium, ſed eum fere vbique expunxit Tribonianus, quia eius temporibus illa mulierum tutela plane ab vſu receſſerat. Seruauit tamen nobis neſcio quo fato fragmentum Ter. Clementis (f), ſed interpolatum, ſiquidem in eo *curatoris dotis dandae cauſſa conſtituti* meminit, loco *tutoris*. Ex eo autem primo diſcimus, vanam fuiſſe dotis promiſſionem, licet auctore tutore factam, ſi amplius doti promiſſum eſſet, quam facultates mulieris valerent, ſiquidem quod amplius erat promiſſum, quam promitti oportuerat, infirmari ſolebat. Deinde ex eodem textu patet (g), tutorem huiuſmodi res quidem mulieris dotis nomine tradere, non autem eaſdem in id vendere potuiſſe, vt pretium in dotem daretur. Quod ſi tamen aliter honeſte nubere non poſſet mulier, tutor huiuſmodi intrabat apud iudicem, qui eum conſtituerat, eumque rogabat, vt cauſſa cognita ei dotem, rerum venditione celebrata, conſtituere permitteret.

Ait porro lex, tutorem hunc dari oportere a praetore *vrbano*: quum tamen alioquin tutores mulieribus ex lege Atilia non a ſolis praetoribus, verum etiam a maiore parte tribunorum plebis darentur, ab iiſque etiam tutorem acceperit Hiſpala Fecennia. Aſt Auguſtus, qui tribuniciam poteſtatem aeque ac alia munia ad ſe traxerat, nihil opus eſſe iudicabat, tribunis, quibus tum vix vmbra priſtinae poteſtatis ſupererat, hanc poteſtatem

(a) *Ibid.* §. 3. 4.
(b) *And. Act. V. ſcen. IV. v.* 47.
(c) L. 25. L. 44. §. 1. L. 46. L. 57. L. 59. *D. de iur. dot.*
(d) *Trinum. Act. V.* Scen. II. *v.* 39.
(e) *Pro Flacc. cap.* 34. *ſequ.*
(f) TER. CLEM. *Lib.* III. L. 61. *pr. D. de iur. dot.*
(g) *d.* L. 61. §. 1. *D. eod.*

Digitized by Google

tem dandi tutores deferri. Hinc ſoli praetori id dabat negotii, vnde et huiuſmodi tutor, aeque ac ille, qui mulieri pupilloue, cum tutore ſuo lege aut legitimo iudicio acturis, dabatur, PRAETORIANVS vel PRAETORIVS dictus videtur (*a*), pro quo Tribonianum vbique in pandectis ſcripſiſſe *curatorem*, iam ab aliis (*b*) recte obſeruatum eſt.

III. Acceſſerunt ad hoc legis noſtrae caput tria SCta. Nam quum primo eum caſum expreſſiſſent legislatores, SI MVLIER TVTOREM LEGITIMVM PVPILLVM HABERET: ſenatus, teſte VLPIANO (*c*), cenſuit, *ut et in locum* MVTI, FVRIOSIVE *tutoris alius daretur ad dotem conſtituendam*. Parum enim intereſſe videbatur, pupillumne tutorem haberet mulier nuptura, an mutum, vel furioſum. Deinde altero SCto fuerat cautum, *ut et tutor daretur mulieri*, *cuius* TVTOR ABESSET (*d*), et quidem *in omnem rem*, vti PAVLLVS (*e*) loquitur, id eſt, non ſolum ad dotem conſtituendam, ſed omnia alia negotia eius auctoritate explicanda, excepta, tamen liberta, quae abſente patrono tutorem non petebat, niſi *ad hereditatem adeundam*, *et contrahendas nuptias* (*f*). Vbi fruſtra M. VERTR. MAVRVS (*g*) fingit, hunc quoque tutorem datum eſſe ad conſtituendam dotem. Denique quum lex ſolis vrbanis mulieribus proſpexiſſet; tertium quoque acceſſit SCtum, *vt etiam* IN PROVINCIA *ſimiliter a praeſidibus earum*, *ex eadem cauſſa tutores darentur* (*h*). Quale quid et ad caput legis XXXV. conſtitutum eſſe, infra oſtendemus. Sed de horum SCtorum aetate nihil certi conſtat, eaque tam facilia ſunt, vt interpretatione prolixiore indigere haud videantur.

(a) VLP. *Fragm. tit.* XI. §. 24.
(b) *Ob. Gipban. ad* §. *vlt. Inſt. de auct. tut.*
(c) *Fragm. tit.* XI. §. 21.
(d) VLP. *ibid.* §. 22.
(e) *L.* 15. *D. de tut. et cur. dat.*
(f) VLP. *ibid.*
(g) *De iure liber. cap.* 31.
(h) VLP. *Fragm. tit.* XI. §. 20.

CAPVT XIIII.

AD CAPITA LEGIS XV. XVI. XVII. XVIII. XVIIII. SIVE LEGES DECIMARIAS.

I. *PRoxima capita leges decimarias complexa ſunt, quarum plures fuerunt. Eae ex Vlpiano recenſitae. Cur decimariae leges inuentae?* II. *Decima nomine matrimonii percepta. Quid* CAPERE? *Decima quo modo computata?* III. *Decimae ob liberos ex alio matrimonio ſuperſtites captae. Liuia lege hac ſoluta.* IIII. *Decimae ob communes filios filiaſque praemortuos. Quales liberi profuerint? Nominum dies. Primordia. Marmora liberis ἀνωνύμοις poſita. Nomina aliquando infantibus ſtatim a natiuitate data.* V. *Vſusfructus vel proprietas tertiae partis bonorum legata.* L. 10. D. de praeſcr. verb. et L. 43. D. de vſufr. leg. *explicatae. Cur tam frequenter coniuges ſibi inuicem legarint ſub conditione liberorum?* VI. *Dotis praelegatum.* L. 53. D. de leg. 2. *explicata.* VII. *Fraus his legibus facta. Dotalia pacta. Donationes inter*

ter viuos. Tacita fideicommiſſa. L. 25. pr. D. de his quae vt indign. *et verba Tertulliani illuſtrata.* VIII. *Priuilegia contra has leges decimarias conceſſa. An Conſtantinus eas ſuſtulerit? Primi eas abrogarunt Honorius et Theodoſius iunior.*

I. QVae adhuc expendimus, legum capita, ea VLPIANVS et TER. CLEM. libris commentariorum tribus: CAIVS et PAVLLVS duobus expoſuerunt. E ſequente VLPIANI et TER. CL. libro ea tantum ſuperſunt fragmenta, quae manifeſto ad leges decimarias pertinent. Vnde has iam ordine ſequi veroſimile eſt. Quum vero haec legis pars non ſolum *lex decimaria* vocetur THALELAEO (*a*); ſed et *πλευρικὸς leges decimariae* ab ipſo IVSTINIANO (*b*) memorentur: non abs re exiſtimare nobis videmur, non vnum fuiſſe huiuſmodi caput, vti IAC. GOTHOFREDO viſum, ſed plura, quae nobis VLPIANVS ſeruauit (*c*). Ex eo itaque illa hunc in modum reſtituimus:

CAP. XV. *Viro et vxori inter ſe matrimonii nomine decimam capere ius eſto.*

CAP. XVI. *Si ex alio matrimonio liberos ſuperſtites habebunt, praeter decimam, quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimes pro numero liberorum capiunto.*

CAP. XVII. *Item communis filius filiaue, poſt nominum diem amiſſus amiſſaue decimam adiicito. Duo, poſt nominum diem amiſſi, duas decimas adiiciunto.*

CAP. XVIII. *Praeter decimam etiam vſumfructum tertiae partis bonorum coniugis praemortui, et quotcunque liberos habebunt, eiuſdem partis proprietatem capere ius eſto.*

CAP. XVIIII. *Hoc amplius mulieri praeter decimam dotem legatam ſibi petere ius eſto.*

Quamuis itaque praemia plurima Auguſtus adhuc propoſuiſſet iis, qui liberorum quaerendorum cauſſa iniiſſent matrimonium, ea tamen quodammodo hiſce legibus decimariis temperauit, quarum hanc rationem reddit CONSTANTINVS Imp. (*d*) *quod coniugum* FALLACES BLANDITIAE *ita viſae ſint cohibendae*. Nimirum finis legis Papiae Poppaeae praecipuus is erat, vt ciues ad ineunda matrimonia procreandoſque liberos incitarentur. Aſt periculum erat, ne id cum graui Romanarum gentium et familiarum detrimento eſſet coniunctum. Facile enim coniux a coniuge poterat hereditatem eblandiri, eoque efficere, vt nullis licet exſtantibus liberis, demortui tamen coniugis propinqui bonis auitis ſpoliarentur. Quod ne contingeret, prudenter ſanxerat Auguſtus, vt coniuges non niſi quibuſdam caſibus ſolidum: aliis vnam vel alteram decimam: aliquando etiam ne hanc quidem inter ſe capere poſſent.

II. Vt vero iam ad ipſas leges decimarias progrediamur: caput XV. ita ſe habuiſſe diximus: VIRO ET VXORI INTER SE MATRIMONII NOMINE DECIMAM CAPERE IVS ESTO. VIRO et VXORI id concedebatur priuilegium,

(a) *Ad Libr. Baſil. XLV. tit. 1.*

(b) *Rubr. C. de infirm. poen. caelib. et orbit. et decimar. leg. ſublat.*

(c) *Fragm. tit. 15.*

(d) *L. vn. C. Theod. de infirm. poen. caelib.*

gium, id eſt iis, qui iuſtum inierant matrimonium, non concubinariis et concubinis. Quumque, ſi liberi eſſent ſuperſtites, coniuges inter ſe ſolidum capere poſſent, vti ſequente capite adparebit: facile patet, legem noſtram loqui de iis, qui liberos communes non ſuſtulerant, vel certe ſublatos pridem amiſerant. Paullo iniquior itaque ea in re viſa eſt haec lex decimaria. Nam concubinae quantumcunque legari ac relinqui poterat, et milites, qui ſtupro cognitas heredes habere non poterant *(a)*, recte tamen inſtituebant concubinas vel focarias, ceu exemplum docet in marmore Rauennatenſi:

D. M. M. AVRELII VITALIS
MILITIS VALERIA FAVSTI-
NA FOCARIA ET HERES
EIVS BENE MERENTI PO-
SVIT.

Aſt coniux coniugi, quantum vellet, relinquere non poterat, atque ita accidebat, vt reuera melior eſſet concubinae, quam iuſtae vxoris, conditio. Quod exagitans Trachallus apud QVINCTILIANVM *(b)*: *Placet hoc ergo*, inquit, *o leges diligentiſſimae pudoris cuſtodes* DECIMAS *vxoribus dari*, QVARTAS *meretricibus?*

CAPIEBANT inter ſe coniuges MATRIMONII NOMINE, quantumuis ſterilis, modo iuſti et legitimi. *Capere* autem generale vocabulum eſt, quod omnes denotat modos, quibus quid ex vltima voluntate ad alterum peruenit. De iis enim proprie hoc verbum accipitur, veluti apud MANILIVM:

Ille patri natiſue reus, quas CEPERAT *ipſe,*
Non legabit opes, cenſumque immerget in ipſo.

Et apud IVVENALEM *(c)*

- - - - - - - *Si* CAPIENDI
Ius nullum vxori.

Vnde coniux coniugem nec heredem, niſi in ſola decima, inſtituere, nec eidem plus legare, aut per fideicommiſſum relinquere poterat. Quin et ad mortis cauſſa capiones *(d)*, et ad donationes inter viuos, morte donatoris confirmatas *(e)*, legem illam animaduertimus porrectam, eatenus, vt quod vltra donatum eſſet, non valeret, niſi donata res aliena, quaeque poſſet vſucapi *(f)*. Denique et ad ipſa pacta dotalia, quibus conuenerat, vt mortua vxore maritus dotem retineret, ea lex pertinebat *(g)*, ſiquidem et tunc ita aliquando ſcena inſtruebatur, vt dotis nomine plus caperet maritus, quam decimam.

Capiebat itaque coniux a coniuge DECIMAM omnium defuncti bonorum. Quapropter, ne quid in fraudem legis fieret; opus erat bonorum aeſtimatio-

(a) *L. 14. D. de his quae vt indign.*
(b) *Lib.* VIII. *Inſt. cap. 5.*
[c] *Sat. 1. v. 55.*
(d) *L. 38. D. de mort. cauſſ. don.*
(e) *L. 1. C. de bon. proſcr.*
(f) *L. 25. D. de don. inter vir. et vx.*
[g] *L. vlt. C. Th. de inoff. dot.*

tione, de qua ex inſtituto ad hoc caput in commentariis ſuis egerunt Pavllvs (a) et Ter. Clemens (b), quorum tamen verba Tribonianvs, vti acute coniecit Iac. Gothofredvs, in titulum de lege Falcidia tranſtulit, quia abrogatis legibus decimariis, aeſtimationi bonorum ob quartam Falcidiam commode poterant adplicari. Ex his vero fragmentis diſcimus, pretia rerum in aeſtimandis bonis non ex affectu, nec ex vtilitate ſingulorum, ſed communiter functa eſſe, adeoque nec filium proprium nec alienum aliter aeſtimatum quam hominem, nec ſeruum ob noxam quam nocuit, vel ob inſtitutionem nondum adita hereditate, neque bona ob nomina mala maioris aeſtimata fuiſſe: habitam tamen fuiſſe rationem loci temporumque, quae nonnullam pretio adferre ſolent varietatem: denique et ſubduci conſueuiſſe, quod lex Falcidia exceperit, vt quod reliquum eſſet, ſi non excederet portionem lege ſtatutam, id demum coniugi ſuperſtiti deberetur. Haec Pavllvs et Ter. Clemens, quibus Vlpianvs (c) addit, legato annuo relicto, per annos ſingulos inſpecta conditione legatarii, et ſi plurium ſeruo legatum, ſingulorum dominorum ſpectatis perſonis, definiendum eſſe, quantum quiſque capere poſſet. Vnde in cenſum aeſtimationemque haud veniebant, quae legatario ex alia cauſſa, veluti depoſiti, crediti, aut mercedis debebantur, dum modo a legatario doceretur, omnem legis fraudem abeſſe (d). Quod vltra decimam coniugi fuerat relictum, id fiſcus, tanquam caducum occupabat (e), puta, ſi ita relictum eſſet, vt penes coniugem permaneret. Nam ſi coniugem rogaſſet coniux, vt, quod ex teſtamento ad eam peruenerat, reſtitueret alii: etiam plus quam decimam, immo et ſolidum, capere poterat, teſtibus Iavoleno (f), Pavllo (g) et Scaevola (h). *Aliud* enim, inquit Vlpianvs (i), *eſt* capere, *aliud* accipere. *Capere cum effectu accipitur. Accipere, etſi quis non accepit, vt habeat: ideoque non videtur quis capere, quod erit reſtituturus: ſicut perueniſſe illud proprie dicitur, quod eſt remanſurum.*

III. Sic ordinariae decimam inter ſe capiebant coniuges. Aliae inſuper decimae adiiciebantur pro numero liberorum ex alio matrimonio ſuperſtitum, de quibus ſequente capite decimo ſexto: si ex alio matrimonio liberos svperstites habebvnt, praeter decimam, qvam matrimonii nomine capivnt, totidem decimas pro nvmero liberorvm accipivnto. Proderant ergo ad has decimas capiendas liberi, ſinguli etiam ex alio ſuſcepti matrimonio, ſed ſuperſtites tantum non amiſſi: naturales, non adoptiui, de his enim SCto ſupra explicato, ſub Nerone fuerat cautum, vt non modo in nulla parte muneris publici, ſed *ne quidem ad hereditates* capiendas prodeſſent (l). Hinc vnus vnam, duo binas, tres trinas adiiciebant decimas, adeoque ſi quis nouem ex priore matrimonio liberos habebat ſuperſtites, ſolidum capere poterat, quia vnius decimae matrimonii nomine, reliquarum ob libe-

ros

[a] PAVLL. *Lib. II. L. 63. D. ad L. Falc.*
[b] TER. CLEM. *Lib. IV. L. 67. D. eod.*
[c] VLP. *Lib. IV. L. 23. D. quando dies leg. cedat.*
(d) *L. 27. D. de prob. L. 37. §. 5. 6. D. de legat. 3.*
(e) VLP. *tit. 17. §. 1.*
(f) *L. 42. D. de legat. 2.*
(g) *L. 28. D. de legat. 3.*
(h) *L. 68. pr. D. de aur. arg. mund. leg.*
(i) *L. 71. pr. D. de verb. ſign.*
[l] TACIT. *Annal. Lib. XV. cap. 19.*

ros capax videbatur. Ita Domitius Tullus homo pecunioſus vxori, quam ſenex duxerat, amoeniſſimas villas et magnam pecuniam reliquerat, teſte PLINIO (a), quum tamen nullus exſtaret communis filius filiaue. Sed addit PLINIVS eam *diu viduam*, MATREM *olim fuiſſe*. Siue autem ex priore matrimonio ſupereſſent liberi, ſiue poſt teſtamentum vel ex hoc vel ex nouo matrimonio nati eſſent, decimas pro eorum numero capere poterat coniux ſuperſtes, ſi *in tempus liberorum* eſſet legatum (b). Hinc etiamſi ſpecialiter id expreſſiſſet teſtator, quod has decimas legauerit in eam conditionem, ſi vxor ex ſe poſt teſtamentum liberos enixa fuerit: nihilominus ea iudice TER. CLEMENTE (c) admittenda eſt ad legatum, etiamſi ex alio poſt mortem mariti liberos enixa ſit. Quid vero ſi viuo teſtatore, factoque diuortio, mulier ex alio pepererit? De his ſane ſenſiſſe teſtatorem non erat veroſimile, etiamſi poſtea ſoluto matrimonio ad priorem maritum rediiſſet. Et huc pertinet ſpecies apud IVLIANVM (d): *Quum vir vxori*, QVANDOQVE LIBEROS HABVERIT: (*quandoque* poſito pro quandocunque (e), vti in L. 2. D. ſoluto matr. L. 13. D. de reb. cor. qui ſub tut. L. 13. D. de acceptil.) *fundum legat: ſi mulier* DIVORTIO FACTO LIBEROS EX ALIO *procreauerit, deinde ſoluto ſecundo matrimonio ad priorem maritum redierit, non intelligitur expleta conditio, quod teſtatorem veroſimile non eſt de liberis ſenſiſſe, qui* SE VIVO EX ALIO *ſuſcepti fuiſſent*.

Ceterum, quod recte a v. c. ANT. SCHVLTINGIO (f) obſeruatum eſt, inſignem inde lucem capit locus DIONIS (g). Quum enim, teſte SVETONIO (h). Auguſtus Tiberium inter primos heredes ex parte dimidia et ſextante, id eſt ex beſſe: Liuiam ex tertia parte inſtituiſſet: DIO CASSIVS addit, petiiſſe eum a Senatu, αὐτῇ καὶ παρὰ τὸν νόμον καταλιπεῖν δυνηθῆναι, *vt tantum ſibi liceret Liuiae* PRAETER LEGEM *relinquere*. Quaerunt, quae lex Liuiae quominus tertiam capere poſſet obſtiterit? et vulgo cum CVIACIO (i) reſpondent, ob legem Voconiam ad illam tantum peruenire haud potuiſſe. Sed rem eos acu non tangere, vel inde patet, quod legi Voconiae iam tum fuiſſet lege Papia Poppaea derogatum, permiſſumque feminis nuptis, vt poſſent aliquid ex maritorum teſtamentis capere. Quare nihil erat, cur ea lege Liuiam ſolutam vellet Auguſtus. Verum ex lege Papia non niſi duas decimas capere potuiſſet Liuia: alteram nomine matrimonii, alteram ob Tiberium filium, ex priſco ſuſceptum matrimonio. Communis enim, quem ex Auguſto immaturum enixa fuerat, vel ideo non proderat Liuiae, quod ad nominum diem non aduixiſſet. Vt igitur trientis eſſet capax, lege hac decimaria erat ſoluenda, ne, quod vltra duas decimas legatum fuerat, aerarium occuparet. Et haec ipſa lege ſolutio eſt, quam iam libro LV. notauerat DIO, dum Liuiae ius trium liberorum datum obſeruarat.

IIII. Filius filiaue ex alio ſuſcepti matrimonio, non niſi ſuperſtites adiiciebant decimam. Aſt ſequente capite XVII. cautum fuerat, VT COMMVNIS FILIVS FILIAVE POST NOMINVM DIEM AMISSVS AMISSAVE

(a) *Lib.* VIII. *Epiſt.* XVIII.
(b) *L.* 61. *D. de cond. et dem.*
(c) TER. CLEM. *Lib.* IV. *L.* 62. *pr. D. eod.*
(d) *L.* 25. *D. eod.*
(e) SANCT. MINERV. *Lib.* III. *pag.* 359.
(f) *Ad Vlpian. p.* 610.
(g) *Lib.* LVI. *pag.* 590.
(h) *Auguſt. cap.* 101.
(i) *Ad pr. Inſt. de lege Falc.*

Digitized by Google

DECIMAM ADIICERET. Communis filius filiaue ſuperſtes ad ſolidi, poſt nominum diem amiſſus amiſſaue ad decimae capacitatem proderat. Quum autem haec lex ad cohibendam teſtandi libertatem comparata odioſa quodammodo videretur: non tam curioſe in conditionem liberorum, vt alias in hac lege fiebat, videbatur inquirendum. Hinc prodeſſe etiam cenſebatur partus monſtroſus (*a*), etiam apud hoſtes ſuſceptus reuerſuſque poſtliminio (*b*), apud hoſtes enim extinctus nunquam videbatur fuiſſe, adeoque nec intelligebantur parentes eum habere deſiiſſe, quem nunquam habuerant (*c*): immo et, qui poſt nominum diem in ſeruitutem fuiſſet redactus (*d*). Neque tamen filius dubiae originis proderat, quantumuis eum Praetor nutriri vel ali oportere decreuiſſet: quia quaeſtioni de veritate, an quis ſit filius? praeiudicium facere non debebat cauſſa alimentorum (*e*). Multo minus ratio parentum habebatur ob filium in ſeruitute quaeſitum, niſi in patriam poteſtatem poſtea redigeretur beneficio principis (*f*), id eſt, ceu ex ipſa tituli rubrica adparet, niſi fuiſſet per reſcriptum principis arrogatus. Omnia enim haec fragmenta ad leges decimarias pertinere praeclare docuit IAC. GOTHOFREDVS, cum in commentario ad legem noſtram (*g*), tum in praeſtantiſſima interpretatione regularum iuris (*h*).

Quamuis vero et amiſſus amiſſaue prodeſſet: amiſſos tamen eos eſſe oportebat non ſtatim a natiuitate, ſed POST NOMINVM DIEM. Ita enim VLPIANI textum ex codice Tiliano omnium praeſtantiſſimo reſtituit EM. MERILLIVS (*i*), quum in pleriſque editionibus legatur: *poſt nonum diem*. *Nominum* autem *dies* erat, quo nomen dabatur infanti recens nato, vt poſtea id nomen, vt ſupra dixi, referretur in acta publica: id quod apud Graecos die quinto (*l*); vel decimo (*m*), apud Romanos vel octauo, ſi puella; vel nono, ſi puer natus eſſet, fiebat, ceu praeclare docent FESTVS (*n*), MACROBIVS (*o*), et PLVTARCHVS (*p*), qui et rationem huius ritus ſuo more reddere conatur. Dicebatur iſte dies etiam *luſtricus*, quia infans non ſolum nomen tunc accipiebat, verum etiam *luſtrabatur*, vel, vti TERENTIVS (*q*) loquitur, *initiabatur*. Quo de ritu PERSIVS (*r*):

Ecce auia, aut metuens diuum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque vda labella
Infami digito et LVSTRALIBVS *ante ſaliuis*
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in aedes:
Hunc optent generum rex et reginae puellae
Hunc rapiant, quidquid calcauerit hic, roſa fiat.

SVE-

(a) VLP. *Lib. IV. L.* 135. *D. de verb. ſign.*
(b) VLP. *Lib. IV. L.* 9. *D. de capt. et poſtlim.*
(c) PAVLL. *Lib.* III. *L.* 208. *D. de reg. iur.*
(d) VLP. *Lib. IV. L.* 209. *D. de reg. iur.*
(e) VLP. *Lib.* IIII. *L.* 10. *D. de his qui ſui vel al. iur.*
(f) VLP. *Lib.* IIII. *L. vlt. D. de adopt.*
(g) *Cap.* 12.
(h) *Ad* L. 209. *pag.* 707. *ſequ.*
(i) *Obſ. Lib.* II. *cap.* 33.
(l) HESYCH. *voce* ἀμφιδρόμια ATHEN. *Lib.* II. *cap.* 24. *et Lib.* VIIII *cap.* 2.
(m) SVID. *voce* ἀμφιδρόμια. POLLVX *Lib.* I. *cap.* 1. *num.* 24.
(n) *Voce* Luſtrici.
(o) *Saturn. Lib. I. cap.* 16.
(p) *Quaeſt. Rom. p.* 288.
(q) *Phorm. Act. I. Sc.* 1.
(r) *Sat.* II. *v.* 31.

Svetonivs in Caligula (a): *Infantem autem Iuliam Druſillam appellatam* per omnivm Dearvm *templa circumferens, Mineruae gremio impoſuit, alendamque et inſtituendam commendauit*. Et in Nerone (b): *Eiuſdem futurae infelicitatis ſignum euidens* die lvstrico *exſtitit. Nam C. Caeſar, rogante ſorore, vt infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium, eius ſe dixit dare*. Denique Ivl. Capitolinvs (c): *quum rarum eſſet, aquilas in his locis videri, in quibus natus eſt Albinus, ſeptimo eius die, hora conuiuii, quod* celebritati pveri *deputabatur, quum ei fierent nomina, ſeptem aquilae paruae de nido allatae ſunt*. Ex quo loco ſimul diſcimus, ſeptimum etiam diem non nunquam fuiſſe luſtricum. Quod vero non nulli ex eodem Ivlio Capitolino (d) colligunt, triceſimo circiter die nomen liberis impoſitum: is error eſt, ex male interpuncto eius loco natus. Dum enim ſcribit: *inter haec liberales cauſſas ita muniuit, vt primus iuberet apud praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos Liberos profiteri* intra trigesimvm diem, *nomine impoſito*: non ſane ſenſus eſt, nomen impoſitum eſſe trigeſimo die, nec, vti Salmasivs emendat, profeſſionem factam eſſe *intra trigeſimum a nomine impoſito diem*, ſed profeſſionem non prius fieri potuiſſe, quam impoſito iam nomine, non tardius quam intra trigeſimum a natiuitate diem. Nomen itaque imponebatur die luſtrico: poſtea profeſſio fiebat, intra trigeſimum a natiuitate diem, paullo laxiore ſpatio profeſſioni, quam impoſitioni nominum, dato. Ante diem luſtricum *primordia* erant, de quibus Servivs (e): *nam ipſum puerum inter ipſa* primo dia, *id eſt, nono die periiſſe, manifeſtum eſt*. Vnde intra primordia exſtinctos crediderim liberos, quibus in vetuſtis lapidibus nulla impoſita ſunt nomina. Ita apud Grvtervm (f) legimus:

D. M.
D. AEMILIVS. P. F. FELIX.
FILIAE. SVAE. FECIT.

Apud eumdem (g):

CALPVRNIA. C. F.
MAXIMA. MATER.
DOLENS. ET. MERENS.
FILIEIS. FECIT. SVEIS.

Et denuo (h):

DIDIA. T. F. FABIA.
MATER. IN. MEO. DOLORE.
IN. HOC. SEPVLCRO.
NOMEN. IN HIS. ADSCRIPSI. MEVM.
HIC. EST. DOMVS. MEA. CVM. MEIS.

 Atta-

(a) *Cap. 25.*
(b) *Cap. 6.*
(c) *Albin. cap. 4.*
(d) *In Marco cap. 9.*
(e) *Ad Virgil. Ecl. IV.*
(f) *Inſcr. pag. 66°. num. 2.*
(g) *Ib. pag. 674. num. 11.*
(h) *Ib. pag. 680. num. 5.*

Digitized by Google

Attamen et ſtatim poſt natiuitatem aliquando nomina impoſita fuiſſe infantibus, argumento eſt inſcriptio elegans apud eundem (*a*):

D. M.
IVLIO. DIADVMENO.
. FILIO.
IVLIVS. CORVNCANIVS.
VIX. HOR. IV.
HORA. BREVIS. VITAE.
LETVM FVIT.

Soli itaque, qui ad hunc nominum diem aduixerant, DECIMAM ADIICIEBANT. Infantes enim intra primordia exſtincti, dicti *ſanguinolenti*, *ἀπροσόνομοι*, *neglecti*, et non magis pro natis habebantur, ac ſi numquam fruiti eſſent lucis vſura (*b*). Additur in lege: DVO POST DIEM NOMINVM AMISSI DVAS DECIMAS ADIICIVNTO. Quod procul dubio de gemellis aeque ac liberis diuerſo tempore procreatis intelligendum. Sufficiebat enim, duos exſtitiſſe liberos communes, qui impoſitis nominibus ſpes parentum morte immatura deſtituiſſent. De tribus liberis communibus nihil hoc capite dicitur. Tres enim poſt nominum diem amiſſi non decimas tres adiiciebant, ſed ad ſolidi capicitatem proderant parentibus (*c*), adeoque ad aliud caput haec ſpecies pertinebat.

V. Nouum coniugibus beneficium Indulget caput legis XVIII. quo cautum, VT PRAETER DECIMAM ETIAM VSVMFRVCTVM TERTIAE PARTIS, ET, QVANDOQVE LIBEROS HABVERINT, EIVSDEM PARTIS PROPRIETATEM CAPERE IVS ESSET. Ita ſe verba habent apud VLPIANVM; nec eſt, quod in iis quidquam mutatum velimus. Alias per leges teſte apud VLPIANVM CELSO (*d*) omnium bonorum vſusfructus legari poterat, modo ne excederet dodrantis aeſtimationem. Aſt ea libertas legandi haud parum adſtricta inter coniuges. Diſtinguit enim lex, purene coniux coniugi leget, an ſub conditione, QVANDOQVE LIBEROS HABVERIT: quale exemplum vidimus ad caput XVI. Si pure legaſſet, non ſolum decima matrimonii nomine, ſed et vſusfructus tertiae partis bonorum; ſin ſub conditione liberorum, praeter decimam illam et tertiae partis bonorum proprietas legari poterat. Plura paſſim in iure noſtro occurrunt huius rei veſtigia, quae paullo curioſius legere iuuabit. Ait IAVOLENVS (*e*): PARTIS TERTIAE VSVMFRVCTVM *legauit*: *heredis bona ab eius creditoribus diſtracta ſunt*: *et pecuniam*, *quae ex aeſtimatione partis tertiae fiebat*, *mulier accepit fruendi cauſſa*: *et per ignorantiam ſtipulatio praetermiſſa eſt*: *Quaero an ab herede mulieris pecunia*, *quae fruendi cauſſa data eſt*, *repeti poſſit*, *et qua actione*? *reſpondi in factum actionem dari deberi*. Species clara eſt. Maritus vxori legauerat vſumfructum tertiae partis bonorum, quod licebat per leges decimarias; etiamſi nulli exſtarent liberi. Aeſtimatione

(a) *Ib. pag.* 688. *num.* 8.
(b) CVIAC. *Paratitl. ad tit.* C. *de infirm. poen. caelib.*
(c) VLP. *Fragm. tit.* XVI. §. 1.
(d) CELS. *Lib.* XXXII. *L.* 29. *D. de vſufr.*
(e) *L.* 10. *D. de praeſcr. verb.*

tione bonorum facta, quam fieri debuiſſe, ſupra docuimus, heredis bona a creditoribus vendebantur, et ne legato excideret vidua, ei pecunia ex tertia bonorum parte redacta quaſi vtenda fruenda dabatur. Heres autem ex ignorantia iuris non interpoſuerat ſtipulationem de reſtituenda pecunia, nec ſatisdationem exegerat, quam alioquin in vſufructu quantitatum rerumque fungibilium oportebat interponi. Mortua muliere finitoque quaſi vſufructu, quaerebat heres, an pecuniam datam et qua actione a mulieris heredibus repetere poſſet: Actionem dari manifeſtum videbatur, quia mortua muliere quaſi vſusfructus fuerat finitus. Aſt non poterat ex ſtipulatu agi, quia ſtipulatio non fuerat interpoſita: nec vindicari, quia non ſpecies, ſed quantitas fuerat data, nec condictio ſine cauſſa inſtitui, quia non inter heredem et mulierem, ſed inter hanc et creditores hoc interceſſerat negotium. Ergo ſupererat actio *praeſcriptis verbis*, vel *in factum*, cui locus eſt, quotieſcunque ex ſtricta iuris ratione omnis agendi via praecluſa videtur, et pro acturo tamen militat aequitas (*a*).

Ad eandem legem pertinet lex SCAEVOLAE (*b*): *maritus vxori ſuae* VSVMFRVCTVM TERTIAE PARTIS, ET, QVVM LIBEROS HABVISSET, PROPRIETATEM *legauit: eam vxorem heredes falſi teſtamenti, et aliorum criminum accuſarunt, qua re impedita eſt legatorum petitio: interea et filius ei mulieri natus eſt, eoque* CONDITIO LEGATI EXSTITIT. *Quaeſitum eſt, quum teſtamentum falſum eſſe non adparuerit, an fructus etiam mulieri praeſtari debeant? Reſpondi praeſtandos.* Species plane ad hanc legem decimariam attemperata eſt. Legata fuerat vxori tertia pars vſusfructus, et ſi liberos ſuſtuliſſet, eiuſdem partis proprietas. Interea dum heredes teſtamentum tanquam falſum impugnant, conditio exſtitit et teſtamentum falſum eſſe, non adparuit. Itaque mulier finita lite non ſolum legatum petit, ſed et fructus, nimirum a tempore aditae hereditatis, a quo dies legati uſusfructus cedit. Obieciſſe videntur heredes, diem legati conditionati a momento demum, quo exſtitit conditio, cedere (*c*), adeoque et ex eo tempore tantum peti poſſe fructus. Aſt SCAEVOLA reſpondet praeſtari debere a tempore aditae hereditatis, quia et antequam exſiſteret conditio, vſusfructus, pure legatus, debebatur, idque legatum a momento aditae hereditatis deberi, iuris erat expeditiſſimi (*d*). Auxilio etiam mulieri eſſe potuiſſet Seueri et Antonini conſtitutio. Nam ex horum reſcriptis vſuras praeſtare tenebantur, quicumque fruſtrationis cauſſa beneficium legum implorabant (*e*). Sed hanc Seueri et Antonini conſtitutionem per aetatem Scaeuola Ceruidius videre non potuit.

Denique ad idem caput referenda ſunt verba vexatiſſima VENVLEII (*f*): *nihil intereſt, vtrum* BONORVM *quis, an* RERVM TERTIAE PARTIS VSVMFRVCTVM *legauerit. Nam ſi bonorum vſusfructus legabitur, etiam aes alienum ex bonis deducitur, et quod in actionibus eſt computabitur: at ſi certarum rerum vſusfructus legatus ſit, non idem obſeruabitur.* Dici non poteſt, quam difficile hoc fragmentum viſum fuerit interpretibus: ex quibus alii

(a) *L. 11. D. de praeſcr. verb.*
(b) *L. 48. D. de vſur.*
(c) *L. 5. §. 2. D. quando dies leg.*
(d) *L. vn. §. 2. D. quand. dies vſusfr. leg. ced.*
(e) *L 87. §. 1. D ad L. Falc.*
(f) *L. 43. D. de vſufr. leg.*

alli cum HALOANDRO legunt: *Nonnihil intereſt*: alii ex vulgata: *multum intereſt* reſcribi iubent. ANT. FABER (*a*), in emendando parum modeſtus, non modo τὸ *multum intereſt* probat, ſed et pro verbis: *rerum tertiae partis* reſcribit: *rerum certarum*, HERALDVS (*b*) et HVGO GROTIVS (*c*) *rerum certae partis*. Denique vir eximius GER. NOODT (*d*) hac poſtrema quidem emendatione nihil opus eſſe recte cenſet, ſiquidem cur tertiae partis bonorum meminerit VENVLEIVS, ex legibus decimariis ratio ſatis commode reddi poteſt: aſt ipſe quaedam textu excidiſſe cenſet, legitque: *ſi rerum, et quod in actionibus erit computabitur*. Enimuero etiamſi admiſſa hac viri clariſſimi emendatione recte ſe habere videantur omnia: ego tamen religioni mihi duco, auctoritatem codicis Florentini delerere, vbi nulla adigit neceſſitas. Tres inter ſe ſpecies, vti vir ſummus CORN. VAN BYNKERSHOEK docet, contendit Venuleius. Titius vxori legauerat *vſumfructum tertiae partis bonorum*: Caius *tertiae partis rerum*: IAVOLENVS vſumfructum *tertiae partis certarum rerum*. Quaeritur, an omnes hae vſufructuariae ſint eiuſdem conditionis, eatenus, vt aes alienum ſit deducendum, et quod in actionibus eſt computandum, ante quam tertiae illius partis ponatur ratio? Reſpondet VENVLEIVS, *nihil intereſſe* inter duas ſpecies priores. Siue enim legatus ſit vſusfructus *partis tertiae bonorum*, ſiue *tertiae partis rerum*, et aes alienum deduci oportere, et id quod in actionibus eſt, computari. Expediti enim iuris eſt, *res* et *bona* hic dici promiſcue, actioneſque etiam res incorporales, et in bonis eſſe (*e*). Aſt in tertia ſpecie, *ſi vſusfructus tertiae partis certarum rerum legatus ſit*, idem obſeruari negat VENVLEIVS, et recte negat, quum nec aes alienum certam rem ſingularem afficiat, et actiones ad ipſam bonorum vel rerum vniuerſitatem pertineant. Quae omnia tam luculenter expendit vir quem laudaui, illuſtris, CORN. VAN BYNKERSHOEK (*f*), vt vel verbum addere ſuperuacuum videatur.

Denique eodem pertinent omnia illa veterum artis noſtrae conditorum fragmenta, in quibus mariti vxoribus legaſſe dicuntur ſub conditione: SVBLATIS LIBERIS (*g*), QVANDOQVE LIBEROS HABEBVNT (*h*), QVVM LIBEROS HABVERINT (*i*). Qui vero liberi tunc profuerint, iam paullo ante ex *L. 25. D. de condit. et demonſtr.* expoſuimus.

VI. Poſtremum inter leges decimarias, id eſt vndeuigeſimum PAPIAE POPPAEAE caput id quoque lucrum concedit vxoribus, vt HOC AMPLIVS PRAETER DECIMAM DOTEM LEGATAM SIBI PETERE poſſent. Dos itaque non computabatur in decimam, quam matrimonii nomine vxor capiebat, quia illa eſt proprium patrimonium vxoris, adeoque nec ei legatur a marito, ſed relegatur, vel praelegatur, tanquam res vxoris iam propria (*l*). Praecipue huc referenda eſt ſpecies, quam tractat TERENTIVS CLEMENS (*m*). *Quum ab vno herede mulieri* PRO DOTE *compenſandi animo lega-*

(a) *Coniect. Lib. I. cap. 14.*
(b) *Rer. iudic. Lib. II. cap. 3.*
(c) *Flor. Sparſ. ad h. l.*
(d) *Lib. I. Obſ. cap. 12. et de vſufr. Lib. I. cap. 13.*
(e) *L. 49. D. de verb. ſign.*
(f) *Obſ. Lib. II. cap. 24.*
(g) *L. 24. D. de adim. vel transf. leg.*
(h) *L. 25. D. eod.*
(i) *L. 62. pr. D. de cond. et dem. L. 4. C. quand. dies leg. vel fideic. ced.*
(l) CVIAC. *Obſ. Lib. IIII. cap. 23.*
(m) TER. CLEM. *Lib. IIII. L. 53. D. de leg. 2.*

legatum eſſet, eaque dotem ſuam ferre, quam legatum maluerit: vtrum in omnes heredes, an in eum ſolum, a quo legatum eſt, actio ei de dote dari debeat? quaeritur. Maritus qui v. c. mille Philippum dotis loco ab vxore acceperat, huic moriens non ipſam hanc ſummam relegauerat, ſed certum fundum, ab vno coheredum praeſtandum in compenſationem dotis. Non quaerebatur, an ſubſiſteret legatum? (ſubſiſtebat enim per legem noſtram decimariam:) nec, an mulier legato repudiato, ipſam dotem repetere poſſet: (Neque enim id dubium erat ob ambiguam fundi aeſtimationem.) Sed id quaerebatur, ſi dotem mallet, vtrum aduerſus omnes heredes, an aduerſus eum, a quo ipſi fundus in compenſationem dotis legatus fuerat, haberet actionem? *Et Iulianus quidem in eum primum, a quo legatum ſit, actionem dandam putat: nam quum aut ſuo iure, aut iudicio mariti contenta eſſe debeat, aequum eſſe, eum, a quo ei maritus aliquid pro dote legauerat, vſque ad quantitatem legationis huius aeris alieni ſuſtinere, reliqua parte dotis ab herede ei praeſtanda.* Liquida eſt deciſio. Non ab omnibus heredibus fundum illum legauerat maritus, ſed ab vno: nec tamen illi plus oneris impoſuerat, teſtamento, quam vt fundum loco dotis praeſtaret. Ex eo ergo conſequebatur, vt actio primum inſtituenda eſſet aduerſus heredem, a quo legatum erat, vt tantum ſolueret, quanti eſſet fundus, et ſi illud pretium mille Philippum non conficeret, in ſubſidium reliqui coheredes tenerentur, quia dos facit partem aeris alieni, ab omnibus exſoluendi heredibus.

Sequitur altera apud CLEMENTEM ſpecies (a): Maritus dotis compenſandae cauſſa vxorem cum aliis inſtituerat heredem, eique Titium coheredem ſubſtituerat. Illa, repudiata hereditate, dotem praeferebat. Quaerebatur, vtrum ab omnibus heredibus, an a ſolo Titio ſibi ſubſtituto eam petere debeat? Reſpondet ICtus: *Eadem*, (quae videlicet de ſuperiore ſpecie dixerat,) *erunt dicenda, ſi* (vxor) *heres inſtituta pro dote, omiſerit hereditatem: vt in ſubſtitutum* (primum) *actio detur*, (reliqui coheredes teneantur in ſubſidium,) *et hoc verum eſt*.

Denique et tertiam ſpeciem adiicit (b). Maritus vxori legat dotem ab vno coheredum, Titio, eumque et aliis legatis onerat. Poſita ratione Titius deprehendit, quum ex dote relegata quarta Falcidia detrahi nequeat (c), ea exſoluta ſibi vel nihil vel parum ſuperfore. Quaeritur, idne damnum ſolus Titius ſentiat, an illud ad omnes coheredes pertineat? Reſpondet TER. CLEMENS, aequum eſſe, vt damnum ad omnes pertineat, ex eadem puta ratione, quod dos facit partem aeris alieni. Et ita intelligenda poſtrema TER. CLEMENTIS verba: *ſed de legatis, et legis Falcidiae ratione belle dubitatur, vtrum is, in quem ſolum dotis actio detur, legata integra ex perſona ſua debeat, perinde ac ſi omnes heredes dotem praeſtarent*, (id eſt vtrum coheres ſolus perinde omne damnum ferat, ac ferre deberent omnes, ſi ab omnibus legata fuiſſet,) *an dotem totam in aere alieno computare*, (adeoque is quartae ſuae ſupplementum a coeredibus petere poſſit,) *quia in eum ſolum actio detur? Quod ſane* (poſterius) *magis rationem habere videtur*.

VII.

[a] TER. CLEM. IB. L. 53. §. 1. D. *de leg.* 2.

(b) ID. IB. L. 53. §. 2. *eod.*

(c) L. 81. §. 1. 2. D. *ad L. Falc.*

Digitized by Google

VII. Quemadmodum vero leges iſtae haud parum odioſae ſemper viſae ſunt ciuibus Romanis : ita hi varias excogitarunt artes , quibus fraus illis vtcumque fieret. Primum enim ſaepe huiuſmodi pacta dotalia fiebant , vt dos , etiam quae vniuerſa mulieris bona exhauriebat , mortua vxore penes maritum maneret. Sed hanc in fraudem legis conſtitutam dotem irritam eſſe iubebat CONSTANTIVS *(a)* . Nec eſt quod cum CVIACIO *ad hanc legem* exiſtimemus , legem Papiam certam quantitatem praeſtituiſſe dotibus. In fraudem enim legis Papiae conſtituta dos non eſt, quae vltra decies centena datur, ſed quae ita datur, vt plus, quam per leges decimarias liceat, ad coniugem ſuperſtitem perueniat , ceu recte in commentario docet vir eximius IAC. GOTHOFREDVS, et ante eum EM. MERILLIVS *Obſ. lib.* III. *cap.* VI. Nam ſi lege Papia modus praeſtitutus fuiſſet dotibus , et, plus in dotem dediſſet mulier , id non in fraudem legis , ſed contra ipſam legem factum fuiſſet. Vnde palam eſt , de ea fraude loqui legem , qua coniux coniugi titulo dotis daret, quod per leges capere non poſſet.

Deinde quum *capere* ſit aliquid ex teſtamento lucrari : leges decimarias commode eludebant donationibus inter viuos , quia Seuerus et Antoninus anno v. c. 959. Fuluio Aemiliano et Numio Albino coſſ. auctores fuerant ſenatui, vt et inter coniuges donationes ratas eſſe cenſeret , ſi morte donatoris vel donatricis confirmarentur *(b)* . Verum et huic fraudi legibus recentioribus *(c)* obuiam itum eſſe, iam ſupra notauimus.

Denique quam maxime huc faciebant tacita fideicommiſſa. Si quis enim plus, quam per leges licebat, coniugi vellet relictum : is tunc in ſpeciem alios inſtituebat heredes , ſed tacito fideicommiſſo obſtrictos , vt vel omnia bona , vel maximam eorum partem reſtituerent coniugi ſuperſtiti . Vnde lucem capiunt duo praeclara fragmenta , PAPINIANI alterum , alterum TERTVLLIANI . Ille ait *(d)*: *ſi gener ſocerum heredem reliquerit*, TACITI FIDEICOMMISSI *ſuſpicionem ſola ratio paternae adfectionis non admittit* . Manifeſto Papiniano propoſita fuerat haec ſpecies . Titius moriens reliquerat coniugem, quae praeter decimam matrimonii nomine, et vſumfructum tertiae partis bonorum, per legem nihil capere poterat . Heredem ergo inſtituerat eius patrem , idque ſuſpicionem iniecerat heredibus ab inteſtato , teſtamentum hoc conditum eſſe in fraudem legis decimariae , tacitoque fideicommiſſo obſtrictum eſſe ſocerum , vt hereditatem filiae , Titii viduae, reſtitueret. Quaerebant ex *Papiniano*, an iuſta ſit illa ſuſpicio ? idque negabat ICtus, et, ſi alia deeſſent rei teſtimonia, hanc ſolam affectionis paternae rationem eam ſuſpicionem non admittere, reſpondebat.

Alter locus TERTVLLIANI *(e)* talis eſt : *Tu modo , vt* SOLIDVM CAPERE *poſſis*, *hoc meae admonitionis* FIDEICOMMISSVM *Deus faciat*. Manifeſto ille patrum iuris conſultiſſimus in animo habuit leges decimarias. Quemadmodum lex Papia multa nuptis praemia pollicebatur : ita TERTVLLIANVS vxori , ſi ſanctae viduitatis propoſitum ſeruaſſet , non pauciora praemia , quae partim ad praeſentem vitam, partim ad futuram et ſempiternam pertinent, proponit. Ea vt in ſolidum vxor capiat , optat , fingitque eleganter,

[a] *L. vlt. C. Th. de inoff. dot.*
(b) *L. 32. §. 1. D. de don. int. vir. et vxor.*
[c] *L. 1. C. Theod. de bon. proſcr.*
(d) *L. 25. pr. D. de his quae vt indign.*
[e] *Ad vxor. Lib. I. cap. I.*

ter, tacito fideicommiſſo, id eſt, praecibus ſe rem commiſiſſe Deo, quemadmodum mariti fideicommittere ſoleant heredibus, quod ad vxores contra leges decimarias peruenire vellent. Enimuero huic quoque fraudi obicem poſiturus CONSTANTINVS M. (a) (non, vti in quibuſdam editionibus eſt, Conſtantius,) ad maximum, Rationalem Hiſpaniae reſcribit, tacita huiuſmodi fideicommiſſa praemiis propoſitis eſſe detegenda. Et quidem, ſi ipſe cuius fideicommiſſum fuerit, rem enunciet, tertiam bonorum partem ei premium futuram. Sin vxor rem deferat, eam dimidiam hereditatem cum optione habituram: occultatorem contra, omni patrimonio exutum, in inſulam deportatum iri. Seuera iſta conſtitutio paullo incautius in codicem Iuſtinianeum translata eſt a Triboniano eiuſque ſociis, ſiquidem Iuſtiniani temporibus, abolitis, vti mox demonſtrabimus, legibus decimariis, vix ſiltis fideicommiſſis tacitis amplius erat opus.

VIII. Ceterum leges illae decimariae paullatim ab vſu receſſerunt: ac denique in vniuerſum abrogatae ſunt. Quod, quibus gradibus ſit factum, diligentius iam inueſtigandum eſt. Primum Claudius Imp. teſte SVETONIO (b) ciuibus, naues mercaturae cauſſa fabricantibus, vacationem legis Papiae Poppaeae conceſſit. Quod quamuis de legibus decimariis praecipue intelligendum ſit, ipſae tamen illae leges per ſaecula inſequentia conſtanti vſu viguerunt: ſiquidem ſub Veſpaſianorum tempora eorum meminit QVINCTILIANVS; ſub Antoninis SCAEVOLA, ſub Seuero TERTVLLIANVS, ſub Caracalla PAPINIANVS et VLPIANVS, ſub Alexandro VENVLEIVS, quorum loca hoc capite paſſim alligauimus. Quin quarto adhuc ſaeculo Chriſtiano, quamuis CONSTANTINVS M. poenas caelibatus ac orbitatis ſuſtuliſſet, ipſae tamen leges decimariae ab eo intactae ſeruatae ſunt, ceu ex conſtitutione in codice Iuſtinianeo mutila (c), in Theodoſiano (d) integriore, adparet, vbi CONSTANTINVS, abolitis coelibatus poenis: *Verum huius beneficii*, inquit, *maritis et vxoribus inter ſe vſurpatio non patebit, quorum fallaces plerumque blanditiae vix etiam oppoſito iuris rigore cohibentur, ſed maneat inter iſtas perſonas* LEGVM PRISCA AVCTORITAS. Manſiſſe ergo ſub Conſtantino leges decimarias, tum ex his verbis, tum et ex ſeuera illa epiſtola ad Rationalem Hiſpaniae, paullo ante allegata, adparet. Confirmauit tamen idem Imperator nauiculariis priuilegium, a Claudio Imp. olim conceſſum, vt ex conſtitutione in codice Theodoſiano ſuperſtite (e) diſcimus.

Sub Conſtantini M. filiis, proximiſque ſucceſſoribus, manſiſſe leges decimarias, vel inde patet, quod eae adhuc ſub Theodoſio M. viguerunt; qui et ipſe tamen decurionibus et curialibus legum iſtarum gratiam fecit, eoſque ſingulari conſtitutione (f) ſolidi capaces eſſe iuſſit.

Primi anno erae Chriſtianae 410. has leges penitus ſuſtulerunt HONORIVS et THEODOSIVS (g), in perpetuum valitura lege decernentes, *vt inter virum et vxorem ratio ceſſet ex lege Papia* DECIMARVM, *et, quamuis non interueniant liberi, ex ſuis tamen in* SOLIDVM *capiant teſtamentis, niſi forte lex alia imminuerit, derelicta*: quin *vt tantum poſthac maritus et vxor*

(a) L. vn. C. de his qui ſe defer.
(b) Claud. cap. 18.
(c) L. 1. C. de infirm. caelib. poen.
(d) L. 1. C. Theod. eod.
(e) L. 7. C. Theod. de nauicul.
(f) L. 124. C. Theod. de decur.
(g) L. 2. C. Th. de iur. lib. L. 2. C. de inf. poen. caelib.

Digitized by Google

ſibi inuicem relinquere poſſint, quantum ſuperſtes amor exegerit. Ceterum, quamuis hac conſtitutione leges decimariae ſublatae ſint: non tamen ſimul omne orborum et parentum diſcrimen, ſublatum eſt, vti ALCIATVS (a) ideo a DVARENO (b) notatus, exiſtimat. Hoc enim diſcrimen primus plane ſuſtulit Iuſtinianus. Verba autem in conſtitutione HONORII et THEODOSII: *Niſi forte alia lex imminuerit*, ad legem Falcidiam et eas, quae de inofficioſo teſtamento ſcriptae ſunt, reſpicere, recte obſeruauit IAC. GOTHOFREDVS (c). Quum vero nec parentes et liberi legitima portione fraudari, nec heredes coniugis cauſſa vltra dodrantem onerari poſſent: tamen poſt hanc legem, quod vltra modum coniux coniugi reliquerat, non amplius occupabat fiſcus, ſed ii, quorum intererat, vel actione in factum, vel querela inofficioſi experiebantur, vt, quod ſibi deerat, iis actionibus conſequerentur.

(a) *Ad L. 137. D. de verb. ſign.*
(b) *Diſp. Anniuerſ. Lib. I. cap. 40.*
(c) *Ad Cod. Theod. Tom. II. pag. 649.*

CAPVT XV.

AD CAPITA LEGIS XX. XXI. XXII. XXIII. XXIIII. XXV. XXVI. XXVII. ET XXVIII. DE SOLIDI CAPACITATE.

I. *Proximae fuerunt leges de ſolidi capacitate. Eae quotuplices? Illarum reſtitutio.* II. *Solidum inter ſe capiebant coniuges ob aetatem. Breuitas matrimonii an obſtiterit? Aetas, qua liberi exigebantur. Locus Tertulliani explicatus. Fr. Germanus notatus.* III. *Solidum inter ſe capiebant coniuges ob diuturnitatem matrimonii. Maritus annorum ſexaginta, vxor quinquaginta lege hac ſoluti.* IV. *Ob cognationem qui inter ſe ſolidum capere potuerint? Guiacii et Grauinae lapſus.* V. *Solidi capaces erant abſentes reip. cauſſa. Iac. Gothofredus notatus. Quinam abſentes reip. cauſſa? Mulieres in prouincias duci non poterant.* VI. *Solidi capacitas ob liberos, vel vnum communem ſuperſtitem, vel puberem amiſſum. Aetas legitima. Duo quoque trimi proderant parentibus. Quando infantes mamma fuerint depulſi? Prodrant et tres poſt nominum diem vel vnus intra annum et ſex menſes amiſſus. Iac. Gothofredus notatus. Subſtitutiones, in fraudem legis inuentae.* L. 6. D. de vulg. et pup. ſubſt. *explicata.* VII. *Solidi capacitas ob poſtumum.* VIII. *Solidi capacitas ob ius liberorum impetratum. Quis illud conceſſerit? An in capite noſtro id concedendi facultas populo data?* IX. *Solidi capacitas ex teſtamento extranei. Pater ſolitarius. Marmor Viennenſe expoſitum contra Ioſ. Scaligerum.* L. 72. D. de her. inſt. *expoſita.* X. *Quando femina ſolidum ceperit ex teſtamento extranei?* XI. *Priuilegia aduerſus leges has conceſſa. Ius trium liberorum.* L. 2. et 3. C. Th. de iur. lib. *explicatae. Quando ea conſtitutio in Occidente valere coeperit? An hae leges* L. vlt. C. de iur. lib. *abrogatae ſint?*

I. Quan-

I. QVando vnam vel alteram decimam inter ſe capere potuerint coniuges, ſuperiore capite oſtendimus: Has leges decimarias excepiſſe capita *de ſolidi capacitate*, cum ex argumenti ſimilitudine, tum ex fragmentis Terentii Clementis et Vlpiani colligi poteſt, quippe quos eodem libro commentariorum quarto de ſolidi capacitate egiſſe animaduertimus. Ceterum ſolidum vel inter ſe capiebant coniuges, vel quicumque alii ex teſtamentis quorumcumque. Quibus caſibus inter ſe ceperint coniuges, oſtendit Vlpianus (a), ex quo ſeptem haec capita, a viro eximio, Iac. Gothofredo, excepto illo de abſentibus reip. cauſſa, in vnum conflata, ita reſtituimus:

Cap. XX. *Viro et vxori ſolidum inter ſe capiundi ius eſto, ſi vterque vel alteruter nondum eius aetatis ſit, qua liberi ex hac lege exiguntur.*

Cap. XXI. *Item ſi vtrique finitos hac lege annos in matrimonio exceſſerint, ſolidum capiundi ius eſto.*

Cap. XXII. *Item ſi cognati inter ſe coierint, vſque ad ſextum gradum, eis ſolidum capiundi ius eſto.*

Cap. XXIII. *Si vir abeſt reip. cauſſa, donec abeſt, et intra annum, poſtquam abeſſe deſiit, libera inter eum et vxorem teſtamentifactio eſto.*

Cap. XXIIII. *Item qui filium filiamue communem ſuperſtitem habebunt aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim, vel qui duos trimos vel tres poſt nominum diem, aut qui intra annum et ſex menſes etiam vnum cuiuſcunque aetatis impuberem amiſerunt, eis ſolidum inter ſe capiundi ius eſto.*

Cap. XXV. *Item vxori, quae poſt mortem viri intra decem menſes ex eo pepererit, ſolidum ex bonis eius capiundi ius eſto.*

Cap. XXVI. *Item qui quaeue ius liberorum a ſenatu impetrauerint, ſolidum inter ſe capiunto.*

Quando vero ex teſtamentis aliorum quiſque capere potuerit, duo ſequentia oſtendunt capita, quae iidem ex Vlpiani rubrica tituli XIII, nec non ex Ivvenale (b) et *L. 8. et L. 9. C. Th. de bon. proſcriptorum* ita reſtituimus:

Cap. XXVII. *Ex aliorum teſtamentis* pater solitarivs *ſolidum capito.*

Cap. XXVIII. *Item femina ingenua, ſi tres liberos habebit, et libertina, ſi quatuor, ſolidum ex teſtamento capiunto.*

II. Primum caſum, quo ſolidum inter ſe capiebant coniuges, ita lex deſcribit: VIRO ET VXORI SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO, SI VTERQVE VEL ALTERVTER NONDVM EIVS AETATIS SIT, QVA LIBERI EX HAC L. EXIGVNTVR. Pertinet itaque lex ad virvm et vxorem, orbos, non τοὺς ΑΓΑΜΟΤΣ, ἀπὸ ἔικοσι καὶ πέντε ἐτῶν, ad eos, *qui intra annum* XXV. *nondum inierant* matrimonivm, *vti legem accepiſſe videtur* Sozomenvs (c). Exigebatur enim matri-

(a) *Fragm. tit. XVI. §. 1.*
(a) *Sat. VIIII. v. 86.*
(b) *Hiſt. eccl. Lib. I. cap. 9.*

trimonium rite contractum, ita tamen, vt et breuiſſimum ſufficeret. *Non tantum enim duorum menſium, ſed et minoris temporis maritus vxoris teſtamento ſcriptus ſuccedebat, nec legata, vel fideicommiſſa ſeu donationes temporis huius anguſtia capi prohibebat*, vti ad Niconem reſcribunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA (*a*). Ex qua lege infert vir ſummus, IAC. CVIACIVS (*b*), priſca quadam lege, forſan Iulia et Papia, cautum fuiſſe ante hanc conſtitutionem, ne aliter noui nupti ius ſolidi inter ſe capiundi haberent, quam ſi duorum ſaltim menſium ſpatio vna fuiſſent, eiuſque ſanctionis eam fuiſſe cauſſam, vt nouis *νεογάμων* calor coerceretur, quo aeſtuantes facile ſua omnia nouo coniugi elargiri ſoleant. Quale quid et Germanis in mentem veniſſe, in Antiquitatibus Germanicis notauimus. Verum quantumuis acuta ea coniectura ſit: veterum tamen teſtimonio illa deſtituitur: nec id ex hac conſtitutione liquet, quum Nicon Imperatoribus huiuſmodi ſpeciem proponere potuerit, ex qua naſceretur dubium, an ſolidi capax ſit maritus, quocum vxor bimeſtre tantum exegerit matrimonium, adeoque Principes non tam ad legem aliquam, quam ad propoſitum ſibi caſum reſpexerint.

His coniugibus SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS erat: ſiue alter alterum heredem inſtituiſſet, ſiue per dotationem inter viuos mortiſue cauſſa omnia bona tranſtuliſſet in coniugem. Ad hos enim modos omnes CAPIVNDI vocabulum porrigi, iam ſuperiore capite monuimus: Non tamen ſolidum capiebant ſemper, ſed SI VTERQVE VEL ALTERVTER EORVM NONDVM EIVS AETATIS ESSET, QVA LEX LIBEROS EXIGIT. Si vterque infra eam aetatem erat, vterque; ſin alteruter; is, qui nondum eius aetatis erat, ſolidi capax habebatur.

At quaenam illa aetas, qua lex exigebat liberos? Ipſe VLPIANVS (*c*) ita haec verba interpretatur: *Id eſt, ſi vir minor* ANNORVM VIGINTIQVINQVE *ſit, aut vxor* ANNORVM VIGINTI *minor*. Neque dubitandum, quin VLPIANI et inſequentibus temporibus res ſe ita habuerit, maxime, quum et SOZOMENVS (*d*) meminerit *εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν*. Sed tanto magis dubito, an hi ſint anni, ipſa lege Papia Poppaea praefiniti, ob locum TERTVLLIANI (*e*) notatu digniſſimum: *Nonne vaniſſimas* PAPIAS *leges, quae ante liberos ſuſcipi cogunt, quam* IVLIAE *matrimonium contrahi, poſt tantae auctoritatis ſenectutem heri Seuerus, conſtantiſſimus principum, excluſit?* Ex hoc ſane teſtimonio diſcimus, primo, ſeueram admodum fuiſſe legem Papiam Poppaeam, quippe quae prius ſuſcipi coegerit liberos, quam lex Iulia de maritandis ordinibus matrimonium iniri. Deinde eadem opera nos docet TERTVLLIANVS, Seuerum, principum conſtantiſſimum, leges illas Papias excluſiſſe, non, quod eas aboleuerit, (id enim demum poſtremis factum eſt reip. temporibus:) ſed quod paullo maiorem finiuerit aetatem, et fortaſſis eam, quam lex Iulia de maritandis ordinibus olim inuexerat, in vſum reuocarit. Quae quum ita ſint, conſequens ſane eſt, vt illi viginti quinque anni maritis, et viginti vxoribus praefiniti, non ſint ex lege Papia Poppaea, ſed ex conſtitutione Seueri, vel fortaſſis ex lege Iulia

(a) *L. 10. C. de legat.*
(b) *Obſ. Lib.* XVIII. *cap.* 9.
(c) *Fragm. tit.* XVI. §. 1.
(d) *Ibid.*
(e) *Apolog. cap.* 4.

Digitized by Google

Iulia a Seuero in vſum reuocata. Quibus vero annis lex Papia Poppaea exegerit liberos, aeque incertum eſt, ac quibus lex Iulia de maritandis ordinibus iniri iuſſerit matrimonium: Si coniecturae locus eſſet, dixerim ego, legem Papiam vti matrimonium inire iuſſerat omnes puberes et viri potentes, ita liberos flagitaſſe a maribus anno aetatis duodeuigeſimo, a feminis forte XVI. Illum enim annum iam veteribus in maribus viſum fuiſſe procreandis liberis idoneum, vel inde patet, quod adoptantem annis octodecim praecedere oportuerit adoptiuum (*a*). Quod ſi itaque lex Iulia mares anno XX; feminas anno XVIII. quibus plerumque nuptiis idonei creduntur homines, matrimonium inire iuſſit: facile intelligemus: cur vanitatis legem Papiam accuſet TERTVLLIANVS, prius quippe exigentem liberos, quam Iulia iuſſerat matrimonium iniri. Vtut ſit: errare ſaltim liquet eos, qui cum viro eximio, FR. CONNANO (*b*) ſcribunt, legem Papiam Poppaeam neminem ante annum viceſimum quintum ad iuſtae vxoris amplexum inuitaſſe. Id enim ex SOZOMENI et HISTORIAE TRIPERTITAE lacunis eum hauſiſſe, nemo non animaduertit.

III. Sequente capite fuerat cautum, VT SI VTRIQVE LEGE HAC FINITOS ANNOS IN MATRIMONIO EXEGERINT, IIS SOLIDVM CAPIVNDI IVS ESSET. Quemadmodum itaque ante annos, quibus lex liberos exigebat, orbitas non impediebat coniuges, quo minus ſolidum inter ſe caperent; ita nec fraudi amplius erat ſenibus, ſi liberos in matrimonio tam diuturno non ſuſtuliſſent. Anni vero iſti legibus finiti in viris erant ſexageſimus, in feminis quinquageſimus. Ita enim ipſe VLPIANVS (*c*) hoc caput interpretatur: *Id eſt, vir* SEXAGINTA *annos, uxor* QVINQVAGINTA. Quemadmodum enim qui intra hos annos nec matrimonium iniiſſent, nec procreaſſent liberos, ipſis poenis caelibatus orbitatiſque liberabantur capite huius legis tertio: ita et ſolidi capaces erant, qui hos annos exegiſſent IN MATRIMONIO, tanquam qui iam patriae priamoque ſatisfeciſſent.

IIII. Sequitur caput legis XXII: ITEM SI COGNATI INTER SE COIERINT VSQVE AD SEXTVM GRADVM, EIS SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO. Romanos in coniunctionibus honeſtatis potiſſimum habuiſſe rationem, nec promiſcue inter cognatos conceſſiſſe nuptias, in vulgus notum eſt. In linea recta illae prohibitae erant in infinitum: in collaterali aequali demum in gradu quarto inter conſobrinos; in inaequali tantum inter eas perſonas, quae ſibi inuicem parentum liberorumque loco haud erant, permittebantur. Si qui vero cognati, quos leges coire non prohibebant, inierant matrimonium: aequum videbatur, duplex illud vinculum coniugibus ad ſolidi capacitatem prodeſſe. Non abs re autem additur VSQVE AD SEXTVM GRADVM. Nam et his ſolis Praetor dabat bonorum poſſeſſionem, non habita vlteriorum graduum ratione, niſi ex ſeptimo ſobrino ſobrinaque nati nataeue (*d*). Immo non facile, quum de naturali cognatione quaeritur, ſeptimus gradus exceditur, quatenus vltra eum fere gradum rerum natura cognatorum vitam conſiſtere non patitur, vti ait MODESTINVS (*e*).

Prae-

(a) *L. 40. §. 1. D. de adopt.*

(b) *Comment. iur. ciu. Lib.* VIII. *cap. 4. num. 3.*

(c) *Tit. 16. §. 1.*

(d) *§. vlt. Inſt. de ſucceſſ. cogn.*

(e) *L. 4. pr. D. de grad. et adfin.*

Praecipue autem lex prudenter adiecerat : SI INTER SE COIERINT, ne id priuilegium ad ſponſos pertinere exiſtimaretur. Quos alioquin maritorum iure frui paſſa erat lex Iulia et Papia : Nam his cognatis qui haud inter ſe coierant, hoc legis beneficio ne quidem opus erat, quia ſibi inuicem quaeuis relinquere iure poterant, dum ne alias eſſent ſolidi incapaces. Male ergo vir ſummus, IAC. CVIACIVS (a), haec ad caelibes producit, exiſtimans, eos vtilitate teſtamentaria excidiſſe, nec ſolidum potuiſſe capere, niſi ex teſtamentis cognatorum intra ſextum gradum. Male etiam vir doctiſſimus, IAN. VINC. GRAVINA (b), qui longius ratiocinando progreſſus, agnatos ſine fraude legis Papiae Poppaeae vſque ad decimum gradum exiſtimat inter ſe capere potuiſſe, quia is ſit gradus agnationis extremus (c). Enimuero inter cognatos et agnatos lex noſtra haud diſtinguit, nec ICtorum eſt, huiuſmodi leges ad alios proferre caſus, de quibus altum eſt in ipſa lege ſilentium.

V. Capite XXIII. cauebatur : SI VIR ABEST REIP. CAVSSA, DONEC ABEST, ET INTRA ANNVM POSTQVAM ABESSE DESIERIT, LIBERA INTER EVM VXOREM TESTAMENTI FACTIO ESTO. Vir laude noſtra maior, IAC. GOTHOFREDVS (d), non modo hanc particulam a reliquis de ſolidi capacitate capitibus ſeiungit, ex eaque ſingulare conſtruit caput, quod ipſi eſt duodeuigeſimum: verum etiam illud ita refingit: *Si vir commodi ſui cauſſa abſit, ex bonis vxoris ſuae ſolidum ne capito: at ſi ſine detrectatione reip. cauſſa aberit, et donec abeſt, et intra annum, poſtquam abeſſe deſiit, libera inter virum et vxorem teſtamenti factio eſto*. Conſilii ſui diuulſaeque a reliquis capitibus huius particulae eam rationem reddit vir eximius, quod VLPIANVS (e) libro demum commentariorum ſexto, quid ſit reip. cauſſa abeſſe, exponat, quum de ſolidi capacitate egerit libro quarto. Quae de viro ſui commodi cauſſa abſente adfuit, ea niti ait epigrammate hoc MARTIALIS (f):

Neſcio quid de te non belle, Dento, fateris,
Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam ſupplicibus dominum laſſare libellis
Deſine, et in patriam ſerus ab vrbe redi.
Nam dum tu longe deſerta vxore domoque
Tres quaeris natos, quattuor inuenies.

Ex quo GOTHOFREDVS infert, eos, qui ab vxore abeſſe vellent, ius liberorum petere conſueuiſſe a principe. Enimuero, quum VLPIANVS (g) hanc legem reliquis de ſolidi capacitate adiungat, nec veroſimile ſit, legem noſtram accurate ſcriptam, capita, quae de ſolidi capacitate agunt, hunc in modum diuulſiſſe: non abs re ſuſpicamur, illa VLPIANI fragmenta de abſentia reip. cauſſa ad aliud caput legis noſtrae pertinuiſſe, de quo infra videbimus. Deinde ex MARTIALIS epigrammate, vti iam V. C. ANT. SCHVL-

(a) *Paratitl. C. de infirm. poen. caelib.*
(b) *De leg. et SCto num.* 31. *pag.* 584.
(c) §. *vlt. Inſt. de ſucc. cogn.*
(d) *Ad leg. Pap. Popp. cap.* 18.
(e) *L.* 36. *et* 38. *D. ex quib. cauſſ. maior.*
(f) *Lib.* VIII *Epigr.* 31.
(g) *Fragm. tit.* 16. §. 1.

Digitized by Google

SCHVLTINGIVS (*a*) obſeruauit, fruſtra probatur, virum qui commodi ſui cauſſa abſuerit, hoc beneficio ab ipſa lege fuiſſe priuatum. Nec Denio, in quem ludit MARTIALIS, ideo ius liberorum petebat, vt ab vxore abeſſet, ſed idcirco aberat, quia petebat ius liberorum. Id autem facile largimur viro eximio, e texto VLPIANI excidiſſe verba REIPVBLICAE CAVSSA: quia annus vacationis non dabatur abſentibus quibuſuis, ſed iis, qui poſtquam reipublicae cauſſa abſuerant, domum reuertiſſent.

Ait ergo lex: SI VIR ABEST REIP. CAVSSA: adeoque id beneficium non conceditur iis, qui ſui commodi, veluti commerciorum cauſſa aberant (*b*), nec qui alterius grandis commodi cauſſa id agebant, vt reip. cauſſa abeſſent (*c*), vti ſaepe libera republica legationes liberae impetrabantur ab iis, quibus negotia eſſent in prouinciis, nec qui data opera id affectarant, aut profecti erant maturius, aut dicis gratia reip. cauſſa aberant (*d*): ſed qui auctoritate publica, et bono publico peregre verſabantur (*e*) veluti magiſtratus, euntes in prouincias (*f*), eorumque comites, miniſtri, milites (*g*), et quicumque ad negotium reip. cauſſa expediendum amandabantur (*h*), veluti legati.

His omnibus id competebat priuilegium, DONEC ABESSENT, ET INTRA ANNVM POSTQVAM ABESSE DESIERANT. Quae vacatio annua ab eo incipiebat momento, quo finito munere, Romam redibant (*i*). Hinc non proderat illis abſentia, qui in prouincia vltra tempus, conſtitutionibus conceſſum, adſederant (*l*). Niſi princeps adſidere diutius ſpeciatim permiſiſſet (*m*). Ad reuertendum vero tantum illis laxamenti indulgebatur, vt commode in vrbem reuerti poſſent, nec proficiebat eis tempus, quo aliquo deflexerant ſuae rei cauſſa, praeterquam ſi infirmitate impediti, iter continuare haud poſſent. Tunc enim ratio habebatur humanitatis, ſicuti haberi ſolebat et hiemis, et nauigationis, ceterorumque, quae caſu contingunt (*n*).

Iuſto vero tempore reuerſi anni habebant vacationem, non ſolum, vt excuſarentur a muneribus publicis, verum etiam, VT LIBERA interea INTER CONIVGES eſſet TESTAMENTI FACTIO, adeoque alter ex alterius teſtamento ſolidum iure caperet, etiamſi nullos vel ſuperſtites haberent, vel amiſiſſent communes liberos.

Ratio huius priuilegii a more antiquo videtur arceſſenda, quo feminis haud licebat viros, ituros in prouincias vel caſtra, comitari. De libera re publica id certiſſimum eſt, laudaturque a M. SENECA (*o*) vir grauiſſimus Flaminius, quod exiturus in prouinciam vxorem a porta dimiſerit. Quae vetus diſciplina ad Auguſtum vſque manſit, ſub quo lex noſtra lata eſt. De eo enim SVETONIVS (*p*): *Diſciplinam*, inquit, *ſeueriſſime rexit, ne legatorum quidem, niſi grauate, hiberniſque demum menſibus, permiſit* VXOREM INTERVISERE. Quamuis itaque Auguſtus ipſe, Liuia comite, aliquan-

(a) *Ad* VLPIAN. *pag.* 612.
(b) *L.* 1. §. 1. *L.* 36. *ex quib. cauſſ. maior.*
(c) *L.* 4. *D. eod.*
(d) *L.* 5. *D. eod.*
(e) *L.* 36. *D. ex quibus cauſ. maiores.*
[f] *L.* 16. *D. de off. praeſ. L.* 32. *quib. ex cauſſ. mai.*
(g) *L.* 33. §. 4. *D. eod.*
(h) L. 8. L. 35. §. 1. *D. eod.*
[i] *L.* 38. §. 1. *D. eod.*
[l] *L.* 37. *D. eod.*
(m) *L.* 38. *pr. D. eod.*
(n) *L.* 38. §. 1. *D. eod.*
(o) *Controu. Lib.* IIII.
(p) *Annal. Lib.* III. *cap.* 32.

Digitized by Google

quando obiret prouincias: non tamen id indulgebat aliis. At ſub Tiberio non ſolum Agrippina cum Germanico in prouinciam iuit, verum etiam Caecinae, referenti ad Senatum, ne quem magiſtratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur, grauiter a Valerio Meſſalino, ipſoque Druſo reclamatum, eoque conuicio eius ſententia eluſa eſt, teſte TACITO (*a*). Frequenter itaque ab eo tempore vxores magiſtratuum haerebant in prouinciis, veluti vxor Pilati (*b*), et Druſilla Felicis (*c*) Procuratorum Caeſaris per Iudaeam, C. Plinii Secundi, Propraetoris prouinciae Ponticae conſulari poteſtate in Bithynia (*d*), aliorumque virorum recti exempli domi militiaeque. Hinc de ſuo tempore VLPIANVS (*e*): *Proficiſci autem procoſ. melius eſt ſine vxore, ſed et* CVM VXORE POTEST, *dummodo ſciat, Senatum Cotta et Meſſalla Coſſ.* (adeoque ſub Tiberio anno v. c. 772.) *cenſuiſſe, futurum, vt, ſi quid vxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio et vindicta exigatur*. Quum ergo eo tempore, quo lex noſtra lata eſt, nondum vxoribus aditus pateret in caſtra et prouincias: facile reddi poterit ratio, cur Auguſtus abſentes reip. cauſſa a legum rigore eximendos cenſuerit, eo tempore, quo ab vxoribus ſecubare auctoritate publica cogerentur: et cur iiſdem anni dederit vacationem, vt reduces ſpatium haberent, communem ſibi filium filiamue quaerendi. Ex quo vero, laxata hac diſciplina, vxores coeperant cum viris in prouincias ire, ceſſaſſe id priuilegium ſaltim in iis, quibus vxor indiuidua comes haeſerat, facile eſt ad exiſtimandum.

VI. Sequitur caput XXIV., quod tale fuit, teſte VLPIANO: ITEM SI FILIVM FILIAMVE COMMVNEM HABEANT, AVT QVATVORDECIM ANNORVM FILIVM, VEL FILIAM DVODECIM AMISERINT, VEL SI DVOS TRIMOS, VEL SI TRES POST NOMINVM DIEM AMISERINT, AVT SI INTRA ANNVM ET SEX MENSES ETIAM VNVM CVIVSCVMQVE AETATIS IMPVBEREM AMISERINT, SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO. Proderant ergo et liberi ad ſolidi capacitatem, et quidem vel ſuperſtites, vel amiſſi. Superſtes proderat etiam VNVS vel VNA, FILIVS FILIAVE COMMVNIS, id eſt ex illis parentibus, qui ſolidum inter ſe capiebant natus nataue. Quare ſi quando *liberis interuenientibus* ſolidum capi potuiſſe, [illegible] dicitur (*f*): id non ita intelligendum eſt, ac ſi vnus vnaue non ſuffecerit: ſed quod ibi Imperator omnes caſus lege hac expreſſos coniunxerit.

Porro parentes aut vnum amiſerant, aut duos, aut tres, idque vel iam pridem, vel intra annum et ſex menſes. Vnus vnaue iam pridem amiſſus amiſſaue ſolidum praeſtabat, ſi FILIVS QVATVORDECIM ANNORVM vel FILIA DVODECIM turbato naturae ordine ante parentes obiiſſet. Eum enim terminum ordinarium pubertatis et viripotentiae eſſe, nemo ignorat. Equidem in codice Tiliano, vnde hos VLPIANI titulos primum reſtitutos nouimus, vocabulum DVODECIM non exſtare, obſeruat EM. MERILLIVS (*g*); ſed probum id omnino videtur et genuinum: partim quod ad pubertatis

(a) *Annal. Lib. III. cap.* 32.
(b) *Matt. XXVII.* 19.
(c) *Act. XXIIII.* 24.
[d] PLIN. *Lib. VIIII. Epiſt.* CXXI.
[e] L. 4. §. 2. D. *de off. procoſ.*
(f) L. 7. C. *de naturalib.*
(g) *Obſ. Lib. XI. cap.* 37.

tatis annos reſpexit legislator, quam ipſe in feminis capite huius legis v. duodecim annis finiuerat: partim quod ea aetas procul dubio ab hac lege Papia Poppaea, quam κατ᾽ ἐξοχὴν legis nomine veniſſe animaduertimus, LEGITIMA dici ſolebat veteribus, veluti in marmore apud IAN. GRVTERVM (a):

D. M.
IVLIAE. SECVNDINAE. FILIAE.
ET. FORMA. SINGVLARI. ET.
MORIBVS. PIISSIMIS. DOCTRI
NAQVE. SVPER. LEGITIMAM.
SEXVS. SVI. AETATEM. PRAES
STANTISSIMAE. QVAE. VIX
IT. ANN. XI. MENS. VIIII.
D. XX.

Iulia illa Secundina vix duobus menſibus aberat a pubertate vel viripotentia, eamque parens in monimento vocat LEGITIMAM SEXVS SVI AETATEM, id eſt, vti ego interpretor aetatem, quam lex Papia Poppaea feminis ad pubertatem virique potentiam ſufficere ſtatuerat: quemadmodum et in iure noſtro haec aetas aliquando LEGITIMA (b) vel IVSTA adpellatur (c), quum alias, vti BARN. BRISSONIVS (d) demonſtrauit, maiorennes demum ad iuſtam vel legitimam aetatem dicantur perueniſſe.

Sufficiebant porro DVO TRIMI AMISSI, vel quod ante triennium Romani mamma infantes depellere non ſolerent, ab eoque tempore demum iis alimenta decernerentur (e), vti viro ſummo, IAC. CVIACIO (f) viſum eſt, vel quod veteres trimos, teſte PLINIO (g), ad dimidiam futurae menſurae perueniſſe crederent, et hinc duos trimos vni puberi aequipararent: quam rationem reddit EM. MERILLIVS (h), ſubtiliorem tamen, ſi quid video, quam veriorem. CVIACII ratio, tanquam ſimplicior ſeſe commendaret, dummodo certiore niteretur fundamento. Quod enim ex hiſtoria Maccabaeorum (i) excitatur teſtimonium, ſi quid veri ineſt, ad Ebraeorum magis, quam Romanorum, mores pertinet. Vltra biennium tamen vbera ſuxiſſe infantes Romanos, vel exemplo Tiberii patet, quem bimulum cum Liuia matre in fuga fuiſſe ſcribit VELLEIVS PATERCVLVS (l), quo tempore, teſte SVETONIO (m) vagitu ſuo paene bis prodidit parentes, ſemel, quum a nutricis vbere, item, quum a ſinu matris raptim auferretur. Alii infantes adhuc tardius depellebant vberibus: et de Plotino ſuo refert PORPHYRIVS (n) eum iam octennem, adhuc tamen ad nutricem diuertere, ſugendique lactis auiditate, eius nudare papillas conſueuiſſe.

Denique et ob TRES POST NOMINVM DIEM (ita enim pro *nonum diem*

(a) *Inſcr. pag. 690. n. 4.*
(b) L. 50. §. 6. D. *de legat.* 3.
(c) L. 8. D. *de condict. cauſſ. dat.*
(d) *De verb. ſign. Lib. X. pag.* 317.
(e) L. 9. C. *de patr. pot.*
(f) *Obſ. Lib. XVIIII. cap.* 40.
(g) *Lib. VII. Hiſt. nat. cap.* 16.
(h) *Obſ. Lib. II. cap.* 37.
(i) 2. *Macc.* 7.
(l) *Lib. II.*
(m) *Tiber. cap.* 6.
(n) *Vit. Plotini. cap.* 3.

iterum reſcribendum eſſe, recte monuit Em. Merillivs (a). Amiſſos ſolidum inter ſe capiebant coniuges. Quum vero de nominum die iam ſupra plus ſatis dictum ſit, nihil eſt, quod hic plura addere velimus.

Hactenus de liberis iam pridem amiſſis. Sin non ita multum temporis praeteriiſſet a morte infantis, locum habebant, quae porro in lege noſtra ſequuntur: AVT SI INTRA ANNVM ET SEX MENSES ETIAM VNVM CVIVSCVNQVE AETATIS IMPVBEREM AMISERINT, SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO. Vir eximius, Iac. Gothofredvs haec partim ad priora refert, partim nouam inde format regulam, et hinc verba capitis talia fuiſſe ſuſpicatur: *Vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint, intra annum tamen et ſex menſes. Etiam vnus cuiuſcumque aetatis impubes amiſſus ſolidi capiendi ius praeſtato*. Sed ſi vnus cuiuſcumque aetatis impubes amiſſus ſolidi capiendi ius praeſtitit: cur non idem praeſtiterint tres poſt nominum diem amiſſi, niſi intra annum et ſex menſes fuerint elati? Sane ea ſententia non fluit ex Vlpiani (b) verbis, quae ita ſunt interpungenda: *Vel ſi tres poſt nonum* (nominum,) *diem amiſerint, vt intra annum tamen et ſex menſes etiam vnus cuiuſcumque aetatis impubes amiſſus ſolidi capiundi ius praeſtet*. Nouus ergo hic caſus eſt, et veluti exceptio a regula. Quum enim non niſi ob puberem vnum amiſſum ſolidi capaces eſſent parentes: haec ſtatim additur exceptio, quod et impubes vnus amiſſus profuturus ſit, ſi intra annum et ſex menſes proximos deceſſiſſet. Id vero ſpatium eodem modo computandum eſſe monuit Pavllvs (c), quo computari ſolebat aetas anniculi, puta vt vltimus dies coeptus pro expleto haberetur. Eo enim iſtud Pavlli fragmentum ex libro commentariorum ſecundo commode referri poſſe arbitramur.

Quod ſi nec communis exſtabat filius filiaue, nec vllus vllaue erat amiſſus vel amiſſa: coniuges inter ſe ſolidum capere non poterant, niſi per ſubſtitutionum ambages, quibus leges caducarias eludi conſueuiſſe Ivstinianvs (d) obſeruat. Quo pertinet lex Terentii Clementis (e), a pluribus tentata, quam expedita, cuius ſpecies talis eſt. Titius filium impuberem ex priore ſuſceptum matrimonio heredem inſtituerat, eidemque ſubſtituerat Maeuiam vxorem, quae ex Titio nunquam pepererat, adeoque nec ſolidi ex eius teſtamento capax erat. Attamen et ipſa capere poterat ex teſtamento alterius, veluti quod ex priore matrimonio tres liberos haberet ſuperſtites. Quaerebatur, an Maeuia ſubſtituta, mortuo intra pubertatem herede, hereditatem capere poſſet, quum ſolidi ex teſtamento mariti eſſet incapax? Aliter reſpondit Ivlianvs, aliter Terentivs Clemens. Hic ait: *Si is, qui ex bonis teſtatoris ſolidum capere non poſſit*, (qualis hic eſt Maeuia) *ſubſtitutus ſit ab eo* (teſtatore) *impuberi filio eius: ſolidum ex ea cauſſa capiet, quaſi* (non a teſtatore marito, ſed) *a pupillo*, (adeoque extraneo,) *capiat*. Ille vero diſtinguit inter bona pupillo adquiſita, et quae ex teſtamento paterno ad illum peruenerint. Hinc pergit Ter. Clemens: *Sed hoc ita interpretari Iulianus noſter videtur, vt ex bonis, quae teſtatoris fuerant, amplius capere non poſſit*, (quam per decima-

(a) *Ibid.*
(b) *Fragm. tit.* XVI. §. 1.
(c) PAVLL. *Lib.* II. *L.* 134. *D. de verb. ſign.*
(d) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*
(e) TER. CLEM. *Lib.* IIII. *L.* 6. *D. de vulg. et pupill. ſubſt.*

Digitized by Google

cimarias leges licet.) Quod *ſi pupillo praeterea aliquid adquiſitum eſſet, aut ſi exheredato eſſet ſubſtitutus, non impediri eam capere, quaſi a pupillo capiat*. A pupillo autem priuigno ſolidum capere Maeuia poterat, tamquam ex teſtamento alterius, quia trium liberorum mater erat. Ita diuerſa ſunt horum ICtorum reſponſa, quamuis praeferenda videatur TER. CLEMENTIS deciſio, quia poſtquam ſemel ad pupillum peruenerant Titii bona, ea paterna eſſe deſierant, eaque Maeuia reuera non a Titio, ſed a pupillo priuigno cui fuerat ſubſtituta, capiebat. Quum etiam quod vltra, quam per legem quis capere poſſet, fuerat legatum, aerarium vel fiſcus praeriperet: ad eum excludendum nouam excogitauerant ſubſtituendi formam, cuius meminit CAIVS *(a)*: VT SI IS HERES NON ESSET, QVISQVIS SIBI HERES ESSET, IS IN PARTE QVOQVE DEFICIENTIS ESSET HERES. Tunc enim partem deficientem non fiſcus adimebat, ſed pro qua quiſque parte heres exſiſtebat, pro ea parte eum in portione deficientis vocari placebat.

VII. Proximum eſt caput XXV. ITEM VXORI, QVAE POST MORTEM VIRI INTRA DECEM MENSES EX EO PEPERERIT, SOLIDVM EX BONIS EIVS CAPIVNDI IVS ESTO. Alioquin vel vnus ſuperſtes exigebatur, vel plures amiſſi: venter vero nec ſuperſtes erat, nec amiſſus quia nondum ex veterum principiis homo, vel animal dici poterat, ſed pars viſcerum maternorum. Addit tamen lex, futurum quoque vel poſtumum matri profuturum ad ſolidi capionem. Quum vero periculoſum videretur hoc priuilegium, quod viduam facile ad ſtuprum partuſque ſuppoſitionem inuitaret, ſi ſe a viro heredem inſtitutam noſſet, quale fere eſt exemplum apud TACITVM, a P. Quirinio, diuite atque orbo delatae, ac ſi partum ex ſe poſt repudium ſimulaſſet *(b)*: cautionem lex addiderat: ſi INTRA DECEM MENSES EX EO PEPERERIT. Decem vero iſti menſes ita computabantur, vt et dies, quo maritus exceſſerat, connumeraretur, quo modo intelligenda verba VLPIANI *(c)*: *ſi quis ſic dixerit, vt intra diem mortis eius aliquid fiat, ipſe quoque dies, quo mortuus, eſt connumeratur*.

Hinc non proderat partus, niſi intra menſem decimum vel eius ſaltim vltimo die fuſus a vidua, ſiquidem decem menſes non modo inceptos, ſed et exactos hominem gignendi ſummum finem eſſe, veteres credebant, teſte SVIDA *(d)* et GELLIO *(e)*, qui etiam huc refert illa PLAVTI *(f)*.

- - - - *Tum illa, quam compreſſerat,*

DECIMO *poſt* MENSE EX EO, *hic peperit filiam*.

Multo minus vltra menſem a morte mariti decimum pariens mulier ſolidum capiebat ex mariti teſtamento, niſi ſingularis feminae ſanctitas benigniorem principi ſententiam ſuaderet. Quale quid poſtea decretum ab Hadriano. Nam idem auctor eſt GELLIVS *(g)*, *Romae feminam bonis atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia, in vndecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet, quoniam decemuiri in decem menſibus gigni*

Ff 2 *homi-*

[a] CAIVS *Lib.* III. L. 5. D. *de vulg. et pupil. ſubſt.*

(b) TAC. *Annal. Lib.* III. *cap.* 22.

[c] VLP. *Lib.* IIII. L. 133. *D. de verb. ſign.*

[d] SVID. *voce* Aciswr.

(e) *Lib.* III. *cap.* 16.

(f) *Ciſtellar. Act.* I. *Scen.* III. *v.* 14. 15.

[g] *Ibid.*

hominem, *non in vndecimo ſcripſiſſent* : *ſed D. Hadrianum cauſſa cognita*; *decreuiſſe*, *in* VNDECIMO *quoque* MENSE *partum edi poſſe*, in eoque decreto, a Gellio etiam lecto, ſcriptum fuiſſe, *id Hadrianum ſtatuere requiſitis veterum philoſophorum et medicorum ſententiis*. Id in mentem veniſſe Hadriano eo minus videtur mirandum, quod Gracchum, primum ita dictum, duodecim menſibus teſte CHARISIO (*a*) in vtero fuiſſe dicatur, et tredecim menſium partum iam olim a L. Papirio praetorem admiſſum eſſe, Maſſurii Sabini fide PLINIVS (*b*) refert, cuius haec verba et apud GELLIVM (*c*) ſunt. *Maſſurius auctor eſt*, *L. Papirium praetorem*, *ſecundo herede lege agente*, *bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe*, *quum mater partum ſe* TREDECIM MENSIBVS *tuliſſe diceret*, *quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum ei videretur*. Quantuſcumque vero ea de re fuerit veterum diſſenſus: ab Auguſti ſaltim temporibus ad Hadriani imperium, non niſi ei mulieri, quae intra decem menſes a morte mariti poſtumum poſtumamue enixa fuerat, ſolidi capiendi ius fuit. Et quum eum terminum, diſſimulato Hadriani decreto, retinuerit VLPIANVS: facile patet, illud, quod iſte in ſingulari ſpecie decreuerat, ad exemplum trahi non conſueuiſſe: adeoque recte intelligendum eſſe, quod ipſe ſcribit VLPIANVS (*d*): *Quodcumque Imperator cognoſcens* DECREVIT, *vel de plano* INTERLOQVVTVS *eſt*, LEGEM *eſſe conſtat*. Decreta enim et olim iuris vel legis vigorem habebant inter partes, ad exemplum non trahenda, niſi vel princeps iuberet, vel eadem per omnia ſpecies ſimilem deciſionem poſceret. Sed haec de lege noſtra. Eodem IAC. GOTHOFREDVS refert fragmentum TER. CLEMENTIS (*e*): *Sed ſi hoc ſpecialiter expreſſerit teſtator*, *etiamſi ex alio poſt mortem ſuam liberos procreauerit*, *nihilominus eam ad legatum admitti*. Ex quo colligit vir eximius, potuiſſe viduam ex mariti teſtamento ſolidum capere, etiamſi non EX EO, ſed ex alio pepererit, modo hanc conditionem ſpeciatim expreſſerit teſtator. Enimuero res ipſa docet, TER. CLEMENTEM non loqui de ſolidi capione, ſed de legato, quod mulieri fuerat ſub conditione relictum ſi liberos habuerit, adeoque illud veteris ICti fragmentum ad leges potius decimarias pertinet, ad quarum caput XVIII. illud iam ſupra retulimus.

VIII. Caput XXVI. vltimum complectitur caſum, quo ſolidum inter ſe capiebant coniuges, de quo VLPIANVS (*f*): ITEM QVI IVS LIBERORVM A SENATV IMPETRAVERINT, SOLIDVM INTER SE CAPIVNTO. *Ius liberorum* definiente ISIDORO HISPALENSI (*g*), eſt *coniugum* SINE LIBERIS *inuicem pro loco pignorum hereditatis alterna conſcriptio*, id eſt, ius, quo impetrato coniuges, etiam improles, non minus ac ſi liberos ſuſtuliſſent, ſe inuicem ex aſſe heredes ſcribere poterant. Eodem enim modo et DIO CASSIVS (*h*) ius liberorum deſcribit, dum illud viris feminiſque conceſſum refert, quibus fata negaſſent liberos. Nec aliter PLINIVS (*i*) Suetonio, *parum felix matrimonium experto*, ius liberorum petens, et MARTIALIS (*l*), ad principem ſcribens,

Quod

(a) *Inſtitut. Gramm. Lib.* II.
(b) *Lib.* VII. *Hiſt. nat. cap.* 5.
(c) *Ibid.*
(d) *L.* 1. *§.* 1. *D. de Conſt. princ.*
[e] *L.* 62. *pr. D. de cond. et dem.*
(f) *Fragm. tit.* XVI. §. 1.
(g) *Lib. V. Orig. cap.* 35.
[h] *Lib. LV. pag.* 540.
[i] *Lib. X. Epiſt. LXXXXV.*
(l) *Lib.* II. *Epigr. LXXXXI.*

Digitized by Google

Quod FORTVNA *vetat, fieri permitte videri,*
Natorum genitor CREDAR *vt eſſe trium.*

Quum vero alioquin modo ius trium, modo quatuor liberorum memoretur: hic ſufficiebat generatim IVS LIBERORVM, quia et vnus vel vna filius filiaue communis ad ſolidi capionem proderat. Vocatur alias IVS COMMVNE LIBERORVM apud GRVTERVM (a), quamuis ibi erraſſe crediderim vel lapicidas, vel deſcriptorem, poſitumque coniiciam: IVS COMMVNIVM LIBERORVM. Communes enim liberos has leges de ſolidi capacitate exegiſſe, iam ſupra vidimus.

Ius hoc tempore Auguſti, quo lex noſtra lata eſt non concedebatur a principe, quemadmodum de ſuae aetatis conſuetudine loquitur VLPIANVS (b): nec a populo, vti hoc caput extulit IAC. GOTHOFREDVS: nec a plebe vrbana, ceu ex marmore paullo ante allegato perperam collegit vir ſummus, IOS. SCALIGER, in Indice Gruteriano, quum tamen ibidem diſerte legatur: CVI IMP. --- IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT: ſed a ſenatu. Conceſſio enim huius priuilegii erat ſpecies lege ſolutionis. Lege vero iam libera republica multoque magis ſub Auguſto non populus ſoluebat, ſed Senatus. Quamuis enim temporibus antiquiſſimis Senatusconſultum, quo quis legibus ſolueretur, vix ratum eſſet, niſi illud populus tributim valere iuſſiſſet: ASCONIVS tamen PAEDIANVS (c), qui id obſeruat, recte addit, iam libera republica ea de re deſitum eſſe ad populum referri, et ne formulam quidem amplius adſcribi conſueuiſſe SCtis: VT DE EA RE AD POPVLVM FERRETVR. Hinc quum anno v. c. 686. C. Calpurnio Piſone M. Acilio Glabrione coſſ. C. Cornelius, Tribunus plebis, ſenatui infenſus, promulgaſſet legem, *ne quis niſi* PER POPVLVM *legibus ſolueretur*, eam ob tumultum perferre non poterat, et hinc iterum ferre coepit, *ne quis* IN SENATV *legibus ſolueretur, niſi ducenti adfuiſſent, neue quis, quum ſolutus eſſet, intercederet*. Itaque per legem Corneliam ſalua ac illibata ſenatui manſit auctoritas, iſque et ante et poſt ea tempora ſemper eo iure legibus, quoſcumque vellet, ſoluendi vſus eſt. Ita, teſte CICERONE (d), non populus, ſed SENATVS *Brutum, referente Antonio*, LEGE SOLVIT, *qua ei non licuiſſet ab vrbe plus, quam decem dies abeſſe*. Idem auctor eſt (e), *Pompeium*, EX SC. LEGIBVS SOLVTVM, *conſulem ante factum, quam vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet*. Caeſarem porro apud ſenatum, licet fruſtra, ambiiſſe, vt legibus, per quas eius abſentis ratio non haberi poterat, ſolueretur, refert SVETONIVS (f). Apud LIVIVM (g) porro legimus, SENATVM *Campanis conceſſiſſe, vt iis ciues Romanas vxores ducere liceret, et ſi qui prius eas duxiſſent, vt habere eas, et ante eum diem nati, vti iuſti iis liberi heredeſque eſſent*. Manſerunt huius iuris veſtigia ſub Imperatoribus, ſaltim ſub Auguſto. Ipſe enim Octauiam ſororem, ex defuncto nuper Marcello praegnantem, Antonio daturus vxorem, a Senatu prius impetrabat, vt lege ſolueretur (h). Eodem ergo exemplo tunc ius liberorum nec a principe nec a populo, ſed a Se-

(a) *Inſcr. pag.* 322. *n.* 8.
(b) *Fragm. tit. XVI.* §. 1.
(c) *Schol. in Cic. pro C. Cornelio p. m.* 1307.
(d) *Philipp. II. cap.* 38.
(e) *Pro lege Manil. cap.* 21.
(f) *Iul. cap.* 18.
(g) *Lib.* XXXVIII. *cap.* 36.
(h) PLVTARCH. *in Anton.*

Digitized by Google

a Senatu, erat impetrandum. Diſerte enim DIO CASSIVS (*a*): *Οἷς γὰρ ἂν τὸ δαιμόνιον εἴτ' ἐν ἀνδρῶν εἴτε γυναικῶν μὴ δῷ τοσαυτάκις τεκνῶσαι, τέκνων σφίσιν ὁ νόμος, πρότερον μὲν* ΔΙΑ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ, *νῦν δὲ διὰ τοῦ αὐτοκράτορος τὰ τῶν γεγεννηκότων δικαιώματα χαρίζεται. Quibus enim ſeu viris ſeu feminis fatum aliquod prouentum tot liberorum negauit, iis lex antea quidem* PER SENATVM, *nunc autem per principem iura gratificatur natorum.* Vnde mireris, GOTHOFREDVM (*b*), accuratiſſimum alioquin virum, ſcribere non dubitare: *Liberorum communium ius populus tribuebat. Vid. Dion. Lib.* LV. *poſtea princeps*. Alia enim omnia dicere vidimus DIONEM. Mature tamen eam facultatem, ius liberorum concedendi, vti alia pleraque, ſenatui extorſerunt principes. Saltim iam ſub DOMITIANO a ſolo principe hoc ius impetrandum fuiſſe, ſaepiuſcule monet MARTIALIS, in primis, vbi de ſe ipſo canit:

Natorum mihi ius trium roganti
Muſarum pretium dedit mearum,
SOLVS QVI POTERAT. *Valebis uxor:*
Non debet DOMINI *perire munus.*

Poſtea et Traianus haud paucis ius liberorum dedit, rogante in primis PLINIO (*c*). Vnde facile patet, cur VLPIANVS de ſua aetate ſcripſerit: *ſi ius liberorum* A PRINCIPE *impetrauerint.*

VIIII. Hactenus de ſolidi capacitate inter coniuges: iam de iis qui ex aliorum teſtamentis capiebant ſolidum. Alia vero maſculorum, alia feminarum erat conditio. De illis dicitur capite XXVII: EX ALIORVM TESTAMENTIS PATER SOLITARIVS SOLIDVM CAPITO. Proprium ac legitimum hoc fuiſſe legis Papiae Poppaeae vocabulum, vel ex VLPIANI fragmentis (*d*) patet, in quibus rubrica *de caelibe, orbo et* SOLITARIO PATRE ſupereſt, quamuis ipſe titulus rubricae haud reſpondeat. *Pater* vero *ſolitarius* eſt, qui vel vnicum habet filium. Sufficit enim vel vnus ad euitandas orbitatis poenas. Vnde CAIVS (*e*), aliud interpretaturus legis noſtrae caput: *Non eſt*, inquit, *ſine liberis, cui vel vnus filius vnaue filia eſt. Haec enim enunciatio*: HABET LIBEROS, *ſemper pluratiuo numero profertur, ſicut et pugillares et codicilli*. Solitarii huiuſmodi parentis mentionem fieri arbitror in marmore hoc Viennenſi apud GRVTERVM (*f*):

D. M.
MEMORIAE. AETERNAE.
SOCCHIAE. EMEADIS
DVLCISSIM. ET. SVPER. AE
TATEM INGENIO. NOBI
LISSIMO. QVI. VIXIT. AN.
- - MENSES VIII. D. XXIIII.
- - L. BOCONIVS PHOLINVS. PA

TER.

(a) *Lib. LV. pag.* 549.
(b) *Ad Leg. Pag.* XIII. *pag.* 289.
(c) *Lib. II. Epiſt.* 13. *Lib. VII. Ep.* 16. *Lib. X. ep.* 11.
(d) *Fragm. tit.* XIII.
(e) *L.* 148. *D. de verb. ſign.*
(f) *Inſcript. pag.* 1037. *num.* 7.

TER. PARENTES. INFELICIS
SIMI. REPENTINA. HVIVS. A
MISSIONE. ORBATI. FILIO.
KARISSIMO. VNICO. PRAE
CL. P. S. AETATEM. SIBI. EREPTO.
ET SIBI. VIVI. POSTERISQVE.
SVIS. PO. ET. SVB. ASCIA
DEDICAVERVNT.

Quamuis enim litteras ſingulares et verba ſequentia : P. S. AETATEM. SIBI. EREPTO ita exponat ὁ πάνυ IOS. SCALIGER in indice abbreuiationum, PER SENILEM AETATEM SIBI EREPTO : ea tamen interpretatio vel ideo non veroſimilis eſt, quia vnico amiſſo filio, parentes tamen adhuc ſperant *poſteros*, quibus et monimentum ſimul dedicant. Vnde eius procul dubio fuere aetatis, qua nondum iis decollauit ſpes omnis procreandi ſobolem. Quare quum ſimul eum filium, tanquam vnicum, defleant: ego inſcriptionem ita legerem: *Parentes infeliciſſimi, repentina huius amiſſione orbati, filio cariſſimo, vnico, praeclaro*, et *parentibus ſolitariis, aetatem*, (id eſt in perpetuum) *ſibi erepto, et ſibi viui, poſteriſque ſuis dedicauerunt.*

Ceterum patrem ſolitarium ſolidum capere potuiſſe ex aliorum teſtamentis vel ex loco notiſſimo IVVENALIS (a) patet, qui moecho, alterius vxorem impraegnanti, lepidum hunc ac perridiculum ſermonem adfingit

Nullum ergo meritum eſt, ingrate et perfide, nullum?
Quod tibi filiolus vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, et libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri: foribus ſuſpende coronas,
Iam PATER *es, dedimus, quod famae opponere poſſis:*
Iura PARENTIS *habes, propter me* SCRIBERIS HERES,
LEGATVM OMNE *capis, nec non et dulce caducum.*

Qui enim nec pater erat, ſed orbus, is plane incapax erat ſolidi, eoque adludit TERTVLLIANVS (b): *Aliud eſt, ſi apud Chriſtum legibus* IVLIIS *agi credunt, et exiſtimant, caelibes et orbos ex teſtamento Dei* SOLIDVM CAPERE *non poſſe.* Aliud tamen IVLIANO et TER. CLEMENTI (c) dicendum videtur, ſi hereditas diſſoluendo aeri alieno non ſufficiat, adeoque fiſcus nullum inde ſperet lucrum. Ita enim intelligenda eius verba: *Si quis ſolidum, a lege capere non poſſit, et ex aſſe ſit inſtitutus ab eo, qui ſoluendo non eſt:* IVLIANVS *eum ex aſſe heredem eſſe reſpondit. Legi enim locum non eſſe, in ea hereditate, quae ſoluendo non eſt.* Ratio, cur hoc caſu legi locus non ſit, ſatis manifeſta eſt. Nam nec fiſcus quidquam lucratur, nec heres licet ex aſſe inſtitutus, reuera capit. *Capere* enim in his legibus cum effectu eſſe accipiendum, iam ſupra ex VLPIANO (d) monuimus.

X. De-

(a) *Sat.* VIIII *v.* 82. *ſequ.*
(b) *De monogam. cap.* 16.
(c) TER. CLEM. *Lib.* IIII. *L.* 72. *D. de her. inſt.*
(d) *L.* 71. *D. de verb. ſign.*

X. Denique quod ad feminas attinet, de iis ita cautum fuiſſe arbitramur capite XXVIII: ITEM FEMINA INGENVA, SI TRES LIBEROS HABEBIT, ET LIBERTINA, SI QVATVOR, SOLIDVM EX TESTAMENTIS CAPIVNTO. Feminis ergo ingenuis tribus opus erat liberis, ſi ſolidum ex aliorum teſtamentis capere vellent. Id enim innuit DIO (*a*), dum iuris trium liberorum hanc vim eſſe ait, *ἵνα ἄν τις τι αὐτοῖς τελευτῶν καταλίπῃ, λαμβάνωσιν*, *vt ſi quis mulieribus aliquid moriens relinquat, id illae capere poſſint*. Libertinis vero quatuor liberis opus fuiſſe videtur ad ſolidi capacitatem. Generatim enim de his PAVLLVS (*b*): *Libertina, vt ius liberorum conſequi poſſit*, QVATER *eam* PEPERISSE *ſufficit*.

XI. Hactenus ipſas leges de ſolidi capacitate breuiter expoſuimus, quae quibus gradibus proceſſibusque ſenſim ab vſu receſſerint, iam paucis erit diſquirendum. Et initio quidem, naues mercaturae cauſſa fabricantibus, militibus ipſisque nauiculariis nec non decurionibus id priuilegium conceſſum eſſe, vt ſolidum eis capere liceret, iam ſupra obſeruauimus. Ipſas has leges de ſolidi capacitate CONSTANTINVS M. non magis ſuſtulit, quam decimarias. Iuris enim liberorum etiam ab inſequentibus Imperatoribus impetrati paſſim fit mentio in legibus noſtris: ſaltim anno 396. ARCADIVS et HONORIVS dum ſingulari conſtitutione (*c*) cauent, ne ius liberorum petentibus aetas impedimento ſit, non ipſum hoc ius tollunt, ſed conſuetudinem veterem, qua, teſte AVGVSTINO (*d*), non temere cuiquam ius liberorum dabatur, *niſi quum amborum anni computati et ſimul ducti centum tranſiſſe dicerentur*, id eſt niſi maſculus ſexaginta, femina quinquaginta annorum eſſet. Qui mos, ſeculo tertio inuectus, poſtea ab Arcadio et Honorio ſublatus videtur. Primus ſolidi capiendi ius coniugibus omnibus promiſcue dedit THEODOSIVS iunior (*e*), qui inter alia: *nemo*, inquit, *poſthac a nobis* IVS LIBERORVM *petat*, *quod ſimul hac lege* OMNIBVS *concedimus*. Quum autem et poſt Theodoſium ius liberorum aliquando petitum eſſe animaduerterint M. VERTR. MAVRVS (*f*) et FR. DVARENVS (*g*): in eam ingreſſi ſunt ſententiam, a Teodoſio non ſublatas eſſe has leges, neque parentibus aequiparatos orbos, ſed tantum modum impetrandi ius liberorum aliquantulum fuiſſe immutatum. Hinc fingunt, eos, qui legitimum liberorum numerum ſuſtulerint, ante hanc conſtitutionem ſolitos eſſe id inſinuare principi, ab eoque impetrare ius liberorum. Quum vero id ſuperuacuum viſum ſit Theodoſio, eum ſemel id ius omnibus, quibus legitimus liberorum numerus eſſet, indulgere voluiſſe. Sed ea in re maxime opinione ſua falluntur viri doctiſſimi. Quis enim eos dixerit ius liberorum a principe impetraſſe, quibus natura ſuffecerat legitimum liberorum numerum? Iam paullo ante ex DIONE vidimus, iis id priuilegium liberorum datum eſſe, *οἷς τὸ δαιμόνιον μὴ δῷ τοσαυτάκις τεκνῶσαι*, *quibus* FATVM *eum liberorum numerum* NEGAVERIT. Iis verò, qui ipſi liberos procreauerant, MARTIALIS opus eſſe negat hoc beneficio, dum ita ludit in maritum parum fortem:

Vxor

[a] *Lib. LVI. pag. 677.*
[b] *Sentent. Lib.* IIII. *tit.* VIIII. §. 7.
(c) *L.* 1. *C. Theod. de iure lib.*
(d) *Adu. Iulian. Lib.* III.
(e) *L.* 3. *C. Theod. de iur. lib.*
(f) *De iure liberor. cap.* 45. *ſequ.*
(g) *Diſp. Anniuerſ. Lib. I. cap.* 40.

Vxor quum tibi ſit formoſa, pudica puella:
Quo tibi natorum iura Tibulle trium?
Quod petis a noſtro ſupplex DOMINO*que* DEO*que*
Hoc dabis ipſe tibi, SI POTES.

Rectius itaque IAC. GOTHOFREDVS (*a*) hac Theodoſii conſtitutione ſublatas quidem eſſe exiſtimat leges Papias, ſed quum ea ad orientem tantum pertinuerit, facile contingere potuiſſe, vt in occidente adhuc ius liberorum peteretur ab HONORIO et VALENTINIANO (*b*).

Addunt nonnulli, quod et IVSTINIANVS (*c*) ſingulari conſtitutione ius liberorum dederit omnibus, eoque ipſo aboleuerit has leges: ſed eam legem non ad legem Papiam Poppaeam, verum ad SCtum Tertullianum pertinere, ipſa verba docent, et allegatio eiuſdem in inſtitutionibus noſtris (*d*). Obſoleuit ergo ius liberorum in oriente per conſtitutionem THEODOSII: in occidente autem, poſtquam IVSTINIANVS (*e*) eamdem corpori ſuo inſeruit. Atque inde eſt, cur huius iuris tam pauca, ac paene nulla exſtent in opere Iuſtinianeo veſtigia.

(a) *Ad L.* 3. *C. Th. de iur. lib. et L. vn. de his, qui num. lib. excuſ.*
(b) *L. vlt. C. Th. de iur. lib.*
(c) *Nov. Valent. tit.* IIII.
(d) *L. vlt. C. de iur. lib.*
(e) §. 4. *Inſt. de SCto Tert.*
(f) *L.* 1. *C. de iure lib.*

CAPVT XVI.

AD CAPITA LEGIS XXVIIII. ET XXX.

DE LEGATIS ET LIBERTATE DATA SVB CONDITIONE CAELIBATVS.

I. D*Vo capita ſequentia qualia fuerint?* II. *Capitis* XXVIIII. *ſententia. Conditio caelibatus vel viduitatis ſaepe impoſita heredibus et legatariis. Ea conditio pro non adiecta habita. Variae, quae huc pertinent, leges.* L. 22. D. de cond. et dem. *et* L. 14. pr. D. de legat. 3. *expenſae. Conditiones:* SI INTRA TEMPVS NON NVPSERIT, SI HVIC NON NVPSERIT, SI A LIBERIS IMPVBERIBVS NON NVPSERIT, SI ARICIAE NON NVPSERIT, *an valuerint? Cur conditiones legibus aduerſae contractus infirmarint, non vltimas voluntates?* cap. vlt. X. de condit. adpoſ. *rationibus iuris repugnat.* III. *SCtum de viduitatis conditione expoſitum.* Lex. 1. C. de indict. vid. cond. *expoſita. Cur hoc caput veniat nomine legis Iuliae Miſcellae? An aliquis Iulius Miſcellus legem tulerit? Lex haec quando abolita* L. 2. C. de indict. vid. condit. *explicata. Variae Iuſtiniani eam in rem editae conſtitutiones.* IIII. *Caput* XXX. *de conditione caelibatus libertis impoſita. Lex Aelia Sentia iam hanc conditionem manumiſſionis improbauit. Eius a lege Papia Pop-*

Digitized by Google

Poppaea differentia. Iuſiurandum liberto remiſſum. Permittere pro remittere. Gratiam iuriſiurandi facere ſolebant principes.

QVae adhuc expoſuimus legis Papiae Poppaeae capita, ea quatuor prioribus commentariorum libris expoſuerunt VLPIANVS et TER. CLEMENS. Quum vero ea, teſte PAPINIANO (*a*), *legis noſtrae fuerit ſententia, ne quod omnino nuptiis* IMPEDIMENTVM *inferretur*, vel, vti alibi loquitur (*b*), *ne quod in fraudem legis* AD IMPEDIENDAS NVPTIAS *ſcriptum eſt, vllam vim haberet*, et de huiuſmodi nuptiarum impedimentis variis ea, quae ex VLPIANI et TER. CLEMENTIS libro V. ſuperſunt, fragmenta agant: non dubito, quin haec ipſa materia proximum in lege noſtra locum occuparit.

II. Huiuſmodi nuptiarum impedimentum fuit, ſi quis alteri ea conditione aliquid reliquiſſet, vt heres vel legatarius non iniret matrimonium: qua de conditione caelibatus ita cautum fuit legis noſtrae capite XXVIIII:

> *Si quis caelibatus aut viduitatis conditionem heredi legatarioue iniunxerit. heres legatariusue ea conditione liberi ſunto, neque eo minus* DELATAM HEREDITATEM *legatumue ex hac lege conſequuntor.*

Ait lex: SI QVIS CAELIBATVS CONDITIONEM HEREDI LEGATARIOVE INIVNXERIT. Magna Romae fuiſſe orbitatis pretia, iam ſupra demonſtrauimus. Ea ſaepe ſubegerunt parentes, vt, quos maxime amarent liberos, eos in caelibatu aetatem agere cuperent. Hinc vt voti damnarentur, ſaepe ea lege illos inſtituebant heredes, *ſi non inierint matrimonium*. Aliquando et intempeſtiuus amor, vel cura liberorum mouebat maritos, ne viduas aliis viris nubere paterentur. Non nunquam et religio et neſcio quae honeſtatis opinio in cauſſa erant et gentilibus et Chriſtianis primaeuis, vt vel virginitatem perpetuam ſuis iniungerent, vel viduitatem. Nimirum ſemper non modo virginitatem, verum etiam viduitatem maximi fecerunt veteres: ipſaeque matronae ſummae ſibi laudi duxerunt, defuncti mariti cineres perpetua viduitate colere, et a ſecundis abſtinere nuptiis, quae neſcio quid incontinentiae habere videbantur. Graecis ſane praeclarum viſum, *μονάνδρειαι*, eoque maxime nomine illis celebrata Penelope, quod vidua credita tot procos, tanquam coruos deluſit hiantes, ſaepe ingeminans illud apud HOMERVM (*c*):

> Τοίην γὰρ κεφαλὴν ποθέω, μεμνημένη αἰεὶ
> Ἀνδρὸς, τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος:
> *Tale enim caput deſidero, ſemper memor*
> *Viri, cuius lata eſt gloria per Graeciam et medium Argos.*

Contra ad infamiam Helenae pertinere voluit AESCHYLVS (*d*), quod eam πολυάνδρα γυναῖκα; et LYCOPHRON, quod πεντάλεκτρον δυάδα adpellat. Quin Charondas, celeberrimus ille Thuriorum legiſlator, ſenatu comitiiſque eos moueri iuſſerat, qui mortuis vxoribus liberis nouercam induxerint (*e*). Non mitius de ſecundis nuptiis ſenſerunt gentes aliae. Inter Carthaginenſes

(a) L. 72. §. 4. D. *de cond. et demonſtrat.*
(b) L. 79. §. *vlt. D. eod.*
(c) *Iliad.* α. *v.* 352.
(d) *Agam. v.* 62.
(e) DIOD. SIC. *Lib.* XII. *cap.* 12.

ſes ab iis in tantum abhorruit Dido, vt apud VIRGILIVM (*a*) dicat:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Ante, pudor, quam te violem, aut tua iura reſoluam.
Ille meos primus, qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſolus, ſeruetque ſepulcro.

Aegyptii quoque neſcio quid incontinentiae et impuritatis ineſſe rati ſecundis nuptiis Apidis Sacerdotium non niſi monogamo deferebant, teſte LVD. COELIO RHODIGINO (*b*). Non temere autem eius continentiae ſtudioſior vlla gens fuiſſe videtur maioribus noſtris, de quibus TACITVS (*c*): *Melius quidem adhuc eae ciuitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum ſpe votoque vxoris ſemel tranſigitur. Sic vnum accipiunt maritum, quomodo vnum corpus, vnamque vitam, ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritus, ſed tanquam matrimonium ament.* Quin inter eos Erulos adeo peroſos eſſe intelligimus ſecundas nuptias, vt inuiſa et infamis eſſe crederetur vidua, quae ſe ad viri ſepulcrum non ſtatim indueret laqueo (*d*). Denique et apud ipſos Romanos permulta deprehendimus, quae ad ſecundarum nuptiarum odium iure referas. Solis vniuiris fas erat Fortunae muliebris, matris Matutae et Pudicitiae ſignum attingere (*e*). Solae, teſte VALERIO MAXIMO (*f*) corona pudicitiae honorabantur. Solae inter Sacerdotes Dearum allegebantur (*g*), adeo vt et ad Veſtae Sacerdotium potius Domitii Pollionis, quam Fonteii Agrippae filia admitteretur, non ob aliud, vti obſeruat TACITVS (*h*), quam quod mater eius in eodem coniugio maneret, quum Agrippa domum diſcidio minuiſſet. Hinc mirifice laudatur pudicitia Corneliae, Gracchorum matris, cui tantum ſupererat pudicitiae et magnanimitatis, vt et Ptolemaei, eam ambientis, nuptias repudiaret (*i*). Nec minorem conſequuta gloriam Cornelia altera, ita adloquuta L. Aemilium Paullum apud PROPERTIVM (*l*):

Iungor, Paulle, tuo, ſic diſceſſura, cubili
In lapide hoc VNI NVPTA *fuiſſe legar.*

Ex quo ſimul diſcimus, honori ſibi duxiſſe feminas, ſi in poſterum, vni eas nuptas fuiſſe, in monimentis ſepulcralibus legeretur. Qualis plane eſt lapis apud THOM. REINESIVM (*m*), in quo T. Freganius, T. F. Liberalis monimentum feciſſe legitur D. M. REIANIAE C. F. MAECIANAE CONI. INCOMPARABILI. VNIVIRAE ET CASTISSIMAE. Contra ſecundae nuptiae *ſcaeui ominis et infauſtum connubium* videbantur APVLEIO (*n*), viduaeque apud Romanos teſte PLVTARCHO (*o*), diebus feſtis nuptias facere iubebantur, vt tam frequenti populi concurſu eo magis erubeſcerent.

Quae quum ita eſſent, ſaepe parentes ac mariti liberis vxoribuſque perpetuam commendabant viduitatem: veluti Cornelia Paulli apud PROPERTIVM (*p*):

[a] *Aeneid. Lib.* IIII. *v.* 25.
(b) *Lect. antiqu. Lib.* XXVIII. *p.* 1079.
(c) *De morib. Germ. cap.* 19.
(d) PROCOP. *de bello Goth. lib.* II.
(e) FEST. *voce* ſignum Pudicit.
[f] *Lib.* II. *Cap.* 1.
(g) TREB. POLL. *de* XXX. *Tyr. cap.* 32.
(h) *Lib.* II. *Annal. cap.* 86.
(i) PLVTARCH. *vit. Ti. Gracchi init.*
[l] *Lib.* IIII. *Eleg.* XII.
[m] *Inſcr. claſſ.* XIIII. *n.* 73.
[n] *Apol.* II. *pag.* 543.
(o) *Quaeſt. Rom.* CV.
(p) *Ibid.*

Filia, tu ſpecimen cenſurae nacta paternae,
Fac teneas vnum, nos imitata, virum.

Quum vero Auguſtus conditionem huiuſmodi legi aduerſam intelligeret, eam pro non adiecta haberi iuſſit lege Papia Poppaea. Quare ſi teſtator ſcripſerat: MAEVIAE, SI NON NVPSERIT, FVNDVM LEGO; confeſtim illa legati fiebat particeps, etiamſi nuberet *(a)*: idemque obtinebat, ſi mulier haberet collegatarium, quamuis eo deficiente illi nihil accreſceret. Hinc PAPINIANVS *(b)*: *mulieri et Titio vſusfructus*, SI NON NVPSERIT MVLIER, *relictus eſt. Si mulier nupſerit, quamdiu Titius viuet et in eo ſtatu erit, partem vſusfructus habebit: tantum enim beneficio legis ex legato conceſſum eſſe mulieri intelligendum eſt, quantum haberet, ſi conditioni paruiſſet, nec ſi Titius, qui conditione defectus eſt, legatum repudiet, ea res mulieri proderit*. Perinde quoque eſt, ſiue quis ipſi mulieri ſub ea conditione legauerit, ſiue ei, cuius illa in poteſtate erat, quique iure eius poteſtatis nuptias prohibere poterat. Nam et illud legatum, quod ad impediendas nuptias et fraudem legum fuerat ſcriptum, nullam vim habebat teſte PAPINIANO *(c)*, qui hanc eam in rem formulam allegat: TITIO PATRI CENTVM, SI FILIA, QVAM HABET IN POTESTATE, NON NVPSERIT, HERES DATO. Quod non minus ſtatuendum, ſi quis patri ea conditione legauerit, SI FILIVS VXOREM NON DVXERIT. Quumque legata et fideicommiſſa pari paſſu ambulent: haec quoque capiebat mulier, etiamſi ſub huius modi conditione relicta eſſent. Hinc quum ſcripſiſſet teſtator: TITIO, SI MVLIER NON NVPSERIT, HERES CENTVM DATO, et Titium illum idem teſtator rogaſſet, vt pecuniam eamdem mulieri conditionem adimplenti reſtitueret: reſpondit PAPINIANVS *(d)*, etiamſi nupſiſſet, tamen eam die legati cedente fideicommiſſum petere poſſe.

Quid vero, ſi non ſub conditione caelibatus legaſſet teſtator, ſed potius legatariam obſtrinxiſſet, *vt non alii, quam Titio nuberet?* Tunc ſi indigna haec eſſet legataria conditio, non magis valebat, quam ſi caelibatus ei fuiſſet iniunctus *(e)*. Eadem ratione ſi vel pater filiae, vel cuicumque puellae extraneus legatum reliquerat ſub conditione: SI NVBERET ARBITRATV L. TITII: haec quoque conditio pro nihilo erat, mulierique, ſibi ſine L. Titii arbitratu quaerenti conditionem, legatum nihilominus debebatur *(f)*. Sin duplex propoſita fuerat conditio, nubendi et non nubendi, maiorque pecuniae ſumma ei deſtinata, ſi non nupſerit, minor, ſi nupſerit: mulier maiorem capiebat, non vtramque ſimul, quia ridiculum videbatur PAPINIANO *(g)*, *eamdem et vt nuptam admitti*. Denique et haec bella incidebat quaeſtio: an ſi ea conditione legatum fuerit mulieri: SI NON NVPSERIT, eiuſdemque fidei commiſſum, vt Titio reſtitueret, ſi nupſerit, an ea nupta fideicommiſſum praeſtare teneatur? Circa quam ſpeciem in diuerſa itum eſſe, exiſtimare licebit. IVLIANVS *(h)* enim reſpondet: *Commode ſtatuitur*, ETSI NVPSERIT, *legatum eam petere poſſe, et non eſſe cogendam, fideicommiſſum praeſtare*. Aſt CAIVS *(i)* longe aliter:

Non

(a) *L. 72. §. 5. D. de cond. et dem.*
(b) *L. 74. D. eod.*
(c) *L. 79. §. 4 D. eod.*
(d) *L. 77. §. 2. D. eod.*
(e) CAL. *Lib. III. L. 63. §. 1. D. eod.*
(f) *L. 28. pr. L. 72. §. 4. D. eod.*
(g) *L. 100. D. eod.*
(h) *L. 22. D. eod.*
(i) *L. 14. pr. D. de legat. 3.*

Digitized by Google

Non dubium eſt, quin ſi vxori legatum ſit, SI NON NVPSERIT, *idque alii reſtituere rogata ſit*, COGENDA SIT, *ſi nupſerit*, RESTITVERE. Varia, vt fit, comminiſcuntur interpretes, quae tollendo iſti diſſidio videntur idonea. Alii particulam QVIN in poſteriore lege explicandam monent, per *quod non*. Alii priorem legem de conditione caelibatus; poſteriorem de conditione viduitatis loqui cenſent, minus inuidioſam hanc fuiſſe rati quam illam. Aſt vir ampliſſimus, quem honoris cauſſa nomino, ZACH. HVBERVS (a) etiam ſine his εὑρήματι ac ſine iactu pulueris hanc litem componit. Prius fideicommiſſum per modum poenae fuerat relictum, vti adparet ex verbis: VT TITIO RESTITVAT, SI NVBAT. Poenale autem fideicommiſſum iure nullum atque euanidum habebatur, addita quippe poena iniuſta, cui lex Papia Poppaea intercedebat. Alterum fideicommiſſum non erat poenale, ſed conditionale, et hinc legataria ſtatim legato potiebatur, etiamſi poſtea nuptura eſſet, quia haec conditio habebatur pro non ſcripta. Aſt inde non ſequebatur, vt fideicommiſſum non reſtitueret Titio, ſimul ac nupſerit, quum quiuis legatarius fideicommiſſo poſſet grauari.

Ceterum alia erat conditio SI NON NVPSERIT, alia ſi *huic viro*, vel ſi *intra certum tempus*, vel ſi *illo loco* non nupſerit. Nec enim pro non ſcripta habebatur conditio, ſi legato adſcriptum eſſet: SI L. TITIO NON NVPSERIT (b): nec altera: SI NEQVE TITIO NEQVE SEIO, NEQVE MAEVIO NVPSERIT (c), ſiquidem, ſi vel maxime his conditionibus pareret mulier, ei tamen nec caelibatus nec viduitatis iugum impoſitum videbatur. Sed et, ſi certum tempus, intra quod non nuberet, fuiſſet definitum, veluti SI A LIBERIS IMPVBERIBVS NE NVPSERIT (d), vel generatim eſſet legatum: QVOAD VIDVA ERIT (e), etiam his caſibus aut conditiones erant adimplendae, aut repudiandum legatum, quia non impoſita fuerat viduitatis conditio. Quid ſi, ne *certo loco nuberet*, legato adſcriptum eſſet, veluti: SI ARICIAE NON NVPSERIT? Reſpondet TER. CLEMENS (f), intereſſe, an fraus legi facta ſit. Nam ſi ea ſit mulier, quae alibi nuptias non facile poſſet inuenire, interpretandum eſſe, ipſo iure reſcindi, quod fraudandae legis gratia eſſet adſcriptum. *Legem* enim *vtilem reipublicae, ſobolis ſcilicet procreandae cauſſa latam, adiuuandam eſſe interpretatione*.

Quod ipſo iure reſcindi ait CLEMENS, id ita lege noſtra exprimitur: EA CONDITIONE LIBERI SVNTO, NEQVE MINVS DELATAM HEREDITATEM LEGATVMVE EX HAC LEGE CONSEQVVNTOR. Conditio huiuſmodi legibus aduerſabatur, Iuliae nimirum et Papiae. *Quae vero conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quae legum vicem obtinent*, id eſt contra edicta praetorum, SCta, prudentum placita, diuturnos mores et conſuetudinem, *ſcriptae, vel quae contra mores ſunt, pro* NON SCRIPTIS *habentur*, vti ait MARCIANVS (g). In vltimis voluntatibus ea regula dubio caret. Aſt in contractibus ſecus ſe res habet, quos conditione lege vel natura impoſſibili infirmari conſtat (h). Eius tamen diſcriminis ratio in promtu eſt. Qui enim contrahit, conſenſiſſe cenſetur in

(a) *Part. II. Diſſ. VIII. § 12 edit. prior.*
(b) TER. CLEM. *Lib. V. L. 64. pr. D. de cond. et dem.*
(c) CAI *Lib. III. L. 63. pr. D. eod.*
(d) *L. 62. §. vlt. D. eod.*
(e) *L. 66. § 1. D. eod.*
(f) TER. CLEM. *Lib. V. L. 64. §. 1. D. eod.*
(g) *L. 14. pr. D. de condit. inſt.*
(h) *L. 31. D. de obl. et action.*

in conditionem turpem vel impoſſibilem , idque dum fecit , vel iocatus eſſe , vel emotae mentis fuiſſe cenſetur . Neuter vero recte contrahit . Aſt quod ad vltimas attinet voluntates , in conditiones huiuſmodi nec heres nec legatarius conſenſit , et tamen defunctus voluiſſe cenſetur , vt ſupremum iudicium ſuum exitum haberet . Quod quum , niſi detracta conditione turpi vel impoſſibili , fieri nequeat : illam merito pro non ſcripta habent leges noſtrae.

Quam conſultiſſimam iuris rationem peruidiſſe haud videtur Pontifex *(a)* dum conditionem quidem contra leges matrimonii adſcriptam tabulis dotalibus , v. c. ne liberi procreentur , vel vt ſponſa quaeſtum corpore faciat , ſponſalia irrita reddere concedit , reliquas autem conditiones vel facto vel lege impoſſibiles pro non adiectis haberi iubet . Quae enim vera ſunt de vltimis voluntatibus, ea perperam proferuntur ad conuentiones , in quibus partis vtriuſque conſenſus intercedit. Quaſi enim , qui huiuſmodi conditionem probauit , mereatur, vt in eius fauorem illa habeatur pro non adiecta. Et tamen ex his lacunis Nectar ſibi haurire videntur digni hoc hauſtu canoniſtae . Ceterum detracta conditione , et legatum capiebat , cui id ſub conditione relictum fuerat, et HEREDITATEM DELATAM. Quae verba interpretatus TER. CLEMENS *(b)*: DELATA , inquit, HEREDITAS *intelligitur, quam quis poſſit adeundo conſequi*. Hinc ſi tempore teſtamenti factionis ac apertarum tabularum capax erat heres : non ei nocebat , ſi poſtea incapax fieret , quia quod alias in inſtitutione conditionali reſpicitur ad capacitatem tempore exiſtentis conditionis , id hoc caſu , quo conditio pro non adſcripta erat, non habebat locum.

III. Hactenus de ipſo capite XXVIIII. Ei vero deinde quodammodo derogatum eſt, quod ad conditionem viduitatis : quum ſeuerius habendae viderentur viduae , quae iam matrimonii dulcedinem deguſtauerant , quam virgines. Quo tempore haec facta ſit mutatio , explorare equidem nondum potui: attamen id animaduerto , haud multo poſt Auguſti tempora , inualeſcente per orbem Romanum religione Chriſtiana, illam, quam ſupra expoſuimus opinionem de viduitatis praeſtantia et turpitudine ſecundarum nuptiarum reuixiſſe. Sane ſaeculo Chriſtiano ſecundo ATHENAGORAS *(c)* ſecundas nuptias vocat *ſpecioſum adulterium* , CLEM. ALEXANDRINVS *(d)* *fornicationem* , quibus ſimilibuſque verbis eodem ſaeculo vtuntur IRENAEVS *(e)* et TERTVLLIANVS *(f)* : inſequente ORIGENES *(g)* , qui *tale coniugium homines eiicere e regno Dei*, contendere non dubitat. Hinc circa haec tempora a Chriſtianis tantum non omnibus monogamiam ſeruatam legimus apud THEOPHILVM ANTIOCHENVM *(h)* et MINVCIVM FELICEM *(i)*, qui eos *cupiditatem procreandi aut unam ſciuiſſe*, ait, *aut nullam*. Multo grauius ſaeculo inſequente quarto aduerſus iteratas nuptias diſputarunt BASILIVS *(l)*, GREGORIVS NAZIANZENVS *(m)*, AMBROSIVS *(n)*, AMPHILO-

[a] *Cap. vlt. X. de condit. adpoſit.*
[b] VLPIAN. *Lib. V. L.* 151. *D. de verb. ſign.*
(c) *Apolog. pag.* 37.
(d) *Lib. III. Strom.*
(e) *Lib. III. cap.* 10.
[f] *Exhort. ad caſt. cap.* 18.
(g) *Homil. in Luc.* 17.
(h) *Ad Autolyc. Lib. III.*
(i) *Octau. cap.* 31.
(l) *ad Amphiloch. can.* LV.
(m) *Orat.* XXXI.
(n) *De offic. lib.* 1. *cap. vlt.*

LOCHIVS (*a*), ipſique Patres conciliorum NICENI (*b*), LAODICENI (*c*), NEOCAESARIENSIS (*d*) et CARTHAGINIENSIS quarti (*e*). Saeculo quinto iiſdem ſecundis nuptiis bellum veluti indixerant HIERONYMVS (*f*), GELASIVS (*g*) et auctor operis imperfecti in Matthaeum, perperam attributi CHRYSOSTOMO (*h*), ex quo hic locus in ipſum GRATIANI decretum (*i*) migrauit: *Hac ratione et Apoſtoli permiſere ſecundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere ſecundum praeceptum Apoſtoli eſt: ſecundum veritatis autem rationem vere fornicatio eſt. Sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honeſta fornicatio.* Non mirum itaque, eam ſententiam iterum placere caepiſſe paganis, et leges quaſdam ſecundis nuptiis parum amicas peperiſſe. Talis ſane eſt, quam ex LIBANII epiſtola MSC. extulit IAC. GOTHOFREDVS (*l*), quaque cautum, vt mater iterum nupta non eſſet liberorum e priore matrimonio ſuſceptorum heres, ſed ei ipſe auus maternus praeferretur. Nec alia cauſſa eſt mutati huius capitis. Nam ſaeculo, vt opinor, tertio, SCto neſcio quo, cuius ipſe IVSTINIANVS (*m*) meminit, cautum eſt (*n*),

> *Vt ſi coniux intra annum a morte coniugis iuraſſet, ſe liberum quaerendorum cauſſa ad ſecundas nuptias tranſire, conditio viduitatis ei a coniuge adſcripta remitteretur. Sin iurare intra annum nollet, non aliter, quod ei teſtamento relictum caperet, ac praeſtita cautione Muciana.*

Non ergo ſemper conditio viduitatis poſt hoc SCtum pro non adſcripta habebatur, quemadmodum conditio, quae caelibatum imponebat: ſed tunc demum ſi intra annum luctus ex formula antiqua iuraſſet, *ſe* LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA *ad ſecunda vota tranſire*. Si intra annum id iuſiurandum haud praeſtitiſſet, tunc ſi legato nondum potita nuberet, peremta erat legati petitio: ſin nondum nupta legatum peteret, non admittebatur, niſi praeſtita cautione Muciana ſecuros reddidiſſet heredes, ſe ſi nupſerit, legatum cum fructibus intermedii temporis reſtituturam (*o*). Ad priorem tamen caſum, quidquid videatur viro eximio, IAC. GOTHOFREDO (*p*), non pertinet conſtitutio haec GORDIANI (*q*): *Legatum alii ſub conditione ſic relictum*: SI VXOR NVPTVI SE POST MORTEM MARITI NON COLLOCAVERIT, *contractis nuptiis conditione deficit, ideoque peti nequaquam poteſt*. Nam in ea nec iuriſiurandi intra annum haud praeſtiti fit mentio, nec vxori id legatum relictum fuerat ſub conditione viduitatis, ſed ALII: ea lege, ſi vxor teſtatoris nuptui ſe haud collocaſſet. Quis vero legatum huiuſmodi conditione defici dubitaret, ſi vxor ad ſecunda vota tranſierit?

Ceterum hoc ius paſſim LEGIS IVLIAE MISCELLAE nomine venit, veluti

(a) *Orat. in occurſ. dom. p. 32.*
(b) HARDVIN. *Concil. Tom. I. p. 511.*
(c) *Ibid. p. 782.*
(d) *Ibid. pag* 788.
(e) *Ibid. pag. 985.*
(f) *Comm. ad Hagg. et lib. 7. adu. Iouinian.*
(g) *Epiſt. V. cap. 32.*
(h) *Homil. XXXII.*
(i) *Can. 30. cauſſ. 31. qu. 1.*
(l) *Ad C. Theod. Tom. I. p. 285.*
(m) *L. 3. C. de ind. vidujt.*
(n) *L. 2. C. eod.*
(o) *L. 7. pr. D. de cond. et demonſtr.*
(p) *Ad Leg. Pap. cap. 17. p. 330.*
(q) *L. 1. C. de ind. viduit.*

Digitized by Google

luti in rubrica et legibus quibuſdam (*a*), tituli *de indicta viduitate et* LEGE IVLIA MISCELLA *tollenda;* nec non in *Nouella* XXII., *cap.* 43. et apud Graecos (*b*) in ſcholiis ad *L. vlt. ff. de ſtatu lib.* vbi pro τὸν Σμικίλλιον νόμον recte FABROTTVS legendum monet τὸν Μισκέλλιον νόμον. Vnde vero id nomen? IVSTINIANVS in Nouella, paullo ante laudata, hoc ius repetit a neſcio quo Iulio Miſcello, dum ſcribit: *Sed hanc quoque adiectionem ipſe* IVLIVS MISCELLVS *haud inuenit, ſed Q. Mucius Scaeuola praeſanciuerat.* Enimuero hunc Iulium Miſcellum tota antiquitas ignorat, nec dubito quin interpres ſemi Latinus, quum in Graeco textu eſſet ὁ νόμος Ἰούλιος Μισκέλλος, illud ὁ νόμος praeteruiderit, et inde ſibi abſurde finxerit legiſlatorem quemdam *Iulium Miſcellum*. Veroſimilius eſt, ipſum hoc caput dictum eſſe *legem Iuliam Miſcellam*, quemadmodum alia capita *legis Iuliae decimariae*, alia *caducariae*, nomine veniebant. At vero cognomen huic capiti non ideo inditum, quod de viris aeque ac mulieribus ageret, quam rationem reddit vir ſummus, IAC. CVIACIVS (*c*), ſic enim innumerae eſſent leges miſcellae, nec, vti MERCATORI (*d*): viſum, quod varias res complecteretur, conditionem puta caelibatus et viduitatis: (de caelibatus enim conditione ne γρῦ quidem in hoc SCto,) ſed quod miſcellaneum veluti eſſet hoc caput, quippe ex lege Iulia et Papia, ex SCto de quo paullo ante diximus, et cautione Muciana conflatum, vti recte vidit IAC. GOTHOFREDVS, cuius ſententiae illam interpretis Nouellarum de Iulio Miſcello, legis auctore, antehabitam eſſe a IANO VINC. GRAVINA (*e*), maxime equidem miror.

Sed et hanc legem Miſcellam ſuſtulit IVSTINIANVS, ineunte anno 531. poſt *Lampadii* et *Oreſtis* conſulatum (*f*), ſanciens, vt nec ius iurandum in poſterum hoc caſu exigatur, nec cautio Muciana, ſed ſuo arbitrio viduae, quibus viduitatis conditio a maritis impoſita fuerit, poſſint ad ſecunda vota tranſire, nec poenae legis Miſcellae ſubſint, ſiue habeant liberos, ſiue non habeant, dum ne in verba mariti iurarint. Id tamen quod hoc modo relictum, ea lege eas capere iubet, vt, ſalua liberis proprietate, vſumfructum tantum percipiant. Addit IVSTINIANVS rationem ſatis piam: *vt ne neceſſitate legis et ſacramento colorata* PERIVRIVM *committatur*. Sed quale hic periurii periculum? Credideram aliquando, *periurium* in hac lege capi pro iureiurando temerario et ſuperuacuo: maxime quum ſtatim addat imperator: *quum enim mulieres ad hoc natura progenuerit, vt partus ederent, et maxima eis cupiditas in hoc conſtituta ſit: quare ſcientes prudenteſque periurium committi patimur?* Sane, ſi mulier natura fertur ad procreandam ſobolem, ſique maxima eius rei cupiditate flagrat, iurans ſe liberorum quaerendorum cauſſa nupturam, non incidet in ſuſpicionem periurii: ſed ius iurandum hoc potius videbitur ſuperuacuum et temerarium, aeque ac ſi mercator conceptis verbis iurare iuberetur, lucri cauſſa negotiari. Sed iam aliter ſentio. Ex *Nouella* enim XII. *cap.* 43. adparet, longe ſubtilius ratiocinatum eſſe Iuſtinianum, et ideo metuiſſe periurium, *quia plurimae mulieres deſiderio nuptiarum*, NON PROPTER FILIORVM PRO-

(a) *L.* 2. *et L.* 3. *C. eod.*
(b) *Ad Baſil. Lib. XLVIII. tit. V. p.* 435. *Tom. VI.*
(c) *Ad tit. C. de ind. vid.*
(d) *Notat. l.* 2.
[e] *De legib. et SCtis*, §. 56.
(f) *L.* 2. *C. de ind. viduit.*

Digitized by Google

PROCREATIONEM, *ſed propter neceſſitatem*, v. c. paupertatem, *teneantur*, et iurare tamen iubeantur, ſe *liberorum quaerendorum* cauſſa nubere.

Sub finem eiuſdem anni noua conſtitutione (*a*) ſuperiorem ita interpretatur IVSTINIANVS, quod ea non ſolum ad feminas, ſed et maſculos pertineat. Simul a lege ſuperiore excipit ſpecies ab VLPIANO in libris ad Sabinum adlatas, vbi mulieri legatum fuerat, ſub conditione: SI VIDVA ERIT, vel QVOTIES VIDVA ERIT, vel QVVM VIDVA ERIT; maſculo autem ſub lege: SI AMISERIT VXOREM, vel QVANDO AD CAELIBATVM PERVENERIT. Hae enim ſpecies non pertinebant ad legem Iuliam Miſcellam, quia iis non imponebatur viduitatis conditio, ſed legatum tantum erat in id tempus, quo coepiſſet viduitas. Vnde mulier non ſolum vſumfructum, ſed et ipſam huius modi legati proprietatem capere poſſe ſtatuit Iuſtinianus, *quaſi* PRO SOLATIO *ſuae triſtitiae*.

Enimuero ne in eo quidem ſubſtitit IVSTINIANVS, quem ideo *trocho verſatiliorem* vocat IAN. VINC. GRAVINA (*b*). Nam anno 536. poſt Beliſarii V. C. conſulatum, et cautionem Mucianam, et legem Iuliam Miſcellam quodammodo reſtituit, noluitque eas, quibus a teſtatore viduitatis conditio impoſita fuerat, capere legatum intra annum, niſi ſpe nuptiarum prorſus exſtincta, veluti ſi mulier ſe Deo deuouiſſet: poſt annum autem, non niſi praeſtita cautione Muciana, cuius rationes magno verborum apparatu in Nouella iſta (*c*) exponit. Iam id addo, quum in Gallia Nicolaus Morillo et Anna Petit coniuges tabulis dotalibus donationem inuicem ea lege feciſſent, vt ſi ſuperſtes ſpreta viduitate ad ſecunda vota tranſiret, ea euaneſceret, et Anna, mortuo Nicolao iterum nupſiſſet, donationem illam repetentibus Nicolai heredibus, ſenatum curiae Pariſienſis anno 1592. cenſuiſſe, donationis legem eſſe ſeruandam, et Annam ab omni donationis emolumento eſſe repellendam. Quem caſum egregie enucleatum dedit ANNAEVS ROBERTVS in rebus iudicatis (*d*).

IIII. Eodem libro V. commentariorum TER. CLEMENS et VLPIANVS agunt de conditione caelibatus libertis impoſita. Vnde proximum caput XXX. ad illud ius pertinuiſſe, perquam videtur veroſimile. Illud vero tale fuit, teſte PAVLLO (*e*)

> *Si patronus iuſiurandum in hoc liberto impoſuerit, ne vxorem ducat, vel libertae, ne nubat: iuſiurandum permittitor, nuptiaſque ex* H. L. *contrahendi liberto libertaeue ius eſto.*

Solitos eſſe patronos a ſeruis manumiſſis varia ſibi ſtipulari, iam ſupra obſeruauimus. Frequentiſſime autem ea lex adiiciebatur manumiſſionibus, ne liberti ducerent vxorem, nec libertae nuberent. Quum enim legibus XII. tabularum cautum eſſet (*f*), vt ſi libertus inteſtatus moreretur, cui ſuus non eſſet heres, ad patronos patroniue liberos perueniret hereditas: intererat omnino patroni, libertos libertaſque ſe habere caelibes, ne, ſi liberos tollerent, legitima hereditate exciderent. Idcirco libertos iureiurando obſtringere ſolebant, ne vxores ducerent; libertas, ne nuberent. Quam frequenter id factum ſit temporibus Auguſti, vel id argumento eſt, quod bi-

(a) *L.* 3. *C. de ind. viduit.*
(b) *Ibid.*
(c) *Nou.* XXII. *cap.* 43.
(d) *Lib. II. cap.* 7.
(e) *L.* 6. §. 4. *D. de iur. patr.*
(f) VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 1.

Digitized by Google

nis ſub hoc principe legibus coercita ſit improba haec habendi cupiditas: Primo enim lege Aelia Sentia cautum eſt, vt iuribus patronatus excideret, qui vel ipſe, vel quo conſcio alius *(a)* a liberto libertaue ſtipulatus ſit, ne vel vnquam, vel ad certum tempus, vel cum certa perſona *(b)* iniret matrimonium, neue liberos tolleret *(c)*; niſi forte iure iurando ad hoc adactus ſit libertus caſtratus, vel matrimonio inhabilis *(d)*, vel liberta iurarit, ſe non alii, ae patrono *(e)*, vel non contra leges *(f)*, vel non prius, quam liberi ad pubertatem perueniſſent *(g)*, cuiquam nupturam. His enim caſibus patronus non incidebat in legem Aeliam Sentiam.

Deinde ſeuerius hoc cacoethes coercuit lex Iulia et Papia. Quamuis enim Aelia Sentia patronos iniuſtum hoc iuſiurandum a libertis exigentes iure ſuo priuaret: non tamen gratiam iuriſiurandi libertis faciebat. Aſt lege demum noſtra cautum, vt iuris iurandi religione exſoluerentur liberti libertaeue, qui quaeque huiuſmodi iuſiurandum praeſtitiſſent.

Ait lex: SI PATRONVS IVSIVRANDVM IN HOC LIBERTO IMPOSVERIT, NE VXOREM DVCAT, VEL LIBERTAE, NE NVBAT. Patronus erat manumiſſor, nec non quem talem cauſſa cognita iudicauerat Praetor, non, qui ſe patronum eſſe iuraſſet: quod ad hoc caput diſerte VLPIANVS *(h)*: Perinde vero erat, ſiue ipſe patronus, ſiue eo conſcio, vel non impediente, filius familias libertum in verba ſua adegiſſet. Quemadmodum enim ex ſententia TER. CLEMENTIS *(i)* et tunc patronus incidiſſe videbatur in legem Aeliam Sentiam, quia, dum non remitteret iuſiurandum, dolo malo facere videbatur: ita idem obtinuiſſe ex lege IVLIA et PAPIA, ex CLEMENTIS fragmento colligimus. Non magis intererat, ſiue liberto ſiue libertae iniuncta eſſet caelibatus conditio, dum habiles eſſent ad procreandam ſobolem.

Quamuis vero alioquin iuſiurandum a liberto praeſtitum eſſet ſpecies obligationis verborum, non minus valida, ac ſtipulatio, vel dotis dictio *(l)*: lex tamen noſtra ſanxerat, VT IVSIVRANDVM PERMITTERETVR, NVPTIASQVE EX H. L. CONTRAHENDI IIS IVS ESSET. Pro *permittitur*, quo PAVLLVS *l. m.* hic vtitur, reſcribendum videri poſſet *remittitur*, niſi his verbis promiſcue vterentur auctores noſtri, veluti *permittere pecuniam* pro remittere *(n)*, *accuſationem permittere* pro remittere *(o)*, qualia exempla iam collegerunt CVIACIVS *(p)*, LIPSIVS *(q)*, aliique viri docti. Saepe enim hoc modo gratiam iuriſiurandi faciebant principes vel leges, ceu ſingulari eaque pereruditа diſſertatione docuit ZACH. HVBERVS *(r)*, vbi et hunc effectum huius remiſſionis fuiſſe docet, vt a ciuili periurii poena immunes eſſent, quibus gratia facta fuiſſet iuriſiurandi.

CA-

(a) *L. 6 pr. D. de jur. patr.*
[b] *L. 15 D. eod.*
(c) *L. 3. §. 5. D. de ſuis et legit. her.*
(d) *L. 6. §. 2. D. de iur. patr.*
[e] *L. 6. § 3. eod.*
(f) *L. 3. §. 5. D. de ſuis et leg. her.*
(g) TER. CLEM. *Lib. V. L. 31. D. qui et a quib. manum.*
(h) VLP. *Lib. V. L. 14. D. de jur. patr.*
(i) *L. 32. pr. D. qui et a quib. manumiſſ. liber. non fiant.*
(l) CAI. *Inſt. Lib. II. tit. 9. §. 4.*
(m) *L. 6. §. 4. D. de iur. patr.*
(n) *L. 37. D. de pact.*
(o) *L. 3. D. de publ. iud.*
(p) *Obſ. Lib.* XXI *cap. 29.*
(q) *Ad* TACIT. *Annal. Lib. I. cap. 8.*
[r] *Part. II. Diſſ. LII.*

C A P V T XVII.

AD CAPVT LEGIS XXXI.

DE IVRE ADFINITATIS INTER VITRICVM VEL NOVERCAM ET PRIVIGNOS, SOCEROS ITEM ET GENERVM VEL NVRVM.

I. *Eodem libro V.* Vlpianvs *etiam de genero et ſocero ſocruque videtur egiſſe.* Gothofredi *de huius capitis materia ſententia reiecta. Lex Iulia de publicis iudiciis cum noſtra nihil commune habuit. Coniectura de hoc capite. Eius rationes.* II. *Adfinitas olim morte finita.* Vinnivs *et* B. H. Reinoldvs *laudati. Quis gener et nurus? Quaſi adfinitas.* III. *Quando hoc caput fuerit abrogatum?*

I. Eodem libro V. Commentariorum, quo de ſuperioribus nuptiarum impedimentis egerat Vlpianvs, etiam de *ſoceris*, *genero* et *nuru* eum quaedam commentatum eſſe animaduerto. Modo enim docet, etiam nepotis ex filia vxorem nurum dici, et ſponſum ſponſamque *generi nuruſque* nominibus intelligi, et ſoceri ſocruſque adpellatione etiam ſponſorum parentes contineri *(a)*: modo generi adpellationem etiam ad neptis et proneptis tam ex filio quam ex filia editarum maritos producit *(b)*. Sed et Caivs *(c)* libro commentariorum quarto, ſimiliter qui gener et ſocer vocetur, oſtendit. Non autem huc pertinent et fragmenta Pavlli *(d)* et Ter. Clementis *(e)*, quibus eadem vocabula interpretantur, nec numeri librorum in inſcriptionibus in mendo cubant. Alio enim ea ferri poſſe, iam ſupra docuimus. Quum itaque legis noſtrae interpretes hic, quid ſocer, quidue gener et nurus ſit, tam ſollicite diſputarint: nemo ſane inficias ibit, in hac legis noſtrae parte exſtitiſſe caput, quod ad *ſocerum*, *ſocrum*, *generum* et *nurum* praecipue pertinuerit.

Quid de his adfinibus ſanxerit Auguſtus, id nec ex vllo horum fragmentorum, nec ex alio iuris noſtri loco diſcimus: id quod argumento nobis eſſe poterit, et iſtud caput ius aliquod antiquum et deſuetudine poſtea inumbratum continuiſſe. Quale vero illud fuerit, pro inſtituto noſtro paullo curioſius indagare iuuabit. Iac. Gothofredvs *(f)*, qui alioquin in fragmentis veterum inueſtigandis lynceis plane oculis eſſe ſolet, loca Terentii Clementis et Pavlli refert ad caput ſuum ſextum, et inde hanc extruit ſententiam:

GENER SOCERVE *inuiti in reos teſtimonium ne dicunto.*

Textus vero Vlpiani et Caii pertinuiſſe exiſtimat ad caput ſuum 15. quod nobis eſt 35. vbi ita refingit verba Marciani L. 19. D. de Rit. Nupt. Hh 2 *Qui*

(a) VLP. *Lib. V. L. 6. D. de grad. et adfin.*
(b) VLP. *Lib. V. L. 136. D. de verb. ſign.*
(c) CAI. *Lib.* IIII. *L. 5. D. de teſt.*
(d) *L. 4. D. eod.*
(e) *L. 146. D. de verb. ſign.*
(f) *Ad leg. Pap. cap. 6. et 15.*

Digitized by Google

Qui liberos, quos in poteſtate habent, iniuria prohibuerint vxores ducere vel nubere, vel qui dotem dare nolunt, in matrimonium GENERO NVRVIVE *collocare et dotare per Praetorem vrbanum coguntur.*

Ita haec commentatorum fragmenta diſponenda reſtituendaque loco ſuo putat vir erudiriſſimus, IAC. GOTHOFREDVS: cui tamen vt ea in re adſentiar, nondum fateor a me poſſum impetrare. Nam primo de teſtimonio, genero nuruiue, nec non ſocero et ſocrui inuitis haud denunciando, non lex Papia Poppaea cauit, ſed lex Iulia publicorum iudiciorum. Ita ex compacto docent PAPINIANVS *(a)*, PAVLLVS *(b)* et VLPIANVS *(c)*, qui et caput legis illius LXXXVII. de eo iure egiſſe obſeruat. Simile vero quid in lege Papia Poppaea fuiſſe, nec ex iſtis PAVLLI, VLPIANIque textibus, nec ex fine et ſcopo legis noſtrae colligi poteſt, vti recte obſeruauit ANT. SCHVLTINGIVS *(d)*. Et quid opus erat haec in lege Papia Poppaea repeti, quae iam ſatis perſpicue ſcripta fuerant in lege Iulia publicorum iudiciorum? Deinde nec felicius conieciſſe videtur vir doctiſſimus, dum *L. 19. D. de Rit. Nupt.* verba GENERO NVRVIVE inſeruit. Quam frigida enim eſt loquutio: *filium filiamue in matrimonium genero nuruiue collocare?* Cui vero alii collocari poterant, quam *genero nuruiue?* Non ſane ferebat legiſlatorius veterum ſtilus, vt huiuſmodi vocabula infererent, non minus ſane hic otioſa, quam ſi quis dicere vellet, *liberis naturalibus, quos mater aliqua enixa ſit, alimenta deberi*. Non magis enim fieri poteſt, vt filius filiaue elocatus elocataque intelligatur ſine genero et nuru, quam liberi naturales ſine matre. Et cur quaeſo tam operoſe haec verba interpretati ſunt VLPIANVS, CAIVS, PAVLLVS, TER. CLEMENS, ſi nihil aliud lex dixerit, quam genero nuruiue in matrimonium collocandos eſſe liberos? An hic ſcire interfuit, etiam ſponſum ſponſamque generi nuruſque appellatione contineri? Hic ergo, ſi quid video, nihil vidit vir eximius: nec eius coniectura quidquam habet, quo ſe commendet, veroſimilitudinis.

Quum vero et nos in his tenebris praeter coniecturam nihil promittere poſſimus: operam ſaltim dabimus, ne illa omni ratione veterumque teſtimonio deſtituatur. Caput nimirum iſtuſt XXXI. tale fuiſſe ſuſpicamur:

Adfinitas, praeterquam inter nouercam et priuignum, vitricum et priuignam, nec non SOCERVM SOCRVMVE *et* GENERVM NVRVMVE, *morte diuortioue ſoluitor.*

Quia enim, vti iam ſuperiore capite docuimus, ea legis noſtrae fuit ſententia, *ne quod omnino nuptiis inferretur* IMPEDIMENTVM *(e)*, et legiſlatores iam huiuſmodi quaedam impedimenta remouerant: commode etiam incidit ius adfinitatis, quod multa turbare poſſe videbatur matrimonia. Saepe enim viduam adpetebat aliquis ex defuncti mariti familia, qui eius mores perſpexerat accurate, qui eam commodam liberis ſuis nouercam fore, ſeque iis nuptiis res ſuas conſtabiliturum, exiſtimabat: ſed obſtabat ei ius adfinitatis, quod non videbatur ferre, vt iuſtum eſſet inter ſe eamque mulierem connubium. Quumque vterque haud facile parem alibi conditionem reperiret: inde fiebat, vt impedirentur vtriuſque nuptiae, legique ad procreandam ſobolem comparatae minus ſatisfieret. Ei vero impedimento legem

(a) L. 2. D. de accuſ.
(b) L. 4. D. de teſt.
(c) Collat. legg. Moſ. et Rom. tit. 9. §. 2.
(d) Iuriſprud. vet. ante.iuſt. pag. 767.
(e) L. 72. §. 4. D. de cond. et dem.

Digitized by Google

legem hanc oppoſuiſſe videtur Auguſtus, qua nuptias inter adfines, paucis exceptis, permiſit: idque colligere mihi videor primum ex CONSTANTINI, CONSTANTIS et IVLIANI (a) conſtitutione, qua LICITVM *veteres credidiſſe ait, nuptiis fratris ſolutis ducere fratrem vxorem*, LICITVM *etiam, poſt mortem mulieris aut diuortium, contrahere cum eiuſdem ſorore coniugium*. Ex qua conſtitutione id ſaltim patet, adfinitatem veteribus viſam eſſe ſolui, ſimul ac nuptiae vel morte vel diuortio fuerint ſolutae, adeoque non amplius eam obſtitiſſe adfinibus, nouum inituris matrimonium. Quum vero alioquin vniuerſam graduum et adfinitatis prohibitionem ex MORIBVS deſcendere dicat PAVLLVS (b): illud tamen ius, quod paullo ante commemorauimus, *Romanis* LEGIBVS tribuere non dubitant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS A A. (c) in celeberrima, quam Pariator legum Moſaicarum et Romanarum ſeruauit, conſtitutione. Aſt de quibus *legibus* loqui dicamus Principes? De illis profecto, quarum AVGVSTVS auctor eſt. Id enim docet locus praeclarus PAVLLI (d) ex libro XXXV. ad Edictum, quo leges nuptiales explicauit, vbi poſtquam fuſe expoſuit, quaenam *nouerca* ſit, qui, *ſocer*, *ſocrus*, *nouerca*, demum et de *priuigna* addit: *Priuigna non ſolum ea mihi intelligitur, quae vxoris mei filia eſt, ſed et neptis, et proneptis, vt nullam earum ducere, poſſim. Item eius matrem, quam ſponſam habui, non poſſe me vxorem ducere*, AVGVSTVS *interpretatus eſt: fuiſſe enim eam ſocrum*. Certiſſimum ergo videtur Auguſtum has perſonas coniungi vetuiſſe: inter reliquos adfines permiſiſſe matrimonium. Quumque eo de iure non tam ad legem Iuliam de adulteriis, quam ad legem Iuliam Papiam tam prolixe egerint interpretes: veroſimillimum ſane videtur, totum illud ius inuectum eſſe lege Iulia et Papia Poppaea.

II. Vt ergo ad legem ipſam progrediamur, ait Auguſtus: ADFINITAS MORTE, DIVORTIOVE SOLVITOR. *Adfines*, vti MODESTINVS (e) definit, *ſunt viri et vxoris cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diuerſae inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit. Namque coniungendae adfinitatis cauſſa fit ex nuptiis.* Quum itaque neceſſitudinis illius cauſſa ſint nuptiae: conſequi exiſtimabant veteres, vt ſolutis morte vel diuortio nuptiis, et adfinitas ſoluta intelligatur. Ita rationes ſubduxere gentes etiam humaniſſimae, et caſtitatis imprimis ſtudioſae. Ebraeis, haud pauci eiuſmodi doctrinam tribuunt, partim ob locum Leuit. XVIII, 18. partim ob verba PHILONIS (f): *Δεσμὸς γὰρ οἴκων ὀθνείων αἱ ἐπιγαμίαι, τὴν ἀλλοτριότητα συνάγων, ὃ λυθέντος λέλυται καὶ τὰ τῆς κοινωνίας. Connubia familiis externis ſunt pro vinculo, quo ſoluto,* SOLVITVR *et* ADFINITAS. Inter Graecos iam EVRIPIDES (g) cecinerat:

Παλαιὰ καινῶν λείπεται κηδευμάτων,

VETERES *nouis cedunt* ADFINITATIBVS.

Nec non ISOCRATES (h): *Οὕτω δὲ σφόδρα ἠγάπησε τὴν τοῦ πατρὸς φιλίαν, ὥστ' ἀποθανούσης ἐκείνης ἄπαιδος, αὖθις ἠγάγετο τὴν ἀνεψιὰν τοῦ πατρὸς, οὐ βουλόμενος διαλύσασθαι τὴν πρὸς ἡμᾶς οἰκειότητα. Tantopere patris mei amicitia delectatus eſt, vt quum amita mea ſine liberis deceſſiſſet, rurſus patris con-* *ſo-*

(a) *L. 2. C. Th. de inceſt. nupt.*
(b) *L. 39. §. 1. D. de Rit. nupt.*
(c) *Coll. LL. Moſ. et Rom. VI. §. 4.*
(d) *L. 14. §. vlt. D. de Rit. nupt.*
(e) *L. 4. §. 3. D. de grad. et adfin.*
(f) *Legat. ad* CAI. *pag. 776.*
(g) *In Medea.*
(h) *In Aegenet. pag. 386.*

Digitized by Google

ſobrinam duxerit, quo neceſſitudo inter nos et ADFINITAS *permaneret*. Saepe etiam ad hos mores Graecos adludit TERENTIVS (*a*), apud quem Laches:

> *Haud ita decet, ſi perpetuam vis eſſe* AFFINITATEM *hanc,*
> *Celare te iras, ſi quid eſt peccatum a nobis, profer.*

Et alio loco (*b*):

> AFFINITATEM *hanc ſane* PERPETVAM *volo,*
> *Sin eſt, vt aliter tua ſit ſententia,*
> *Accipias puerum.*

Principium itaque hoc placuiſſe etiam priſcis Romanis, inter primos obſeruauit VINNIVS (*c*), qui dubitanter, *credere ſe*, ait, *apud Romanos* IVRA ADFINITATIS *morte vnius e coniugibus*, PRO EXTINCTIS *habita fuiſſe*. Poſtea et v. c. HENR. BERN. REINOLDVS (*d*), et celeberrimus GER. NOODT (*e*) eam *Vinnii* ſententiam aliquot exemplis et e conſtitutione, quam allegauimus CONSTANTINI, CONSTANTIS et IVLIANI probarunt. Nos vero eius iuris hiſtoriam paullo accuratius expediemus. Iam libera republica id valuiſſe principium, ipſe iam vidit VINNIVS. Ego illud et ſub regibus, et deinde iis exactis valuiſſe arbitror. Tarquinium enim ſuperbum, adhuc priuatum, Tulliam Aruntis fratris vxorem duxiſſe, DIONYS. HALICARNASSAEVS (*f*) et LIVIVS (*g*) referunt, nec eſt qui liberos ex eo matrimonio natos illegitimos fuiſſe habitos, putet, quum tamen nec Seruius nec eius vxor eam coniunctionem probarent. M. Craſſum deinde libera adhuc republica defuncti fratris viduam duxiſſe, liberos eius ſibi retinuiſſe, PLVTARCHVS tradit (*h*). Quod matrimonium tantum abeſt, vt reprehenſionem incurreret, vt Craſſi continentiam in eo laudet PLVTARCHVS. Nec liberos eius vnquam illegitimos viſos eſſe conſtat. Eodem fere tempore CICERO (*i*) ſcribit, *diuortia eſſe* AFFINITATVM DISCIDIA, non alia de cauſſa quam quod affinitatis iura morte non magis, quam diuortiis finiri non ignoraret. Sed libera republica etiam in linea recta, ſoluta adfinitate, nuptias locum habere exiſtimabant. Quamuis enim viri honeſti ac probi huiuſmodi coniunctiones deteſtarentur: non tamen illae erant illegitimae eatenus, vt vel diuellerentur coniuges, vel connubium ipſum effectu ciuili deſtitueretur. Rem miro exemplo demonſtrabimus ex CICERONE (*l*). Saſſia, A. Cluentii Auiti mater, crudelis et libidinoſa femina, Cluentiam filiam elocauerat A. Aurio Melino, iuueni nobili, Cluentiae conſobrino. Quum eſſent hae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae, repente Saſſia ſocrus deperire coepit generum, atque ita inſtruxit ſcenam, vt ſubito facto diuortio, Cluentia a Melino diſcederet. Quid poſtea Saſſia? *Diutius*, vt ait CICERO, *ſuſpicionibus obſcuris laedi famam ſuam noluit*: *lectum illum* GENIALEM, *quem biennio ante filiae ſuae nubenti ſtrauerat, in eadem*

(a) *Hecyr. Act. II. Scen. II. v.* 10.
(b) *Act.* IIII. *Scen.* IIII. *v.* 14.
(c) *Comment. ad* §. 6. *Inſt. de nupt.*
(d) *Var. cap.* 24.
(e) *Ad tit. D. de Rit. nupt. pag.* 495. *Tom. II. op.*
(f) *Lib.* IIII. *pag.* 225.
(g) *Lib. I. cap.* 46.
[h] *In Craſſo ab init.*
[i] *Pro Cluent. cap.* 67.
(l) *Ibid. cap.* 5. *ſequ.*

Digitized by Google

eadem domo ſibi ornari , & ſterni , expulſa atque exturbata filia , iubet. NVBIT *genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium.* En nuptias inter generum et ſocrum, quas quidem, tanquam inhoneſtas, et nefandas, exſecratur CICERO, legibus tamen illas repugnare, aut Saſſiae et Aurio Melino ideo diem dictum; vel eandem dote mulctatam eſſe, nuſquam ſcribit, id ſane non praetermiſſurus, niſi ea turpitudo extra legum animaduerſionem fuiſſet. Vnde profecto patet, inhoneſtas quidem viſas huiuſmodi nuptias, ſed nullam tamen legem, quo minus fierent, obſtitiſſe, donec per Auguſtum primum

Mos & LEX *maſculoſum edomuit nefas.*

Ille enim vetus quidem ſeruauit principium, adfinitatemque morte et diuortiis ſolui conceſſit: ſed excepit tamen nuptias inter PRIVIGNVM et NOVERCAM, VITRICVM et PRIVIGNAM, SOCERVM ET NVRVM, GENERVM et SOCRVM. Tanta enim inter has perſonas videbatur neceſſitudo, vt ſibi inuicem parentum liberorumque loco eſſent (*a*), et hinc ſe patres liberosque ſalutarent (*b*). Et has ſolas perſonas excipiunt, quicumque poſt Auguſtum ad quartum vſque ſaeculum Chriſtianum iura interpretati ſunt, quum tamen alias in iure *adfinitates non eae, quae quondam fuerunt, ſed praeſentes intelligantur* (*c*). VLPIANVS (*d*): *Eam, quae nouerca vel priuigna, vel nurus, vel ſocrus noſtra* FVIT, *vxorem ducere non poſſumus.* Ἐμφατικῶς dicit: *quae* FVIT, vt oſtenderet, hic locum non habere vetus principium, quo, matrimonio ſoluto, et adfinitas pro exſtincta habeatur. Eodem modo PAVLLVS (*e*): *Nec ſocrum, nec nurum, nec priuignam, nec nouercam* ALIQVANDO, *citra poenam inceſti vxorem ducere licet.* En denuo addit *aliquando*, quod vocabulum ad antecedentia pertinet, vt ſenſus ſit, has omnes perſonas duci non poſſe, dummodo *aliquando* adfines fuerint, quamuis alias adfinitas morte vel diuortio perimatur. Porro DIOCLATIANVS et MAXIMIANVS AA (*f*): *Itemque ex adfinibus priuigna, nouerca, ſocru, nuru, ceteriſque, quae antiquo iure prohibentur, a quibus cunctos volumus abſtinere.* Inter easdem perſonas ſolas matrimonium prohiberi aiunt CAIVS (*g*), PAVLLVS (*h*), aliique, quorum in Digeſtis fragmenta occurrunt. Ita et in inſtitutionibus noſtris ob adfinitatem matrimonium prohibetur tantum cum priuigna aut nuru (*i*), ſocru et nouerca (*l*), et vtrobique additur: *Quod ita ſcilicet accipi debet, ſi* FVIT *nurus aut priuigna tua*: item: *Quod ipſum* DISSOLVTA DEMVM ADFINITATE, *procedit*, vt intelligatur, iura adfinitatis, quae alias ſoluto matrimonio exſtinguuntur, hic non exſtingui. Contra extra lineam rectam nulla occurrit in iure noſtro prohibitio. Hinc fratris viduam, vel vxoris ſororem ducere, nemini erat religioni, quia adfinitas cum matrimonio videbatur finita. Saeculo ſecundo Sicinius Pudens, teſte APV-

(a) *L. 16. D. ſolut. matr. L. vlt. D. de his quae ut indign.*
(b) PLIN. *Lib. VII. Hiſt. nat. cap. 13.*
[c] *L. 3. §. 1. D. de poſtul.*
[d] *Tit. XI. §. 6.*
(e) *Rec. Sent. Lib. II. tit. 19. §. 5.*
[f] *Coll. LL. Moſ. et Rom. tit. 6. §. 4.*
(g) *Inſt. Lib. I. tit. 4. §. 5.*
(h) *L. 14. D. de Rit. nupt.*
[i] *§. 6. Inſt. de nupt.*
[l] *§. 7. Inſt. eod.*

APVLEIO (*a*) fratris Pontiani viduam ductturus erat, et Pudentilla ipſa, Apuleii vxor, primum Sicinio Amico, poſteaque eiusdem fratri Sicinio Claro deſponſa erat (*b*), neutrum connubium improbantibus legibus, ceu iam BRISSONIVS (*c*) obſeruauit, et poſt eum repetierunt alii. Vnde ANIANI manum olent illa CAII (*d*): *Sed nec vni viro duas ſorores vxores habere, nec vni mulieri duobus fratribus iungi permittitur*. CAII enim aetate nondum prohibita fuiſſe huiusmodi matrimonia, ſed CONSTANTINVM cum CONSTANTE fratre ea primum vetuiſſe, vel exemplo Marci Antonini ſanctiſſimi principis, Lucillam filiam fratri Lucio Vero nuptum collocantis (*e*) patet, et paullo poſt demonſtrabimus pluribus.

Iam itaque facile intelligemus veterum, quae huc pertinent, fragmenta. PRIVIGNVS et PRIVIGNA non ſolum intelligebantur mariti vel vxoris liberi, ſed et nepotes et neptes, pronepotes et proneptes (*f*), quemadmodum et liberorum nomine nepotes, neptes, et reliqui poſteri, continebantur. SOCER et SOCRVS contra non ſolum dicebantur vxoris vel mariti parentes, ſed et auus et auia, proauus et proauia (*g*), quin et mariti vel vxoris vitricus et nouerca (*h*). GENERI et NVRVS adpellatione non ſolum liberorum, ſed et nepotum et neptium, pronepotum et proneptium ceterorumque liberorum coniuges (*i*), immo et eorumdem ſponſi ſponſaeque, continebantur (*l*). Quod CAIVS exemplo legis Iuliae publicorum iudiciorum illuſtrat, vbi ea cognationis vocabula aeque late accipiuntur. Inter has omnes ergo perſonas tanta erat ob adfinitatem veneratio, vt inter eas nullo modo ſubſiſterent nuptiae, quantumuis ſoluto per mortem vel diuortium matrimonio.

III. Sed iſtud caput demum ſeuerior Chriſtianorum diſciplina excluſit, quae et inter collaterales adfines matrimonia quaedam prohibuit. Saltim a fratris vxore et vxoris ſorore omnes abſtinere anno Chr. 355. ſeuere iuſſerunt CONSTANTINVS, CONSTANS et IVLIANVS (*m*), qui ſimul veterem illam iuris regulam de adfinitate morte vel diuortio ſoluenda haud obſcure proſcripſerunt, reſcribentes ad Voluſianum, Vicarium vrbis: *Etſi* LICITVM *veteres crediderunt*, NVPTIIS FRATRIS SOLVTIS *ducere fratrem vxorem: licitum etiam*, POST MORTEM MVLIERIS, *aut* DIVORTIVM, *contrahere cum eiusdem ſorore coniugium: abſtineant huiusmodi nuptiis vniuerſi, nec aeſtiment, poſſe legitimos liberos ex hoc conſortio procreari: nam ſpurios eſſe conuenit, qui naſcentur*. Quum vero haec conſtitutio, edita Romae, et ad vicarium vrbis miſſa, ad occidentem tantum pertineret: in oriente huiusmodi coniunctiones nondum ab vſu receſſerant, defendentibus eas etiam Chriſtianis quibusdam, quorum argumenta ſcriptis ad Diodorum, Epiſcopum, Tarſenſem, litteris magno molimine oppugnat BASILIVS (*n*). Hinc noua lege THEODOSIVS M. (*o*) vetuit, *ne quis fratris vxorem duceret, vel dua-*

(a) *In Apolog. II. pag.* 548.
(b) *Ibid. pag.* 517.
[c] *De iur. Connub. pag.* 283.
(d) *Inſt. Lib. I. tit.* 4. §. 7.
(e) *Iul. Capitolin. Marc. cap.* 9. *Luc. Ver. cap.* 2.
(f) L. 14. §. *vlt. D. de Rit. nupt.*
(g) *d. L.* 14. *et* TER. CLEM. L. 146. *D. de verb. ſign.* L. 3. §. 2. *D. de poſtul.*
(h) L. 14. §. *vlt. D. de Rit. nupt.*
(i) L. 14. *eod.* VLP. *Lib. V.* L. 136. D. *de verb. ſign.*
(l) CAI. *Lib.* IIII. L. 5. D. *de teſt.* VLP. *Lib. V.* L. 6. D. *de grad. et adfin.*
(m) L. 2. C. *Theod. de inc. nupt.*
(n) *Epiſt.* CLXXXXVII.
(o) L. 5. C. *de inceſt. nupt.*

duabus ſororibus coniungeretur, NE DISSOLVTO QVIDEM QVOCVNQVE MODO CONIVGIO. Idem paullo poſt firmarunt ARCADIVS et HONORIVS (*a*) anno Chr. 396. poenam quidem viuicomburii et proſcriptionis bonorum, a Theodoſio propoſitam, temperando, ſed nihilominus iubendo, vt nec liberi ex eo coitu nati legitimi habeantur, nec parentes teſtandi habeant facultatem, et dos praeterea tanquam caduca publicetur. Cui poenae diſerte et eos ſubiiciunt Principes, qui ſeſe nuptiis fratris vxoris funeſtarint. Anno 415. Imperatores HONORIVS et THEODOSIVS iunior (*b*) eos, qui poſt prioris coniugis amiſſionem eius ſororem duxerint, eaſque, *quae poſt interitum mariti in germani eius nuptias adſpirandum crediderint*, *tanquam* INCESTVM *commiſerint*, *habendos eſſe*, edixerunt. Quae conſtitutio eo eſt notabilior, quo magis conſtat, Honorium ipſum duas Stilichonis filias, ſorores germanas, vnam poſt alteram habuiſſe in matrimonio, vti ZOSIMVS (*c*) et MARCELLINVS COMES (*d*) teſtantur. Sequuta eſt conſtitutio ZENONIS (*e*), qua haec prohibitio etiam ad fratrum coniuges, quae adhuc virgines dicebantur, producitur, *quamuis et Aegyptii adhuc eum morem tenerent*, *et certis* LEGISLATORIBVS *inter has perſonas nullam adfinitatem eſſe*, *placuiſſet*. Poſtremo et ANASTASIVS (*f*), quum huiusmodi connubia ſaepe reſcriptis vel pragmaticis conſtitutionibus permiſſa eſſe intellexiſſet, noua ea conſtitutione inhibuit inceſtaque declarauit. Ex quo conſtitutionum numero facile eſt ad intelligendum, quam aegre ſibi Romani iſtud principium extorqueri paſſi ſint, quod cum ipſa paene vrbe natum, conſtanti tot ſaeculorum vſu iuris auctoritatem iam pridem fuerat conſequutum.

(a) *L. 3. C. Theod. de inc. nupt. L. 6. C. eod.*
(b) *L. 4. C. Th. eod.*
(c) *Lib. V. cap. 28.*
(d) *Chron. ad ann. 308.*
(e) *L. 8. C. eod.*
(f) *L. vlt. C. eod.*

CAPVT XVIII.

AD CAPITA LEGIS TRIGESIMVM SECVNDVM ET TRIGESIMVM TERTIVM,

DE PRIVILEGIIS ABSENTIVM REIP. CAVSSA, ET INDVLGENTIA SENATVS.

I. *Connexio huius capitis cum ſuperioribus. Iac. Gothofredi de hac lege ſententia expenſa. Capitis huius ſententia.* II. *Breuis huius capitis explicatio.* III. *Caput* XXXIII. *quale fuerit?* IV. *Eius explicatio. Principes ſibi ſolis ius lege ſoluendi vindicarunt. Quot modis lege ſoluerint?*

I. QUemadmodum ad impedimenta nuptiarum antecedentia capita pertinuerunt: ita iisdem oppoſitum videtur id, quod proxime ſequitur, de quo VLPIANVM libro commentariorum ſexto egiſſe, ani-

maduertimus. Et primum quidem ex eius (*a*) et PAVLLI (*b*) fragmentis quibusdam ſuſpicari licet, ſequens caput XXXII. egiſſe de abſentibus reipublicae cauſſa. Qui enim videantur reip. cauſſa abeſſe, vterque explicat tam operoſe atque accurate, vt eos textus dignos iudicaret Tribonianus, quos in titulum digeſtorum: *Quibus ex cauſſis maiores viginti quinque annis in integrum reſtituuntur*, quo plane non pertinebant, referret. Quid vero de his abſentibus hoc capite cautum fuerit, vix liquet, faciliusque diuinatur, quam certis rerum argumentis cognoſcitur. Vir ſummus, IAC. GOTHOFREDVS (*c*), quum obſeruaret, inter leges de ſolidi capacitate ab VLPIANO (*d*) et hanc referri, quod abſentes reipublicae cauſſa quamdiu abſunt et intra annum, poſtquam abeſſe deſierint, liberam habeant teſtamenti factionem: illam cauſſam ſolidi capionis a reliquis ſeiungit, et hoc caput, quod ipſi eſt XVIII. inde conſtruit.

> *Si vir commodi ſui cauſſa abſit, ex bonis vxoris ſuae ſolidum ne capito: At ſi ſine detrectatione reipublicae cauſſa aberit, donec abeſt, et intra annum, poſtquam abeſſe deſierit, libera inter virum et vxorem teſtamenti factio eſto.*

Sed quum hoc priuilegium, abſentibus reip. cauſſa datum, ad leges de ſolidi capacitate pertinuerit, de quibus TER. CLEMENS et VLPIANVS libro quarto commentariorum ſuorum egerant: quis credat, vel legislatores, vel ipſos legis interpretes, tam fuiſſe incurioſos ordinis, vt iſtud caput, a reliquis diuulſum, loco hoc plane alieno proponerent? Quare maluimus, VLPIANVM auctorem ſequuti, iſta loca ad leges de ſolidi capacitate referre: quo loco etiam illa ſatis ſuperque expoſuimus.

Quum itaque GOTHOFREDVM hic deſerere cogamur: age diuinabimus, qua de re egiſſe hoc caput, veroſimillimum ſit. In eo hactenus fuiſſe vidimus legislatorem, vt, quae nuptiis moram obiiciunt, impedimenta tolleret. Inter haec et abſentia procul dubio fuit. Magnas ſaepe ac longiſſimas peregrinationes tum ſuſcipiebant Romani (*e*). Alii officiis praeerant in prouinciis, alii procul ab vrbe faciebant ſtipendia, vel in prouinciis inter legiones praeſidiarias conſeneſcebant. Erant etiam, qui in diuerſis orbis Romani prouinciis vel vectigalia conducerent, vel negotiarentur, vel ſuo periculo naues exercerent. Quorum quam immenſus numerus fuerit, vel inde patet, quod per ſolam Aſiae prouinciam Mithridates, teſte PLVTARCHO, vno edicto centum et quinquaginta ciuium Romanorum millia iugulari iuſſerit. Quanto plures tum per alias prouincias vagatos exiſtumemus? Haec abſentia quantam vaſtitatem vrbi et Italiae intulerit, iam Iulius Caeſar viderat, qui, vt exhauſtam vrbem noua ſobole expleret, teſte SVETONIO (*f*), ſanxerat, *ne quis ciuis, maior annis* XX., *minorue* XL., *qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo* ITALIA ABESSET, *neu quis ſenatoris filius, niſi contubernalis aut comes magiſtratus*, PEREGRE PROFICISCERETVR. Quum itaque et Auguſtus animaduerteret, ciuium quamplurimos vrbe abeſſe, eoque obtentu nuptias vel differre, vel plane adſpernari:

(a) VLP. *Lib. VI. L. 36. L. 38. D. quib. ex cauſſ. maior.*

(b) PAVLL. *Lib.* III. *L. 35. et L. 37. D. eod.*

(c) *Ad Leg. Pap. cap.* 18.

[d] *Tit.* XVI. § 1.

(f) *Pr. Inſt. de codicill.*

(g) *In Sulla p.* 467.

(h) *Iul. cap.* 42.

nari : commentus videtur caput , quo abſentiam iſtam , ea excepta , quae ob reipublicae vtilitatem ciuibus indiceretur , coerceret . Id autem ita eum feciſſe arbitramur , vt eos omnes qui peregrinationis ſtudio nuptias et ſobolis procreationem differebant , praeterquam qui reip. cauſſa abeſſent , caelibatus orbitatisque poenis ſubeſſe iuberet . Aut multum ergo fallimur , aut tale fuit legis noſtrae caput XXXII.

Qui REIPVBLICAE CAVSSA *ſine detrectatione abſunt , donec abſunt , et intra annum , poſtquam abeſſe deſierunt , vacationem a lege habento. Reliqui , qui ſui commodi cauſſa abſunt , poenis ex H. L. tenentor.*

Mouet me primo , quod et alias ſollemne fuiſſe video Auguſto , abſentibus reipublicae cauſſa vacationem legum ſuarum dare . Nam et legi Iuliae de adulteriis adſcriptum nouimus : NE QVIS INTER REOS REFERAT EVM , QVI TVM SINE DETRECTATIONE REIP. CAVSSA ABERIT (*a*) . Deinde , quod generali iuris regula receptum eſſet , abſentiam eius , qui reip. cauſſa abeſt , neque ei , neque alii , damnoſam eſſe debere (*b*) . Denique quod interpretes noſtri tam accurate computant , quando , qui reip. cauſſa abfuerunt , abeſſe definant (*c*) , ſimulque ab his diſtinguunt eos , qui abſunt ſui commodi cauſſa (*d*) . Quod ſane alio pertinere non poteſt quam ad vacationem annuam iis , qui reip. cauſſa abſunt , concedi ſolitam , poenamque iis , qui ſui commodi cauſſa abſunt , propoſitam .

II. Ait itaque lex : QVI REIP. CAVSSA ABSVNT . Eos vero iam recenſuimus ad caput legis XXIII. vbi etiam illa explicauimus : DONEC ABSVNT , ET INTRA ANNVM , POSTQVAM ABESSE DESIERVNT , vt nihil hic adiiciendum videatur , praeter verba : SINE DETRECTATIONE , quae quum in legibus frequentiſſime occurrant (*e*) , cum GOTHOFREDO libenter adoptauimus . *Sine detrectatione* vero abeſſe dicebantur , qui non alicuius rei detrectandae vel declinandae cauſſa peregre abibant . Vnde facile patet , illos , qui eo tantum conſilio in prouinciam ire adſectabant , vt ne legi parere cogerentur , nullam poenae vacationem habuiſſe . VACATIONEM vero A LEGE HABERE dicuntur , quibus laxamenti aliquid datum , intra quod neceſſitate ineundi matrimonium procreandique liberos ſoluerentur , vt nihilominus interea a poenis caelibatus atque orbitatis eſſent immunes , praemiaque maritorum ac parentum caperent . Quo ſenſu VLPIANVM (*f*) et SVETONIVM (*g*) haec verba accipere , iam ſupra monuimus . Et ſane huiusmodi vacationem competiiſſe abſentibus reip. cauſſa , per pleraque legis capita facile poteſt demonſtrari . Sponſam vltra biennium ex hac lege habere nemo poterat : aſt poterat tamen is , qui ex neceſſitate (*g*) , id eſt , vt ego interpretor , reip. cauſſa aberat , ſponſalia non ſolum annum vel biennium , ſed et vltra , differre . Quum deinde ex eadem lege feminae nupturae daretur tutor dotis conſtituendae cauſſa : non dabatur tamen , ſi tutor neceſſario abeſſet . Id enim SCto poſtea demum inuectum eſſe , do-

 cent

(a) *L. 15. §. 1. D. ad L. Iul. de Adult.*
(b) *L. 140. D. de R. I.*
(c) VLP. *Lib. VI. L. 38. §. 1. D. quib. ex cauſſ. mai.*
(d) VLP. IB. *L. 36. L. 37. §. 1. D. eod.*
(e) *L. 15. §. 1. D. ad L. Iul. de ad. L. 12. pr. D. de accuſ. L. 19. pr. D. de teſt. L. 22. fin. D. de fideic. libert.*
(f) *Fragm. tit. XIV. §. 1.*
(g) *Aug. cap. 34.*
(h) *L. 17. D. de ſponſal.*

cent VLPIANVS (*a*) et PAVLLVS (*b*). Solidi capacitatem et ei qui reip. cauſſa abeſſet, et eius vxori fuiſſe, iam ante docuimus. Abſentibus porro reip. cauſſa, veluti militibus, plerumque ius liberorum a principe datum eſſe, paullo poſt adparebit. Ita procul dubio abſenti reip. cauſſa centum illi dies, intra quos vxorem eum ducere oportebat, ſi vellet hereditatem capere, non currebant. Adeoque certiſſimum videtur, abſentibus reip. cauſſa, et dum abeſſent, et intra annum, poſtquam abeſſe deſiiſſent, vacationem legis fuiſſe.

Additum fuiſſe arbitramur: RELIQVI, QVI SVI COMMODI CAVSSA ABSVNT, POENIS EX H. L. TENENTOR. Id enim nuptiarum impedimentum praecipue ſublatum oportuit. Nec obſcure ad id reſpicere videtur VLPIANVS (*c*), dum ſcribit: *Reipublicae cauſſa abeſſe eos ſolos intelligimus, qui non* SVI COMMODI CAVSSA, *ſed coacti, abſunt*. His itaque nulla legis dabatur vacatio, adeoque non minus caelibatus orbitatisque poenis ſubiacebant, ac reliqui, qui peregre non iuerant. Hinc VLPIANVS (*d*) negat, eos *qui crimen admiſerunt*, ob eamque rem in prouincia morantur, *habere priuilegium eorum, qui reip. cauſſa abſunt*. Idemque repetit de eo, qui finito officio in prouincia morabatur, vel aliquo deflexerat ſuae rei cauſſa (*e*). Rationes vero huius iuris ſatis idoneae ſunt: Primo enim abſentia haec erat voluntaria, adeoque non indulgendum videbatur ei, qui vltro, antequam legi paruiſſet, eiusmodi peregrinationem ſuſceperat. Deinde is vel eo nomine veniam non merebatur, quod legi et abſens parere poſſet, ſi vellet. Nam et abſenti abſens deſponderi poterat, idque fiebat quotidie (*f*), modo rei non ignarus eſſet abſens, vel factum ratum haberet (*g*). Immo et abſens vir poterat ducere vxorem, in patria commorantem, quamuis nubere abſens non poſſet femina. Hinc PAVLLVS (*h*): VIR ABSENS *vxorem ducere poteſt*: FEMINA ABSENS *nubere non poteſt*. Quod eleganter explicat POMPONIVS (*i*): *Mulierem abſenti per litteras eius, vel per nuncium poſſe nubere placet, ſi in* DOMVM *eius* DVCERETVR: *Eam vero, quae abeſſet, ex litteris vel nuncio duci a marito non poſſe: deductione enim opus eſt in mariti, non in vxoris domum, quaſi in domicilium matrimonii*. Quamuis enim alioquin conſenſu fiant nuptiae: inter abſentes tamen conſenſus facto aliquo erat declarandus, idque commodiſſime fieri videbatur domum deductione. Femina vero domum deducta, quamuis nondum cum ea conſueſſet abſens maritus, matrimonium tamen tam perfectum erat, vt Cinna, teſte VLPIANO (*l*), reſponſum eſſe ſcriberet, eum, qui abſens accepiſſet vxorem, et deinde rediens ad Tiberim periiſſet, ab vxore lugendum: et PAVLLVS (*m*) huiusmodi vxorem, quamuis nihil muliebre paſſam, et dotem et de dote actionem habere, cenſeat. Quum itaque et abſenti liceret legi parere, ac vxore domum ducta poenas effugere caelibatus: nihil profecto cauſſae erat, cur et ſui commodi cauſſa abſentibus idem daretur priuilegium, quod in gratiam eorum, qui reip. cauſſa abeſſent,

[a] *Fragm. tit.* XI. §. 22.
[b] *L* 15. *D. de tut. et cur. dat.*
(c) VLP. IB. *Lib. VI. L.* 36. *D. quib. ex cauſſ. mai.*
(d) VLP. IB. *L.* 38. *pr. eod.*
(e) IB. *L.* 38. §. 1. *eod.*
(f) *L.* 4. §. 1. *D. de ſponſ.*
(g) *L.* 5. *D. eod.*
(h) *Lib.* II. *recept. ſent. tit.* XIX. §. 8.
(i) *L.* 5. *D. de Rit. nupt.*
(l) *L.* 6. *D. eod.*
[m] *L.* 7. *D. eod.*

ſent, fuerat inuentum. Bella ſpecie id illuſtraſſe videtur CAIVS (*a*) noſter, quamuis ſuo more rationem tantum decidendi ſeruarit Tribonianus. Titius, ex priore matrimonio pater ſolitarius, ſui commodi cauſſa peregrinabatur vna cum vxore Caecilia et filio eiusdem impubere. Vxor heredem inſtituerat filium, eumque fideicommiſſo obſtrinxerat, vt moriens hereditatem relinqueret Titio vitrico. Dum nauigant mare, naufragio pereunt mater et filius, Titius euadit, petitque hereditatem. Si reip. cauſſa abſuiſſet, libera inter eum et vxorem fuiſſet teſtamentifactio. Aſt ſui commodi cauſſa abſens, ſolidum non capiebat. Non ab vxore, quia nullus exſtabat filius communis: nec ab impubere Caeciliae filio, cui fuerat ſubſtitutus, quia heres matris factus non intelligebatur, ſiquidem, vti ait CAIVS, *ſi mulier cum filio impubere naufragio periit*, PRIOREM FILIVM *necatum eſſe intelligitur*. Excidit ergo hereditate, ſibi teſtamento deſtinata, praeter decimas, quarum matrimonii nomine, et ob filium filiamue, ex priore matrimonio ſuperſtitem capax erat. Idem etiam capere poterat vſumfructum tertiae partis bonorum: non autem legatum annuum, quod tertiae partis vſumfructum excederet. Qua occaſione idem CAIVS (*b*) de diſcrimine annui et vſusfructus legati diſſeruiſſe videtur.

III. Sequitur caput XXXIII. de quo eodem libro commentariorum ſexto egit VLPIANVS, id quod tale fuit:

Si cui ſenatus gratiam huius legis faciet: ei nuptiae iuſtae, liberiue legitimi ſunto, et omnia ex H. L. praemia capere ius eſto.

Eam ſane capitis huius ſententiam nobis ſuggerit VLPIANVS (*c*), dum ſcribit: *ſi ſenatori* INDVLGENTIA PRINCIPIS *fuerit permiſſum, libertinam iuſtam vxorem habere: poteſt iuſta vxor eſſe*. Id enim exemplum eſt, quo illuſtrat regulam, ad vniuerſam procul dubio legem noſtram pertinentem. Nimirum impedimento nuptiis aliquando erat repulſa, et quod nulla eſſet idonea conditio. Erant, qui vel ob formae vitium, vel ob paupertatem, morbos, aliasue huiusmodi cauſſas dignam ſuo ordine conditionem nuſquam reperirent. Iis, ne innoxii poenas infelicitatis ſuae luerent, conſulendum putarat Auguſtus, atque hinc iis id indulſerat beneficium, vt a ſenatu lege ſoluerentur.

IIII. Ait lex: SI CVI SENATVS. Huic enim non tantum tempore liberae reip. ſed et ſub Auguſto id ius competiiſſe, iam ſupra, vbi de ſolidi capacitate, actum demonſtrauimus. Nec video, quo iure vir ſummus, IAC. GOTHOFREDVS, obuertere nobis poſſit exemplum Hiſpalae Fecenniae apud LIVIVM (*d*), quum is auctor eam SCto lege matrimoniali ſolutam eſſe, diſerte fateatur. Equidem, libera adhuc republica, huius modi SCta, quibus aliquid contra leges indulgebatur, ſaepe ſolebant tribuum ſuffragio firmari. Quale quid factum nouimus, quum ſenatus C. Valerium Flaccum, Aedilem, qui ob flaminium Diale in leges iurare non poterat, ea lege ſoluiſſet (*e*). Sed tantum abeſt, vt illud adhuc fieret temporibus Auguſti, vt iam libera republica ea de re deſitum eſſe ad populum ferri, referat ASCONIVS PAEDIANVS, cuius locum iam ſupra expendimus. Multo

minus

(a) CAI. *Lib. V. L. 23. D. de reb. dub.*
(b) *Lib. V. L. 8. D. de ann. legat.*
(c) *Lib. VI. L. 31. D. de rit. nupt.*
(d) *Lib. XXXVIIII. cap. 19.*
(e) LIV. *Lib. XXXI. cap. vlt.*

minus itaque hoc factum ſub Imperatoribus, partim quod res non eſſet tanti momenti, vt ideo tribus in ſuffragia mitterentur, partim quod rarius tunc indicerentur comitia, et ea, exſtincto paullo poſt Auguſto, a Tiberio, teſte Tacito *(a)*, e campo in curiam penitus transferrentur. Senatum ſane ipſi Caligulae Imp. legis caducariae gratiam feciſſe, Dio Cassivs teſtis locupletiſſimus eſt *(b)*.

Enimuero id ius ſibi paullo poſt principes vindicaſſe, ex Vlpiani verbis paullo ante adlatis diſcimus. Cuius mutationis originem iam ſupra ad Veſpaſiani tempora retulimus, cui, vt eſt in tabula Capitolina apud Grvtervm *(c)*, SCto conceſſum,

> Vti, qvaecvmqve ex vsv reip. maiestate divinarvm hvmanarvm pvblicarvm privatarvmqve rervm esse censverit, ei agere facere ivs potestasqve esset.

Domitianum ſaltim ſaepe lege Papia Poppaea ſoluiſſe, ex pluribus Martialis epigrammatibus conſtat. Immo de ipſo Veſpaſiano exempla paullo poſt occurrent.

Sequitur in capite noſtro: Si cvi senatvs gratiam hvivs legis fecerit. Ita enim loqui ſolebant veteres, quando lege quendam ſolui, dicere vellent: quemadmodum et notae ſunt loquutiones: *Gratiam facere iurisiurandi (d)*, *gratiam facere decreti (e)*, *gratiam facere criminis (f)*, aliaeque ſimiles. Equidem Iac. Gothofredvs *(g)* ita verba reſtituit: *Si cui populus prohibitas H. L. nuptias contrahere permiſerit*: ſed licet Vlpianvs huius ſolius ſpeciei meminerit: vix tamen veroſimile eſt, hanc lege ſolutionem ad ſolum caput primum et ſecundum de nuptiis ſenatorum et plebeiorum pertinuiſſe. Nullum enim fere eſt legis noſtrae caput paullo maioris momenti, cuius non gratiam quibusdam vel ſenatus vel principis beneficio factam eſſe norimus. Prohibitas nuptias aliquando conceſſas eſſe ſenatoribus, Vlpianvs obſeruat *(h)*. Plebeiis ingenuis, maxime militibus, ius connubii cum vxoribus, quas contra leges duxerant, datum eſſe a Veſpaſiano, Domitiano, et Traiano: marmora apud Grvtervm *(i)* et Sponivm *(l)* docent. Si qui contra hanc legem contraxerant nuptias: nec vir nec mulier, nec dos, nec nuptiae, nec liberi legitimi intelligebantur. Et tamen ſaepe principes talia matrimonia *(m)*, liberorumque ſtatum *(n)* confirmaſſe, vel inde patet, quod ne in inceſtis quidem coniunctionibus id beneficium ſemper denegarent. Petentibus honores ſaepe principes iura liberorum dabant, ſaepe annos aliquot, etiamſi liberos tot non ſuſtuliſſent, remittebant, ceu exemplis Calaeſtrii Tironis et Plinii Secundi diſcimus

(a) *Lib. I. Ann. cap.* 15.
(b) *Lib.* LIX. *p.* 747.
(c) *Inſcr. p.* 242.
[d] SVET. *Tib. cap.* 34. *L.* 6. *D. de iureiur.*
(e) *L.* 1. §. *vlt. D. de quaeſtion.*
[f] SVET. *Calig. cap.* 15.
(g) *Ad Leg. Pap. cap.* 19.
(h) VLP. *Lib. VI.* L. 31. *D. de Rit. Nupt.*
[i] *Inſcr. p.* 573. *num.* 2. 574. *num.* 5. 575. *n.* 1.
[l] *Miſcell. p.* 244.
[m] L. 38 §. 6. *ad* L. *Iul. de adult.*
(n) L. 57. §. 1. *D. de Rit. Nupt.*

Digitized by Google

mus (*a*). Idem ius liberorum ſaepiſſime datum nouimus ob immunitatem a muneribus, ob liberationem a tutela (*b*), ad conſequenda iura Quiritium, et ſolidi capacitatem (*c*). Immo et lege caducaria quosdam ſolutos eſſe, iam Caligulae exemplo ex DIONE (*d*) demonſtratum eſt. Quis ergo dubitet, quin hoc caput noſtrum ad totam legem Papiam Poppaeam pertinuerit? Quis dubitet, quin initio ſenatui, poſteaque principibus, licuerit quarumcumque ſanctionum gratiam facere?

Si cui autem id beneficium obtigerat: ei et IVSTAE NVPTIAE et LIBERI LEGITIMI ERANT, et IVS POTESTASQVE PRAEMIA EX H. L. CAPIENDI. Prius ex verbis VLPIANI patet (*e*): *Poteſt iuſta vxor eſſe*. Si autem iuſta vxor erat, conſequitur, vt et iuſtae nuptiae, et liberi haberentur legitimi. Poſterius autem exempla docent. Sic Calaeſtrius iure liberorum; Plinius anni remiſſione impetrata non minus aliis praeferebantur candidatis, ac ſi liberos ſuſtuliſſent (*f*). Liuia (*g*) et Irene (*h*) impetrato trium liberorum iure non minus tutela liberabantur, ac ſi matres eſſent trium liberorum. Eadem Liuia, lege ſoluta, non minus tertiam bonorum partem ex teſtamento mariti capiebat, ac ſi legi Iuliae et Papiae ſatisfeciſſet (*i*). Quae quum ita ſint, certiſſimum videtur, hanc ipſam, quam expreſſimus, fuiſſe huius capitis noſtri ſententiam.

(a) PLIN. *Lib.* VII. *Epiſt.* 17.
[b] GRVT. *pag.* 1081. *n.* 1.
(c) VLP. *tit.* *XVI.* §. 1.
[d] *Lib.* LVIIII. *pag.* 747.
[e] VLP. *Lib.* VI. *L.* 31. *D. de Rit. nupt.*
(f) PLIN. *ibid.*
(g) DIO *Caſſ.* *Lib.* XXXXVIIII. *p.* 414.
[h] GRVTER. *ib.*
[i] DIO *Lib.* LVI. *pag.* 590.

CAPVT XVIIII.

AD CAPVT LEGIS XXXIIII.

DE DIVORTII MODO ET POENA.

I. *CApvt* XXXIIII. *qua de re egerit? Locus Suetonii expoſitus. Diuortii cauſſae. Redditio dotis, retentio ex dote, graues et leuiores mariti et vxoris mores puniti. Caput reſtitutum.* II. *Cauſſae diuortii. Poena eiuſdem. Reſtitutio dotis. Quo tempore fieri deberit? Graues leueſque mariti mores quomodo coerciti? nec non graues leueſque mores vxoris. Quid praeterea ex dote retentum?* III. *Variae huius capitis mutationes.*

I. CApite ſequente de diuortiis actum eſſe, varia oſtendunt VLPIANI ex libro ſeptimo (*a*), PAVLLI ex libro tertio (*b*), et MARCELLI (*c*) ex libro eodem commentariorum, fragmenta. Exſtat etiam pars verborum

[a] VLP. *Lib.* VII. L. 64. *D. ſol. matr.*
(b) PAVLL. *Lib.* III. L. 8. *fin.* *D. de Rit. nupt.*
[c] MARCELL. *Lib.* III. L. 33. *D. de capitu.*

rum legitimorum huius capitis, ex quibus facile patet, diuortiis hoc caput fuiſſe oppoſitum. Quale vero id fuerit, paullo accuratius iam videtur inueſtigandum, maxime quum hic ipſe vacillet vir ſummus, IAC. GOTHOFREDVS. Is enim ita ordinanda putat capita inſequentia:

CAP. XX. *Fundum dotalem Italicum maritus, inuita uxore, ne alienato, neue, conſentiente ea, obligato.*
CAP. XXI. *Soluto citra culpam vxoris matrimonio, vir, quidquid ex vxoris eiuſue libertorum bonis* AD EVM PERVENIT, AVT DOLO MALO EIVS FACTVM ERIT, QVO MINVS AD EVM PERVENIRET, *tam ipſe, quam heres eius,* QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM VXORI DATO.

Caput XXII. reſtituere non audet; addit tamen in margine: *Cap.* XXII. *de* DOTIS *repetitione et retentionibus, vt exiſtimo:* et in ora paginae allegat VLP. LIB. VII. *L. 64. D. ſol. matrim.*

Enimuero caput illud, quod viro eximio eſt vigeſimum primum, non eſſe ex lege Iulia et Papia, (vti ſibi ante GOTHOFREDVM iam perſuaſerat PAVLL. MANVTIVS (*a*), ſed ex lege Iulia de adulteriis, manifeſtum videtur ex loco PAVLLI (*b*). Quo animaduerſo, ipſe GOTHOFREDVS in commentario ſententiam priorem deſerit, et ita ſcribit (*c*): *Verum retrahit me Paullus Lib. 2. ſent. tit. 21. quo loco id, quod lege Iulia de fundo dotali cautum fuit, legi Iuliae de adulteriis nominatim tribuit. Et vero id confirmant apertiſſime inſcriptiones ex* VLPIANI, PAPINIANI, PAVLLI *libris de adulteriis*, L. 2. 6. 12. 13. 14. D. de fund. dotal. *Quo igitur pertinebit tractatus ille Caii in* L. 7. D. de cenſ.? (quem antea ad caput ſuum XXI. retulerat) *Nempe eodem, quo ex Vlpiani Lib.* VII. L. aedificia 139. D. de verb. ſign. *At quo vtrumque? ad* DIVORTIA, *vt puto, quae, ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis fieri oportuit.* Ex ſententia igitur ipſius Gothofredi poſteriore totum delendum eſt caput XX, eiuſque loco reponendum aliud, quo cautum, vt diuortia, ſeptem ciuibus Romanis, praeter libertum adhibitis, fierent. Enimuero ne ſic quidem res in vado eſt. Praeterquam enim quod tractatus ille CAII *L. 7. D. de cenſ.* et VLPIANI in *L. 139. D. de Verb. ſign.* nihil facit ad ſeptem teſtes, in diuortio, adhibendos: poſteriores hae Gothofredi curae iiſdem premuntur difficultatibus, ac priores. Nam et illud ius de ſeptem teſtibus diuortio adhibendis non legi Iuliae Papiae, ſed legi Iuliae de adulteriis tribuitur a PAVLLO (*d*) et VLPIANO (*e*). Vnde ipſe Gothofredus pergit: *At*, inquies, *hoc lege Iulia de adulteriis cautum. Quid tum? Simile aliquid antea cautum hac lege Papia omnino exiſtimo, etſi poſtea plenius lege Iulia recautum.* Sed praeterquam, quod antiquiorem lege Iulia eſſe hanc Papiam noſtram, nondum expeditum eſt: idem ſibi vir eximius reſpondere poterat de fundo dotali. Quis vero crediderit, intra breuiſſimum temporis ſpatium Auguſtum bis idem cauere et recauere, id eſt, actum agere voluiſſe?

Quae

(a) *De Leg. Rom. cap. 16.*
(b) *Rec. ſent. Lib. II. tit. 21.*
(c) *Comm. ad L. Pap. p. 339.*
(d) *L. 9. D. de diuort.*
(e) *L. vn. D. vnde vir et vx.*

Digitized by Google

Quae de capite XXII. ſuſpicatus eſt IAC. GOTHOFREDVS, probabiliora videntur, quamuis accuratius docere potuiſſet, quid de repetitione et retentione dotis Auguſtus ſanxerit. Quod quum non fecerit, Lectorem vbique dubium, et veluti ſub cultro, quod aiunt, relinquit.

Periculum itaque facere iuuat, an poſt GOTHOFREDVM liceat nobis hanc legem veluti de fuga retrahere, ſuaeque reſtituere integritati. Saepe diximus, praecipue hactenus id dediſſe operam Auguſtum, *ne quod omnino nuptiis impedimentum inferretur* (a). Nullum vero erat impedimentum nuptiarum grauius, quam promiſcua illa diuortiorum licentia, quae paullo ante tempora Auguſti ita inualuerat, vt ob leuiſſimam quamuis ſuſpicionem, ob ſimultates cum ſocru muliebres, ob ſpem conditionis pinguioris, ob ſecretum cum liberta colloquium, matrimonia auſpicatiſſima diuellerentur. Quum ergo triſtis illa conditio et viros et feminas complures a matrimonio abſterreret: nihil prius nihilque antiquius ſibi habuit Auguſtus, quam vt iſtam licentiam lege noſtra prudenter coerceret.

Id eum feciſſe lege PAPIA POPPAEA, ita docet SVETONIVS (b): *quumque etiam immaturitate ſponſarum, et matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi ſentiret: tempus ſponſas habendi coarctauit*, DIVORTIIS *modum impoſuit*. Circa quem locum dupliciter errare video viros doctos, quorum quidam cum v. c. BARN. BRISSONIO (c) SVETONIVM de lege Iulia de adulteriis loqui exiſtimant, quum manifeſto agat de lege Papia Poppaea: alii vero verba eius ita interpretantur, vt Auguſtum diuortiis certam formam dediſſe, et in iis ſollemnitates quaſdam exegiſſe, dicant, quo ſenſu ipſe GOTHOFREDVS verba hiſtorici accepiſſe videtur. Sed vnuſquiſque videt, *modum diuortiis imponere* hic idem eſſe, ac diuortia coercere, vt tam frequenter non fiant: quemadmodum auctoribus noſtris lege Falcidia *modus* legatis conſtitutus (d), legata non vltra ciuilem *modum* relicta (e), et vſuris *modus* eſſe, dicuntur. Eadem forma leges noſtrae eleganter dicunt *modum adiicere*, *L. 6. §. 3. D. de offic. procoſ. moderari*, et *modum rei excedere*, *cit. loc.* Ex quo ſane ſequitur, vt Auguſtus ſanctionibus poenalibus coercuerit diuortia. Id quod etiam clariſſime patet ex verbis PAVLLI de vxore captiua, nolente ad virum redire (f) *quod ſi noluerit, nulla cauſſa probabili interueniente*, POENIS DISCIDII *tenebitur*.

Qua in re autem iſtae *poenae diſcidii* conſtiterint, facile diſcimus ex parte verborum legitimorum, quae ſeruauit VLPIANVS (g). Nempe in redditione dotis. Quum vero haec redditio in ſe poena non ſit, quum maritus, ſoluto matrimonio, dotem cogatur reddere, etiamſi nihil aduerſus leges admiſerit: alio loco nobis oſtendit VLPIANVS (h), quid circa redditionem dotis obtinuerit, ſi vel mariti vel vxoris culpa factum eſſet diuortium. Nimirum ſi maritus moribus occaſionem huic diſcidio dediſſet, dos in quantitate conſiſtens ob mores grauiores praeſens, ob mores leuiores ſenum menſium die; quae non conſiſtebat in quantitate, cum fructibus tantis, quan-

(a) *L. 72. §. vlt. D. de cond. et dem.*
(b) *Aug. cap. 34.*
(c) *Ad leg. Iul. de adult. pag* 123.
(d) *L. 1. pr. et L. 81. in fin. D. ad leg. Falc.*
(e) TACIT. *Ann. Lib. I. cap.* 8.
(f) *Lib. III. L. 8. D. de capt. et poſtlim.*
(g) VLP. *Lib. VII. L. 64. §. 6. et §. 10. D. ſolut. matr*
(h) *Fragm. tit. 6. §. 13.*

quanti per quadriennium capi poſſent, reddenda erat. Sin culpa mulieris, aut patris, cuius in poteſtate erat, factum fuerat diuortium: dotem non integram recipiebat mulier, ſed praeter ea, quae propter impenſas in res dotales factas, vel propter res donatas, amotaſque a muliere, nec non propter liberos penes maritum manebant, quaedam etiam morum nomine retinebantur, quae omnia accurate idem exponit VLPIANVS (*a*), infra a nobis interpretanda pluribus. Equidem id ius ex formula vetere actionis rei vxoriae QVANTVM AEQVIVS MELIVS arceſſit BOETHIVS (*b*): ſed recte a SCHVLTINGIO obſernatum eſt, ICtos non potuiſſe interpretando definire certas partes, et praeterea, id ius ex *lege vetere* eſſe, diſerte ſcribit THEODOSIVS iunior (*c*). Quum itaque antea, libera adhuc republica, ob mores graues vxoris tota dos penes virum maneret, teſtibus PLVTARCHO (*d*) et PLINIO (*e*), apud VLPIANVM autem certa tantum dotis pars retineri poſſe dicatur: non abs re colligere mihi videor, illud ius inuectum eſſe lege Papia Poppaea, poſt quam nullius legis exſtat memoria, qua inuectam credere liceat hanc dotis retentionem.

Quae quum ita ſint, ego quidem tale fuiſſe cenſeo caput legis noſtrae XXXIIII:

Soluto citra culpam vxoris matrimonio, ſi mulier ob mores viri diuortit, vir eam dotem, quae annua, bima, trima die reddi debet, ob maiores mores praeſentem, propter minores ſenum menſium die reddito. Quod ad dotem, quae praeſens reddi ſolet, et dotale praedium Italicum, et QVIDQVID EX VXORIS *vel libertorum eius* BONIS AD EVM PERVENIT, NEC NON, SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS PERVENIRET: QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM *ipſe eiuſue heredes* DATO, *et vir ſimul fructum quadriennii praeſtato. Sin mulieris culpa diſcidium factum, morum nomine maritus, grauiorum quidem ſextam, leuiorum octauam dotis partem retineto.*

II. SOLVTO, inquit lex, CITRA CVLPAM VXORIS MATRIMONIO. Non ergo Auguſtus ſuſtulit diuortiorum libertatem, ſed modum illis impoſuit, nec ea, niſi ex iuſta cauſſa, nempe ob mores alterius coniugis intolerabiles, fieri voluit. Vti vero iam CICERONIS (*f*) aeuo non quaerebatur, vter coniugum nuncium miſerit, ſed penes quem culpa eſſet? Ita idem valuit poſt legem Papiam Poppaeam (*g*). Quum autem quiſque ſecundum ſe dare ſoleat ſententiam: opus erat arbitrio iudicis, qui, vtrius culpa diuortium eſſet factum, definiret. Quem in finem prodita erat *actio malae tractationis*, quam ex QVINCTILIANI *Declamationibus* (*h*) ac *Inſtitutionibus oratoriis* (*i*) in lucem protraxerunt CHARONDAS (*l*) et ANT. SCHVLTINGIVS (*m*). Apparebat itaque, finito hoc iudicio, diuortium factum eſſe vel culpa vtriuſque, vel culpa mariti, vel culpa vxoris. Si par vtriuſque eſſet culpa, neuter quidquam ex alterius bonis lucrabatur. Et eo pertinet elegans textus SCAEVOLAE (*n*): *Quum mulier viri lenocinio adultera-*

(a) *Ibid.* §. 10. *ſequ.*
(b) *Ad Topic. Cic. Lib. VI.*
(c) *Nouell. Theod. tit.* 17. *de repud.*
(d) *In Mario pag.* 274.
(e) *Hiſt. Nat. Lib.* XIIII. *cap.* 13.
(f) *Topic. cap.* 4.
(g) QVINTIL. *Inſtit. Lib. VII. cap.* 4.
(h) *Decl.* VIII. XVIII. CCCLXXXIII.
(i) *Lib. VII. cap.* 3.
(l) *Ad* VLP. *tit.* 6. §. 13.
(m) *Ibid. pag.* 586.
(n) L. 47. D. *ſoluto matr.*

Digitized by Google

terata fuerit, *nihil* EX DOTE *retinetur*. *Cur enim improbet maritus mores*, *quos ipſe aut ante corrupit*, *aut poſtea probauit?* Sin culpa teneret maritum, adeoque VXOR OB MORES VIRI DIVORTISSET, tunc aequiſſimum erat, ei dotem cum lucro reddi. Sunt vero MORES vel *grauiores*, ſiue *maiores*, vti VLPIANVS (*a*): vocat, vel *leuiores* ſiue *minores*. Grauiores ſunt adulteria: leuiores reliqui omnes, quos coniux in coniuge ferre nequeat. Vtroque caſu maritus, qui moribus male compoſitis occaſionem diuortio dederat, vxori reddere tenebatur dotem. Hinc PAVLLVS apud BOETHIVM (*b*): *ſi* DIVORTIVM *eſt matrimonii*, *et hoc ſine culpa mulieris factum eſt*, DOS INTEGRA *repetetur*. Sed quia, vti monui, haec quidem redditio dotis nihil in ſe poenae habet, quippe ad quam, et morte ſoluto matrimonio, non modo maritus, ſed et eius heredes ſunt obſtricti: hic Auguſtus eam conditionibus paullo durioribus circumſcribendam exiſtimabat. Nimirum dos aut pondere, menſura numeroue, aut in fundis aliiſque rebus haud fungibilibus conſtabat. De illa lex addit: VIR EAM DOTEM, QVAE ANNVA BIMA TRIMA DIE REDDI DEBET, OB MORES MAIORES PRAESENTEM, PROPTER MINORES SENVM MENSIVM DIE REDDITO. Res fungibilis in dotem data, reddenda erat ordinarie penſionibus tribus, id eſt, annua, bima, trima die, niſi, vt praeſens redderetur, diſerte conuenerit (*c*). Quemadmodum enim plerumque, qui dotem promiſerant, eam non praeſentem, ſed, annua, bima, trima die, numerabant, ceu ex CICERONE (*d*) et POLYBIO (*e*) erudite docet V. C. GER. NOODT (*f*): ita et iiſdem penſionibus eam reddi, videbatur aequiſſimum. Sed hoc beneficio excidebat maritus, qui moribus improbis occaſionem diuortio dederat. Nam OB MAIORES MORES, id eſt, ob adulterium ſtuprumue alteri illatum, dotem PRAESENTEM REDDERE tenebatur. Ex quo conſequebatur, vt ſtatim ſoluto matrimonio veniret dies, adeoque ab eodem momento vſurae ob moram iudicio rei vxoriae, tanquam actione bonae fidei, peti poſſent. Amittebat itaque maritus interuſurium trium annorum, adeoque, ſi tria Philippum millia dotis loco acceperat, eaque foenori locauerat pro vſuris centeſimis: ſeptingentorum ac viginti Philippum vſuras amittebat, quas percipere potuiſſet, ſi ei licuiſſet ſoluere annua, bima, trima die. Sin ob mores leuiores diuortiſſet mulier: maritus SENVM MENSIVM DIE, id eſt poſt ſemeſtre ſpacium, dotem renumerare tenebatur, adeoque amittebat vſuras centeſimas quingentorum et quadraginta Philippum. Quid vero ſi dos in rebus non fungibilibus, veluti in fundis, conſiſteret? Ea dos iam olim praeſens reddi debebat, etiamſi maritus nihil deliquiſſet. Diſerte enim VLPIANVS (*g*): *Reliquae dotes*, (quae pondere, menſura, numero, non continentur,) STATIM *redduntur*. Quod et nouo iure manſit (*h*), quo tamen prius iſtud ius de annua, bima, trima die mutatum, et, vt dos in re fungibili data intra annum a ſoluto matrimonio ſolueretur, ſancitum eſt. Vt ergo et ita poenam ſentiret maritus, cautum fuerat: QVOD

 AD

(a) *Ibid.* §. 12. *ſequ.*
(b) *In Topic. Cic. Lib.* II.
(c) VLP. *Fragm. tit.* 6. §. 8.
(d) *Lib. XI. ad Att. Epiſt.* 4. 23. *vlt.*
(e) *Excerpt. Peireſc. p.* 154.
(f) *Lib. III. de foen. et vſur. cap.* 6.
(g) *Ibid.*
(h) L. *vn.* §. 7. C. *de rei vx. act.*

Digitized by Google

AD EAM DOTEM, QVAE PRAESENS REDDI SOLET, ET DOTALE PRAEDIVM ITALICVM, ET QVIDQVID EX VXORIS VEL LIBERTI BONIS AD EVM PERVENIT, NEC NON, SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS PERVENIRET, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM IPSE HERESVE EIVS DATO. Nimirum dos vel in fundis, vel in aliis rebus non fungibilibus conſiſtebat. Fundus vel Italicus erat, vel prouincialis. Italicus non ſolum Romae et in Italia quaerendus, verum etiam in iis locis extra Italiam, quae iure Italico fruebantur. Ea praedia, quum nec inuita vxore alienari, nec volente obligari a marito poſſent, ſtatim in ſpecie erant reſtituenda. Atque inde facile intelligitur quid ſibi velint verba: QVOD AD EAM DOTEM, QVAE PRAESENS REDDI SOLET, DOTALE PRAEDIVM ITALICVM, DATO. Vindicari itaque ab vxore poterat praedium dotale Italicum, ſiue id poſſideret maritus, ſiue dolo malo poſſidere deſiiſſet. Ex quo facile patet, cur tam ſollicite ad hunc locum iureconſulti noſtri diſquirant, quaenam aedificia dicantur ROMAE AEDIFICATA (*a*), et quaenam coloniae ſint iuris Italici, quarum magnum numerum init CAIVS (*b*). Ea omnia enim ad explicanda verba: PRAEDIVM DOTALE ITALICVM pertinuiſſe, facile eſt ad intelligendum. Quia autem ſaepe et in aliis rebus dos conſtituebatur, vti in fundis prouincialibus, ſeruis, aliiſque, quae alienari poterant, hinc additum: ET QVIDQVID EX VXORIS VEL LIBERTI EIVS BONIS AD EVM PERVENIT, QVANTA EA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO. Hinc ſi vir ſeruum dotalem voluntate mulieris manumiſerat, debebat vxori reſtituere, quidquid ea occaſione ad eum perueniſſet (*c*). Inde etiam, quod libertatis cauſſa ei impoſuerat, id vxori praeſtabat (*d*): veluti ſi ſibi a liberto vxoris ſtipulatus fuerat, quod ad eum ex alterius hereditate peruenturum eſſet. Eo enim pertinere arbitramur locum CELSI (*e*). Non autem debebat operas, quas ei praeſtiterat libertus (*f*). Quid, ſi quid ex bonis huius liberti ad maritum perueniſſet? Id quoque praeſtabat, dum illud iure patronatus adquiſiuerit. Nam ſi quid liberti beneficio percepiſſet, aut ſi hic eum ex maiore parte, quam ex lege debebat, ſcripſiſſet heredem: quod amplius relictum fuerat, non reddebat vxori (*g*), quia propter eam id non acceperat. Perinde etiam erat, ſiue iam percepiſſet aliquid ex bonis vxoris, ſiue percipere potuiſſet. *Perueniſſe enim accipimus*, inquit VLPIANVS (*h*), *ſiue iam exegit, ſiue exigere poteſt, quia actio ei delata eſt*. Quum vero diſerte addiderit lex: QVANTA EA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO: colligunt inde Vlpianus, et CELSVS, non liberti hereditatem eum praeſtare debere, ſed eius aeſtimationem, niſi ipſas res tradere mallet (*i*), vt adeo optio ſit mariti, res malit reſtituere, an praeſtare aeſtimationem. Additur: VT ET SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS PERVENIRET, veluti ſi, ne reddere cogeretur, liberto munera, dona, aliaque quae promiſerat, remiſiſſet. Hinc ſi abeſſet dolus, veluti ſi filium, ad quem here-

(a) VLP. *Lib. VII.* L. 130. *D. de verb. ſig.*
(b) CAI. *Lib. VI.* L. *vlt. D. de cenſ.*
(c) VLP. *Lib. VII.* L. 64. *pr. D. ſol. matr.*
(d) VLP. IB. L. 64. §. 1. *et* 3. *eod.*
(e) CELS. *Lib.* XXXII. L. 97. *de verb. ſign.*
(f) IBID. §. 2. *eod.*
(g) VLP. IB. L. 64. §. 5. *eod.*
(h) IB. L. 64. §. 6. *eod.*
(i) IB. L. 64. §. 10. *D. eod.* CELS. IB. L. 97. *de verb. ſign.*

Digitized by Google

hereditas liberti debuiſſet peruenire, exheredem ſcripſiſſe: heres eius hoc nomine non tenebatur, quia nec ad ipſum, nec ad heredem quidquam peruenerat (a). Haec omnia tum ipſe praeſtabat maritus, tum eius heredes. Horum enim diſertis verbis lex meminerat, non autem ſoceri, eiuſue ſucceſſorum. Vnde ex mente LABEONIS et VLPIANI (b) aduerſus hos ne vtilis quidem dabatur actio. Nec iniuria fiebat heredi, quod hac actione rei perſequutoria teneretur: Aſt, quae ſequuntur, poenam continent, et hinc ad ſolum maritum, cuius grauiores mores cauſſam diuortio dederant, non ad eius heredes pertinent. Addit enim lex: ET VIR SIMVL FRVCTVM QVADRIENNII PRAESTATO. Hinc ſi fundus eſſet ſex millium Philippum, et inde quotannis ad eum redire potuiſſent CCCLX. Philippici: mulieri praeter fundum reddere tenebatur mille quadringentos et quadraginta Philippicos. Quamuis vero ita legamus apud VLPIANVM (c): exiſtimant tamen quidam, eius textum in mendo cubare, quia ſic maritus grauius puniretur in reddenda dote non fungibili, quam in fungibili. Quum enim in hac ipſi triennii periret interuſurium: in illa praeſtare eum oportuiſſet fructus quadriennii, quod vix probabile videtur etiam clariſſimo SCHVLTINGIO (d), qui ideo *triennium* reſcribi poſſe iudicat. Sed mihi nihil videtur mutandum. Numerata enim pecunia in dotem data vſuras proferebat certas, et apud Romanos quidem ſatis amplas. Aſt ex fundis non vſurae, ſed fructus proueniunt, quorum raro tanta eſſe ſolet aeſtimatio, quantae ſunt vſurae legitimae. Hinc nemo mirabitur, marito dotem non fungibilem redditurο, iniungi ſimul, vt non triennii, ſed quadriennii fructus praeſtet, ſi ob mores eius inhumanos et peruerſos diuortium fuiſſet factum.

Denique et de modo feminarum mores puniendi, lex agit. Ait enim: SIN MVLIERIS CVLPA DISCIDIVM FACTVM, MORVM NOMINE MARITVS, GRAVIORVM QVIDEM SEXTAM, LEVIORVM OCTAVAM DOTIS PARTEM RETINETO. Culpa mulieris intercedere videbatur, ſi vel mores graues, puta adulterium, probarentur, vel certe maritus ob leges vxorem retinere haud poſſet. Hinc PAPINIANVS (e), quaeſitus ab eo, qui ream adulterii vxorem duxerat, damnatamque mox repudiauerat, an cauſſam diſcidii praeſtitiſſe videretur? reſpondit: *Quum per legem Iuliam huius modi vxorem retinere prohibeatur, non videri eum cauſſam diſcidii praeſtitiſſe, quare id ius tractandum eſſe, quaſi culpa mulieris facto diuortio.* Quid ſi capta ab hoſtibus fuiſſet mulier? Tunc ſane non eius culpa, ſed iuris rigore (f) matrimonium fuerat ſolutum, nec vxor iure poſtliminii recuperari poterat, niſi vltro ad maritum reuerteretur, et conſenſu renouaret matrimonium (g). Si reuerti ad eum nollet, nec vlla ei iuſta nolendi cauſſa eſſet: merito poenis legis noſtrae tenebatur. Ita enim PAVLLVS (h) noſter: *Non vt a patre filius, ita vxor a marito iure poſtliminii recuperari poteſt: ſed tunc quum et* VOLVERIT *mulier, et adhuc alii poſt conſtitutum tempus nupta non eſt. Quod ſi voluerit nulla cauſſa probabili interueniente, poenis diſcidii tenebitur.* Verum quamuis ita legatur Florentiae, manifeſtum tamen eſt, pro: *Quod ſi voluerit* reſcribendum eſſe: *quod ſi noluerit.* Ma-

(a) VLP. IB. L. 64. §. 8. D. eod.
(b) IB. L. 64. §. 9. D. eod.
(c) *Fragm. tit. VI. §. 13.*
(d) VLPIAN. *pag. 586.*
(e) L. 11. §. 13. D. *ad L. Iul. de adult.*
[f] L. 1. D. *de diuort.* L. 56. D. *ſol. matr.*
(g) L. 14. §. 1. D. *de captiu.*
[h] PAVLL. *Lib. III.* L. 8. D. *eod.*

Manifeſtum etiam, quod iam a IAC. CVIACIO (a) obſeruatum, illa *poſt conſtitutum tempus* ſapere emblema Triboniani. Tempus enim quadriennii vel quinquennii, quod oporteat coniugem exſpectare reditum coniugis abſentis, non Paulli aeuo, ſed multo poſt a CONSTANTINO (b) et IVSTINIANO (c) conſtitutum eſſe, ex legibus noſtris liquet. Intercedente autem vxoris culpa, maritus MORVM GRAVIORVM NOMINE RETINEBAT SEXTAM DOTIS PARTEM; (non, vti veteres editiones habent, SEXTAS,) LEVIORVM OCTAVAM. Hinc mulier ob adulterium repudiata, ſi dotem viginti quatuor millium ad virum attuliſſet, quatuor millia; ob mores leuiores dimiſſa tria millia amittebat. Et inde lucem capit elegans AVSONII *epigramma*, quod eſt 88.

Iuris conſulto cui viuit adultera coniux,
PAPIA lex *placuit*, IVLIA *diſplicuit*.

Contendit inter ſe poeta legem Papiam, quae et ipſa Iulia dicitur, et Iuliam de adulteriis. Placebat illa ICto, adulterae marito, quia dotis partem ob mores vxoris graues lucrari poterat: at diſplicebat Iulia, quae vxorem in adulterio deprehenſam repudiari iubebat, niſi maritus pro lenone haberi vellet. *L. 29. D. ad leg. Iul. de adulter. L. 2. C. eod.* Id autem ipſi vel ideo videbatur incommodum, quod totam dotem retinere, quam eiuſdem partem lucrari mallet. Ergo interim, dum fluctuauit, dubiamque traxit ſententia mentem, vere ipſi

Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.

Sunt equidem veterum loca, quae non partis cuiuſdam dotis, ſed totius, amiſſae meminiſſe videntur, quaeque ideo a Triboniano interpolata eſſe ſuſpicantur CVIACIVS (d), BALDVINVS (e) et BRISSONIVS (f): ſed cauſſam iam ANTONIVS SCHVLTINGIVS (g) dixit. Quando enim MARCELLVS (h) interrogatur: *ſi probetur culpa mulieris matrimonium diſſolutum, an poſſit maritus propter culpam mulieris* DOTEM RETINERE? Et quando DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS (i) reſpondent, DOTEM, *culpa vxoris diſſoluto matrimonio, penes maritum* REMANSISSE: id non eſt intelligendum de dote vniuerſa, ſed de tanta eius parte, quantam lex retineri concedit, quae et alio loco *lucrum ex dote*, vel *commodum dotis* adpellatur (l). Quum vero id iudicium ad vindictam eſſet comparatum: facile patet, illud non datum, niſi marito, eiuſque heredem non magis agere potuiſſe, quam eius, qui aliquam paſſus erat iniuriam. Hinc PAVLLVS (m) libro VII. ad Sabinum, vbi de nuptiis et rei vxoriae actione egit: *Heredi mariti quidem prodeſſe* ait *compenſationes*, veluti ob res donatas et amotas, et impenſas: MORVM *vero* COERCITIONEM *eum non habere*.

III. Verum id quoque caput varias ſubiit mutationes. Nam primi THEODOSIVS et VALENTINIANVS Imperatores (n) certas cauſſas, ob quas diuortium fieri poſſet, praeſcripſerunt, addideruntque, vt ſi ſine tali cauſſa factum eſſet diuortium, vxor dotem, maritus donationem propter nuptias amitteret, iiſque matrimonio interdiceretur in quinquennium. Deinde ANA-

(a) *Ad Nouell. XXII.*
(b) *L. 7. C. de repud.*
(c) *Nou. XXII. cap. 7.*
(d) *Obſ. Lib. XXI. cap. 17.*
(e) IVSTINIAN. *Lib. II.*
(f) *Ad L. Iul. de adult. pag. 142.*
(g) *Ad* VLPIAN. *p. 585.*
(h) *L. 38. D. ſolut. matr. m.*
(i) *L. 24. C. de iure dot.*
(l) *L. 11. §. 3. D. ad L. Iul. de adult.*
(m) *L. 15. §. 1. D. ſolut. matr.*
(n) *L. 8. C. de repud.*

Anastasius (a) permiſit diuortium, bona coniugum gratia factum, mulierique, eo modo diſcedenti a marito, conceſſit, ne quinquennium exſpectare teneretur. Ivstinianvs (b) poſtea anno Chr. 528. reliquis diuortii cauſſis et eam adiecit, ſi maritus intra duos annos continuos cum vxore ob naturae imbecillitatem coire non poſſet. Eo enim caſu et ſine dotis donationiſque propter nuptias amittendae periculo coniuges diſſociari poſſe ſanxit. Eodem anno (c), alia edita conſtitutione, tres cauſſas diuortii ſuperioribus adiecit, puta ſi mulier abortum procurarit, ſi commune lauacrum cum viris habuerit, et ſi conſtante matrimonio de aliis nuptiis inierit conſilium. Poenas quoque iniuſti diuortii eatenus auxit, vt ſi maritus vxorem indotatam ſine cauſſa repudiaſſet, ei praeſtare cogeretur quartam partem bonorum ſuorum, dum ne illa centum librarum auri ſummam excederet, ſiquidem quantumcunque ipſi eſſet ſubſtantiae, non vltra centum auri libras vxori numerat. Id quod etiam ex parte mulieris obſeruatur, quae marito nihil tale merito repudium mittit. Omnes has cauſſas a Theodoſio, Anaſtaſio, et ſe ipſo proditas denuo noua conſtitutione ſtabiliuit anno 536. (d) Idemque fecit anno 541. niſi quod, ſui diſſimilis, diuortia bona gratia facta, praeterquam ſi caſtitatis concupiſcentia coniuges a ſe diſcederent, denuo inhibeat (e), et cauſſarum numerum ad pauciores reducat (f). Ex iiſdem conſtitutionibus nouis, ſublato de moribus iudicio, dos vel donatio propter nuptias cedit communibus liberis, vel iis non exſiſtentibus coniugi innocenti (g). Quae omnia, quum diuortia hodie priuata auctoritate fieri non ſoleant, iudicis fere arbitrio apud nos definiuntur.

(a) L. 9. C. eod.
(b) L. 10. C. eod.
(c) L. 11. C. eod.
(d) Nou. XXII. cap. 4. ſequ. cap. 14. ſequ.
(e) Nou. CXVII. cap. 10.
(f) Nou. CXVII. cap. 8. 9.
(g) Nou. CXVII. cap. 13 Nov. CXXVII. cap. 4. Nou. CXXXIIII. cap. 11.

CAPVT XX.

AD CAPVT LEGIS XXXV.

DE COGENDIS PARENTIBVS, VT LIBEROS ELOCENT.

I. *Ratio ordinis. Legitima capitis verba.* II. *Liberi inuitis parentibus vxorem ducere vel nubere non poterant. Multae cauſſae cur eos elocare nollent.* III. *Legis verba explicata. Conſtitutio Seueri et Antonini. An parentes coacti ſint dotem dare? Ius nouum. Cur ſoli praetori vrbano id negotium datum, vt parentes cogeret? Conſtitutione D. Seueri et Antonini eadem poteſtas data praeſidibus.*

I. De capitis xxxv. ſententia, non eſt, quod multum laboremus. Nam et numerum eius, et verba legitima nobis ſeruauit Marcianvs (a), cuius locum ad legem noſtram pertinere, iam ſupra a me demon-

(a) L. 19. D. de Rit. nupt.

demonſtrari memini. Ex eo fragmento tale fuiſſe diſcimus caput legis Iuliae et Papiae xxxv:

QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBEBVNT DVCERE VXORES, VEL NVBERE, IN MATRIMONIVM EOS COLLOCARE PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTOR.

Quum enim nihil reliqui fecerit Auguſtus, vt impedimenta nuptiarum omnia, quantum fieri poſſet, remoueret: praecipue autem parentes haud raro in culpa eſſent, quo minus liberi inirent matrimonium: operae pretium fore duxit, ſi etiam ea de re caueret diſtinctius.

II. Ait lex: QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBVERINT DVCERE VXOREM VEL NVBERE. In vulgus notum eſt, inuito patre nec filium, nec filiam familias, inire potuiſſe matrimonium. Quod adeo verum eſt, vt praecedere oporteret iuſſum parentis, et idcirco, ſi pater in furorem incidiſſet, dubitaretur ante IVSTINIANI (*a*) deciſionem, an liberis fas eſſet contrahere matrimonium (*b*). Ita et captiuorum liberi olim vxores non ducebant, niſi vel triennium elapſum eſſet a tempore captiuitatis (*c*), vel filius eam duxiſſet vxorem, cuius conditionem patrem non adſpernaturum, eſſet probabile (*d*).

Quum itaque irritum eſſet initum ſine patris conſenſu matrimonium: haud raro parentes intercedebant nuptiis liberorum, eoſque vel vxores ducere vel nubere prohibebant. Cauſſa haud vna erat. Filii familias, ducentes vxores, vna cum liberis in domo patris, et ex eius re viuebant, eademque ibi fruebantur menſa (*e*), nec parum ſumtuum accedebat patri, cui filiorum vxores liberique pro cuiuſque conditione ac dignitate erant alendi. Deinde haud raro priuignorum nuptiis vel intercedebant nouercae, vel ipſi patres qui nurus ſocrumque nolebant eadem domo contineri, memores illorum, quae ſapienter dicit Laches apud TERENTIVM (*f*):

- - Veſtrarum nulla eſt, quin gnatum velit
Ducere vxorem: et, quae vobis placita conditio eſt, datur,
Vbi duxere impulſu veſtro, veſtro impulſu eaſdem exigunt.

Quot ergo fuiſſe putemus, tam ſuae tranquillitatis immemores, vt nurum domum duci paterentur, quam ſcirent perpetuam fore iurgiorum materiam? Denique et filias ſine dote maritos haud facile reperiſſe, iam ſupra obſeruauimus. Plerumque autem Euclionibus graue erat, dote data ſibi mercari generos, et ex ea quoque cauſſa ſaepe impediebant, quo minus liberi legi Papiae ſatisfacerent, legitimaque prole locupletarent rempublicam.

Si qui vero parentes tam male conſulerent liberis, ii ex lege noſtra coercendi erant. Prohibere vero liberos videbantur non ſolum, qui ducturis vxorem vel nupturis conſenſum negabant, verum etiam, qui conditionem iis non quaerebant (*g*). Plerumque enim ipſi parentes, vti ex comicis patet, liberis vxores vel maritos quaerebant. Perinde etiam erat, ſiue pater natu-

(a) L. 25. C. *de nupt.* L. 28. C. *de epiſc. aud.*
[b] *pr. Inſt. de nupt.*
(c) L. 9. §. 1. L. 10. D. *de Rit. nupt.*
(d) L. 11. D. *eod.*
(e) PLVTARCH. *in Craſſo ab init.*
(f) HECYR. *Act.* II. *Scen.* II. *v.* 43.
(g) L. 19. D. *de Rit. Nupt.*

naturalis prohiberet, ſiue adoptiuus. Recte enim ad caput noſtrum ſcripſit PAVLLVS (a): *onera eius, qui in adoptionem datus eſt, ad* PATREM ADOPTIVVM *transferuntur*. Vnde et hunc decet liberis adoptiuis de nuptiis proſpicere. Idem de nepotibus ex filiis dicendum, non ex filiabus. *Neque enim*, inquit MARCELLVS (b), *quemadmodum maſculorum liberorum noſtrorum liberi ad onus noſtrum pertinent: ita et in feminis eſt. Nam manifeſtum eſt, id, quod filia parit, non auo, ſed patri ſuo eſſe oneri, niſi pater aut non ſit ſuperſtes, aut egens eſt*. Vnde facile intelliguntur verba legis: QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBVERINT.

De his vero pergit legislator: IN MATRIMONIVM COLLOCARE PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTOR. Praeſidum enim vel ideo lex non meminerat, quia illa initio magis ad amplificandum ciuium vrbanorum numerum, quam ad augendam prouincialium multitudinem, erat comparata. Quumque nemini inuito ius ſuum ſit eripiendum: facile intelligitur, nec Praetorem potuiſſe parentes cogere, ſi illis iuſtae eſſent prohibendi cauſſae. Vnde procul dubio cauſſae cognitione opus erat, an parentes iniuria prohibere viderentur? Moueor, quod iam libera republica huiuſmodi iudicia etiam in municipiis ſociorum data videam, ſi mortuo patre inter tutores et matrem de filia elocanda diſceptaretur. Auctor enim eſt LIVIVS (c), quum virginem formoſiſſimam Ardeatem duo iuuenes ambirent, vnus plebeii generis, cui tutores; alter nobilis, cui mater fauebat, idque certamen domi et inter priuatos parietes componi nequiſſet, ventum eſſe in ius, poſtulatuque matris et tutorum vtrinque audito, magiſtratum ſecundum matris arbitrium ius nuptiarum dediſſe. Audiendus ergo fuit pater, ſi forte filius mulierem luxurioſam, probriſque omnibus coopertam domum ducere vellet, vel ſi filia nuptias genere ſuo indignas, vel rei patris familiari exitioſas, concupiſceret. Si horum nihil adpareret: tum PRAETOR interpoſito decreto parentes, vt nuptias fieri paterentur, cogebat. Id quod etiamnum in hagioſynedriis per Germaniam obſeruari memini, ſi quando pater, tantum vt bonis liberorum aduentitiis eo diutius fruatur, nuptias eorum quaſuis faſtidioſe reiicit. Tunc enim, cauſſa cognita, ſi id ſine ratione iuſta fieri adparet, ſynedria conſenſum parentum, vti pragmatici loquuntur, ex officio ſupplent, dotemque patrem dare iubent.

III. At hoc legis caput conſtitutione Seueri et Antonini illuſtratum et ad prouincias porrectum eſſe, iam ſupra monuimus. Nimirum duo deeſſe videbantur legi ſaluberrimae: alterum, quod de dote conſtituenda nihil illa cauiſſet: alterum, quod extra Romam coactioni illi non eſſet locus. Vtrumque ſuppleuit principum illorum prudentia. Nam primo conſtitutione ſua (d) cauerunt, vt parentes liberos, in poteſtate ſua conſtitutos, etiam *dotare* cogerentur. Et ad hanc demum conſtitutionem reſpicere arbitror Imperatorem IVSTINVM (e), dum ait: *non incognitas eſſe* LEGES, *quibus cautum ſit, omnino paternum eſſe officium, dotem vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie*. Primo enim nullus ICtorum, qui parentes ex neceſſitate dotare ſcripſit, Seueri atque Antonini temporibus eſt anti-

(a) PAVLL. *Lib.* III. L. 45. *D. de adopt.*
(b) L. 8. *D. de agn. et al. lib.*
(c) *Lib.* IIII. *cap.* 9.
(d) *d.* L. 19. *D. de Rit. Nupt.*
(e) L. 7. *C. de dot. promiſſion.*

Digitized by Google

antiquior. Deinde Labeo (*a*) ſpeciem proponit, quod pater filiae nomine promiſerit centum, *quum commodiſſimum eſſet*. Quae ſane promiſſio non magis eſt eius, qui ex neceſſitate dotem debet, quam illa ex Celso (*b*): *ne a ſe, neue a filio dos peteretur, ab alio vero, quam filio herede, dos peteretur*: Deinde ſub omnibus titulis, qui de dote eiuſque promiſſione agunt, primae ſunt Seueri et Antonini conſtitutiones, neque vlla occurrit iis vetuſtior: vt ſatis manifeſtum videatur, ab iis temporibus iura dotium quodammodo fuiſſe immutata, impoſitamque parentibus neceſſitatem, filiabus dotem conſtituendi. Denique ius patriae poteſtatis antiquum non ferebat, vt pater ad dotandam filiam cogeretur, quam et exheredem ſcribere, et impune praeterire teſtamento poterat.

Vtcumque ſe res habeat, id ſaltim certum exploratumque eſt, poſt Seueri et Antonini tempora lege obſtrictos fuiſſe patres, vt filiabus (*c*); imo et auos, vt neptibus dotem conſtituerent (*d*). Quae lex Celsi, filii, Seuero quidem antiquior eſt, ſed ita loquitur, vt inde non pateat, eo tempore huius modi neceſſitatem incubuiſſe parentibus. Species enim haec erat. Auus paternus pro nepte dederat dotem. Mortuo auo, ipſaque nepte in matrimonio defuncta, quaerebatur, an dotem patri reddi oporteat? Reſpondet Celsvs: *occurrit aequitas rei, vt quod pater meus propter me filiae meae nomine dedit, perinde ſit, atque ipſe dederim*. Addit rationem: *quippe* OFFICIVM *aut circa neptem ex officio patris erga filium pendet, et quia pater filiae, ideo auus propter filium nepti dotem dare debet*. Non ſane hic Celsvs ait, cogendum eſſe auum, vt dotem det: ſed *officium aui hoc eſſe*, vt det dotem. *Officii* vero *et voluntatis eſſe* dicuntur iureconſultis noſtris, quae iure imperfecto debentur, et quae non ſunt neceſſitatis, vti loquitur Pavllvs (*e*). Atqui neceſſitatem quamdam inſinuare videntur ſequentia: ſed non inſinuant. En verba: *quid ſi filius a patre exheredatus eſt? Exiſtimo, non abſurde etiam in exheredato filio idem poſſe defendi: nec infauorabilis ſententia eſt, vt hoc ſaltim habeat ex paternis, quod propter illum datum eſt*. Non ergo dicit Celsvs, etiam nepti ex filio exheredato dotem debere auum, eumque recuſantem a praetore poſſe coerceri, ſed ſi dederit, dotem illam ad patrem exheredatum merito reuerti: quamuis ipſa haec Celsi ſententia non placeat Servio et Labeoni (*f*). Poſt hanc Seueri conſtitutionem et auum teneri ad dotandam neptem ex filio, nemo dubitat. Nec intereſt, ſua ſit filia, an emancipata, egena an locuples. Ita enim diſtinguere non licet, ob generaliter conceptam Ivstini (*g*) conſtitutionem. Non tamen dos debetur filiae illegitimae (*h*), vel ingratae (*i*), vel viro ignominioſo nuptae (*l*). Nec mater cogitur, niſi pater ſit inops, vel ob cauſſam probabilem et legem ſpecialiter expreſſam (*m*), qualis eſt ſi mater haeretica filiam orthodoxam indotatam habeat (*n*). Omnium minime cogitur frater vel ſoror (*o*), quamuis et eis honeſtum ſit, ſororem dotare, idque ſaepe factum eſſe referant veteres, inprimis

Plav-

(a) L. 70. §. 1. *D. de iur. dot.*
(b) L. 10. *D. de pact. dot.*
(c) L. *vlt. C. de dot. promiſſ.*
(d) L. 6. *D. de collat.*
(e) L. 17. §. 3. *D. commodat.*
(f) L. 79. *pr. D. de iur. dot.*
(g) L. *vlt. C. de dot. promiſſ.*
(h) L. 41. §. 11. *D. de legat.* 3.
(i) *Nou.* CXV *cap.* 3 §. 11.
(l) L. 3. §. 5 *D. de bon. poſſ. contr. tab.*
(m) L. 14. *C. de iur. dot.*
(n) L. 19. §. 1. *C. de haeret. et Manich.*
(o) L. 12. §. *pen.* L. 13. *fin. D. de adm. tut.*

Digitized by Google

Plavtvs (*a*), apud quem vix ſibi perſuadere patitur Lesbonicus adoleſcens, qui patria bona abligurierat, ne ſororis ſponſo dotem obtrudat. Ceterum dum praetor cogere dicitur parentes, vt filiabus nupturis dotem conſtituant: res ipſa docet, quantitatem eius definiendam eſſe pro facultatibus et pro dignitate patris et generi (*b*), adeoque non tantumdem petere poſſe filiam vnam, quantum datum eſſe alteri meminerit, niſi par ſit vtriuſque mariti, cui nubunt, conditio.

Deinde eadem Seueri atque Antonini conſtitutione hoc ius de cogendis parentibus ad prouincias prolatum eſt. Iam ſupra vidimus exemplum ſimile. Tutor enim ex lege hac dabatur in vrbe a Praetore mulieri nupturae ad dotem dandam, dicendam, promittendamue. De prouinciis nihil hac lege expreſſum fuerat, antequam SCto caueretur, vt etiam in prouinciis ſimiliter a Praeſidibus ex eadem cauſſa tutores darentur (*c*). Nec abſimilis eſt conſtitutio diuorum fratrum (*d*), qua, quod priores leges de actione ſerui ſuis nummis emti aduerſus dominum in vrbe conceſſerant, etiam ad prouincias protulerunt. Immo id in antiquiſſimis etiam legibus obſeruatum nouimus. Lege Atilia cautum fuerat, vt pupillis et feminis, quibus nec teſtamentarius, nec legitimus tutor eſſet, tutor a praetore et maiore parte tribunorum plebis daretur. *pr. Inſt. de Atil. tut.* Sed ea lex quum Romae dumtaxat, teſte Vlpian. *Fragm. tit.* xi. §. 18. locum haberet, poſtea ad eas producta eſt prouincias, quibus praetores praeerant. Hinc Dio in *Excerpt. Peireſcian. pag.* 397. *τῶν γὰρ ἄλλων στρατηγῶν εἰωθότων διδόναι προστάτας τοῖς ὀρφανοῖς καὶ γυναιξὶν ἐρήμοις συγγενῶν, οὗτος ἑαυτὸν αὐτοῖς ἀνέδειξε φροντιστήν* : *nam quum reliqui* (Siciliae) *praetores pupillis ac viduis agnatorum cura deſtitutis tutores dare ſoliti eſſent:* hic (L. Aſellius) *eius modi perſonarum ipſe tutelam ſuſcepit*. Denique lege Iulia et Titia a. v. c. 732. cautum, vt et reliqui praeſides in prouinciis tutores darent. *pr. Inſt. de Atil. tutor.* Ex eo tempore L. Aſellii exemplum imitari non poterant praeſides, nec ſe ipſos tutores dare, *L.* 5. *D. de offic. praeſid.* quemadmodum nec praetori vrbano id permittebatur. *L.* 4. *D. de offic. praet. L.* 4. *D. de tutorib. dat.* Eodem itaque exemplo et hac Seueri et Antonini conſtitutione negotium datum eſt Praeſidibus, vt parentes in prouinciis perinde ac Praetor nuptum liberos collocare et dotare cogerent, quum lex Iulia et Papia ſolis vrbanis filiis filiabuſque familias proſpexiſſet.

(a) *Trinum Act.* III. *Scen.* II. *v.* 62.
(b) *L.* 69. §. 60. *D. de iur. dot.*
(c) VLP. *Fragm. tit.* 11. §. 20.
(d) *L.* 5. *pr. D. de manumiſſ.*

C A P V T XXI.

AD CAPITA LEGIS XXXVI. ET XXXVII.
DE POENIS CAELIBATVS ET ORBITATIS.

I. Ratio ordinis. *Varia de his capitibus teſtimonia. Eorumdem ſententia.* II. *Caelibum poena. Centum dies cretionis. Caelibes nec he-*

 redi-

reditatem capiebant, nec bonorum poſſeſſionem agnoſcebant, nec legati erant participes. Nec per filium aliquid capere poterant. III. *Orbi qui? Ii ſemiſſem capiebant. Exceptis genere proximis.* IIII. *Vtriuſque capitis abrogatio.*

I. LIbris commentariorum quinto, ſexto et ſeptimo hactenus de variis nuptiarum impedimentis egerunt VLPIANVS et TER. CLEMENS, quos duces praecipue ſequi placuit. Sequente libro VIII. iidem diſputaſſe videntur de caelibatus orbitatiſque poenis. *Incitandis* vero *caelibum poenis, legem Papiam Poppaeam* vel maxime *ſanxiſſe* Auguſtum, auctor eſt TACITVS (*a*), praeter quem et alii veteres *poenarum* (*b*), *ἐπιτιμίων* (*c*), *ἐπιτιμίων τῆς ἀπαιδίας* (*d*), *mulctae, qua coelibes notati* (*e*), *poenarumque caelibatus ac orbitatis* (*f*), immo et *terrorum et damnorum*, quae innuptis et orbis imminebant (*g*), meminerunt.

Qua in re illae caelibatus orbitatiſque poenae conſtiterint, ex multis veterum teſtimoniis ſatis ſuperque conſtat. Solidum eos capere non potuiſſe, TERTVLLIANVS (*h*) teſtatur, dum ait: *Aliud eſt, ſi et apud Chriſtum legibus Iuliis agi credunt, et exiſtimant,* CAELIBES *et* ORBOS *ex teſtamento Dei* SOLIDVM *non poſſe capere*. Eoſdem hereditatis plane incapaces fuiſſe, obſeruat PLVTARCHVS (*i*), dum acute ſcribit: *Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι καὶ γεννῶσι, οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ'* ΙΝΑ ΚΛΗΡΟΝΟΜΕΙΝ ΔΥΝΩΝΤΑΙ. *Romanorum plerique vxores ducunt, et liberos procreant, non vt heredes habeant, ſed* VT HEREDES *ipſi* ESSE POSSINT. Quin IVVENALIS (*l*) addit, eoſdem ne legatum quidem capere potuiſſe, et ideo illudentem marito adulterum ſiſtit, gloriantemque lepide:

- - - - - *Propter me*
LEGATVM *omne* CAPIS, *nec non et dulce caducum*.

Quod et his VLPIANI (*m*) verbis confirmatur: *Quod caelibi relictum, caducum fit, niſi intra centum dies* LEGI PARVERIT. Pleniſſime vero omnium SOZOMENVS (*n*): *Νόμος ἦν*, inquit, *Ῥωμαίοις παλαιοῖς, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κωλύων τοὺς ἀγάμους τοῖς μὴ τοιούτοις, περὶ ἄλλα τε πολλά, καὶ τὸ* ΜΗΔΕΝ ΚΕΡΔΑΙΝΕΙΝ ΕΚ ΔΙΑΘΗΚΗΣ, *τοὺς μὴ γένει ἐγγυτάτῳ προσήκοντας· τοὺς δὲ ἄπαιδας ζημιῶν* ΤΟ ΗΜΙΣΥ *τῶν καταλελειμμένων. Lex vetus erat Romanis, quae eos, qui intra annum aetatis* XXV. *nondum inierant matrimonium, inter alia,* QVIDQVAM EX ALIORVM TESTAMENTIS CAPERE *prohibebat, niſi eſſent cognatione proximi. Eos vero, qui liberos haud ſuſtulerant, non niſi* SEMISSEM *eorum, quae teſtamento iis relicta fuerant, capere patiebatur*. Vbi tamen in eo fallit SOZOMENVS, quod aetatem annorum XXV. ad *ἀγάμους* vel *caelibes* refert, quam ad *orbos* pertinere iam ſupra ad caput XX monuimus. Denique et EVSEBIVS (*o*) paullo confuſius, *τοὺς παλαιοὺς νόμους ἄπαιδας στερῆσαι τῆς τῶν γονίμων διαδοχῆς, leges veteres orbos propinquorum ſucceſſione priuaſſe* ait. Quod quatenus

(a) *Annal. Lib.* III. *cap.* 25.
(b) *L.* 11. *D. de vulg. et pup. ſubſt.*
(c) DIO *Lib.* LIIII. *pag.* 531.
(d) *Id. Lib. LV.*
(e) *Penegyr. Maxim. et Conſt. dict. cap.* 2.
(f) *Schol. ad* IVVEN. *Sat.* VIIII.
(g) *L. un. C. Th. de infirm. poen. coelib.*
(h) *De monogam. p.* 583. *edit. B.* RHEN.
(i) *περὶ φιλοστοργίας.*
(l) *Satyr.* VIIII. *v.* 86. *ſeq.*
(m) *Fragm. tit.* XVII. *§.* 1. *et tit.* XXII. *§.* 3.
(n) *Hiſt. eccl. Lib.* I. *cap.* 9.
(o) *Vit. Conſt. Lib.* IIII. *cap.* 26.

tenus recte dictum vel a veritate alienum ſit, paullo poſt adparebit.

Ex tot itaque veterum teſtimoniis haec exſtruimus capita trigeſimum ſextum et ſeptimum:

CAP. XXXVI. *Caelibes, niſi intra centum dies legi paruerint, neque* HEREDITATEM, *neque* LEGATVM *ex teſtamento, niſi proximorum genere, capiunto.*

CAP. XXXVII. *Si qui coniugum maſculus vltra* XXV. *annum, femina vltra viceſimum, orbi erunt: ſemiſſem relictorum tantum capiunto. Qui genere proximi erunt, vſque ad gradum ſextum, quod relictum eſt, iure antiquo capiunto.*

Prius ergo caput ad caelibes, poſterius ad orbos pertinet. De vtroque quaedam pro inſtituti ratione.

II. Caput XXXVI. CAELIBES pleſtit, quales hic ſunt non ſolum, qui nunquam vxorem domum duxerant, verum etiam, qui ductam vel amiſerant vel repudiarant. Ita et feminae caelibatus poenas dabant, quae vel nondum nupſerant, vel virum morte aut diuortio amiſerant, modo priore caſu eſſent eius aetatis, vt lex nubendi iis neceſſitatem imponeret, poſteriore autem vacationis tempus elapſum eſſet. Feminis enim a morte viri biennii, a diuortio anni et ſex menſium datam eſſe vacationem, ad caput huius legis quintum obſeruauimus, quemadmodum et ad tertium docuimus, ſexagenarios et quinquagenarias, quamuis caelibes, poenis legis fuiſſe ſolutos. Nec eſt quod quis eos quoque, qui in matrimonio vixerant, caelibes dictos eſſe miretur. Ita enim loquutos eſſe veteres depromtis ex MARTIALE (*a*), TACITO (*b*), et SVETONIO (*c*) exemplis docet V. C. SCHVLTINGIVS (*d*).

Ne tamen ea poena poenitentiam excludere videretur, laxamenti quid conceſſum eſt *ἀγάμοις*, ſi forte ſpes lucri ex teſtamento adſulgens eos ſubigeret, vt legi parere, et nuptias contrahere animum inducerent. Hinc additum: NISI INTRA CENTVM DIES LEGI PARVERINT (*e*). Vltra quatuor itaque menſium inducias iis dederat Auguſtus, intra quas, poenamne ſubire, an factis nuptiis eam euitare mallent, ſerio ſecum ſtatuerent. Ducta enim intra hos centum dies vxore, hereditatem legatumue capere iure poterant. Eoque pertinet lepidum MARTIALIS (*f*) epigramma:

Quae LEGIS CAVSSA NVPSIT *tibi Laelia, Quinte,*
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Centum vero dies ideo praefinitos arbitramur, quod iam olim iure vetuſto dies centeſimus erat dies cretionis, ceu et VLPIANI (*g*) fragmenta, et quaedam in digeſtis veteris iuris reliquiae (*h*) euincunt. Quum itaque *cretio*, VLPIANO ibidem definiente, *eſſet certorum dierum ſpatium, quod dabatur inſtituto heredi ad deliberandum, vtrum expediret ei, adire hereditatem, nec ne:* idemque ſpatium praetor concedere ſoleret extraneis, ſine cretione inſtitutis, vel de hereditate adeunda deliberaturis (*i*), vel agnoſcere volentibus bonorum poſſeſſionem (*l*): commodiſſimum etiam Auguſto viſum

(a) *Lib.* IIII. *Epigr.* LXVIIII.
(b) *Lib.* XII. *Annal. cap.* I.
(c) *Claud. cap.* 26. *Galb. cap.* 5.
(d) *Iuriſp. vet. Anteiuſt. p.* 606.
(e) VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. *tit.* XXII. §. 3.
(f) *Lib.* V. *Epigr.* LXXV.
(g) *Tit.* XXII. § 27.
(h) L. 22. §. 1. *D. quando dies leg. ced.* L. 3 §. 8. *D. de min.* L. 2. §. *vlt. D. de ſuis et leg. her.*
(i) L. 2. *D. de iur. delib.*
(l) L. 1. §. 9. *D. de ſucceſſ. ed.*

Digitized by Google

viſum eſt, idem ſpatium et illis dari, qui, caelibes quum eſſent, hereditatem tamen vel legatum ex teſtamento capeſſere cuperent. Aſt nec id beneficium poſt SCtum Perſicianum patebat maſculis ſexagenariis, vetulam ducentibus, nec poſt SCtum Caluiſianum feminis quinquagenariis, ſiue iuueni ſiue ſeni nubentibus, quia ex huiuſmodi nuptiis nulla ſpes prolis reliqua videbatur. Qua de re ſupra ad caput legis tertium copioſius egimus.

Si intra hos centum dies legi non paruiſſent caelibes, tunc NEQVE HEREDITATEM, NEQVE LEGATVM EX TESTAMENTO CAPIEBANT. Excidebant itaque hereditate, non legitima, vti exiſtimaſſe videtur EVSEBIVS (*a*), ſed, teſtamento delata. Et quum eam hereditatem quodammodo aemuletur bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, ea quoque non dabatur caelibi, eoque pertinet locus PAVLLI (*b*): *Hereditatis adpellatione bonorum quoque poſſeſſio continetur*. Idem de LEGATO dicendum. Facile enim in fraudem legis legari caelibi potuiſſet ſaltim dodrans bonorum, niſi et huius tituli ſingularis nominatim facta fuiſſet mentio. Ex qua ratione veteres ICti idem ius etiam ad fideicommiſſa et mortis cauſſa donationes protulerant. Atque ita intelligenda verba PAVLLI (*c*): *Et* FIDEICOMMISSVM *et* MORTIS CAVSSA DONATIO *adpellatione legati continentur*. Vt paucis dicamus, caelebs nihil capiebat ex vltima voluntate. Et quamuis quidam in fraudem legis non caelibem, ſed filium, in eius poteſtate conſtitutum, inſtituerent, vt, quod ipſe directe capere non poſſet, per filium caperet: tamen et huic fraudi obuiam itum a ICtis, qui prohibitionem legis Iuliae ad hanc quoque ſpeciem interpretatione ſua produxiſſe videntur. Hinc fiſcus et hanc hereditatem vel legatum ſibi vindicabat, niſi filio militi ad res militares vel caſtrenſes comparandis aliquid relictum fuiſſet. Id enim, quia ad caſtrenſe filii peculium pertinebat, adeoque patri caelibi haud adquirebatur, non eripiebat fiſcus. Et haec ratio eſt fragmenti VLPIANI (*d*): *ſi mulier* extranea *filio viri* cuiuſdam caelibis *militi ad caſtrenſes vel militares forte res comparandas reliquerit pecuniam: vtique* CASTRENSI PECVLIO *ea, quae comparantur, adnumerari incipiunt*.

Denique additur: NISI PROXIMORVM GENERE. Diſerte enim SOZOMENVS hanc adiicit exceptionem. Genere proximi autem et hic videntur numerati vſque ad ſextum gradum, quia et alias eo vſque ſolidi capacitatem extendit lex Papia Poppaea (*e*). Hi itaque ex cognatorum teſtamentis iure antiquo capiebant, quamuis vel nondum nuptiis adpuliſſent animum, vel viduitatem connubio anteferrent (*f*). Quemadmodum autem alias hereditas legatumque eripiebatur ei, qui teſtatorem occidiſſe conuincebatur (*g*): ita nec cognationis ius ei prodeſſe poterat ad hereditatis legatiue capionem, qui teſtatorem vel interemerat, vel cauſſam mortis caedem mandando praebuerat. Id enim inculcat VLPIANVS (*h*), dum ſcribit: *Nihil intereſt, occidat quis, an* CAVSSAM MORTIS *praebuerit*: *ὁ ἐντειλάμενος τινὶ φονεῦσαι, ὡς φονεὺς κρίνεται. Mandator caedis pro homicida habetur*. Ad quam legem DIONYS. GOTHOFREDVS ſcribit: *Immo multum*, inquit, *intereſt: nam qui*

ſuis

(a) *Ibid.*
(b) PAVLL. *Lib.* IIII. L. 138. *D. de verb. ſign.*
(c) PAVLL. *Lib.* IIII. *L.* 87. *D. de Legat.* 3.
(d) VLP. *Lib.* VIII. *L.* 3. *D. de caſtr. pecul.*
(e) VLP. *tit. XVI.* §. 1.
(f) CVIAC. *Parat. C. de inf. poen. caelib.*
(g) L. 7. §. 4. *D. de bon. damn.*
(h) VLP. *Lib.* VIII. *L.* 15. *D. ad L. Corn. de ſicar.*

ſuis manibus malum medicamentum ſuppoſuit, occidit: qui dedit, vt offerretur, magis cauſſam dedit, quam occidit. L. 7. §. 6. L. 9. D. ad L. Aquil. Sed quantumcumque interſit, quod ad poenam legis Corneliae attinet: nihil tamen intereſt, quod ad fiſci iura circa eripiendam huiuſmodi homicidae hereditatem, de quibus VLPIANVM agere, vel ex inſcriptione legis diſcere vir doctus potuiſſet.

III. Haec de caelibatu. Ad orbos quod attinet, de iis cautum fuerat capite ſequente, vt mitius quidem haberentur, quibus non culpa, ſed naturae vitium obſtaret: ſed iidem tamen non omnis poenae eſſent immunes, quia, vt eleganter ſcribit IAN. VINC. GRAVINA (a), *agnita coniugis ſterilitate, ad feliciores nuptias, miſſo repudio, migrare debuiſſent*. Ait ergo lex: SI QVI CONIVGVM, MASCVLVS VLTRA XXV, FEMINA VLTRA XX ANNVM ORBI ERVNT. *Orbi* alias ſunt, qui turbato naturae ordine liberis viuunt ſuperſtites, vel, vti apud FESTVM (b) eſt, *qui patrem aut filios, quaſi oculos, amiſerunt*. Aſt lex noſtra orbos vocat *ἀτέκνους*, et quidem illos, qui vel liberos legitimos non ſuſceperant, vel ſuſceptos amiſerant. Legitimos enim naturales ſolos profuiſſe parentibus, non adoptiuos (c), nothos et ſpurios, iam ſupra haud ſemel diximus. Amiſſi quidem aliquando ſolidi capacitatem praeſtabant; ſed inter ſolos coniuges (d). Ex teſtamento enim alterius maſculus non niſi pater ſolitarius, et femina, trium liberorum iure ſubnixa ſolidum capiebant. Neque tamen omnes orbi poenas dabant, ſed qui VLTRA ANNVM XXV, vel quae VLTRA ANNVM XX AETATIS liberos nondum ſuſtulerant. His enim annis demum liberos exegiſſe non quidem legem Papiam, quae multo maturius parentes eſſe inſſerat, ſed conſtitutionem Seueri, quae legem Iuliam ſequuta videtur, ſupra, vbi de ſolidi capacitate a nobis actum eſt, iam occupauimus, vbi etiam ex VLPIANO monuimus, eos eaſque, qui quaeue hos annos in matrimonio nondum exceſſerant, ſolidum capere potuiſſe (e). Quaeritur autem, an poenas orbitatis effugerint, quibus paullo poſt teſtatoris mortem infans naſceretur? Nec dubitat ANT. SCHVLTINGIVS, eos effugiſſe, dum infans intra centum illos dies, intra quos hereditas cernenda erat, vel antequam dies legati cederet, naſceretur. Regulam enim Catonianam, quae alioquin huic hereditati vel legato obſtat, ad leges has nouas non pertinuiſſe, ſatis conſtat (f). Idem obtinebat, ſi mulier, quum moreretur, exciſo vtero, infantem edidiſſet, vel paullo poſt filius ab hoſtibus remeaſſet, vti cenſet VLPIANVS (g). Alias ſi nec antea exſtarent liberi, nec poſtea infans naſceretur: poenae rei erant, quae qualis fuerit, indicant verba ſequentia: SEMISSEM RELICTORVM TANTVM CAPIVNTO. Quod ita intelligendum, vt ſi pure plus relictum eſſet, id omne caperet fiſcus: quod autem ſub conditione liberorum legatum, non ſtatim exſtingueretur, ſed exſpectanda eſſet conditio. Talis conditionis: SI LIBEROS HABVERIT, DARI VOLO, et VLPIANVS (h) ad hoc caput meminit, eamque ſupra iam tetigimus. Quum vero eo caſu incertum eſſet, an tempore aditae hereditatis vel apertarum tabularum capax

(a) *De Leg. et SCtis.* §. 51. *p.* 585.
(b) *Voce* Orba.
(c) VLP. *Lib.* VIII. L. 51. §. 1. *D. de legat.* 2.
(d) VLP. *tit.* XVI. §. 1.
(e) VLP. *ibid.*
(f) *Ad* VLP. *p.* 616.
(g) VLP. *Lib.* VIII. L. 141. *D. de Verb. ſign.*
(h) VLP. *Lib.* VIII. L. 51. §. 1. *de legat.* 2. L. 61. *D. de cond. et dem.* L. 36. *D. de mort. cauſſ. don.*

Digitized by Google

par futurus ſit heres vel legatarius : prudenter teſtatores relinquere ſolebant tantum , quantum tunc capere poſſent . Vnde formulae , QVANTVM PLVRIMVM PER LEGEM ACCIPERE POTEST , DARI VOLO , vel QVAM MAXIMAM PARTEM DARE POSSVM , DAMNAS ESTO HERES MEVS EI DARE , quas formulas ſuo more interpretatur VLPIANVS (*a*) . Si tunc legatarius et caelebs eſſet et orbus , nihil capiebat , ſi coniux quidem, ſed orbus , ſemiſſem dabat heres , ſi pater ſolitarius , vel mater ingenua trium aut libertina quatuor liberorum : detracta Falcidia reliquum legatarius legatariaue accipiebat . Vſus vero huius formulae vel ideo erat maximus , quod ita nihil eripiebat fiſcus , ſed omnia , quae capere non poſſet legatarius, apud heredem manebant . Ceterum non tantum ad ea , quae teſtamento relicta fuerant , haec prohibitio pertinuiſſe videtur , ſed et ad donationes inter viuos. Saltim PLINIVS (*b*) id videtur innuere, cum ſcribit: *Non eſſe ſatis honeſtum , dare* (aliquid) *et locupleti , et* ORBO, (a matre exheredato *:*) *in ſumma* NON PROFVTVRVM *ei , ſi donaſſem , profuturum , ſi ceſſiſſem : eſſe autem me paratum , cedere , ſi inique exheredatum mihi liqueret.*

Aſt iterum exceptionem adiecerat lex noſtra: QVI GENERE PROXIMI ERVNT VSQVE AD GRADVM SEXTVM , QVOD RELICTVM EST , IVRE ANTIQVO CAPIVNTO. Quemadmodum, ſi huius modi cognati coiſſent, ii ſolidum inter ſe capere poterant : ita et ex teſtamento cognati extranei capiebant. Verba ipſa iam ſupra expoſuimus, nihil vt hic addendum videatur amplius.

IIII. Sed has inimicas caelibatui atque orbitati leges funditus ſuſtulit CONSTANTINVS M. valde ideo collaudatus ab EVSEBIO (*c*) et SOZOMENO (*d*). Et exſtat integra conſtitutio huius principis (*e*) , quam eius filiis perperam in codice IVSTINIANEO (*f*) tribui , obſeruat GOTHOFREDVS , cui procul dubio adſentieris, niſi ſuſpicari mecum malis, filios illud patris edictum iiſdem paene verbis , vt ſolet fieri , firmaſſe . Saltim vix veroſimile eſt, vel Tribonianum, vel librarios, non modo inſcriptionem , ſed et ſubſcriptionem legis citra rationem voluiſſe mutaram . Ea enim quae codici noſtro eſt inſerta, edita dicitur *Kal. Apr. Romae Conſtantio iterum et Conſtante A A. coſſ.* id eſt anno erae Chriſtianae 339. Altera, in Theodoſiano ſuperſtes, data *Prid. Kal. Febr. Serdicae PP. Kal. Apr. Romae , Conſtantino Aug.* VI. *et Conſtantio C. coſſ.* id eſt anno 320. Vtraque lege cautum, *vt , qui iure veteri caelibes habebantur , imminentibus legum terroribus liberentur , atque ita viuant , ac ſi numero maritorum matrimonii foedere fulcirentur , ſitque omnibus aequa conditio capeſſendi , quod quiſque mereatur .* Deinde et de orbis ſancitum , *vt ne quiſquam orbus habeatur , ne propoſita huic nomini damna noceant.* Praeterea, quum durior eſſet feminarum, quam maſculorum, conditio, ſi quidem illae ingenuae non niſi trium , libertinae quatuor liberorum iure ſubnixae, hi, modo patres ſolitarii eſſent , ſolidum caperent : Conſtantinus et feminis conſuluit , *earumque ceruicibus impoſita iuris imperia , veluti quaedam iuga , ſoluit promiſcue omnibus .* Haec omnia Conſtantinus , teſte EVSEBIO , ſtatuit , partim religione adductus , ne virgi- nita-

(a) VLP. *Lib.* VIII. L.51. *pr. D. de leg.* 2.
(b) *Lib. V. epiſt.* 1.
(c) *Vit. Conſtant. Lib.* IIII. *cap.* 26.
(d) *Hiſt. eccl. Lib. I. cap.* 9.
(e) L. 1. C. *Th. de infirm. poen. caelib.*
(f) L. 1. C. *de infirm. poen. caelib.*

Digitized by Google

nitatis ſtudium, *ἄξιον ὑπερθαυμάζειν ἀλλ᾽ οὐ κολάζειν*, poenis reprimeretur, partim ipſa motus aequitate, ne, quae culpa vacat, *ἀσθένεια τῆς φύσεως* mulctaretur: quamuis ſi vera fateri velis, gliſcentem potius in eccleſia ſuperſtitionem, quam religionem veram ſanamque pietatem ſapiat illa caelibatus virginitatiſque admiratio. Nec leuiter quoque SOZOMENVS errat, dum ſcribit: *Καὶ νόμον τῷ δήμῳ προσεφώνησεν, ὥστε ἐπ᾽ ἴσης πάντων τῶν ὁμοίων ἀπολαύειν τοὺς ἀγάμους τε καὶ ἄπαιδας*. *Et legem tulit, vt eodem iure per omnia fruerentur caelibes et orbi*. Neque enim praemia parentum et nuptorum cum orbis et *ἀτέκνοις* communicauit CONSTANTINVS, neque leges decimarias, vt ſupra diximus, ſuſtulit, de quibus hanc legi adiecit limitationem in codice Iuſtinianeo omiſſam: *Verum huius beneficii* MARITIS et VXORIBVS *inter ſe vſurpatio non patebit, quorum fallaces plerumque blanditiae vix etiam oppoſito iuris rigore cohibentur, ſed maneat inter iſtas perſonas* LEGVM PRISCA AVCTORITAS. Solidum ergo ex eo tempore capere poterant caelibes et orbi, ſed ex teſtamentis tantum aliorum, non vero coniuges orbi inter ſe plus capiebant, quam licebat per leges decimarias, quas a Theodoſio demum iuniore et Iuſtiniano ſublatas eſſe, docuimus.

CAPVT XXII.

AD CAPITA LEGIS VLTIMA.

DE IVRIBVS PATRONATVS.

I. *Poſtrema partis prioris capita de iuribus patronatus egerunt. Ea reſtituta*, II. *Liberta, voluntate patroni nupta, operis liberabatur. Huius priuilegii ratio. An libertae nupturae ſemper opus fuerit patroni conſenſu? Liberta etiam nupta in officio patronae patronique filiarum eſſe tenebatur.* III. *Cap.* XXXVIIII. *de liberto centenario minore. Lex* XII. *tabularum de ſucceſſione liberti. Edictum praetorium. Lex Papia Poppaea. Centenarius quis? Quis ſine liberis?* IIII. *Cap.* XL. *de liberto centenario. Alienatio, a liberto vel in fraudem legis, vel in fraudem patroni facta.* L. 16. D. de iur. patr. *expoſita et emendata. Reuocari aliquando dicitur, quod ipſo iure nullum eſt. Portio virilis patrono debita. Noua Iuſtiniani conſtitutio.* V. *Cap.* XXXXI. *de filia patroni. Ei non ſuccurrebat praetor. Fictio, filiam patroni eſſe filium. Quando liberto ſucceſſerit ex L. Papia Poppaea?* VI. *Cap.* XXXXII. *De bonis libertae.* VII. *Cap.* XXXXIII. *De ſucceſſione patronae.* VIII. *Cap.* XXXXIIII. *Quando patronae liberi liberto ſucceſſerint?* VIIII. *Concluſio libri primi ad L. Papiam Poppaeam de maritandis ordinibus.*

I. Libros VLPIANI et TERENTII CLEMENTIS ſequentes nonum, decimum et vndecimum materia de iuribus patronatus occupat, adeo hac lege immutatos, vt PAVLLVS ſingularem librum *de iure patronatus, quod ex lege Iulia et Papia venit*, ſcripſerit. Quin TER. CLEMENS iam

Digitized by Google

ſub finem libri octaui caput aliquod huc pertinens videtur tractaſſe, et quidem, quod de operis libertarum egit (*a*). Quum itaque eo loco ſcribat: *Plane quum liberta deſierit nupta eſſe, operas peti poſſe, omnes fere conſentiunt:* vix dubitandum videtur, quin tale fuerit caput legis noſtrae XXXVIII:

Liberta, quae patroni voluntate nupta erit, operarum obligatione liberator.

Reliqua capita fere IVSTINIANVS (*b*) et VLPIANVS (*c*) ſeruarunt, ex quibus, talia ea fuiſſe, adparet:

CAP. XXXIIII. *In bonis liberti, centenario minoris, patronus patroniue liberi maſculi ſi libertus liberos non habebit, ius antiquum habento. Sin liberos habebit, ius nullum in bonis liberti habento.*

CAP. XXXX. *In centenarii liberti bonis, qui vnum duoſue liberos habebit, ſiue is teſtamento facto, ſiue inteſtatus decedat, patrono, patroniue liberis maſculis* VIRILIS PARS *ſeruator. Sin tres liberos habebit, patronus patroniue liberi maſculi nihil iuris in bonis liberti habento.*

CAP. XXXXI. *Patroni filia, ſi ius trium liberorum habebit, eadem iura in bonis liberti, paterni, quae et ipſe patronus patroniue filii ex edicto praetoris habent, habento.*

CAP. XXXXII. *In bonis libertae, etiam quatuor liberorum iure ſubnixae, pro numero liberorum libertae, mortis eius tempore ſuperſtitum,* VIRILIS PARS *patrono patroniue liberis maſculis debetor.*

CAP. XXXXIII. *Patrona ingenua, duobus liberis honorata, libertina tribus, idem ius, quod patronus ex edicto Praetoris habet, habento.*

CAP. XXXXIIII. *Liberi quoque ingenuae patronae, trium liberorum iure honoratae, idem ius habento.*

Ea iam ordine percenſebimus, noſtroque more illuſtrabimus breuiter.

II. Trigeſimo octauo cauetur, vt LIBERTA PATRONI VOLVNTATE NVPTA operis liberetur. Libertam ſine auctoritate patroni nubere haud potuiſſe, iam ſupra docuimus. Erat enim in perpetua ac legitima eius tutela, de qua ſine illius auctoritate nihil poterat immiqui. Neque tamen iureiurando obſtringere libertam poterat patronus, ne nuberet. Id enim ſi feciſſet, non ſolum gratia eius iuriſiurandi fiebat, vti ſupra ad caput XXX. probauimus: ſed et patronus iure patronatus excidebat ex lege AELIA SENTIA. Vnde ex eo tempore tanto magis nubere poterat, cuicumque vellet: idque eſt, quod ad hoc caput tractauit TER. CLEMENS (*d*). Sufficiebat autem et tacitus patroni conſenſus, immo et ratihabitio ſubſequuta (*e*), dummodo patronus eſſet iuſtae aetatis. Nam impuberis patroni conſenſus parum proderat, niſi auctoritas acceſſiſſet tutoris (*f*), eaque praeterea ſollemnitas, quae in alienatione rerum pupillarium exigitur (*g*). Quia tamen et libertas quatuor liberorum gratia legitima patronorum tutela ſolutas, ex eoque tempore illas ſine patroni auctoritate et res ſuas adminiſtraſſe, et teſtari potuiſſe diximus: nullum ſane eſt dubium, quin tunc et ad ſecunda vota tranſire potuerit inuito patrono, eoque connubio nihilominus liberata ſit operarum obligatione. Nuptam enim conſentiente patrono libertam OPERA-

(a) TER. CLEM. *Lib.* VIII. L. 14. D. *et a quib. man. de op. lib.*
(b) §. 2. *ſequ. Inſt. de ſucceſſ. libert.*
(c) *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 1. *ſequ.*
(d) TER. CLEM. *Lib.* VIII. 32. D. *qui*
(e) L. 13. §. 5. *D. de op. libert.*
(f) *d.* L. 13. §. 4. *eod.*
(g) L. 22. C. *de admin. tutor.*

Digitized by Google

RARVM OBLIGATIONE LIBERATAM, diſerte teſtatur ALEXANDER Imperator (a), eiuſque priuilegii hanc rationem reddit HERMOGENIANVS (b), quod nupta liberta *in officio mariti eſſe debeat*. Parum ſane decorum videbatur, libertam adſectari patronum, dum interim maritus domi nihil opis aut officii ab vxore perciperet. Quae cauſſa quum deficeret in liberto, nec ei, licet marito, turpe videretur, etiam in patroni officio eſſe: hinc is non nuptiis, ſed demum liberorum iure operarum obligatione liberabatur (c). Vt vero ad libertam redeamus, ea nupta voluntate patroni, non ſolum huic operas officiales nullas exhibebat, verum nec eius filiis, nepotibus, pronepotibus. At nihilominus eas operas debebat patronae, nec non patroni filiabus et neptibus, quia nec nuptae libertae indecorum erat, mulieri eſſe in officio (d). Ex quo etiam porro conſequebatur, vt, ſi patronus in libertae nuptias conſenſiſſet, eae autem non eſſent conſequutae, operae ab ea iure exigerentur (e). Multoque magis ea reuiuiſcebat obligatio, ſi liberta nupta eſſe deſiiſſet (f), partim quod cauſſa priuilegii, ab HERMOGENIANO prodita, in viduam vel repudiatam haud caderet, partim quod ex iuris principiis patronus, in nuptias libertae conſentiendo, amiſiſſe non videretur iura patronatus (g).

III. Sequitur caput XXXVIIII. de bonis liberti centenario minoris. Nimirum lege XII. tabularum generatim fuerat cautum, vt ſi libertus inteſtatus moreretur, cui non eſſet heres ſuus, hereditas ad patronum eiuſque liberos gradu proximos deuolueretur (h). Quum itaque et teſtamento patronus excludi poſſet, nec ei vlla ſpes eſſet ab inteſtato ſuccedendi, ſi liberos ſuos ſiue naturales, ſiue adoptiuos, reliquiſſet libertus: emendandum id ius putauerat Praetor, edixeratque (i), vt ſi inteſtatus obiiſſet libertus, liberis naturalibus haud relictis, patronus eiuſue liberi ex lege XII. tabularum ſuccederent: ſin liberos naturales haberet, ſiue ſuos, ſiue emancipatos, ſiue in adoptionem datos, ii patronum excluderent, adoptiui dimidiam caperent, alterius dimidiae patrono bonorum poſſeſſio daretur. Denique ſi teſtamentum conderet libertus, is patrono relinqueret ſemiſſem bonorum, et ſi minus vel nihil reliquiſſet, patrono contra tabulas, heredi ſcripto ſecundum tabulas daretur partis dimidiae bonorum poſſeſſio. Denique *patronorum iura*, IVSTINIANO (l) teſte, *adauxit lex Papia Poppaea*, vt tanto maiore contentione liberos quaererent liberti, ſi ſcirent, non niſi numeroſa prole ſe facultatem de rebus ſuis diſponendi conſequuturos. Diſtinxit autem lex Papia libertos in CENTENARIIS MINORES et CENTENARIOS. De illis caput noſtrum ait: IN BONIS LIBERTI CENTENARIO MINORIS. Libertus hic eſt a patrono ciue Romano manumiſſus. Addo: ciue Romano. Si enim Latinus vel peregrinus manumitteret, nec illi, nec eorum liberi his iuribus patronatus fruebantur. Vnde eſt, quod PLINIVS (m) quibuſdam Poſtumii Marini propinquis ciuitatem rogat, vt ſint in patria poteſtate, *et iis in libertos ſeruetur* IVS PATRONORVM. Quamuis vero ii nonnunquam

[a] L. 2. C. *de obſ. patr.*
[b] L. 48. *pr. D. de op. lib.*
[c] L. 13. §. 3. D. *eod.* L. 37. *D. eod.*
[d] L. 48. *pr.* §. 2. D. *eod.*
[e] L. 48. §. 1. *eod.*
[f] TER. CLEM. *Lib.*VIII. *L.* 14. *D. eod.*
[g] *L.* 11. §. 1. C. *eod.*
[h] VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 1.
[i] VLP. *tit. vlt.* §. 1. *et* 3. §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. libert.* L. 6. *D. de bon. poſſeſſ.*
[l] § 2. *Inſt. eod.*
[m] *Lib.* X. *Epiſt.* 6.

natio ipſo iure irrita erat : ſin in fraudem patroni , illa ipſo quidem iure valebat, ſed reuocari tamen poterat actione Fauiana et Caluiſiana, de qua re ad caput proximum diſſeremus.

Ceterum in bonis huiuſmodi liberti centenario minoris PATRONVS PATRONIVE LIBERI MASCVLI , SI LIBERTVS LIBEROS NON HABERET , IVS ANTIQVVM HABEBANT . Habebant , inquam , patroni eorumue liberi ius antiquum , id eſt ex lege XII. tabularum ſuccedebant ab inteſtato , modo iis ius patronatus ſaluum eſſet , quippe quo verbi cauſſa excidebant , qui libertum accuſaſſent capitis, aut nomen eius, non petita poſtea abolitione, detuliſſent. Hos enim a bonorum poſſeſſione excludi, docet TER. CLEMENS (*a*). Deinde , etiamſi ſalua eſſent iura patronatus , non tamen ſuccedebat patronus , ſi exſtarent liberti liberi , quorum vel vnus ex lege XII. tabularum patronum excludebat . Quamuis enim lex *πληθυντικῶς* loquatur SI LIBERTVS LIBEROS NON HABEBIT: eleganter tamen haec verba ita interpretatur CAIVS (*b*) noſter : *non eſt ſine liberis, cui vel* VNVS FILIVS, *unaue filia eſt . Haec enim enunciatio :* HABET LIBEROS *ſemper pluratiuo numero profertur , ſicut et pugillares et codicilli* . Ad hunc locum caſus perquam bellos enucleant auctores noſtri . Sic apud TER. CLEMENTEM (*c*) occurrit haec ſpecies. Tiro libertus vnicum habebat filium , ex eoque aliquot nepotes. Exheredato filio, quaerebatur, patronuſne ab inteſtato admittendus ſit, an eidem praeferendi liberti nepotes ? Reſpondet iureconſultus : *Quod vtique ſic dirimendum eſt , vt viuo filio, donec in poteſtate eius liberi manent, non admittantur ad bonorum poſſeſſionem , ne qui ſuo nomine a bonorum poſſeſſione ſummouentur* , (leg. *ſummouetur*) *per alios eam conſequantur.* (leg. *conſequatur.*) *Sin autem emancipati a patre fuerint , vel alio modo ſui iuris effecti : ſine aliquo impedimento ad bonorum poſſeſſionem admittantur* . Idem TER. CLEMENS quaerit (*d*) , ſi filius liberti vnicus a paterna hereditate abſtineat, an tunc videatur libertus ſine liberis deceſſiſſe, admittenduſque patronus? Et reſpondet: *Hoc patrono proficere.* Perinde enim eſt, iudice CAIO (*e*) , *ſiue filius liberti ius ſuum ſpernat , ſiue tempore bonorum poſſeſſionis finito excluſus ſit , ſiue ante mortuus ſit , quam petierit bonorum poſſeſſionem.*

Denique adiicitur : SI LIBEROS HABEBIT , IVS NVLLVM IN BONIS LIBERTI HABENTO . Liberos enim et iure vetere decemuirali excluſiſſe patronos , iam ante monui . Vnde adparet , legem Papiam Poppaeam nihil circa ſucceſſionem patroni in bonis liberti *centenario minoris* mutaſſe. Quum autem plerumque , vbi ſucceſſionis emolumentum , ibi et tutelae onus eſſe ſoleat , et ex ea ipſa ſpe ſucceſſionis legitima patronorum tutela , teſte IVSTINIANO (*f*) , deſcendat : quaeſitum videtur , an et tutor eſſe teneatur patronus , qui hoc modo a ſucceſſione plane excluditur ? Puto eum oportuiſſe tutelam ſuſcipere , eoque fortaſſis comparata fuit lex , quam IVLIVS CAPITOLINVS (*g*) de tutelis libertorum a Marco Aurelio latam refert, ſimul obſeruans, *eum* IVS *magis* VETVS RESTITVISSE , *quam nouum feciſſe.* Si iuſte excuſaretur patronus : tum Praetor liberti liberis tutorem ex lege Atilia

(a) TER. CLEM. *Lib. VIIII. L. 10. de iure patron.*

(b) CAI. *Lib VIII. L. 148. D. de verb. ſign.*

(c) TER. CLEM. *Lib. VIIII. L. 38. D. de bon. libert.*

(d) IB. L. 38. §. 1. *D. eod.*

(e) CAI. *Lib. VIII. L. 4. D. de bon. poſſeſſ.*

(f) §. *vn. Inſt. de legit. patr. tut.*

(g) *Marc. Anton. cap.* 11.

Digitized by Google

Atilia dare poterat, dum ne ſe ipſum daret, quod fieri poſſe, VLPIANVS (a) diſerte negat.

IIII. Iam de liberto *centenario* agit caput XXXX. aitque: IN CENTENARII LIBERTI BONIS. Quis centenarius ſit, quibuſque fraudibus id egerint liberti, ne centenarii haberentur, vel, vt patrono minus relinquerent, iam diximus. Nihil enim procliuius erat, quam moribundos quaedam alienare per donationem inter viuos, ne poſita patrimonii ratione, centum ſeſtertium millia vel ſaltim ne multo plus reperiretur. Quaerit itaque VLPIANVS (b), an iſta alienatio valeat? Et reſpondet intereſſe, in fraudem legis, an in fraudem patroni alienarit libertus. Quae enim in fraudem legis alienata, eorum alienationem ipſo iure non valere: quae in fraudem patroni, per Fauianam et Caluiſianam actionem reuocari. In fraudem vero legis alienaſſe videbatur, *qui* alienando *ſe minorem centenario fecerat, ad hoc, vt legis praeceptum euerteret*. In fraudem patroni, *qui, alienatione facta, nihilominus erat centenarius*. Quaerit porro, ſi quis, plures res ſimul alienando, minorem ſe centenario fecerit, quarum vna reuocata, vel omnium partibus, maior centenario eſſet futurus libertus, vtrum reuocentur omnes, an aliquid pro rata ex ſingulis? Species itaque talis eſt. Libertus alienauerat aedes, duos hortos, gregem ouium, et equorum quadrigam. Ea facta alienatione, minor iam eſſe coeperat centenario. Patronus haec omnia reuocabat. Elidebatur eius actio exceptione, quod, ſi vel ſolae aedes, vel vnus hortus, cum dimidio gregis et tribus equis reuocarentur, hereditas centenaria futura ſit: quaeſtio erat, an nihilominus omnia, quae fuerant alienata, reuocanda ſint? Reſpondet, *magis eſſe, vt omnium rerum alienatio*, tanquam in fraudem legis facta, *nullius momenti ſit*. Denique libertus alienauerat aedes, et nihilominus tum adhuc erat centenarius: ſed poſtea etiam hortis donatis centenario minor eſſe coeperat. Quaerit VLPIANVS (c), omneſne, an quaedam harum rerum reuocandae ſint? et reſpondet: *Alienatio earum rerum, quae poſtea alienatae ſunt, ipſo iure non reuocabitur, ſed priorum. In poſterioribus Fauianae locus erit*. Verba haec aliquid contorti habere videntur, nec ſatis conueniunt ſuperiori fundamento. Procul dubio res poſteriores erant alienatae in fraudem legis, quia ſic deſinebat eſſe centenarius: priores in fraudem patroni, quia, ſi nihil amplius alienaſſet, manſurus centenarius fuiſſet. Qui ergo dici poteſt, *in poſterioribus locum eſſe Fauianae?* Et quid eſt: *ipſo iure non reuocabitur?* Ipſe, ſi quid video, ſenſus poſtulare videtur hanc emendationem: *Alienatio earum rerum, quae poſtea alienatae ſunt, ipſo iure reuocabitur, ſed non priorum, in quibus* (vel *in prioribus*) *Fauianae locus erit*. Traiectum ergo videtur NON, quod ſaepe contigit. Tò QVIBVS vero vel τὸ PRIORIBVS a ſcriba, cui, quod anteceſſerat, τὸ *priorum* in mente haeſerat, facile pro abbreuiatione haberi potuit vocabuli oppoſiti *poſterioribus*. Sic ſane VLPIANVS ſibi ipſi conſtat. Dicit enim, alienationem eorum, quae poſtea alienata ſint, ipſo iure nullam eſſe, tanquam in fraudem legum factam: non autem priorum alienatorum, quae alienatio tantum ſuſcepta fuerit in fraudem patroni, in his adeoque locum eſſe actioni Fauianae. Nec eſt, quod quem turbet loquutio: *ipſo iure reuocabitur*. Saepe enim ICti et libertatem in frau-

(a) VLP. *Lib.* VIIII. *L.* 4. *D. de tut. dat.*
(b) VLP. *Lib X. L.* 16. *D. de iur. patr.*
(c) IB. *L.* 16. *§.* 2. *D. eod.*

fraudem creditorum datam *reſcindi* (*a*), *retrahi* (*b*), *reuocarique* (*c*) dicunt, quum eum, qui in fraudem creditorum manumittit, *nihil agere*, vel dupondii non ignorent.

Centenarius huiuſmodi vel vnum duoſue liberos habebat, vel tres pluresue. Priore caſu, SIVE IS TESTAMENTO, SIVE INTESTATO DECEDERET, PATRONO PATRONIVE LIBERIS MASCVLIS VIRILIS PARS SERVABATVR. Itaque quum vnum filium filiamue heredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, *ac ſi is ſine vllo filio teſtatus deceſſiſſet*. Ita enim legendum eſſe apud IVSTINIANVM (*d*) pro *inteſtatus*, iam alii viderunt (*e*). Quum vero duos duaſue heredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono. Eo non exſiſtente, eius liberi maſculi gradu proximi hanc portionem virilem capiebant. Nec adimi illis poterat haec pars hereditatis, vtpote legitima, niſi vel patronus, vel eius filius capitis libertum accuſaſſet. Tunc enim ne quidem *ad legitimam hereditatem, quae ex lege* XII. *tab. defertur*, teſte VLPIANO (*f*), *admittebatur*, nedum ad hoc beneficium ex lege Papia. Quid vero eſt, quod idem ſcribit VLPIANVS (*g*): VIRILIS *appellatione interdum etiam totam hereditatem contineri dicendum eſt?* An, qui aſſem hereditatis capit, portionem virilem capere dicetur? Doctiſſimus IAC. CVIACII diſcipulus, IAC. LABITTVS (*h*), ea verba accipit de caſu, ſi libertus inteſtatus ſine liberis decedat. Sed perperam, quia tunc patrono non portio virilis, ſed integra hereditas debetur. Aliud in mente fuit id ſcribenti VLPIANO. Finge, Tironem reliquiſſe filium, hunc vero vel abſtinuiſſe ab hereditate paterna, vel tempus, intra quod bonorum poſſeſſio agnoſcenda erat, elabi paſſum, vel ante eam petitam plane mortuum eſſe: quos caſus ſupra ex CAIO recenſebamus (*i*): patronus ſane ex aſſe erit heres, quum tamen a lege, exſiſtente filio filiaue, tantum in portionem virilem vocetur. Additur denique: SI TRES LIBEROS HABEBIT libertus: PATRONVS PATRONIQVE LIBERI MASCVLI NIHIL IVRIS IN BONIS LIBERTI HABENTO. Quum itaque ex XII. tabulis liberi quotcumque; ex edicto Praetoris naturales ſaltim quotcumque ſufficerent ad excludendum patronum: Auguſtus non niſi tres ſufficere voluit. Verum et id ſuſtulit laudata paullo ante conſtitutione IVSTINIANVS (*l*). Ea enim cautum, vt ſi libertus inteſtatus deceſſerit, nulla relicta progenie, patronus patronique liberi ad vniuerſam hereditatem vocarentur. Sin liberos ſiue tres, ſiue pauciores haberet, cuiuſcunque ſexus vel gradus: hi ſoli ad ſucceſſionem parentum deducerentur, patrono omnibus modis cum ſua progenie ſemoto: Denique, ſi libertus vel nullos liberos habens, vel, quos habet, exheredes ſcribens, vel mater filios, vel auus nepotes ex filia praeteriens, patronum teſtamento praeterierit, tunc ei poſſeſſio non quidem, vti ex edicto, dimidiae, ſed tertiae partis bonorum daretur, vel, quod huic tertiae deeſſet, ex conſtitutione repleretur, ſi quando minus tertia parte bonorum libertus ei reliquiſſet. Hanc autem tertiam partem patronus eiuſue liberi ex eo tempore tam liberam capiebant, vt, quum alias fideicommiſſa praeſtarentur

(a) *L. 5. §. 2. qui et a quib. manum.*
(b) *L. 45. §. 3. D. de iur. fiſc.*
(c) *L. 1. C. qui manum non poſſ.*
(d) *§. 2. Inſt. de ſucceſſ. libert.*
(e) CVIAC. *Obſ. Lib.* III. *cap.* 13.
(f) VLP. *Lib.* X. *L.* 11. *D. de iur. patr.*
(g) VLP. *Lib.* X. *L.* 145. *D. de verb. ſign.*
(h) *Vſu Indic. ad D. p.* 201.
(i) *L. 4. D. de bon. poſſeſſ.*
(l) *§. 3. Inſt. de ſucceſſ. libert.*

Digitized by Google

tur certis perſonis ab illis, qui peterent bonorum poſſeſſionem contra tabulas (a), idque onus olim etiam patrono incumberet (b): patronus tamen ex hac tertia ne liberis quidem liberti libertaeue legata vel fideicommiſſa praeſtaret, ſed ad eius coheredes id onus vniuerſum deuolueretur.

V. Proximum eſt caput XXXXI, quod ad patroni filiam iura ſucceſſionis porrexit. Quamuis enim lex XII. tabularum inter patroni filios filiaſque non diſtingueret, et has perinde ad ſucceſſionem liberti paterni vocaret, ac illos (c): Praetor tamen contra tabulas liberti aut ab inteſtato contra heredes ſuos non naturales bonorum poſſeſſionem tantum dabat maſculis, niſi quod nonnunquam filiam fingebat filium, quam *παλαιὰν ὑπόκρισιν* vel *παρατήρησιν* memorat aboletque conſtitutione ſaepe laudata IVSTINIANVS (*d*). Verum et hoc ante IVSTINIANVM emendandum duxerat Auguſtus, ſiquidem ex lege Papia Poppaea, teſte VLPIANO (*e*), et filia patroni id ius ſuccedendi nanciſcebatur, *ſi ius trium liberorum haberet*.

Ait itaque lex: PATRONI FILIA, qua adpellatione non ſolum ea, quae in poteſtate patris eſt, continetur, verum etiam alteri in adoptionem data. Nam et haec, teſte TER. CLEMENTE (*f*), ſi in adoptiua familia ſit, *ad bona libertorum paternorum admittitur*. Quamuis enim ita filia paterna gente et familia excederet, et adoptiui, teſte APPIANO (*g*), eoſdem cum adoptante agnatos et libertos haberent: id tamen non obſeruabatur in legibus nouis, *ex quibus et hereditates et tutelae plerumque ſic deferebantur, vt perſonae deſignarentur* NATVRALITER, quemadmodum obſeruat PAVLLVS (*h*). Ex qua ratione colligimus, etiam emancipationem et in manum conuentionem non impediuiſſe patroni filiam, quo minus liberto paterno ſuccederet. Non omnis tamen patroni filia huius beneficii erat particeps, ſed quae IVS TRIVM LIBERORVM HABEBAT. Qua in re paullo deterior erat filiarum, quam filiorum, conditio. Hi enim ſuccedebant, etiamſi nullos ſuſcepiſſent liberos; illae non niſi trium liberorum iure honoratae, ſiue ter enixae eſſent, ſiue id ius impetraſſent beneficio principis. Tunc enim EADEM IVRA IN BONIS LIBERTI PATERNI, QVAE ET IPSE PATRONVS PATRONIVE FILII EX EDICTO PRAETORIS HABENT, HABEBANT. Quemadmodum itaque patronus eiuſue filii dimidiae bonorum poſſeſſionem conſequebantur, ſi aut teſtatus deceſſiſſet libertus, iiſque nihil vel minus parte dimidia reliquiſſet, aut inteſtatus heredem ſuum adoptiuum haberet ſuperſtitem (*i*): ita idem ius erat filiabus. Naturales autem liberi liberti vti patronum eiuſque filios, ita et filiam, trium liberorum iure ſubnixam, excludebant. Enimuero, poſtquam IVSTINIANVS caput ſuperius emendauit, idem ius, quod dederat patrono eiuſque filiis, etiam produxit ad filias, nec non ad eos, qui ex tranſuerſo latere veniebant, vſque ad quintum gradum (*l*).

VI. Hactenus de bonis libertorum. In libertae bonis melior erat patroni eiuſque liberorum conditio. Nam capite XXXXII. cautum fuerat:

IN

(a) *L. 1. D. de leg. praeſt.*

(b) *L. 4. D. de cond. et dem. et L. 64. §. vlt. D. ad SCtum Trebell.*

(c) VLP. *fragm. tit.* XXVIIII. §. 4.

(d) BASIL. *Lib.* XXXXVIIII. *tit. I. p.* 594. *Tom. VI.*

(e) VLP. *ibid.*

(f) TER. CLEM. *Lib.* X. *L.* 39. *D. de bon. lib.*

(g) *De bell. ciu. Lib.* III. *p.* 586.

(h) *L. 7. pr. D. de capit. min.*

[i] §. 1. *Inſt. de ſucc. libert.*

(l) §. 3. *Inſt. de ſucc. libert.*

Digitized by Google

IN BONIS LIBERTAE, ETIAM QVATVOR LIBERORVM IVRE SVBNIXAE, PRO NVMERO LIBERORVM LIBERTAE, MORTIS EIVS TEMPORE SVPERSTITVM, VIRILIS PARS PATRONO PATRONIQVE LIBERIS MASCVLIS DEBETOR. Denuo ſucceſſio defertur patrono, patronique liberis, niſi vel ille libertam accuſando eo ſe beneficio indignum reddidiſſet (*a*), vel libertatis cauſſa impoſita libertae reuendidiſſet (*b*). Eo ipſo enim iuribus patronatus excidebat patronus, nec audiebatur, ſi ſe cum ea ſocietatem libertatis cauſſa iniiſſe diceret (*c*). Contra non obfuiſſe patrono videtur libertae communis matrimonium, quod cum altero patrono inierat, eoque fortaſſis referendum eſt fragmentum CAII (*d*) ex libro commentariorum octauo ſuperſtes. Nihil itaque hic, vti in libertorum ſucceſſione, intererat, liberos haberet liberta, nec ne, item inteſtata deceſſiſſet, an condidiſſet teſtamentum. Nam primum, etiamſi liberos haberet, ii tamen matri non erant ſui, adeoque nec legitimi heredes. Vnde et VLPIANVS (*e*) ſcribit: *In bonis libertae patronis* NIHIL IVRIS EX EDICTO *datur*, non quod a ſucceſſione excluderentur, ſed quod non opus iis eſſet auxilio praetoris, qui iure legitimo ſuccedebant. Deinde, etiamſi liberta, quatuor liberorum iure honorata, et tutela liberaretur, et condere poſſet teſtamentum: eadem tamen lex Papia Poppaea, quae libertabus illud priuilegium dederat, ita proſpexerat patronis, vt virilem partem, tanquam portionem legitimam, patrono teneretur relinquere (*f*). Iſta vero pars virilis aeſtimabatur PRO NVMERO LIBERORVM, LIBERTAE MORTIS EIVS TEMPORE SVPERSTITVM, adeoque ſi quinque haberet liberos, patrono ſextans, ſi quatuor, quinta pars, ſi tres quadrans, ſi binos, triens, ſi vnum ſemis, ſi nullum, integer as debebatur. Numerabantur vero liberi omnes, etiam in vtero relicti. Diſerte enim TER. CLEMENS (*g*): *Intelligendus eſt* MORTIS TEMPORE *fuiſſe, qui in vtero relictus eſt*. De exheredatis, vel hereditatem maternam repudiantibus, fruſtra tunc quis mouiſſet quaeſtionem, quum eo tempore nondum matribus ſuccederent liberi. Ex quo etiam ſequitur, vt non ita intelligenda ſint verba legis noſtrae, ac ſi portio virilis patrono eiuſue liberis, reliquae liberis libertae ceſſiſſent. Cedebant hae iis, quibus liberta eas deſtinauerat teſtamento. Si inteſtata moriebatur, patronus ante SCtum Orphitianum totam bonorum vniuerſitatem capiebat. Poſt illud etiam hoc caſu portione virili contentus eſſe tenebatur, quia SCtum illud etiam libertae liberos ad ſucceſſionem in bonis maternis vocaſſe, ſatis conſtat.

VI. Aſt id ius in bonis libertae olim tantum patrono, eiuſque liberis maſculis, competebat. Hinc capite ſequente XXXXIII. etiam de iure ſuccedendi patronae conceſſo agitur. Ea vel ingenua erat, vel libertina. Si ingenua: ex lege XII. tabularum libertis quidem inteſtatis, liberos non habentibus, ſuccedebat (*h*). Sed lex Papia ei ius dederat paullo pinguius,

(a) VLP. *Lib. XI. L. 17. D. de iur. patron.*

(b) VLP. *Lib. XI. L. 37. D. de bon. libert.*

(c) VLP. *Lib. XI. L. 36. D. de oper. libert.*

(d) CAI. *Lib. VIII. L. 46. D. de Ritu Nupt.*

(e) *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 11.

(f) *Ibid.* §. 3.

(g) TER. CLEM. *Lib. XI. L. 153. D. de verb. ſign.*

(h) VLP. *Fragm. tit. vlt. §. 6.*

Digitized by Google

VT DVOBVS LIBERIS HONORATA IDEM IVS, QVOD PATRONVS EX EDICTO PRAETORIS HABET, HABERET. Ergo in eo erat deterior patronae, quam patroni, conditio, quod illa non niſi duorum liberorum iure, hic ſemper ius haberet petendi bonorum poſſeſſionem. Quare non abs re ſuſpicari mihi videor, patronas, liberorum iure deſtitutas, ſibi partem aliquam bonorum a libertis ſtipulari ſolitas, quumque huiuſmodi pactum contra bonos mores videretur, eo nomine accepiſſe fideiuſſores, *qui, quanto minus a libertis conſequuturae eſſent, tantum dare ſponderent*. Eo enim caſu non dubitabatur, quin ſi nihil a libertis fuiſſet conſequuta, totum deberent fideiuſſores, quod liberti debuerant. Ita enim ergo interpretor fragmentum CAII (a), alioquin difficillimum. In eo vero patrono patronaeque ius erat aequale, quod vtrique daretur bonorum poſſeſſio ad conſequendam dimidiam bonorum, ſiue inteſtatus deceſſiſſet libertus, adoptiuo relicto, ſiue teſtatus, nullis relictis liberis. Si liberto eſſent liberi naturales: patrona non minus, quam patronus, excludebatur. Idem ius datum videtur patronae, libertinae conditionis, TRIBVS HONORATAE LIBERIS. In tota enim hac lege maiorem liberorum numerum a libertina, quam ab ingenua, et ſicubi huic tres ſufficiunt, ab illa quatuor, ſin huic duo, ab illa tres exigi, animaduertimus.

VIII. Denique quamuis de patronae liberis nihil cautum eſſet lege XII. tabularum, neque ea ex iuris antiqui principiis ius ſuccedendi ad liberos tranſmittere poſſet, quia ſuos non habebat: tamen et his, teſte VLPIANO (b), proſpexit lex Papia Poppaea, dum ita ſanxit capite XXXVIIII: LIBERI QVOQVE INGENVAE PATRONAE, TRIVM LIBERORVM IVRE HONORATAE, IDEM IVS HABENTO. Dabatur ergo illa dimidiae bonorum poſſeſſio patronae liberis, vtriuſque ſexus. Nec intererat, cuius in poteſtate eſſent. Hinc quia inter matrem et liberos nullum erat ius agnationis, quod ſolum adoptione perimebatur: conſequens erat, vt ſiue in poteſtate patris naturalis, ſiue in adoptionem dati eſſent liberi, ſuccederent tamen matris liberto. Et id CAIVS innuit (c): *Satis conſtat, etiamſi in poteſtate ſit parentis filius patronae, nihilominus legitimo iure ad eum pertinere hereditatem*. Attamen non omnium patronarum liberis hoc ius erat, ſed ingenuarum, quae TRIVM LIBERORVM IVRE ERANT HONORATAE. Ipſi patronae ingenuae ſufficiebant duo liberi, vt ſuccederet: ſed ad ius illud in liberos tranſmittendum non niſi tres ſufficiebant. An haec lex et libertina patrona natis proſpexerit, incompertum eſt. Id vero certiſſimum, erroris eos recte poſtulari a M. VERTR. MAVRO (d), qui filias patronae ; liberto materno ſucceſſuras, eodem iure liberorum indiguiſſe exiſtimant: Saltim id non conſtat ex verbis VLPIANI, cui ſoli eius capitis notitiam debemus.

VIIII. Et haec quidem ſunt, quae ad partem legis Papiae Poppaeae priorem pertinent, capita quaeque, tanquam fractas e naufragio tabulas, poſt viri eximii IAC. GOTHOFREDI induſtriam, colligere licuit. Iam eamdem operam nauabimus legi Iuliae Papiae CADVCARIAE, quam alterius veluti adpendicem fuiſſe, iam ſupra obſeruauimus.

LIBER

(a) CAI. *Lib.* VIIII. L. 150. *de verb. ſign.*
[b] *Ibid.* §. 7.
[c] L. 22. D. *de iur. patron.*
(d) *De iure lib. cap.* 26.

Digitized by Google

LIBER III.

AD LEGEM CADVCARIAM VEL DE CADVCIS.

CAPVT I.

DE NOMINE, FINE ET CAPITIBVS LEGIS CADVCARIAE.

I. *Pars legis Papiae poſterior de caducis egit. Lex caducaria.* II. *Ea ad locupletandum aerarium fuit comparata. Aerarii ratio tempore Auguſti. Aerarium militare. Fiſcus. Vtriuſque adminiſtratio.* III. *Lex haec odioſa, et multis veterum improbata.* IIII. *Capita legis vnde reſtituenda? Fragmenta veterum per laterculos diſpoſita ſecundum ordinem capitum. Ipſa lex cum notis et allegationibus exhibita.*

I. DVae fuerunt legis IVLIAE ET PAPIAE POPPAEAE partes, quarum altera de maritandis ordinibus, parentum et coniugum praemiis, poeniſque caelibum et orborum; poſterior de bonis caducis, ereptitiis, et vacantibus egit. Vnde haec poſterior pars lex Iulia CADVCARIA dicitur. Sane ita adpellatur ab VLPIANO in *Fragmentis* (a), vbi legimus: *populo bona deferuntur* ex LEGE IVLIA CADVCARIA, non autem in *L.* 4. §. 17. *D. de fideicomm. libert.* vbi pro *caducis legionis*, *caducarias leges* reponi, acute quidem, ſed perperam iubet IAC. CVIACIVS (b), ab EM. MERILLIO (c), IANO A COSTA (d) et IAC. GOTHOFREDO (e) hinc merito notatus. Quare mireris, eam emendationem probare ſe potuiſſe FR. HOTOMANO (f). Alibi ſimpliciter haec lex vocatur IVLIA (g), item lex PAPIA, vel LEGES ANTIQVAE (h), quae adpellationes, opinor, fraudi quibuſdam fuerunt, vt hanc poſteriorem legis noſtrae partem pro lege ſingulari et a ſuperiore de maritandis ordinibus diuerſa haberent, a quo errore nec FR. HOTOMANVS (i), a nobis paullo ante laudatus, ſibi ſatis cauiſſe videtur.

II. Quemadmodum autem pars legis prior ad augendam prolem explendumque ciuium numerum; ita poſterior haec, vt ſupra diximus, ad locupletandum aerarium fuit comparata. Qua de re TACITVS (l): *legem Papiam Poppaeam*, inquit, *ſenior Auguſtus poſt Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis, et* AVGENDO AERARIO *ſanxit*. Et PLINIVS (m) iunior, inſectatus mores malorum principum: *Locupletabant et fiſcum et* AERARIVM,

(a) *Tit.* XXVIII. §. 2.
(b) *Ad* VLP. *ibid.*
(c) *Var.* CVIAC. *Lib. III. cap.* 20.
(d) *Ad* §. 1. *Inſt. de ea cui lib. cauſſ.*
(e) *Ad Leg. Pap. p.* 341.
(f) *De Legib. p.* 282.
(g) L. 96. §. 1. D. *de legat.* 1.
(h) L. *vn. pr.* §. 12. C. *de caduc. toll.*
(i) *De legib. Rom. voce* Iulia de caducis.
(l) *Annal. Lib.* III. *cap.* 25.
(m) *Paneg. cap.* 42.

RIVM, *non tam Voconiae et* IVLIAE LEGES, *quam maieſtatis ſingulare et vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent*. Denique et ipſe IVSTINIANVS (*a*) noſter, *et nomen et materiam* CADVCORVM *ex bellis ortam et auctam ciuilibus, quae in ſe populus Romanus mouerit, et belli calamitate introductam eſſe*, refert, eoque ipſo innuit, exhauſto bellis ciuilibus aerario, id vnum ſuperfuiſſe remedium, vt priuatorum incommodo publica leuaretur inopia, magnaque priuatorum patrimoniorum pars interuerteretur. (Id quod et alio loco innuit imperator in *Conſtit. tanta* §. 6. *de confirm. Digeſtor.* vbi redditurus rationem, cur de caducis in Pandectis nihil occurrere paſſus ſit: *ſed in his*, inquit, *nihil de caducis a nobis memoratum eſt, ne cauſſa, quae in rebus non proſpere geſtis et triſtibus temporibus Romanis increbuit calamitatibus, bello coaleſcens ciuili, noſtris maneat temporibus, quae fauor caeleſtis et pacis vigor firmauit, et ſuper omnes gentes in bellicis victori periculis ſuppoſuit, ne luctuoſum monimentum laeta ſaecula inumbrare concedatur*. Quamuis, dum in mediis bellis ciuilibus legem hanc latam exiſtimat, haud adeo accurate eius hiſtoriam expendiſſe videatur vel imperator, vel quiſquis eius nomine hanc conſtitutionem concinnauit).

Ea res repetenda eſt paullo altius. Auguſtus rerum potitus, tantum tueri imperium haud potuiſſet, niſi, obſequutus prudenti Maecenatis conſilio, copioſum aluiſſet militem, in pace decus, in bello praeſidium, imperio ſuo columen ac munimentum futurum. Non e re amplius erat, latus praebere militi legionario, veteri ritu delecto e ciuibus, et cui rerum nouarum ſtudium inſpirare poſſet recens adhuc priſtinae libertatis memoria: ſed opus videbatur militia mercenaria, quae nunquam arma deponeret e manibus, quamque ſtipendii dulcedo et ſpes praemiorum principi ſoli deuinciret. Quum autem nec quies ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine aerario ſuppetant: prudenter apud DIONEM (*b*) Maecenas Auguſto commendat curam aerarii publici, ſuadetque, vt illud, exhauſtum bellis ciuilibus, non per ſcelera, ſed bonis artibus, expleatur. Eum in finem illi inferri oportere ait ſpolia, praedam, et publicarum rerum, conditionibus, quantum fieri poſſit, pinguiſſimis diſtrahendarum pretia. Addit, publicam iſtam pecuniam, vt tacite in maius creſcat, mediocri foenore aliis mutuam dandam, agros fundoſque publicos pro certa mercede annua locandos, adiungendas metallifodinarum primitias, vectigalia iis bonis, quae quaeſtum inſignem poſſeſſoribus ferant, imponenda, donec ratio redituum et erogationum neceſſitas inter ſe congruant. Haec conſilia ſequutus Auguſtus, teſtibus SVETONIO (*c*) et DIONE (*d*), aerarium militare inſtituit cum vectigalibus nouis, inter quae praeter centeſimam rerum venalium, iam antea poſt bella ciuilia inſtitutam (*e*), praecipue lucroſa erat viceſima hereditatum et legatorum, ab heredibus et legatariis extraneis huic aerario inferenda (*f*). Equidem IAN. VINC. GRAVINA (*g*) viceſimarium iſtud vectigal hac ipſa lege Iulia caducaria inuectum putat, eamque ideo vocat *legem Papiam Poppaeam de caducis, vel caducariam, et de* VICESIMIS: ſed eius quidem rei in vetuſtis hiſtoriarum monimentis nec

(a) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*
(b) *Lib.* LII.
(c) *Auguſt. cap.* 49.
(d) *Lib.* LV. 565.
(e) TACIT. *Annal. Lib.* I. *cap.* 78. *Lib.* II. *cap.* 42.
(f) DIO CASS. *Lib.* LV. *p.* 563.
(g) *De Leg. et SCtis.* §. 60.

nec vola exſtat, nec veſtigium , quum tamen alias ipſius viceſimae hereditatum veſtigium, quum tamen alias ipſius viceſimae hereditatum veſtigia quaedam in iure noſtro deprehenderit vir ſummus, IAC. CVIACIVS (*a*), qui et alibi rectius ſcribit: *quae lex viceſimam ſanxit*, *eadem de aperiendis tabulis teſtamenti cauit* . Vtrumque autem factum *lege Iulia* VICESIMARIA, paullo ante Papiam Poppaeam lata, et libris commentariorum duobus explicata ab AEMILIO MACRO (*b*) . In idem vero aerarium militare deferenda erant caduca, iiſque illud quam maxime videtur locupletatum. Vnde et ſublata iam viceſima, lex tamen caducaria , tanquam precipuum quo militare aerarium nitebatur , ſubſidium manſit vſque ad tempora IVSTINIANI.

Aerario huic Auguſtus praefecerat tres viros praetorios, forte legendos ſingulis trienniis (*c*) . At poſtea ipſi principes ſuo arbitrio hanc curam demandabant iis, qui PRAEFECTI AERARII MILITARIS adpellantur, et diuerſi ſunta PRAEF. AERARII SATVRNI. Amborum paſſim fit mentio in marmoribus , maxime C. Plinio Secundo dedicatis (*d*) , qui non ſemel vocatur PRAEF. AERARII SATVRNI , PRAEF. AERARII MILIT. Horum ergo fuit, et caduca vindicare aerario . Ab initio enim principatus diuerſae erant fiſci ac aerarii rationes, vel vti DIO vocat , *τῷ βασιλικῷ καὶ ταμιείῳ*: ſed plerumque tamen princeps vtroque vtebatur pro lubitu, vt, ipſo fatente DIONE (*e*), vix liqueret , quid inter Auguſti et publicum intereſſet aerarium. Eoque factum, vt, nondum ſublato illo diſcrimine, promiſcue tamen aliquando acciperentur fiſcus et aerarium , et poſtremi principes demum omnia vectigalia ac caduca non aerarium populi , ſed in fiſcum, inferri iuberent. Vnde vetus gloſſa : Ταμεῖον *fiſcus*, *aerarium*. Quae itaque caduca antea vindicabant praefecti aerario militari , ea poſtea occupabant procuratores fiſci , et in prouinciis procuratores Caeſaris, quamuis et ſingulares paſſim conſtituti eſſent PROCVRATORES CADVCORVM IN PROV. quorum in tribus vetuſtis marmoribus apud FABRETTVM (*f*) et PHIL. A TVRRE (*g*) fit mentio , quemadmodum et alibi memorantur PROCVRATORES HEREDITATIVM PRIVATI PATRIMONII , EXACTORES HEREDITATIVM , LEGATORVM & PECVLIORVM , PROCVRATORES et PROMAGISTRI XX. HEREDITATIVM , vt ſatis adpareat, et hereditatibus , principi teſtamento relictis, et viceſimis , et caducis vindicandis, ſingulares praefuiſſe procuratores et principis adminiſtros, diverſos a PROCVRATORIBVS FISCI , vel ΚΑΘΟΛΙΚΟΙΣ RATIONALIVM, qui cauſſas fiſcales generatim curabant, de quibus iam pluſcula addere nihil attinet.

III. Ceterum quemadmodum inuidioſa eſſe ſolent, quecumque ad locupletandum e priuatorum opibus aerarium excogitantur; ita nec mirandum, legem de caducis reprehenſione haud caruiſſe. Ipſe ſane IVSTINIANVS (*h*) eam ait *prudentiſſimis viris* DISPLICVISSE, *multaſque ab iis inuentas eſſe vias*,

(a) *Lib. V. Obſ. cap.* 16. *Lib.* VIIII. *cap.* 24.

(b) *L.* 27. *D. de religioſ. L.* 68. *D. ad L. Fal. L.* 154. *D. de verb. ſign.*

(c) SVET. *Aug. cap.* 36. DIO *Lib.* LV. *ib.*

(d) *Inſcript. pag. m.* 28. *n.* 5.

(e) *Lib.* LIII. *pag.* 521.

(f) *Inſcript. cap.* 3.

(g) *Monim. vet. Antu. cap.* 6.

(h) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*

vias, per quas caduca non fierent, additque, *inuidioſam fuiſſe* CADVCORVM *obſeruationem*. Immo quod iam ſub Tiberio de moderanda lege Papia Poppaea actum eſſe ſcribit TACITVS *(a)*, id praecipue intelligendum videtur de lege caducaria, ceu vel ex verbis ſequentibus adparet: *ceterum multitudo periclitantium gliſcebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerteretur*. Delatores enim eum in finem conſtitui et praemiis incitari ſolebant, vt caduca fiſco nunciarent, iique altius quotidie penetrauerant, vrbemque et Italiam, et quod vſquam ciuium, ita corripuerant, *vt multorum exciſo ſtatu, terror omnibus intentaretur*, ceu idem TACITVS (*b*) paucis interiectis refert. Vel ex his ergo, quam inuidioſa fuerit caducorum obſeruatio, ſatis ſuperque adparet, vt non opus ſit pluribus id firmare.

IIII. Qualia autem fuerint legis Iuliae caducariae capita, ex pluribus quae ſuperſunt, veterum ICtorum fragmentis, et luculenta IVSTINIANI *de caducis tollendis* conſtitutione ſatis adparet. Ea nos more noſtro redigemus in ordinem, reſtitutoque inde legis textui ſingulorum ICtorum periochas ita aptabimus, vt, ad quod quaeque caput pertinuerit, vel vno obtutu poſſit intelligi.

(a) *Lib.* III. *Cap.* 19. *ſeqq.* (b) *Ibid.*

IVRECONSVLTORVM VETERVM FRAGMENTA, AD LEGEM IVLIAM CADVCARIAM PERTINENTIA.

CAP. LEG.	VLPIAN. LIB. XIII.	TER. CLEM. LIB. XII.	CAIVS LIB. X.	PAVLL. LIB. V.	MAVRICIAN. LIB. II.	MARCELLVS, ex cuius libris poſtremis, qui ad legem caducariam pertinuerunt, nihil ſupereſt.	IVSTINIAN.
CAP. I. de aditione hereditatis, et quando dies legatorum cedat. CELS. LIB. XXXIII.	———	———	———	*L.* 80. *D. de adquir. vel omitt. her. L.* 20. *D. de codicill.*	———		*L. vn. C. de caduc. toll.* §. 1.
						IVSTINIAN.	
CAP. II. de iis, quibus caduca iure antiquo deferuntur. CELS. LIB. XXXIII. *L.* 19. *D. de leg. L.* 391. *D. de reg. iur.*	———	*L.* 40. *D. de bon. libert. L.* 10. *D. de adſign. libert.*	*L.* 13. *D. de ſuis et legit. hered. L.* 149. *D. de verb. ſignif.*		———	———	
CAP. III. de iis, quae pro non ſcriptis habentur. CELS. IB.	*L.* 4. *D. de his, quae pro non ſcriptis hab.*	*L.* 21. *D. de liberat. legat.*	———	*L.* 71. *D. de her. inſtit. L.* 88. *D. de legat.* 2. *L.* 6. *D. de adim. vel transf. legat.*		§. 2. 3.	

CAP.

CAP. LEG.	VLPIAN. LIB. XIII.	TER.CLEM. LIB. XII.	CAIVS LIB. X.	PAVLL. LIB. V.	MAVRIC. LIB II.	IVSTINIAN.
CAP. IIII. de cauſſa caduci. CELS. LIB. XXXIIII. *L. 27. D. de legat. 2.*	*L. 59. D de cond. et demonſtr. L. 31. D. de legib.*	—	*L. 152. D. de verb. ſign.*	—	*L. 23. D. de vſu et vſufr. leg. L. 57. D. de legat. 2.*	§. 4.
CAP. V. de caducis ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas decedentem. CELS. IB.	*L. 81. D. de adqu. vel omitt. her. L. 10. 12. D. teſt. quemadm. aper. L. 7. D. de ſeruit.*	—	LIB. XI. *L. 11. D. teſtam. quemad. aper. L. 14. D. de iure fiſci.*	*L. 68. D. de adqu. her. L. 49. D. de legat. 2.*	—	§. 5. 9.
CAP. VI. de caducis ob heredis vel legatarii incapacitatem. CELS. LIB. XXXV. *L. 1. D. de reg. Cat.*	*L. 64. D. ad leg. Falc.*	LIB. XIII. *L. 54. D. de legat. 2.*	LIB. XII. *L. 55. D. de legat. 2. L. 18. D. de manumiſſ.*	*L. 28. D. de legib. L. 69. D. de reb. auct. iud. poſſ. L. 4. D. pro herede.*	—	—
CAP. VII. de caducis ob heredem vel legatarium ante exſiſtentem conditionem decedentem. CELS. ibid.	—	—	LIB. XIII. *L. 73. D. de hered. inſt. L. 69. D. de condit. et dem. L. 21. D. de ſtatu lib.*	—	—	—
CAP. VIII. de bonis ereptitiis. CELS. ibid.	LIB. XIIII. *L. 9. D. de his, quae vt indign.*	LIB. XIIII. ex quo nullae deſumtae leges.	—	—	—	§. 12.

CAP.

CAP. LEG.	VLPIAN. LIB. XIIII.	TER. CLEM. LIB. XV.	CAIVS LIB. XIII.	PAVLL. LIB. V.	MAVRIC. LIB. II.	IVSTIN.
CAP. VIIII. de bonis vacantibus. CELS. ibid.	—	L. 16. D. *de opt. legat.* L. 59. *D. de legat.* 2.	L. 14. D. *de ſuis et legit. hered.*	—	—	—
CAP. X. de fraudibus aduerſus hanc legem commiſſis. CELS. ibid.	LIB. XV. L. 21. D. *de vſu et vſufr. leg.* L. 37. *D. de mort. cauſſa donat.*	LIB. XVI. L. 82. D. *de adqu. vel omitt. her.*	—	LIB. VI. L. 35. D. *de mort. cauſſ. donat.* L. 1. D. *de condict. cauſſ. dat. cauſſ. non ſequut.* L. 20. D. *de liberat. leg.* L. 29. D. *de legat.* 1. L. 65 D. *ad leg. Falc.* L. 140. D. *de verb. ſignif.* L. 89. D. *de legat.* 3. L. 142. D *de verb. ſignif.*	—	—
CAP. XI. de iure adcreſcendi. CELS. ibid. *L. 80. D. de leg.* 3.	LIB. XVI. (et XVII. ex quo nulla lex exſtat.]	LIB. XVII. L. 17. D. *de opt. legat.*	LIB. XIII. L. 58. D. *de legat.* 2. L. 53. D. *de adquir. vel omitt. her.*		—	§. 10. *ſequ.*
CAP. XII. de tranſmiſſione legatorum. CELS. ibid.	L. 60. D. *de legat.* 2.	—	L. 56. D. *de legat.* 2.	L. 24. D. *quando dies legat. ced.*	—	§. 13.
CAP. XIII. de tacitis fideicommiſſis. CELS. LIB. XXXIV. L. 29. D. *de leg.* 2.	LIB. XVIII. *L. 6. D. de iur. et facti ignor.* L. 83. D. *de adquir. hered.*	LIB. XVIII. L. 1. D. *de adempt. libert.* L. 5. D. *de operis ſerv.*	LIB. XV. L. 10. D. *de his, quae vt indign.*	LIB. VII. L. 90. D. *de legat.* 3.	—	—
CAP. XIIII. de praemiis delatorum. CELS. ibid.	*L. 16. D. de iure fiſci.*	—	—	L. 13. D. *de iure fiſci.*	LIB. III. L. 15. D. *de iure fiſci.*	—
CAP. XV. de oneribus fiſci. CELS. ibid.	L. 66. D. *ad leg. Falc.* L. 61. D. *ad legat.* 2.	—	—	L. 60. D. *de condit. et demonſtr.* L. 21. D. *de vſu et vſufr. leg.* L. 7 D. *ſi cui plus, quam per leg. Falc.*	Ex reliquis nihil exſtat.	

Hoc

Hoc nixi fundamento, poſteriorem quoque legis Papiae Poppaeae partem facile reſtituere, et in priſtinum redigere ordinem licebit. Quod eadem methodo, qua primo libro in priore legis parte vſi ſumus, praeſtare pro virili conabimur.

(*) CAP. LEG. XXXXV. vel CADVCAR. I. (a Gothofr. omiſſum.)
De aditione hereditatis, et quando dies legatorum cedat.

(*a*) HEreditatem (*b*), ſi plures ſint coheredes extranei (*c*), tabulis teſtamenti apertis, demum adire liceto (*d*), neque ante dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, cedito.

[*] Primum hoc fuiſſe legis caducariae caput, teſtis eſt Iuſtinianus, dum in L. *vn.* §. 1. C. *de caduc. toll. materiam atque* EXORDIVM *caducorum legem Papiam ab aditionibus, quae circa defunctorum hereditates procedebant, ſumſiſſe*, ſcribit.

(a) Hanc ſententiam capitis ſuggerunt IVSTIN. *d.* L. *vn.* §. 1. C. *de caduc. toll.* et VLPIAN. *Fragm. tit.* XXIIII. §. 31.

(b) Heres enim ex aſſe ſtatim adire poterat. CVIAC. *Obſ. Lib.* VI. *cap.* 37. Conf. L. 3. C. *de iure delib.* et L. 1. §. 4. D. *eod.* An vero pro parte adire poteſt, qui ex aſſe ſcriptus eſt heres? Vid. PAVLL. *Lib.* V. L. 80. D. *de adqu. vel omitt. hered.*

(c) Puta, ſi teſtamentum fuerit ſcriptum. Quid ſi nuncupatiuum? Vid. PAVLL. *Lib.* V. L. 20. D. *de iur. codicill.*

(d) SCtis hanc capitis partem tribuit IVSTINIANVS L. *vn.* §. 1. C. *de caduc. tollend.* Ipſi legi contra VLPIANVS *Fragm. tit.* XXIIII. §. 31.

CAP. XXXXVI. vel II. (Gothofr. XXVIIII.)
De iis, quibus caduca iure antiquo deferuntur.

(*a*) SI quis (*b*), teſtamento facto decedit, iſque (*c*) liberos ſuos parenteſue vſque ad tertium gradum (*d*) heredes habebit, ſiue alios quoſcumque (*e*), qui liberos habebunt, heredes inſtituet: hi caduca (*f*) iure antiquo capiunto. (Gothofredus: *ſi quae hereditas, ſi quod legatum poſt H. L. caducum erit, heredibus amplius ne defertor, extra quam, ſi quis teſtamento facto decedat, iſque liberos ſuos heredes parenteſue habebit. Liberi namque parenteſue vſque ad tertium gradum heredes inſtituti, quod quis ex eo teſtamento non capiet, capiunto. Item, ſi alii quicumque heredes inſtituti liberos habebunt, caducum ex eo teſtamento iure antiquo capiunto.*)

(a) Sententiam huius capitis ſuppeditant VLPIAN. *Fragm. tit.* XVIII. et IVSTINIANVS in L. *vn. pr.* C. *de caduc. toll.*

(b) Ad ſucceſſiones enim inteſtatorum leges caducariae non pertinent. PAVLL. *Sent. recept. Lib.* IIII. *tit.* 8. §. 26.

(c) Non ergo caduca liberi iure antiquo capiebant ex teſtamento materno, quia matri non erant liberi ſui: nec ex teſtamento auiae, ob eamdem rationem. CAIVS *Lib.* X. L. 13. D. *de ſuis et legit. hered.*

(d) Exheres enim filius nihil capit, praeterquam quod ei obuenit ex bonis libertorum, ſi pater teſtamento cauit, vt ius in libertos ſaluum ei eſſet. TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 40. D. *de bon. libert.* et L. 10. D. *de adſign. libert.*

(e) Extraneos quoque caduca iure antiquo cepiſſe, ſi liberos haberent, patet ex IVVENAL. *Sat.* VI. *v.* 87. et VLPIAN. *Fragm. tit.* XXV. §. 17. Liberos vero habet, etiam cui vnicus eſt. CAIVS *Lib.* X. L. 149. D. *de verb. ſignif.* Rationem reddit CELS. *Lib.* XXXIII. L. 19. D. *de legib.* Immo et is huius beneficii erat capax, cui princeps ius liberorum dederat, quamuis non haberet liberos. Quid vero ſi princeps id tamquam viuenti conceſſerat ei, qui iam mortuus fuerat? Vide CELS. *Lib.* XXXIII. L. 191. D. *de reg. iur.*

(f) Ita vocatur ius, quod ante legem Papiam Poppaeam obtinuit, de quo VLP. *tit.* I. §. 19. *tit.* XVII. §. 2. *tit.* XVIII. L. 29. D. *de legat.* 2. L. *vn. pr.* C. *de caduc. toll.*

Digitized by Google

CAP. XXXXVII. vel III. (Gothofred. xxx.)

De his, quae pro non ſcriptis habentur.

(a) QVae (Gothofr. *Item ea quae*) (b) ab initio deficient, vel in quibus teſtator poſtea (c) mutauerit voluntatem; ea pro non ſcriptis habentor, eaque ii, a quibus relicta ſunt, iure antiquo capiunto. (Gothofr. *ab initio deficient, et pro non ſcripto inutiliaue erunt, vel in quibus teſtator voluntatem ſuam poſtea mutauerit, ii, a quibus* cet.)

(a) Ita huius capitis ſententiam deſcribit IVSTINIANVS L. *vn.* §. 2. 3. C. *de caduc. toll.*

(b) Veluti iis relicta, qui tempore conditi teſtamenti in rebus humanis non erant, vel qui tum captiui ab hoſtibus detenti, ibi deceſſerant. VLP. *Lib.* XIII. L. 4. D. *de his, quae pro non ſcript.* Item, quae relicta fuerant per captatoriam inſtitutionem. PAVLL. *Lib.* V. L. 71. *D. de hered. inſt.*

(c) Veluti ſi ſpeciem nouam ex re legata fecerit, eaque ad priorem ſpeciem reduci nequeat, PAVLL. *Lib.* V. L. 88. *D. de legat.* 3. vel ſi legata liberatione debitorem poſtea liberarit, vel ab eo ſibi ſatisfieri paſſus ſit. TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 21. *D. de liberat. leg.* Item ſi legatum diſertis verbis ademerit, non, ſi transtulerit in alium. PAVLL. *Lib.* V. L. 6. D. *de adim. legat.*

CAP. XXXXVIII. vel IIII. (Gethofr. xxx.)

De cauſſa caduci.

(a) SI quicumque (b) hominum heres legatariuſue, viuo teſtatore, poſt teſtamentum conditum decedet (c), conditione deficiet, relictum IN CAVSSA CADVCI eſto, et (d) populo quaſi caducum defertor. (Gothofredus: *ſuperioribus perſonis et cauſſis ceſſantibus, cuicumque homini priuato delata hereditas legatumue ex ſequentibus cauſſis caducum caducaue erit, populo defertor. Si viuo teſtatore, poſt teſtamentum conditum, heres legatariuſue viuo teſtatore* cet.)

(a) L. *vn.* §. 2. *et* §. 4. C. *de caduc. toll.*

(b) Homo, ſiue mas, ſiue femina. CAIVS *Lib.* I. L. 152. *D. de verb. ſignif.* Nec excipitur auguſta, niſi eam lege ſoluat princeps, qui et ipſe lege ſolutus. VLP. *Lib.* XIII. L. 31. *D. de legib.* Quamuis eo iure non gauderent auguſtarum coheredes et collegatarii. MAVRICIAN. *Lib.* II. L. 57. *D. de legat.* 2.

(c) Veluti ſi heres legatariuſue ante conditionis euentum deceſſerit, vel ſeruus poenae factus ſit, VLP. *Lib.* XXIII. L. 59. *D. de condit. et dem.* vel aliam paſſus ſit capitis diminutionem, MAVRIC. *Lib.* II. L. 23. D. *de vſufr. legat.* Quid ſi plures conditiones adſcriptae? CELS. *Lib.* XXXIIII. L. 27. D. *de legat.* 2.

(d) Poſtea fiſco vel principi ex conſtitutione Antonini Caracallae. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 2.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXXVIIII. vel V. (Gothofr. xxx.)

De caducis ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas decedentem.

(a) Siue heres (b) pro parte, legatariuſue, quibus pure vel in certum diem hereditas legatumue relictum erit, poſt mortem teſtatoris (c), ante apertas tabulas teſtamenti (d), decedet, vel (e) pereger fiet, ea hereditatis (f) pars legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.

(a) Hoc caput ita fere extulit IVSTINIANVS. *L. vn.* §. 2. *C. de caduc. toll.* et ante eum VLP. *Fragm. tit.* XVII.

(b) Heres enim ex aſſe ſi deficeret, hereditas non indicebat in caſum, ſed res ad cauſſam inteſtati redibat. *L.* 80. *D. de adqu. hered.* Quid ſi ſeruus communis plurium dominorum, ſolus inſtitutus? Vid. PAVLL. *Lib.* v. *L.* 68. *D. eod.*

(c) Hinc tam ſollicite de aperiendis tabulis diſputat VLP. *Lib.* XIII. *L.* 10 et *L.* 12. *D. teſtam. quemadm. aper.* et CAIVS *Lib.* XI. *L.* 11. *D. eod.* Ab eo enim tempore dies legatorum cedebat, excepto legato vſufructus, cuius dies ab adita hereditate cedit, non autem aliarum ſeruitutum praedialium. VLP. *Lib.* XIII. *L.* 7. *D. de ſeruit.*

(d) An vero, adita iam hereditate, ſubſtitutionem ad heredes ſuos trasfert? VLP. *Lib.* XIII. *L.* 81. *D. de adquir. vel omitt. her.*

(e) VLPIAN. *Fragm. tit.* XVII. §. 1.

(f) Dummodo id exſtet. Quid ſi perierit? Quid ſi legata teſſera frumentaria, vel res commercio heredis exemta? Vid. PAVLL. *Lib.* v. *L.* 49. *D. de legat.* 2. Ceterum fiſcus caduca haec occupat cum onere. PAVLL. *ibid.* et CAI. *Lib.* XI. *L.* 14. *D. de iur. fiſci.*

CAP. L. vel VI. (Gothofr. xxx.)

De caducis, ob heredis vel legatarii incapacitatem.

Siue (a) caelibi, vel (b) alteri cuiuis, plus, quam ex h. l. licebit, relictum erit, et id (c) caducum eſto, populoque vindicator.

(a) Huc pertinent fragmenta TER. CLEM. *Lib.* XIII. L. 54. *D. de legat.* 2. VLP. *Lib.* XIII. L. 64. *D. ad leg. Falc.* Niſi intra centum dies legi paruerit. Neque enim ad nouas leges pertinebat regula Catoniana: *L.* 5. *D. de reg. Cat.* eoque referendum fragmentum CELSI, *Lib.* XXXV. *L.* 1. *D. eod.*

(b) Cuicumque incapaci; qualis etiam libertus Latinus, niſi intra centum dies iura Quiritium conſequatur. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. Atqui haec non ex lege Papia Poppaea, ſed ex Iunia Norbana ſunt. Id quidem verum eſt, ſed poſteriores leges ad priores pertinent, niſi ſint contrariae. PAVLL. *Lib.* v. *L.* 28. *D. de legib.* Seruo inſtituto hereditario, capacitas non aeſtimatur ex perſona defuncti, nec ex perſona heredis futuri, et hinc hereditatem hic ſine vllo impedimento adquirit. CAI. *Lib.* XII. *L.* 55. *D. de legat.* 2.

(c) Quid ſi iam heres legatariuſue uſuceperit? PAVLL. *Lib.* v. *L.* 4. *D. pro her.* Quid ſi hereditas non ſit ſoluendo? Tunc fiſco praefertur et incapax, quia nihil capit, ſed creditores bona vendunt, exceptis tamen ſtatuis. PAVLL. *Lib.* v. *L.* 29. *D. de reb. auct. iud. poſſ.* An vero eo caſu creditores, venditis bonis, manumittere poſſunt? CAI. *Lib.* XII. *L.* 18. *D. de manumiſſ.*

Digitized by Google

CAP. LI. vel VII. (Gothofr. xxxi.)

De caducis ob heredem vel legatarium ante euentum conditionis decedentem.

SIue heres legatariuſue poſt mortem teſtatorum (*a*), ante euentum (*b*) conditionis, deficiat, hereditas legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.

[a] Dies enim legati conditionalis vel in diem incertum relicti a tempore exſiſtentis conditionis cedit. *L. vn.* §. 7. C. *de caduc. toll.* Eo pertinent fragmenta CAII *Lib.* XIII. *L.* 69. *D. de condit. et demonſtr. L.* 31. *D. de ſtatu. lib.*

[b] Si quis ſub conditione heredem inſtituit, eique ſubſtituit, an et ſubſtitutus ſub conditione inſtitutus cenſetur? CAII *Lib.* XIII. *L.* 73. *D. de her. inſt.*

CAP. LII. vel VIII. (Gothofr. xxxi.)

De bonis ereptitiis.

(*a*) QVae hereditas, quodue legatum (*b*), tamquam indigno erepta ereptumue erit, illa illudue (*c*) populo defertor. (Gothofr. *Si velut indigno hereditas legatumue ereptum erit, populo vindicator.*)

[a] Suppeditat hanc capitis ſententiam *L. vn.* §. 12. *C. de caduc. toll.*

[b] Plures cauſſae, propter quas hereditas ceu indignis eripitur, explicantur ſingulari titulo Pandectarum. Indigni ſunt etiam, qui teſtatori maledixerunt, vel ei mouerunt controuerſiam ſtatus. VLP. *Lib.* XIIII. L. 9. *D. de his, quae vt indign.*

(c) Aliquando tamen erepta indignis manebant apud heredes. VLP. *Fragm. tit.* XVIIII. §. 16. IVSTINIAN. L. *vn.* §. 12. *C. de caduc. toll.*

CAP. LIII. vel VIIII. (Gothofr. xxxii.)

De bonis vacantibus.

(*a*) SI (*b*) ante aditam hereditatem (*c*), agnitumue legatum, per damnationem, ſinendi modo, vel per praeceptionem relictum, (Gothofr. *has ſpecies omittit*) heres legatariuſue decedat, (Gothofr. addit: *hereditas, legatumue ceu vacantia populo vindicantor. Item ſi*) ſiue heres legatariuſue (*d*) ius ſuum omittat repudietue: hereditas legatumue, ceu vacantia, populo vindicantor, neue heredibus, (Gothofred. addit *eorum*) deferuntor.

(a) De hoc capite vid. *L. vn.* §. 5. *C. de caduc. toll.*

(b) Nam non adita hereditas non tranſmittitur, niſi heredes ſint ſui. CAI. *Lib.* XIII. L. 14. *D. de ſuis et legit. hered.*

(c) Differentia fuit inter varia legatorum genera. Inprimis excipiebatur legatum vindicationis. Quo pertinet fragmentum TER. CLEM. *Lib.* XV. L. 16. *D. de opt. leg.*

[d] Ita VLPIAN. *Fragm. tit.* XXIIII. §. 12. *tit.* I. §. 19. *tit.* XXVIII. §. 7. Eodem pertinet fragmentum TER. CLEM. *Lib.* XV. L. 59. *D. de legat.* 2.

CAP.

CAP. LIIII. vel x. (Gothofr. xxxiii.)
De fraudibus aduerſus H. L. commiſſis.

NE quis (*a*) in fraudem H. L. quo magis caduca et ereptitia (Gothofredus omittit *ereptitia*,) is, qui capere non poteſt, capiat, quidquam admittere velit.

(a) Multa in fraudem legis excogitata fuerant: veluti mortis cauſſa donationes. VLP. *Lib.* xv. *L.* 37. *D. de mort. cauſſ. donat.* PAVLL. *Lib.* vi. *L.* 35. *D. eod. et* L. 12. *D. de condict. cauſſ. dat. cauſſ. non ſequut.* Inſtitutiones filiorum familias, per quos partes adquirerent. PAVLL. *Lib.* vi. *L.* 140. *D. de verb. ſign.* Inſtitutio ſerui, a domino incapace ante aditionem manumittendi. TER. CLEM. *Lib.* xvi. *L.* 82. *D. de adquir. vel omitt. her.* Pecunia credita incapaci, eidemque legata liberatio. PAVLL. *Lib.* vi. *L.* 29. *D. de lib. leg.* Debitum legatum cum aliquo emolumento. PAVLL. *Lib.* vi. 29. *D. de legat.* 1. Vſufructus tamquam reditus perpetuus relictus. VLP. *Lib.* xv. *L.* 22. *D. de vſufr. legat.* Non autem fraudibus accenſebantur ſubſtitutiones, de quibus IVSTINIANVS *L. vn. pr. C. de caduc toll.* nec legatum ſub ea conditione relictum, cuius meminit. PAVLL. *Lib.* v. *L.* 65. *D. ad leg. Falc.*

CAP. LV. vel xi. (Gothofr. xxxiiii.)
De iure adcreſcendi.

(*a*) ANte apertas tabulas aditamque hereditatem, inter coniunctos heredes legatarioſue (*b*), ius adcreſcendi in iis, quae (*c*) caduca vel in cauſſa caduci ſunt (*d*), excepto vſufructu legato, ne eſto. (Gothofred. *Inter coniunctos heredes legatarioſue ius adcreſcendi ne eſto.*)

(a) VLPIAN. *tit.* xxiiii. §. 13.

(b) Ad ea, quae pro non ſcriptis habita, hoc caput non pertinuit, ſed ad caduca et quaſi caduca, in quibus quum quaedam perſonae fiſco praeferrentur: (vid. caput legis 46.) in iis quomodo obtineat ius adcreſcendi, accurate docent PAVLL. *Lib.* vi. *L.* 89. *D. de leg.* 3. *L.* 142. *D. de verb. ſignif.* CAII *Lib.* xiii. *L.* 58. *D. de legat.* 2. TER. CLEM. *Lib.* xvii. *L.* 17. *D. de opt. leg.* CELS. *Lib.* xxxv. *L.* 80. *D. de leg.* 3.

(c) Non itaque, quae adita iam hereditate deficiebant. CAI. *Lib.* xiiii. *L.* 53. *D. de adqu. vel omitt. hered.*

(d) *L.* 1. *pr. D. de vſufr. accreſc.*

CAP. LVI. vel xii. (Gothofr. omiſit.)
De transmiſſione legatorum.

(*a*) LEgatum pure aut in diem certum per vindicationem relictum (*b*), poſt apertas tabulas; reliqua, non niſi agnita; conditionalia denique, poſt conditionis euentum (*c*), ad heredes traſmittuntor.

(a) Sententiam capitis ſuppeditat IVSTINIANVS *L. vn.* §. 13. *C. de caduc. toll.*

(b) Hinc ſi a filio herede legatum fuit Seio, fideique eius commiſſum, ſub conditione, vt Titio reſtituat, et pendente conditione Titius deceſſit: fideicommiſſum ad Titii heredem non tranſmittitur, nec apud filium, ſed apud Seium manet. VLP. *Lib.* xvi. *L.* 60. *D. de legat.* 2. Si vel penus legata vel fundus, vel, ſi heres non dederit, decem, legatariuſue poſtquam interpellauit heredem, deceſſit: legatarii heres non penum vel fundum, ſed decem petere poteſt. PAVLL. *Lib.* vi. *L.* 24. *D. quando dies leg. ced.*

(c) Quod tamen principi relictum, qui, antequam dies legati cedat, hominibus ereptus eſt, ex conſtitutione Antonini ſucceſſori debetur. CAIVS *Lib.* xiii. *L.* 56. *D. de legat.* 2.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LVII. vel XIII. (Gothofr. XXXV.)
De tacitis fideicommiſſis.

SI qui heres legatariuſue in faudem H. L. a teſtatore tacite (*a*) rogatus ſit, ei reſtituere (*b*), qui per H. L. capere prohibetur, iſque (*c*) ſciens (*d*), dolo malo, tacitam fidem teſtatori adcommodauerit (*e*), hereditate legatoue ſibi relicto priuator, eaque populo vindicantor.

(a) Sive chirographum eo nomine dederit, ſiue nuda pollicitatione repromiſerit. CAI. *Lib.* XV. *L.* 10. *D. de legat.* 3.

(b) Qui incapax eſt tempore conditi teſtamenti. Quid ſi poſtea capere non poſſe inciperet? Tunc fideicommiſſum apud eum manebat, a quo fuerat relictum CAI. *Lib.* XV. *L.* 10. *D. de his, quae vt indign.* Inter incapaces autem non eſt concubina. CELS. *Lib.* XXXVI. *L.* 29. *D. de legat.* 2.

(c) Quis ſciens? VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 6. *D. de iur. et facti ignor.*

(d) Dolus non imputabatur filio familias, qui iuſſu patris tacitam fidem accommodauerat. CAI *Lib.* XV. *L.* 10. §. *vlt. D. de his, quae vt indign.*

(e) Etiam libertatis legatum perimebatur. TER. CLEM. *Lib.* XVIII. *L.* 1. *D. de ademt. libert. L.* 5. *D. de oper. ſeruor.* Heres fiduciarius amittebat ius accreſcendi. VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 83. *D. de adquir. vel omitt. hered.* Partem tamen ex conſtitutione D. Traiani auferebat, qui ſe ipſe detulerat. PAVLL. *Lib.* VII. *L.* 13. *D. de iure fiſci.*

CAP. LVIII. vel XIIII. (Gothofr. XXXVI.)
De praemiis delatorum.

(*a*) SI quis incapaci relictum ad aerarium detulerit, et conuincerit, is praemii nomine ---- (*b*) partem bonorum conſequitor.

[a] Delatores praemiis inducti. TACIT. *Annal. Lib.* III. *cap.* 19. MAVRICIAN. *Lib.* III. *Lib.* 15. *D. de iure fiſci.* Si ipſi incapaces ſe deferebant, ipſi pars bonorum relinquebatur ex conſtitutione Traiani. VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 16. *et* PAVLL. *Lib.* VII. *L.* 13. *D. de iure fiſci.*

[b] Quotam partem acceperint, ignoratur. Neronem vero id praemium ad quartam reduxiſſe, auctor eſt SVETON. *Neron. cap.* 10.

CAP. LVIIII. vel XV. (Gothofr. XXXVII.)
De oneribus fiſci.

CAduca, non niſi (*a*) deducto aere alieno (*b*), iiſque conditionibus, et oneribus, quibus relicta erunt, populo adquiruntor. (Gothofredus: *ſupradictis tamen caſibus omnibus, bona caduca, deducto aere alieno* cet.)

[a] Ita VLPIAN. *Lib.* XVIII. *L.* 66. *D. ad leg. Falcid.*

[b] Eo pertinent fragmenta VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 61. *D. de legat.* 2. PAVLL. *Lib.* VII. *L.* 60. *D. de cond. et dem. L.* 21. *D. de vſu et vſufr. leg. L.* 7. *D. ſi cui plus, quam per leg. Falc.* Conferatur *L.* 96. §. 1. *D. de legat.* 2.

Et de his quidem capitibus ſingulis iam ſeorſum acturi, id operam dabimus, vt, ſi qua paullo obſcuriora videbuntur, ea in luce, quantum fieri poteſt, clariſſima collocemus.

C A P V T II.

AD CAPVT LEG. CADVC. PRIMVM,

DE ADITIONE HEREDITATIS, ET QVANDO DIES LEGATORVM CEDAT.

I. *Caput hoc, a* Iac. Gothofredo *omiſſum, primum fuiſſe demonſtratur. An SCto ad hanc legem facto cautum, vt dies legatorum ab apertis tabulis cederet? Caput ipſum reſtitutum.* II. *Olim tabulae ſine ſollemnitate apertae ab ipſis propinquis et heredibus. Sollennitas poſtea obſeruata. Lex Iulia viceſimaria hanc ſollemnitatem inuexit. Dies denicales. Cretionis ſollemnitas. Heres ex aſſe ſcriptus et ante apertas tabulas recte adibat.* L. 80. D. de adqu. vel omitt. her. *explicata. Nec apertione opus in teſtamento nuncupatiuo.* III. *Quando olim dies legatorum ceſſerit? Regula Catoniana. Quid lege Papia Poppaea immutatum?* IIII. *An tempore Vlpiani id ius immutatum? Eius veſtigia in Pandectis notata. Primus hoc caput abrogauit Iuſtinianus. Ius nouum.*

I. M*ateriam atque* exordivm *caducorum*, inquit Ivstinianvs (a), *lex Papia ab* aditionibvs, *quae circa defunctorum hereditates procedebant, ſumſit, et ideo non a morte teſtatoris, ſed ab apertura tabularum dies cedere legatorum, SCta, quae circa legem Papiam introducta ſunt, cenſuerunt, vt, quod in medio deficiat, hoc caducum fiat.* Ex his vero Imperatoris verbis colligimus, primum hoc fuiſſe legis Papiae Poppaeae caput, eoque cautum eſſe, vt ante apertas tabulas nec hereditatem adire liceret, nec dies legatorum cederet. Quamuis enim poſteriorem capitis articulum neſcio quibus SCtis tribuat Iuſtinianus, neque ego dubitem, quin ſubtile iſtud ius de ceſſione diei legatorum SCtis quamplurimis explicatum illuſtratumque fuerit: ipſum tamen iſtud principium, quod dies legatorum a tabulis demum apertis cedat, per vniuerſam legem caducariam regnat, vt dubitare vix liceat, quin illud ipſa inuexerit lex Papia Poppaea. Saltim id adfirmat Vlpianvs (b), qui, quum SCta circa leges facta alias diligentiſſime notare ſoleat, de ceſſione tamen diei legatorum diſerte ſcribit: *legatorum, quae pure vel in diem certam relicta ſunt, dies cedit, antiquo quidem iure, ex mortis teſtatoris tempore, per* legem *autem* Papiam Poppaeam *ex apertis tabulis teſtamenti.*

Quae quum ita ſint, Vlpiani ſequutus auctoritatem, tale fuiſſe arbitror caput legis caducariae primum:

> *Hereditatem, ſi plures ſint coheredes extranei, tabulis teſtamenti apertis demum adire liceto, neque ante dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, cedito.*

II.

[a] *L. vn. §. 1. C. de caduc. toll.*

[b] *Fragm. tit.* XXIIII. *§. 31.*

II. Hereditatem, inquit lex tabvlis demvm apertis adire liceto. Iure antiquo heredes et propinqui ipſi ſtatim, et quandocumque liberet, inſpiciebant teſtamentum, et cognita teſtatoris voluntate, vel ea iam antea comperta, hereditatem adibant vel repudiabant, neque vlla hic opus erat ſollemnitate, nulla iudicis opera, niſi forte lis quaedam circa tabularum *γνησιότητα*, vel ipſam ſupremam teſtatoris voluntatem incideret. Aſt lege Iulia viceſimaria, quam paullo ante legem Papiam Poppaeam latam diximus, ſollemnis tabulas aperiendi ritus inualuit, quo non obſeruato, nulla videbatur hereditatis aditio. Aperiendae erant tabulae ſtatim: et ita iuſſerat lex viceſimaria (*a*): neque tamen prius, quam de morte teſtatoris certo conſtaret (*b*). Secretum enim eſſe oportebat ſupremum viui teſtatoris iudicium, neque quidquam maiorem inuidiam conflauit prudentiſſimo principi, Auguſto, quam quod viui Antonii teſtamentum, quod is Romae de Cleopatrae liberis inter heredes nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curaſſet (*c*): quod factum Plvtarchvs *ἀλλόκοτον καὶ δεινὸν*; Dio Cassivs *ἔργον παρανομώτατον* haud abs re vocat, quippe poena legis Corneliae de falſis (*d*) dignum, ſi a priuato fuiſſet admiſſum. Quum autem ea, quae ſtatim vel illico fieri dicuntur, aliquot dierum laxamentum admittere ſoleant: receptum fuerat, vt tabulae aperirentur die tertio vel quinto inter praeſentes, abſentibus iis, quorum intererat, intra eoſdem dies, poſtquam ſuperuenerant (*e*). Sed merito quaeritur, a quo temporis momento illi tres vel quinque dies continui numerati ſint? Ex mea ſententia, computari non potuerunt a die mortis, ſed a tempore, quo iuſta facta fuerant teſtatori, id eſt, a die decimo, qui mortem teſtatoris ſequebatur. Septem enim dies cadauer domi deplorabatur, octavo efferebatur ad rogum, nono colligebantur tumuloque condebantur reliquiae: decimo luſtrabatur familia. Vnde hi dies dicti denicales, de quibus Festvs (*f*): denicales *feriae colebantur, quum hominis mortui cauſſa familia purgabatur. Graeci enim νέκυν mortuum dicunt*. Intra hos dies nihil auſpicato agebat familia. Excuſabat funeris familiaris cura militem, etiam ſacramento adactum, vt die conſtituto ſine fraude ſua abeſſet (*g*). Excuſabat reum, vt ſine fraude ſua vadimonium defereret, nec cautionibus iudicio ſiſtendi cauſſa factis obtemperaret (*h*). Immo ne priuati quidem negotii quidquam ſuſcipi potuiſſe intra hos dies, vel inde colligas, quod ne mulos quidem per dies denicales iungi patiatur Colvmella (*i*). Quare non inepte quidam ſuſpicantur (*l*), Ivstinianvm (*m*), dum intra nouem dies heredem a creditoribus vrgeri vetuit, ad hos ipſos dies denicales reſpexiſſe, quia et inter Chriſtianos cura funeris facile nouem dies abſumeret, quamuis luſtratio familiae, quae die decimo fieri ſolebat, cum ipſa religione obſoleuiſſet. Quis ergo crediderit, coactos fuiſſe per hos dies heredes de aperiendis tabulis cogitare? Quare hos dies tres vel quinque,

intra

(a) PAVLL. *Recept. Sent. Lib.* IIII. *tit.* 6. §. 3.

(b) *L.* 13. §. 1. *L.* 32. *D. de adqu. vel omitt. her.*

(c) SVET. *Aug. cap.* 17.

(d) *L.* 1. *D. ad L. Corn. de falſ. L.* 38. *D. de poen.*

(e) PAVLL. *ibid.*

(f) *Voce.* denicales.

(g) GELL. *Lib.* XVI. *cap.* 4.

(h) *L.* 4. §. 2. *D. ſi quis caut. iud. ſiſt.*

(i) *De Re ruſt. Lib.* II. *cap.* 22.

(l) MYNSING. *ad* §. 8. *inſt. de R. D.*

(m) *Nou.* CXV. *cap.* 1. §. 3.

intra quos aperiendae erant tabulae, demum ab exactis diebus denicalibus computatos eſſe, vero videtur ſimillimum.

Hos intra dies tres vel quinque primo omnium tabulae offerendae erant magiſtratui competenti (*a*). Niſi enim, vt oportebat, eſſent oblatae, heres ſcriptus in poſſeſſionem mitti fruſtra deſiderabat (*b*). Deinde praetor, coactis ſignatoribus, agnitis ſignis, rupto lino, (ita enim tabulas innolui ſignarique Nero, teſte SVETONIO (*c*), iuſſerat,) aperiebat tabulas, recitandasque curabat, et facta deſcribendi copia, exemplar authenticum, ſigno publico notatum, in archiuo reponi iubebat, vt, ſi quando exemplum intercidiſſet, eſſet, vnde peteretur (*d*). Si ſignatores quidam abeſſent: tabulae ad eos mittebantur, vt ſigna agnoſcerent, ne ſuo incommodo ſe ad locum hereditatis iacentis conferre, officiumque ſibi damnoſum praeſtare tenerentur (*e*). Sin plures vel omnes abeſſent: praeſentibus optimae opinionis viris, tabulas aperiebat praetor, factoque inſtrumento, deſcripto et recognito, eas ad abſentes mittebat (*f*). Id quod etiam in municipiis, coloniis, oppidis, praefecturis, vicis, caſtellis et conciliabulis erat obſeruandum, vbi in foro vel baſilica, praeſentibus teſtibus vel honeſtis viris tabulae debebant recitari, exemploque ſublato ab iiſdem rurſus magiſtratibus, quibus praeſentibus aperta fuerant, obſignari, et quidem inter horam diei ſecundam et decimam (*g*), quia hora diei tertia, vti ex MARTIALE (*h*) obſeruat V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (*i*) forum feruere incipiebat.

Tabulis ita ſollemniter apertis, tum demum HEREDITATEM ADIRE LICEBAT. Et quidem ſine cretione inſtituto Praetor plerumque dabat tempus ad deliberandum, dierum ſaltim centum, intra quod aut adeunda, aut repudianda erat hereditas (*l*). Cum cretione inſtitutus, intra dies cretionis ab herede finitos, qui modo ſexaginta (*m*), modo centum erant (*n*), cretionis verba ſollemnia recitare et adire tenebatur, excludendus ab hereditate, niſi rite creuiſſet. Dies hi vtiles erant, ſi heres inſtitutus eſſet cum cretione vulgari, id eſt, cum formula: IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS POTERISQVE, CERNITO. Omiſſis his verbis cretio dicebatur continua, et tunc illi quoque dies computabantur, quibus quis ignoraſſet, ſe heredem inſtitutum, vel ſciuiſſet quidem, ſed non creuiſſet (*o*). Haec omnia circa aditionem hereditatis erant obſeruanda. Quumque, nondum conceſſo beneficio inuentarii, vix credibile ſit, quemquam heredem id deliberandi ſpatium anteuertere, et citius adire hereditatem voluiſſe: facile patet, aliquot ſaltim menſes, praeſente etiam herede, potuiſſe elabi, antequam tabulis apertis hereditas adiretur.

Hac neceſſitate, poſt apertas demum tabulas abeundi, omnes obſtringebantur HEREDES EXTRANEI. Neceſſarius enim hereditatem non adeundo conſequebatur (*p*), ſed ipſo iure cogente heres erat. Multo minus dubitabatur,

(a) *L. vlt. C. de edicto D. Hadr. toll.*
(b) PAVLL. *Rec. Sent. Lib. III. tit. 5. §. 17.*
(c) *Neron. cap. 17.*
(d) PAVLL. *Lib. IIII. tit. 6. §. 1. L. 4. L. 6. D. teſt. quemadm. ap.*
(e) *L. 7. D. eod.*
(f) *L. 2. L. 7. D. eod.*
(g) PAVLL. *ibid. §. 2.*
(h) *Lib. IV. Epigr. 8.*
(i) *Iuriſp. vet. Anteiuſt. p. 403.*
(l) *L. 2. D. de iure delib.*
(m) CIC. *ad Att. Lib. XIII. Epiſt. 46.*
(n) VLP. *tit. XXII. §. 27.*
(o) *Idem ibid. §. 31. ſequ.*
(p) *L. 151. D. de verb. ſign.*

Digitized by Google

batur , quin liberi in patris ſui poteſtate conſtituti , clauſis tabulis poſſent heredes exſiſtere (*a*) , quum incertum non eſſet , illis hereditatem deberi. Ex qua Gordiani conſtitutione etiam id diſcimus , id ius obtinuiſſe tantum , si plvres eſſent cohaeredes. Ex aſſe enim ſcriptus etiam clauſis tabulis heres erat, eoque pertinet locus Pavlli (*b*): *Idem dicemus , ſi ex aſſe heres inſtitutus , non putet , ſe bonorum poſſeſſionem petere poſſe ante apertas tabulas : Quod ſi neſciat , eſſe tabulas , in facto errat* . In iure itaque errare ait heredem , qui ex aſſe ſcriptus , ſe ante apertas tabulas adire vel bonorum poſſeſſionem petere non poſſe exiſtimet. Cauſſa eius exceptionis non ea eſt , quam comminiſcitur Em. Merillivs (*c*) , quod heres certus eſſe debeat , ex qua parte , et quo modo heres ſit : (poterat enim et heres ex aſſe , purene an ſub conditione ſcriptus ſit , ignorare ;) ſed , quod vno ſcripto herede, fiſco locus non eſſet . Quum enim , vti infra dicemus , ideo hoc ius inuexerint leges Iulia et Papia Poppaea , ne , quod ante apertas tabulas deficit , coheredibus accreſceret , ſed ab aerario vel fiſco occuparetur : eo εὑρήματι ſane opus non erat , ſi vnus ex aſſe eſſet heres , quo exſtincto , nec iuri adcreſcendi nec fiſco erat locus , ſed res ad cauſſam ſucceſſionis inteſtatorum redibat (*d*) . Quare eo tantum caſu , quo plures erant ſcripti heredes extranei , aditio apertas tabulas ſequebatur , quia eo tantum caſu portio ante apertas tabulas deficiens caduca fiebat , vti recte obſeruauit Vlpianvs (*e*) .

Hinc facile intelligitur , quo pertineant bina Pavlli fragmenta , quae capiti huic primo aptanda duximus. Altero Pavllvs (*f*) quaerit , ſi quis ſolus heres ex pluribus partibus fuerit inſtitutus , an quaſdam partes poſſit omittere ? Id quod negat , adeo, vt ne quidem , ſi in quibuſdam partibus ſubſtitutum habeat , id fieri poſſe concedat . Procul dubio itaque eo loco egit de herede ex aſſe inſtituto , pro quo omnino habendus erat , qui ſolus vel in minima parte fuerat inſtitutus , quia ex iuris Romani principiis pro parte teſtatus , pro parte inteſtatus decedere nemo poterat . Porro quaerit Pavllvs (*g*) , ſi quis aliis mixtus heredibus ex pluribus partibus heres inſtitutus ſit , an adeundo vnam , omnes adquirat ? Idque adfirmat . Sed , quia hic de herede ex aſſe non erat quaeſtio , ſtatim addit : *Omnes adquiro , ſi tamen delatae ſint* . Nam heredem ſolum ſcriptum etiam non delatas partes adquirere , paullo ante vidimus : quod non procedit , ſi quis habet coheredes . Sequitur tertia quaeſtio (*h*) , ſi ſeruus noſter ex parte heres inſtitutus ſit pure , ex parte ſub conditione , dato coherede , iſque iuſſu noſtro hereditatem adierit , deinde manumiſſo eo ſeruo , alterius portionis conditio exſtiterit , an nobis ea quoque portio prima aditione cenſeatur adquiſita ? Et reſpondet Pavllvs , non nobis illam portionem adquiri , ſed liberto . Quamuis enim alioquin tabulis apertis , hereditatem vel a nobis , vel iuſſu noſtro a ſeruo noſtro adiri poſſe , expediti iuris ſit : non tamen id licet , herede ſub conditione inſtituto , qui exſiſtente demum conditione adit . Quum itaque ſeruus , antequam pars poſterior adiretur , libertatem ſic

(a) *L. 3. C. de iure deliber.*
[b] *L. 1. §. 4. D. de iur. et facti ign.*
[c] *Obſ. Lib. V. cap. 9.*
[d] VLP. *tit.* XXVI. §. 5.
[e] *Tit.* XVII. §. 1.
(f) PAVLL. *Lib.* V. *L.* 80. *D. de adquir. vel omitt. hered.*
[g] *d. L.* 80. §. 1.
(h) *d. L.* 80. §. 2.

ſit conſequutus, nobis ſane non cedit portio, quam, quum iam ſeruus noſter eſſe deſiiſſet, adquirit. *Omnia enim*, inquit PAVLLVS, *paria permanere debent in id tempus, quo alterius portionis conditio exſtet, vt adquiratur ei, cui prior pars adquiſita eſt*. Denique idem diſquirit (*a*), ſi ſeruus idem priore parte adquiſita in eadem conditione permaneat; an exſiſtente conditione noua aditione opus ſit? Quod adfirmat, *quia illud, quod dicimus, ſemel adeundum, in eiuſdem perſona locum habet, non quum per alium adquirenda eſt hereditas*. Nemo itaque non videt, totum hoc PAVLLI fragmentum referendum eſſe ad aditionem hereditatis, quam poſt apertas tabulas primum hoc caput legis PAPIAE caducariae exigebat.

Sed nec id praetermittendum eſt, quum ſollemnitas illa, in aperiendis tabulis obſeruanda, non niſi in teſtamento ſcripto locum habere potuerit, nuncupatum heredem adire potuiſſe, quandocumque liberet, vti recte obſeruauit EM. MERILLIVS (*b*). Quum vero Titius heredem palam nuncupaſſet, et legata complura in tabulis contuliſſet: quaeſtio incidebat, ſollemniterne aperiendae eſſent hae tabulae, an heres ſtatim adire poſſit? Et recte IVLIANVS negabat, TABVLAS *teſtamenti intelligi, quibus heres ſcriptus non eſſet, et magis codicillos, quam teſtamentum, exiſtimandas eſſe*. Cui Iuliani ſententiae et PAVLLVS (*c*) in libro commentariorum quinto ſuffragatur.

III. Haec de aditione hereditatis: iam ad legata progredimur, de quibus lex noſtra: NEQVE ANTE DIES LEGATORVM PVRE VEL IN DIEM CERTVM RELICTORVM CEDITO. Dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, teſte VLPIANO (*d*), iure antiquo cedebat a tempore mortis teſtatoris, idque clariſſime adparet ex regula Catoniana. Quum enim viri eruditiſſimi veluti ex compacto iſtius regulae auctorem faciant Catonem, M. Porcii Cenſorii filium natu maiorem, ante patrem in praetura defunctum, quippe quem iuris peritiſſimum fuiſſe habitum, GELLIVS (*e*) teſtatur: ex eius teſtimonio, quid ante Auguſtum obtinuerit, ſatis erit manifeſtum. Regula vero Catoniana, *quod*, SI TESTAMENTI FACTI TEMPORE DECESSISSET TESTATOR, *inutile foret, id quandocumque deceſſerit, non valere*, definiuit (*f*). Si vero iam eo tempore dies legatorum ab apertis tabulis ceſſiſſet, fruſtra ſane Cato monuiſſet, fingendum eſſe, teſtatorem tempore facti teſtamenti deceſſiſſe. Atque inde eſt, quod cum VLPIANO (*g*) agnoſcunt omnes, regulam Catonianam ad leges nouas, ex quibus dies legatorum ad apertis demum tabulis cedit, non pertinere.

Ita dies legatorum, iure antiquo, id eſt, ante legem Papiam Poppaeam, a morte teſtatoris ceſſit. Quid vero lex noſtra? NEC ANTEA, quam tabulae apertae ſollemniter, DIES LEGATORVM, PVRE VEL IN DIEM CERTVM RELICTORVM, CEDITO. Hinc legatarius, ante apertas tabulas exſtinctus, vel capite minutus, vel alio modo incapax factus, nec ad heredes tranſmittebat legatum, nec illud legatariis, quocumque modo coniunctis, adcreſcebat, ſed, vti infra adparebit, tanquam caducum a fiſco occupabatur. Id autem tantum ad legata PVRE VEL IN DIEM CERTVM RELICTA pertine-

(a) *d. L. 80. §. vlt.*
(b) *Obſ. Lib. V. cap. 9.*
(c) PAVLL. *Lib. V.* L. 20. C. *de iure codicill.*
(d) *Fragm. tit.* XXIIII. §. 31.
(e) *Lib.* XIII. *cap.* 18.
(f) L. 31. *D. de regul. Caton.*
(g) *L. vlt. D. eod.*

tinebat. Eorum enim, quae ſub conditione relinquebantur, dies cedebat a momento, quo conditio extitiſſet (*a*). Vnde nec antea quidquam tranſmittebatur, niſi vel ea eſſet conditio, quam Praetor remitteret (*b*), vel per legatarium non ſtaret, quo minus impleretur (*c*). Idem iuris erat, ſi quid in diem incertum relinqueretur. Dies enim incertus facit conditionem (*d*), adeoque nec dies cedit, ante quam dies adiecta extiterit (*e*).

IIII. Tale fuit legis Iuliae caducariae principium. Ex quo quae conſectaria elicuerint veteres, paullo poſt erit dicendi locus. Iam id monemus, ius antiquum luculenta illa de caducis tollendis conſtitutione in vſum reuocaſſe IVSTINIANVM (*f*). Equidem vir doctiſſimus, FR. HOTOMANVS (*g*), multo prius, ipſiſque VLPIANI temporibus, repudiatam eſſe cenſet hanc legis caducariae regulam, idque colligit ex verbis ipſius IVSTINIANI, *ipſis quoque olim prudentibus legem Papiam diſplicuiſſe, multaſque ideo inuentas* VIAS, *ne caducum fieret*. Inter has enim vias et eam fuiſse exiſtimat, quod iureconſulti diem legatorum a morte teſtatoris cedere voluerint. Sed fallitur procul dubio vir inſignis. Viae enim illae, quibus legem caducariam eludere ſolebant veteres, ad ſubſtitutiones pertinent. Vlpiani autem tempore omnino adhuc ab apertis tabulis diem legatorum ceſſiſſe, ex aliquot eius locis (*h*) manifeſtum eſt. Immo et in fragmentis IVLIANI (*i*), AFRICANI (*l*) et PAVLLI (*m*), quae Tribonianus, iuris noui immemor, in pandectis exſtare paſſus eſt, expreſſiſſima iſtius iuris veſtigia adparent, vt dubitari nequeat, quin iſtud ex lege caducaria principium quam diutiſſime, et ad IVSTINIANI vſque tempora viguerit, neque prius eo vſque dies legatorum ceſſerit, quam ab apertis tabulis.

Aſt primus, vt dixi, finem ei iuri attulit IVSTINIANVS, qui in laudata conſtitutione, *Primum hoc*, inquit, *corrigentes, et antiquum ſtatum renouantes, ſancimus, omnes habere licentiam*, A MORTE TESTATORIS *adire hereditatem, ſimilique modo legatorum vel fideicommiſſorum, pure vel in diem certam relictorum, diem* A MORTE TESTATORIS *cedere*. Quamuis vero ea conſtitutio edita ſit, Iuſtiniano A. IV. et Paullino v. c. Coſſ. anno erae Chriſtianae 534, id eſt, ſequente poſt confirmationem digeſtorum: iam antea tamen de ea edenda cogitaſſe Imperatorem, vel inde patet, quod Tribonianus eiuſque *συνεργοὶ* pleraque veterum fragmenta ad legis Iuliae caducariae principium attemperata, ita immutarunt, vt iam vbique fere in pandectis ius antiquum a Iuſtiniano reuocatum, regnare videatur. Quod TRIBONIANI emblema iam v. c. IO. IAC. WISSENBACHIVS (*n*) recte notauit.

Itaque hodie ſtatim hereditatem iure adeunt heredes ſcripti, nec opus eſt apertione tabularum ſollemni. Sed et legati pure et indiem certum relicti dies ſtatim a morte teſtatoris cedit, adeo, vt ſi poſt mortem huius deceſſerit legatarius, legatum vel fideicommiſſum etiam ignorans ad heredes

(a) VLP. *tit.* XXIIII. §. 31. *L.* 5. §. 2. *D. quando dies leg.*
(b) L. 5. §. 3. *eod.*
(c) *d. L.* 5. §. 5. *eod. L.* 161. *D. de* R. I.
(d) *L.* 75. *D. de cond. et demonſtr.*
(e) *L.* 21. *L.* 22. *D. quando dies leg.*
(f) *L. vn.* §. 1. *C. de caduc. toll.*
(g) *De reg. Caton. p.* 57.
(h) *Fragm. tit.* XXXI. L. 3. §. 4. *de her. inſt.*
(i) *L.* 42. *D. eod.*
(l) L. 31. *D. de condit. et demonſtr.*
(m) *L.* 104. *D. de cond. et demonſt. L.* 44. *D. de donat. mort. cauſſ.*
(n) *Emblem. Tribon. Part. D. v. p.* 110.

des ſuos traſmittat (*a*). Paucorum tamen legatorum dies hodienum non quidem ab apertis tabulis, ſed a tempore aditae hereditatis cedit, veluti legatum libertatis (*b*), ſeruitutumque perſonalium, vt vſusfructus, vſus, habitationis (*c*). Id quod tamen non ex lege Papia, ſed ex ipſa horum legatorum natura arceſſendum eſt. Quum enim nec libertatis, nec ſeruitutis perſonalis legatum ad heredes traſmittatur: nihil etiam rationis fuit, cur leges huiuſmodi legatorum diem a mortis tempore cedere iuberent. Quamobrem et IVSTINIANVS (*d*), quamuis ſublata lege caducaria ius antiquum reuocarit, haec tamen legata nominatim excepit. Non autem excepit legatum optionis. Quamuis enim nec ius optandi olim ad heredes tranſmitteretur (*e*), et hinc eius quoque legati dies non a morte teſtatoris, ſed ab adita hereditate cederet (*f*): ex quo tamen conſtitutione ſua ſanxit IVSTINIANVS (*g*), vt, ſi legatarius viuus non optaſſet, eius heredi id facere liceret: procul dubio et eius legati dies hodie ab ipſa teſtatoris morte cedit.

(a) *L. 5. pr. et §. 1. D. quando dies leg.*
[b] *L. 8. D. eod.*
(c) *L. vn. §. 2. D. quando dies vſusfr. leg. ced.*
(d) *L. vn. §. 6. C. de caduc. toll.*
(e) *§. 23. Inſt. de legat.*
(f) *L. 16. D. de opt. vel elect. leg.*
(g) *L. vlt. C. commun. leg. et fideic.*

CAPVT III.

AD CAPVT LEGIS SECVNDVM.

DE IIS, QVIBVS CADVCA DEFERVNTVR.

I. *Caducum quid? Non omnia caduca fiſco cedebant. Capitis ſecundi ſententia.* II. *Leges caducariae non pertinuerunt ad hereditates legitimas. Caduca capiebant heredes ſui, et parentes ad tertium gradum. An etiam exheredati? Nec* FISCVS *praeferebatur iis, qui liberos habebant. Quid ſit caducum capere?* III. *Ius nouum.*

I. CADVCA VLPIANVS (*a*) et ISIDORVS (*b*) ita dicta exiſtimant, *quod eius heredes ceciderint*. Magis tamen *γραμματικῶς* id vocabulum inde deriuandum videtur, quod hereditas legatumue per leges non ſubſiſtant, ſed cadant. Quemadmodum enim et alias *caduca glans* (*c*) et *oliua* (*d*) dicitur, quae cecidit, et *aqua caduca*, quae ex caſtello vel fiſtula cadit (*e*): ita *caducae hereditates* ſunt, quae deficiunt, et, vti CONSTANTINVS M. (*f*) loquitur, *in caſum* CADVNT.

Quare non ſatis accurate gloſſae Graeco Latinae apud BRISSONIVM caducum definiunt, *τὸ χωρῶν εἰς τὸν φίσκον*, *quod in fiſcum migrat*. Nam primo et antequam lex caducaria eiuſmodi bona aerario vel fiſco vindicaret, fuere

(a) *Fragm. tit.* XVII. *§ 1.*
(b) *Orig. Lib. V. cap. 25.*
(c) *L. 30. D. de verb. ſign.*
(d) COLVMELL. *Lib.* XII. *cap. 49.*
(e) FRONTIN. *de aquaeduct. Lib. II.*
[f] *L. pen. C. de delator.*

Digitized by Google

ad hunc locum diſputat TER. CLEMENS (*a*). Si enim pater decedens, inſtitutis liberis omnibus, vni eorum libertum ſub conditione vel in diem adſignaſſet: interim pendente die vel conditione omnia perinde obſeruabantur, ac ſi adſignatus non eſſet, itaque mortuo liberto interim ad omnes hereditas et bonorum poſſeſſio pertinebat. Sin libertus vni pure, alteri ſub conditione fuerat adſignatus, is, cui pure adſignatus, pendente conditione, ſolus patroni ius habebat (*b*). Denique ſi pater Caio inſtituto ſoli adſignaſſet libertum, Maeuioque exheredato cauiſſet, *vt ei ius in libertum ſaluum eſſet*: eodem iudice TER. CLEMENTE (*c*), *nihil ei ad hanc rem nocebat exheredatio*. Ita enim cautum fuerat SCto Velleiano de adſignandis libertis, vt ſi ex liberis is, cui libertus fuerat adſignatus, in ciuitate eſſe desiiſſet, neque ei liberi vlli eſſent, ceteris eius, liberis, qui manumiſerat, perinde omnia iura ſeruarentur, AC SI NIHIL EO DE LIBERTO EAVE LIBERTA IS PARENS SIGNIFICASSET (*d*).

Haec de liberis ſuis. Eodem beneficio per hanc legem gaudebant PARENTES VSQVE AD TERTIVM GRADVM. Hinc ſi quis patri, matri, auo, auiae, proauo vel proauiae inſtituto inſtitutaeue coheredem dediſſet, huiuſque portio aliqua caduca fieret, ea adcreſcebat adſcendentibus inſtitutis, iique aeque ac liberti fiſco vel aerario anteferebantur. In eo itaque melior erat parentum, quam liberorum conditio, quod quum hi non niſi in poteſtate teſtatoris conſtituti caduca caperent: illi etiamſi deſcendentes in poteſtate non haberent, caducorum tamen ex eorum teſtamentis fierent participes.

Tertio eo beneficio gaudebant ALII QVICVMQVE, QVI LIBEROS HABEBANT, HEREDES INSTITVTI. Quamuis enim eorum non meminerit VLPIANVS (*e*), vbi ex inſtituto *de iis, qui ius antiquum in caducis habeant*, agit: plura tamen ibi reſecauit Aniani manus. Sed alia eius rei argumenta ſuppetunt, ex quibus id acute demonſtrauit IAC. GOTHOFREDVS (*f*). Primo enim alio loco ſcribit VLPIANVS (*g*): *Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodauerit: non poteſt* CADVCVM *vindicare ex eo teſtamento*, SI LIBEROS HABEAT: vbi ſane non eſt, quod cum IAC. CVIACIO reponamus: *ſi ex liberis exſiſtat*. Commodus enim eſt ICti ſenſus, ob fraudem legi caducariae factam, heredem fiduciarium amittere ius vindicandi caduca, quod alias ob liberorum numerum haberet. Deinde idem liquet ex IVVENALIS Satyra ſaepe laudata (*h*), vbi adulter:

- - - - *Propter me*, inquit, *ſcriberis heres*,
Legatum omne capis, nec non et DVLCE CADVCVM,
Commoda praeterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, ſi tres impleuero.

Ex quibus verbis ſimul diſcimus, ſuffeciſſe ad hoc ius obtinendum vel vnum vnamue filium filiamue ſuperſtitem. Idque lucem inſignem adfundit fragmento CAII (*i*), qui ad locum hunc ſcripſit: *Nam quem ſine liberis eſſe dicere non poſſumus, hunc neceſſe eſt dicamus* LIBEROS HABERE. Senſus enim eſt, vel ideo vnum vnamue ſufficere ad capiendum caducum, quod is, cui

(a) TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 10. *pr.* D. *de adſign. lib.*
(b) *d. L.* 10. §. 1.
(c) TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 40. D. *de bon. libert.*
(d) L. 1. L. *vlt.* D. *de adſ. lib.*
(e) *Fragm. tit. XVIII.* §. 1.
(f) *Ad Leg. Pap. Popp. cap.* 39.
(g) *Fragm. tit. XXV.* §. 17.
(h) *Sat. VIIII. v.* 87.
(i) CAI. *Lib.* X. L. 149. D. *de verb. ſign.*

Digitized by Google

is, cui filius filiaue eſt, non dicatur ſine liberis eſſe : is vero, qui ſine liberis non ſit, omnino liberos habere dicendus ſit. Et ſane, quum lex caducaria exoſa eſſet : non abs re monuerat CELSVS (a), *in ambigua eius voce eam potius accipiendam eſſe ſignificationem, quae vitio careat, praeſertim quum etiam voluntas legis ex hoc intelligi poſſit*. Ex quo etiam collegiſſe videntur veteres, eum quoque iure antiquo capere poſſe caduca, qui ius liberorum a principe impetrarit. Eoque refero legem eiuſdem CELSI (b), cuius ſpecies obſcuriſſima ſemper viſa eſt: *Neratius conſultus, an quod beneficium dare ſe quaſi viuenti Caeſar reſcripſerat, iam defuncto dediſſe aeſtimaretur? reſpondit, non videri ſibi Principem, quod ei, quem viuere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe: quem tamen modum eſſe beneficii ſui vellet, ipſius aeſtimationem eſſe*. Vir ſummus, IAC. GOTHOFREDVS (c), recte vidit periocham hanc ad legem Papiam Poppaeam pertinere, quam Celſus libris Digeſtorum XXX. et ſex ſequentibus illuſtrarit. Sed quum dubius haereat, quodnam libri XXXIII. argumentum, et vtrum iſte ad legem de maritandis ordinibus, an ad legem caducariam pertinuerit: duplicem effingit ſpeciem. Prior eſt, quod princeps alicui nuptias contra hanc legem indulſerit quaſi viuenti: poſterior, quod princeps alicui quaſi viuenti conceſſerit ius teſtandi contra hanc legem. Vtroque enim caſu, mortuo interea eo, cui Princeps id beneficium dederit, quaeri potuiſſe, an id et iam defuncto dediſſe aeſtimaretur? Carpit ideo Gothofredum I. B. D'ANTOINE (d), ſed argumentis leuiſſimis, et valde dilutis. Nam et legem Papiam in his capitibus tum iam abrogatam fuiſſe, et Principem potius leges tueri, quam quidquam contra eas indulgere debuiſſe, vrget. Quorum prius manifeſto falſum: poſterius ridiculum eſt, quum ipſa lex, vt ſupra vidimus, quaedam contra legem a Senatu, et poſtea a Principe, indulgeri permiſerit. Maneat itaque, quod recte ſcripſit IAC. GOTHOFREDVS, ſpeciem hic ponendam eſſe, quae pertineat ad Legem Iul. et Papiam. Sed quum commodius ea referri poſſit ad Legem caducariam, quam ad partem priorem de maritandis ordinibus, ſiquidem hic de effectu beneficii principis poſt mortem eius, qui illud impetrauerat, manente quaeritur: ſpeciem ita fingo. Titius orbus aditurus hereditatem opimam, praeuidebat, eam pro dimidia a fiſco occupatum iri, tanquam caducam. Petiit itaque a Principe ius liberorum, quod a Traiano, ſub quo Neratius Priſcus vixit, ſaepe fuiſſe datum, vel ex PLINII epiſtolis liquet. Interea, adita hereditate, ad plures abit Titius, eoque mortuo demum ſequitur principis reſcriptum, quo ei ius liberorum indulgetur. Quaeſtio itaque nata eſt, vtrum id beneficium et mortuo datum cenſeatur, adeoque pars caduca, quam Titius, ſi viueret, iure antiquo cepiſſet, ad eius heredes tranſmiſſa ſit, an ea ab aerario vel fiſco poſſit vindicari? Reſpondit Neratius ab heredibus conſultus, *non videri ſibi principem, quod ei quem viuere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe*. Quumque ratio huius interpretationis ſit coniectura et praeſumtio de Principis mente et voluntate, quod non videatur ille mortuo ius liberorum dare voluiſſe, eius vero voluntatis ſuae interpres optimus ipſe Princeps eſſe poſſit (e): recte addit Neratius: *Quem modum eſſe*

(a) CELS. *Lib.* XXXIII. L. 19. D. *de* LL.
(b) IBID. L. 191. D. *de verb. ſign.*
(c) *Comm. ad Reg. Iur. pag.* 748.
(d) *Dans les regles du Droit civil. regl.* 191.
(e) L. 43. *pr. D. de vulg. et pupill. ſubſt.*

eſſe vellet beneficii ſui, *ipſius aeſtimationem eſſe* Principis. Ita ego hanc legem capio, nec quidquam in ſpecie noſtra eſſe arbitror, quod vel ordini fragmentorum CELSI, vbi eius argumento, de quo hoc libro egit, aduerſetur.

Superſunt verba: II CADVCA IVRE ANTIQVO CAPIVNTO. Caduca ergo ita capiebant hae perſonae, vt fiſco anteferrentur, ſiue portio coheredis deficeret, ſiue legatarii. Generatim enim VLPIANVS (a): *Vi heredibus illis inſtitutis*, QVOD QVIS EX TESTAMENTO NON CAPIT, *ad hos pertineat, aut totum, aut ex parte, prout pertinere poſſet*. Totum nimirum adcreſcebat, ſi ſolus eſſet coheres, vel collegatarius coniunctus: ex parte, ſi plures eſſent, ſiue heredes ſiue collegatarii, quibus poſſet adcreſcere. Quid vero ſi Titio, teſtatoris auo, Maeuio, extraneo et orbo, et Sempronio inſtitutis, huius portio deficeret? Ea ſane adcreſcere debebat vtrique pro parte dimidia. Sed quia Maeuius non erat inter perſonas, quae ius antiquum in caducis habebant: dimidia illa non Titio, ſed aerario vel fiſco cedebat. Et id ſibi volunt verba Vlpiani: *prout pertinere poſſet*. Hae autem perſonae non ſolum aerario, vel fiſco praeferebantur, verum etiam in eo melioris, quam fiſcus, erant conditionis, quod quum in hunc caduca cum onere tranſirent, adeoque is et legata praeſtaret, alioquin ab eo, cuius partem occupauerat, praeſtanda: perſonae contra illae non omnes eo onere premerentur. Sane de liberis diſerte ſcribit CELSVS (b): *ſi filio heredi pars eius, a quo nominatim legatum eſt, adcreſcit*, NON PRAESTABIT LEGATVM, *quod* (id eſt, quia) *iure antiquo capit*. Quale quid et IVLIANVS (c) habet, ad cuius verba tamen notat VLPIANVS, alio iure nos vti poſt conſtitutionem Seueri et Antonini, cuius mentio fit in L. 74. D. de legat. 1.

III. Immo ipſum hoc ſecundum legis caducariae caput non quidem antiquarum, ſed minus neceſſarium factum eſt, lata conſtitutione IVSTINIANI de tollendis caducis. Poſtquam enim ille ius adcreſcendi reuocauit in vſum, caduca non ſolum his perſonis, ſed aliis quibuſcumque coheredibus et coniunctis, etiam extraneis et orbis delata ſunt, iiſdemque etiamnum deferuntur.

(a) *Fragm. tit. XVIII. §. 1.*
(b) *L. 29. §. vlt. D. de leg. 2.*
(c) *L. 61. §. 1. D. de legat. 2.*

CAPVT IIII.

AD CAP. LEGIS TERTIVM.

DE HIS, QVAE PRO NON SCRIPTIS HABENTVR.

I. *LEx caducaria de diuerſorum generum bonis egit. Alia pro non ſcriptis habita, alia in cauſſa caduci, alia caduca, alia ereptitia, alia vacantia. Capitis noſtri ſententia. II. Quae dicantur ab initio deficere. Legata relicta codicillis teſtamento non confirmatis. Legata denotan-*

di cauſſa relicta. Captatoriae inſtitutiones. Mutata teſtatoris voluntas. Pro non ſcriptis habita apud heredes manebant. Locus Plinii explicatus:

I. HAec de perſonis, quibus ius antiquum circa caduca ſeruauerat lex Papia Poppaea: iam de ipſis bonis, de quibus lex eadem egit, diſſerendum. Horum quinque genera ſunt. Quae enim ab initio deficiebant, pro NON SCRIPTIS habebantur: quae a tempore conditi teſtamenti ante mortem teſtatoris; IN CAVSSA CADVCI erant: quae poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas, CADVCA: quae tanquam indignis auferebantur, EREPTITIA: et denique vbi heres vel legatarius plane deerat, ea VACANTIA dicebantur.

De ſingulis ordine egit lex caducaria, et capite quidem tertio, ceu ex VLPIANI (*a*), TER. CLEMENTIS (*b*) et PAVLLI (*c*) fragmentis adparet, de iis, quae pro non ſcriptis habentur. Quid vero de his lege noſtra cautum ſit, accurate expreſſit IVSTINIANVS (*d*) cuius fide hoc exſtruimus caput tertium:

> *Quae ab initio deficiunt, vel in quibus teſtator poſtea mutauerit voluntatem, ea pro non ſcriptis habentor, eaque ii, a quibus relicta ſunt, iure antiquo capiunto.*

II. Pro non ſcriptis itaque ſunt, QVAE AB INITIO DEFICIVNT, id eſt, iis legata, quorum in perſonis ab initio non conſiſtunt. Talia primo ſunt, quae quis ſibi ipſe, vel ei, quem in poteſtate habet, adſcripſit (*e*). Tantum enim abeſt, vt haec praeſtare cogatur is, a quo relicta ſunt, vt legatarius iſte falſi reus ſit ex SCto Liboniano (*f*), niſi de iuſſu teſtatoris ex eius ſubnotatione conſtet (*g*). Deinde et ea deficere ab initio cenſentur, quae tam ſunt obſcura, vt intelligi nullo modo poſſint. *Quae enim non intelliguntur, quid ſignificent, ea*, teſte ALFENO VARO (*h*), *perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent*. Et eo colore vſum arbitror Tiberium, dum Galbae legata, a Liuia relicta, praeſtare renuit. HS enim quingenties quum praecipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma, herede Tiberio legatum ad quingenta reuocante, ne haec quidem accepit, teſte SVETONIO (*i*). Inde enim patet, paullo obſcurius notatam fuiſſe ſummam, et quum incertum videretur, vtrum de quingenties HS, an de quingentis ſenſerit teſtatrix, Tiberium id initio de minore ſumma interpretatum, poſtea autem id legatum tamquam obſcurum habuiſſe pro non ſcripto, et ſibi retinuiſſe. Multo magis itaque pro non ſcriptis ſunt, quae inter ſe pugnant, veluti ſi contraria legatario vel heredi iniunxerit teſtator, ſiquidem eo caſu neutrum ratum eſt (*l*).

Eadem porro erat conditio legatorum, relictorum iis, qui iam eo tempore non erant in rebus humanis, vti ad hoc caput noſtrum VLPIANVS (*m*) notauit. Quumque et capitis deminutio maxima et media inſtar mortis

(a) VLP. *Lib. XIII. L. 4. D. de his, quae pro non ſcript.*

(b) TER. CLEM. *Lib. XII. L. 28. D. de liberat. legat.*

(c) PAVLL. *Lib. V. L. 71. D. de her. inſt. L. 88. D. de leg. 3. L. 6. de adim. vel tranſf. leg.*

(d) *L. vn. §. 2. 3. C. de caduc. toll.*

(e) *L. 1. L. vlt. D. de his quae pro non ſcript.*

(f) *L. 1. §. 7. L. 6. L. 14. et ſequ. ad L. Corn. de falſ.*

(g) *L. 14. pr. L. 15. §. 1. eod.*

(h) *L. 2. D. de his quae pro non ſcript.*

(i) *Galb. cap. 5.*

(l) *L. 188. D. de Reg. iur.*

(m) VLP. *Lib. XIII. L. 4. pr. D. de his quae pro non ſcript.*

tis ſit: etiam, quod his relictum fuerat, pro non ſcripto habebatur, veluti quod relictum erat ei, *qui tunc in hoſtium poteſtate erat, quum teſtamentum fieret, quique ab hoſtibus non redierat*, quamuis poſt teſtatorem deceſſiſſet. Ita enim IVLIANVM ſenſiſſe, idem teſtatur VLPIANVS (*a*). Putares, id, tanquam quaſi caducum vel caducum, potius a fiſco occupandum eſſe, quia incapaci fuerit relictum. Sed conſultiſſima huius deciſionis ratio eſt. Ex lege enim Cornelia, qui in captiuitate moritur, eo momento, quo captus eſt, deceſſiſſe fingebatur, adeoque perinde erat, ac ſi ab initio legatum iſtud defeciſſet.

Sed et illa pro non ſcriptis erant, quae in eam cauſſam peruenerant, vnde incipere non poſſent: veluti ſi quid legatum eſſet ſeruo alieno, eumque poſtea teſtator redemiſſet (*b*). Ita enim legatum per hunc ſeruum adquiſiuiſſet ipſe heres, quod abſonum eſt. Quae incapacibus erant deſtinata, ea palam relicta pro non ſcriptis erant (*c*), clam data a fiſco eripiebantur, tamquam indignis (*d*). Praeterea pro non ſcriptis erant iure antiquo, quae relinquebantur codicillis teſtamento non confirmatis. Diſerte enim PLINIVS (*e*): *Tu quidem pro cetera tua diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me ex parte inſtituit heredem, pro non ſcriptis habendos, quia non ſint* CONFIRMATI TESTAMENTO. *Quod ius ne mihi quidem ignotum eſt, quum ſit iis etiam notum, qui nihil aliud ſciunt*. Quod et PAPINIANVS (*f*) confirmat. Sed ei iuri poſtea eatenus derogatum conſtitutione Seueri et Antonini, vt codicilli etiam teſtamento non confirmati rati ſint, dum appareat, teſtatorem a voluntate, quam in codicillis expreſſerat, in teſtamento ſubſequuto non receſſiſſe (*g*).

Non autem rata ſunt legata turpia, et *quae* DENOTANDI *magis legatarii gratia ſcribuntur*. Ea enim pro non ſcriptis odio ſcribentis haberi, ait POMPONIVS (*h*). *Denotare* idem eſſe, ac notare infamia, egregie probauit V. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK (*i*), eique notioni egregie quadrat exemplum PAVLLI (*l*): *ſi barbaro vel ſeruali habitu proceſſeris, do lego*. Turpe enim ac prope infame viſum eſſe Romanis, exuta toga, Graecum pallium, nedum habitum barbaricum ſumere, vel e TERTVLLIANI libello de pallio ſatis adparet.

Denique et captatorias inſtitutiones pro non ſcriptis eſſe habitas, ſatis conſtat: quamuis id ius non e lege Papia Poppaea, ſed ex SCto eſſe, referant PAPINIANVS (*m*) et PAVLLVS (*n*), ex cuius loco vir ſummus, IVSTVS LIPSIVS, perperam colligit, legem noſtram SCtum fuiſſe. Erant vero captatoriae inſtitutiones definiente PAPINIANO (*o*), *non, quae mutuis affectionibus iudicia prouocabant*, veluti, ſi qui me honorauit, eum ego in teſtamento meo heredem inſtituam, *ſed quarum conditio conferebatur ad ſecretum alienae voluntatis*. Quae verba egregie interpretatus vir ſummus, CORN. VAN BYNKERSHOEK (*p*), illas inſtitutiones omnes captatorias dictas

 eſſe

(a) IBID. *d.* L. 4. §. 1. *eod.*
(b) *L.* 3. §. 2. *D. eod.*
(c) *d. L.* 3. *pr. eod.*
(d) L. 10. L. 13. D. *de his, quae vt indign.*
(e) *Lib.* II. *Ep.* 16.
(f) L. 5. D. *de iure codicill.*
(g) §. 1. *Inſt. de codic.*
(h) L. 54. *pr.* D. *de leg.* 1.
(i) *Obſ. Lib.* I. *Cap.* 2. *p.* 16.
(l) *Rec. Sent. Lib.* III. *tit.* 4. §. 11.
(m) L. 70. D. *de her. inſtit.*
(n) PAVLL. *Lib. V.* L. 71. D. *eod.*
(o) *d.* L. 70. *eod.*
(p) *De captat. inſtit. Cap.* 4. *ſeqq.*

Digitized by Google

eſſe docet, quae eo conſilio factae, vt et alteri extorqueretur pars hereditatis. Vnde perinde erat, ſiue quis captionem in ipſum teſtatorem dirigeret, veluti: QVA EX PARTE TITIVS ME HEREDEM SCRIPTVM IN TABVLIS SVIS RECITAVERIT, EX EA PARTE HERES ESTO (*a*), ſiue in perſonam tertii, veluti: TITIVS SI MAEVIVM TABVLIS TESTAMENTI SVI HEREDEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERITQVE, HERES ESTO (*b*): vel, quas formulas vir, quem laudaui, illuſtris (*c*) adiungit: TITIVS, SI ME TABVLIS TESTAMENTI SVI HEREDEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERITQVE, MAEVIVS HERES ESTO. Item: QVA EX PARTE TITIVS SEMPRONIVM HEREDEM SCRIPSERIT, EX EA PARTE MIHI MAEVIVS HERES ESTO. Omnes iſtae captatoriae inſtitutiones aeque, ac legata captatoria, (nam et haec non valuiſſe, CAIVS (*d*) teſtatur,) pro non ſcriptis habebantur ex SCto paullo ante laudato. Atque inde facile intelligitur, cur PAVLLVS (*e*) ad hoc caput tam accurate diſputet de inſtitutionibus captatoriis. Primo enim quaerit, an captatoria ſit inſtitutio, ſi quis ita heredem ſcripſerit: *qua ex parte Titius me heredem inſtituit, ex ea parte Maeuius heres eſto?* idque negat; *quia in praeteritum, non in futurum, inſtitutio conſeratur*. Iam ſupra autem vidimus, non videri captare, qui eum, a quo honoratus ſit, remunerandi cauſſa heredem inſtituat. Deinde pergit: *Sed illud quaeri poteſt, an idem ſeruandum ſit, quod ſenatus cenſuit, etiamſi in aliam perſonam captionem direxerit, veluti ſi ſcripſerit:* TITIVS SI MAEVIVM HEREDEM TABVLIS TESTAMENTI SVI HEREDEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERITQVE, HERES ESTO? Et reſpondet: *Id in ſententiam SCti incidere, non eſt dubium*. Perinde enim eſſe diximus, ſiue in ipſum teſtatorem, ſiue in tertium captio directa eſſet. Dubia, quae hic morari lectorem poſſent, iam a viro laudatiſſimo ſublata ſunt.

Haec omnia pro non ſcriptis habentur, quia ab initio deficiunt. Sed eiuſdem generis ea etiam erant, IN QVIBVS TESTATOR VOLVNTATEM SVAM POSTEA MVTAVERAT. Ea voluntatis mutatio vel in translatione vel in ademtione legati antea relicti conſiſtit. De translatione accurate ad hoc caput diſputat PAVLLVS (*f*), vbi eam quatuor modis fieri docet, *aut a perſona in perſonam*, vt, ſi Titio legetur, quod Maeuio fuerat relictum: *aut ab eo, qui dare iuſſus erat, vt alius det, veluti*: FVNDVM, QVEM SEMPRONIO A MAEVIO LEGAVI, TITIVS DARE DAMNAS ESTO: *aut quum res pro re datur, vt pro fundo decem aurei: aut quum, quod pure legatum transfertur ſub conditione*, vt: STICHVM QVEM TITIAE LEGAVI, TVM HABETO, SI NVPSERIT. In omnibus his prius legatum adimitur, *quia nouiſſima voluntas ſeruatur*. Ita PAVLLVS diſtinguit, vt doceret, an legatum quocumque modo tralatum pro non ſcripto habeatur? Reſponſio non difficilis videtur. Pro non ſcripto habetur legatum prius, quia

(a) L. 1. D. de his quae pro non ſcript.
(b) L. 71. pr. D. de her. inſtit.
(c) BYNKERSH. ibid. cap. 7.
(d) L. 64. D. de legat. 1.
(e) PAVLL. *Lib. V. d.* L. 71. D. de her. inſt.
(f) PAVLL. *Lib. V.* L. 6. pr. D. de adim. vel transf. leg.

Digitized by Google

quia id, vti diximus, ademtum videtur. Hinc, *ſi id quod a Titio dederam, Maeuio dem, quamuis eſſe ſoleant duo einſdem rei debitores, tamen verum eſt, hoc caſu ademtum eſſe legatum, quaſi dixerim, ne Titius det* (*a*). Ex quo conſequitur, vt quod de Titio antea praeceperam, pro non ſcripto habeatur. Ita et, *ſi pro ſundo decem legentur, verius eſt, prius legatum ademtum*, adeoque eatenus pro non ſcripto eſſe (*b*). Aſt non ſemper legatum huiuſmodi pro non ſcripto erat eo ſenſu, vt penes heredem maneret. Nam ſi ſcripſerim: *fundum quem Titio legaueram, Maeuio do lego*, nihil manet apud heredem, quamuis priori legatum ademtum ſit. Nec fundus apud heredem manet, ſi eum primum Titio pure, ac poſtea ſub conditione legauerim, eaque conditio exſtiterit. Si autem centum, quos a Sempronio legaueram, poſtea legem a Iauoleno, centum penes Sempronium manent, idemque contingit, ſi pro fundo decem legem, ſiquidem et tunc fundum retinet heres. Haec eſt mens PAVLLI, dum de translatione legatorum agit.

Nec dubium eſt, quin et ademto legato intelligatur mutata voluntas: ſiue ipſo iure, ſiue per modum exceptionis; ſiue verbis expreſſis, ſiue tacite ademtum dicatur. Et poſtremum hunc adimendi modum exemplis quam plurimis illuſtrant iureconſulti. Nam ſi rem legatam teſtator deſtruxerit (*c*), vel ſi eamdem in aliam formam mutauerit, ita, vt ad priorem ſpeciem reduci nequeat, nullum dubium eſt, quin mutata ſit teſtatoris voluntas, eoque pertinet PAVLLI (*d*) noſtri fragmentum, quo *lana legata, veſtem inde confectam; materia legata, nauem armariumue ex ea factum; naue denique legata, eaque diſſoluta, materiam* aliamue nouam *nauem deberi* negat. Ea enim omnia ita comparata ſunt, vt ad priſtinam ſpeciem reduci nequeant, quum contra, *maſſa legata, ſcyphi inde facti recte et iure exigantur*, quia facile ſoluuntur in maſſam priprem. Eadem ademtio inde colligitur, ſi teſtator rem legatam, nulla vrgente neceſſitate, diſtraxerit (*e*), vel ſi nomen, quod legauerat, exegerit (*f*), vel ſi aedes, quas Titio legauerat, eidem viuus coemerit, et quae ſunt alia huius generis facta: qualia complura et TER. CLEMENS (*g*) ad hoc caput recenſet. Nam ſi mille, quos mihi debebat Titius, vel ipſi, vel Sempronio legauerim, aſt eoſdem poſtea vel a Titio ſolutos acceperim, vel ei acceptos tulerim: legatum prius pro non ſcripto erit, quia mutaſſe videor voluntatem. Ex quo porro infert TERENTIVS: *Vnde* IVLIANO *placuit, et ſi debitori heres exſtiterit creditor, poſteaque ipſe creditor deceſſerit, legatum exſtingui: et hoc verum eſt, quia confuſione perinde exſtinguitur obligatio, ac ſolutione*. Hinc ſi Titius debitori ſuo Sempronio legauerit liberationem, Sempronius autem Titium heredem inſtituerit, iſque etiam mortuo Sempronio hereditatem adierit: ſtatim perimitur obligatio per confuſionem. Quid ſi ergo et Titius deceſſerit: an tunc vtile erit legatum liberationis, quod in teſtamento eius extat? Minime; quia confuſione et haec obligatio pridem exſtincta eſt. Similis eſt tertia ſpecies a TERENTIO expoſita. Titius legauerat Sempronio liberationem, ſub conditione, ſi nauis ex Aſia rediiſſet. Heres id legatum

(a) IBID. §. 1.
(b) IBID. §. 2.
(c) L. 65. §. 2. D. *de legat.* 1.
(d) PAVLL. *Lib. V.* L. 88. D. *de legat.* 3.
(e) §. 12. *Inſt. de legat.*
(f) §. 21. *eod.*
(g) TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 26. D. *de liber. legat.*

Digitized by Google

gatum Sempronio interuertere cupiens, debitum exigit. Expuncto nomine, nauis redit ex Aſia: exſtinctumne cenſebitur legatum? Negat id TERENTIVS, *quia in arbitrio heredis eſſe non debeat, vt quandoque conditione exſiſtente, neque ipſi legatario debeatur legatum, ſi tum viuat, et capere poſſit, neque ei, ad quem hoc commodum peruenerit, ſi legatarius capere non poſſit*. Senſus eſt, abſurdum eſſe, conditionem ab herede occupari, eoque effici, vt exſiſtente conditione nec legatarius legatum capiat, nec ad eum perueniat id commodum, ad quem peruenire debeat, ſi legatarius capere non poſſit. Aſt quis ille ad quem tunc iſtud commodum deberet peruenire? Reſpondet gloſſa: *ſi legatum relictum alii ſub hac conditione, ſi legatarius capere non poſſit: vel dic forſan, coniuncto vel ſubſtituto*. Immo tu potius intellige fiſcum vel aerarium, cui legata incapacibus relicta cedebant. Abſurdum enim eſſe ait ICtus, in arbitrio heredis eſſe, vel legatario interuertere legatum, vel fiſco, cui id vindicaretur, ſi legatarius eſſet incapax.

Et de his quidem omnibus lex noſtra cauit, vt PRO NON SCRIPTIS HABERENTVR, quae verba ita interpretatur IVLIANVS (*a*), quod *perinde habeantur, ac ſi inſerta teſtamento non fuiſſent*. Quemadmodum ergo legatum, ſi teſtamento inſertum non eſſet, apud eum, a quo relictum fuerat, permaneret: ita et pro non ſcriptis habita non occupantur ab aerario vel fiſco, ſed EA ILLI, A QVIBVS RELICTA SVNT, IVRE ANTIQVO RETINENT. Et inde eſt quod PLINIVS (*b*) codicillos Aciliani, teſtamento non confirmatos, et pro non ſcriptis habendos ſeruaturus, eam etiam conſilii ſui reddat rationem: *praeſertim quum* DELATORI *locus non ſit. Nam ſi verendum eſſet, ne, quod ego dediſſem*, POPVLVS *eriperet, cunctatior forte et cautior eſſe deberem. Quum vero liceat heredi donare*, QVOD IN HEREDITATE SVBSEDIT, *nihil eſt, quod obſtet illi meae legi, cui publicae leges* (caducariae) *non repugnant*. Quemadmodum deinde, ſi nihil in teſtamento de hoc legato ſcriptum fuiſſet, nec onus aliquod incubuiſſet heredi: ita inde conſequitur, vt et pro non ſcriptis habita ſine onere in hereditate ſubſideant. Pauciſſimis tamen caſibus et cum onere apud heredem remanet huiuſmodi legatum, veluti, ſi quis ſibi aliquid, quod alii reſtituere a teſtatore iuſſus erat, adſcripſerit (*c*), ſi miles legauerit, quod pro non ſcripto habetur (*d*), ſi incapaci legatus fuerit ſeruus cum onere fideicommiſſae libertatis (*e*). Fauore enim libertatis inualuit, vt et heres, apud quem ſeruus remanet, eum manumittere teneatur ex fideicommiſſo.

Et hoc quidem ius etiamnum obtinet, illudque, *quaſi antiquae beneuolentiae conſentaneum, et naturali ratione ſubnixum intactum illibatumque cuſtodire praecepit* IVSTINIANVS (*f*), *in omne aeuum*, vti ominatur, *valiturum*. Id modo obſeruandum, reuocato in vſum iure adcreſcendi, non ſemper hodie pro non ſcriptis habita apud heredes eoſue, a quibus relicta ſunt, ſubſidere, ſed his aliquando ſubſtitutum, aliquando coniunctum collegatarium praeferri.

CA-

(*a*) L. 1. D. de his, quae pro non ſcript.
(*b*) Lib. II. Epiſt. 16.
(*c*) L. 5. D. eod.
(*d*) d. L. 5. fin. D. eod.
(*e*) L. 26. §. 6. D. de fideic. lib.
(*f*) L. vn. §. 3. C. de caduc. toll.

Digitized by Google

CAPVT V.

AD CAPVT LEGIS QVARTVM, DE CAVSSA CADVCI.

I. *Caput quartum egit de bonis, quae erant* IN CAVSSA CADVCI. *Eius ſententia.* II. *Id caput omnes tenebat, praeter principem. An et Auguſta legibus ſoluta? Cauſſa quid hic ſignificet? Cauſſa teſtamenti, cauſſa pignoris, cauſſa bonorum, cauſſa caduci. In cauſſa caduci erat, quod relictum ei, qui poſt conditum teſtamentum viuo teſtatore deceſſerat. Nec non cuius conditio viuo teſtatore deficiebat. Vſus fructus repetitus.* Lex 23. D. de vſufr. leg. *vindicata et expoſita. Quae in cauſſa caduci erant, aerarium vindicabat. Poſtremis temporibus fiſcus quaſi caduca occupabat. An iam Hadriani temporibus? Emblemata Triboniani in* L. 2. D. de hered. petit. *et* L. 96. D. de legat. 1. III. *Ius nouum.*

I. HActenus de bonis, quae pro non ſcriptis habentur: proxima ſunt, quae olim IN CAVSSA CADVCI erant, de quibus capite ſequente actum eſſe vel inde patet, quod de eo iure adhuc libro XIII. diſſerit VLPIANVS (*a*) libro X. CAIVS (*b*), quum tamen inſequentibus libris tribus idem iam de caducis agat. Sententiam vero capitis nobis ſuggerit IVSTINIANVS. *L. vn.* § 4. *C. de caduc. toll.* ex qua ita illud concipimus:

Si quicumque hominum heres legatariuſue viuo teſtatore poſt teſtamentum conditum decedat, conditioue deficiat, relictum in cauſſa caduci eſto, et populo, quaſi caducum deferor.

II. Primo, vt ne quis ſe ab hac lege exemtum putaret, his verbis vſi videntur legiſlatores: SI QVICVMQVE HOMINVM HERES LEGATARIVSVE. Vocabulum enim HOMO ad hoc caput interpretatus eſt CAIVS (*c*), vt, quin illud legitimum fuerit, dubitari nequeat. Quum enim in pleriſque legibus poenalibus melior eſſet ſexus feminini, quam maſculini, conditio, ipſaque lex Papia Poppaea cum iis aliquando benignius, aliquando paullo durius egerit: ad hoc caput monendum duxit CAIVS, *hominis adpellatione tam feminam, quam maſculum contineri*. Ne quis porro et principem hominis adpellatione hic contineri putaret: eum diſerte exemit, legibuſque caducariis ſolutum fuiſſe docet VLPIANVS (*d*), dum ad hoc ipſum caput ſcribit: *Princeps legibus ſolutus eſt*. Quamuis enim in dubium vocare nolim *ἀνυπεύθυνον* principum imperium: id tamen ex hoc textu, qui de ſolis legibus caducariis agit, non probatur. Initio enim ſtatus monarchici principes multis libertatis ſimulacris deliniebant ciues, ſeque legibus omnibus, aeque ac alios ciues, teneri fingebant. Si tamen ſua intereſſe putarent, legi non parere, facile impetrabant a Senatu, ſibi plane obnoxio, vt lege ſoluerentur. Ita

(a) VLP. *Lib.* XIII. L. 59. *D. de cond. et demonſtr.*

(b) CAI. *Lib.* X. L. 152. *D. de verb. ſign.*

(c) CAI. *Lib.* X. *d.* L. 152. *D. de verb. ſign.*

(d) VLP. *Lib.* XIII. L. 31. *D. de legib.*

Digitized by Google

Ita lege Cincia Auguſtus; his ipſis legibus caducariis Caius Caligula, teſte DIONE CASSIO (a), ſoluebatur. Quo ſemel facto, ſucceſſoribus plerumque idem honor, qui anteceſſoribus habitus fuerat, decernebatur, puta *vt quibus legibus ſcriptum fuerit, ne diuus Auguſtus, Tiberiuſue aut Claudius tenerentur, iis legibus et ſucceſſores ſoluti eſſent*, ceu ex notabili illo SCto in honorem Veſpaſiani facto adparet (b). Hinc minime videbitur mirandum, etiam Seuerum, Caracallam, Alexandrum, ſub quibus Vlpianus vixit, non ipſa vi imperii, ſed Senatus beneficio ſe legibus ſolutos profiteri voluiſſe, quum et ciuilis eſſet ea profeſſio, et tantumdem iuris illis daret lege ſolutio, quantum ſibi alii principes ex aliis principiis ſolent arrogare. Vt autem ad Vlpianum reuertamur, poſtquam ille de auguſto principum priuilegio dixit, etiam de Auguſta quaerit, an legibus, caducariis puta, ſoluta ſit? reſpondetque: *Auguſta autem licet legibus ſoluta non eſt: principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quae ipſi habent*. Mira videri poſſet haec VLPIANI deciſio. Siccine enim princeps, ipſe ſoluendus legibus, Auguſtam ſoluere poterat? Siccine priuilegium, quo ipſe alieno beneficio fruebatur, vxori impertiebatur? Sane olim id ſe non poſſe exiſtimabant principes, quamdiu libertatis vmbra oculis ciuium obiicienda videbatur. Aſt vbi Romani principem ferre didicerant: non amplius Auguſtae opus eſſe exiſtimabant indulgentia ſenatus, ſed fingebant, principem ſemel legibus a ſenatu ſolutum, ſoluere etiam poſſe auguſtam, quia ei et in eum omne ius ſuum populus lege regia detulerit. Hinc quum olim Liuiam non Auguſtus, ſed ſenatus, teſte DIONE, legibus quibuſdam ſoluiſſet: poſtea ipſi principes eadem Auguſtis vxoribus priuilegia tribuebant, quae ipſi habebant.

Enimuero, ſi Auguſtae eodem priuilegio, quo ipſi principes, perfruebantur: quid, quaeſo, ſibi vult IVNIVS MAVRICIANVS (c), dum ita ad legem noſtram diſſerit: *ſi auguſtae legaueris, et ea inter homines eſſe deſierit: deficit, quod ei relictum eſt, ſicuti D.* HADRIANVS *in Plotinae, et proxime Imperator in Fauſtinae Auguſtae perſona conſtituit, quum ea ante inter homines eſſe deſiit, quam teſtator decederet?* Ex his verbis vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (d), colligit, auguſtam his legibus non fuiſſe ſolutam. Sed praeterquam, quod iam vidimus, VLPIANVM aliud ſentire, lex quoque noſtra non quaerit, an Auguſta caduci vel quaſi caduci capax, adeoque legibus caducariis ſoluta ſit? ſed an, quod ipſi relictum, in cauſſa caduci ſit, ſi ante teſtatorem decedat? Legatum fuerat Plotinae et Fauſtinae: iis ante teſtatores mortuis, earum collegatarii portiones iure adcreſcendi exigebant: negabat fiſcus, legatum illis deberi, quod in cauſſa caduci ſit: illi ſe non priuatarum, ſed Auguſtarum collegatarios eſſe vrgebant: re ad Hadrianum et Antoninum delata, vterque pro fiſco reſpondit, non quod Auguſtam, ſed quod Auguſtae collegatarios his legibus ſolutos negarent. Contra ea ſi fingamus, Fauſtinae et Titio coniunctim relictum fuiſſe fundum Cornelianum, et hunc ante teſtatorem deceſſiſſe: eius pars ſane in cauſſa caduci fuiſſet ſecundum leges, ſed Fauſtina fiſco procul dubio fuiſſet praelata, quia *Auguſta, licet legibus ſoluta non eſt, principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quae ipſi habent* (e).

Ante-

(a) *Lib.* LVIIII. *pag.* 747.

(b) GRVTER. *Inſcr. pag.* 242.

(c) MAVRICIAN. *Lib.* II. *L.* 51. *D. de legat.* 2.

(d) *Comment. ad L. Iul. et Pap. pag.* 344.

(e) *d. L.* 31. *D. de Legib.*

Antequam autem, quae in cauſſa caduci fuerint, explanemus: paucis ipſum hoc vocabulum erit interpretandum. IN CAVSSA CADVCI idem eſt, ac *quaſi caducum*. CADVCVM proprie erat, quod poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas deficiebat. Quae definitio quum non quadraret iis, quae ante teſtatoris mortem deficerent, et ea tamen aeque aerario vel fiſco vindicarentur: ea non niſi *ἀναλόγως* caduca vocari poſſe legislatores animaduertebant, atque hinc QVASI CADVCA, vel elegantius, IN CAVSSA CADVCI eſſe dicebant. *In cauſſa* enim ſaepe perelegantur pro *quaſi* ponitur in iure noſtro. Sic VLPIANVS (*a*): *hoc interdictum* (de tabulis exhibendis,) *pertinet non tantum ad teſtamenti tabulas, verum ad omnia, quae ad* CAVSSAM TESTAMENTI *pertinent, vt puta et ad codicillos, pertinet*. Vbi codicilli *ad cauſſam teſtamenti* pertinere, id eſt, quaſi teſtamenta eſſe dicuntur. Alio loco PAPINIANVS (*b*) legatarios *pignoris cauſſam*, id eſt, *quaſi pignus*, quippe non per conuentionem, ſed per legem conſtitutum, habere ſcribit. Sed et iterum VLPIANVS (*c*), vbi quaerit, an, ſi teſtamento manumiſſus, hereditate nondum adita, rem teſtatori oppignoratam ſurripuiſſe dicatur, actio ex edicto locum habeat? Reſpondet, eam locum habere: *plenius enim* CAVSSAM BONORVM *hic accipi pro vtilitate*: quaſi dicat, pignus quidem non in bonis eſſe, ſed tamen *quaſi in bonis*, quia heredibus praeſter vtilitatem, eorumque interſit, illud non fuiſſe ſurreptum. Eodem itaque ſenſu et bona quaedam IN CAVSSA CADVCI, id eſt, *quaſi caduca* eſſe dicuntur.

Quaenam autem? Lex noſtra duo *quaſi caducorum* genera complectitur. De priore: SI VIVO, inquit, TESTATORE POST TESTAMENTVM CONDITVM HERES LEGATARIVSVE DECEDAT. Heredem itaque vel legatarium deceſſiſſe oportebat VIVO TESTATORE: quia, ſi eo iam extincto ante apertas tabulas deceſſiſſet, legatum vere caducum habebatur (*d*). Additur: POST TESTAMENTVM CONDITVM. Nam ſi heres vel legatarius iam eo tempore, quo teſtamentum fiebat, inter mortales eſſe deſierat: legatum, ceu ſuperiore capite iam obſeruauimus, pro non ſcripto erat (*e*). Nihil autem intererat inter HEREDEM et LEGATARIVM: quia ſublato iure adcreſcendi, pars ſiue hereditatis, ſiue legati, nec in hereditate ſubſidebat, nec accreſcebat coheredibus vel collegatariis, ſed ab aerario, vel poſtea a fiſco occupabatur. Ex quo ſimul intelligitur, ei iuri tunc tantum fuiſſe locum, ſi pluribus inſtitutis heredibus, vnus deficeret. Nam ſi vnus, ex aſſe ſcriptus, ante teſtatorem deceſſerat, teſtamentum quidem erat deſtitutum, ſed excluſo aerario vel fiſco res ad cauſſam inteſtati redibat (*f*).

Alterum quaſi caducorum genus his verbis in lege noſtra exprimitur: CONDITIOVE DEFICIAT, vbi *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* repetenda verba priora: *viuo teſtatore poſt teſtamentum conditum*. Si enim conditio, vt legatarius, ante euentum conditionis poſt teſtatoris mortem, deficeret: legatum non erat in cauſſa caduci, ſed proprie caducum (*g*). Deficiebat autem conditio, non ſolum, ſi aliquid, quod conditioni aduerſaretur, eueniret, velut, ſi nauis ex Aſia reditura viuo teſtatore periiſſet, et ab eo tamen euentu ſuſpenſa

(b) L. 1. §. 2. D. *de tab. exhib.*
(c) L. 4. §. 1. D. *de ſeparat.*
(d) L. 1. §. 10. D. *de is, qui teſtam. lib.*
(e) VLP. *tit.* XVII. §. 1.
(f) L. 4. D. *de his, quae pro non ſcript.*
(g) VLP. *tit.* XXVI. §. 5.
(h) L. *vn.* §. 7. C. *de caduc. toll.*

eſſet heredis inſtitutio, (quo caſu pro vno legato haberi monet CELSVS (*a*), ſi vel alternatiue res diuerſae, vel res eaedem ſub conditionibus contrariis, vel a diuerſis perſonis legentur,) verum etiam, ſi quid in perſona legatarii contingeret, quod ipſum conditionem adimplere prohiberet, veluti ſi ante conditionis euentum diem ſupremum obiret. Quo pertinent illa VLPIANI: *Intercidit legatum, ſi ea perſona deceſſerit, cui legatum eſt ſub conditione*. Quid vero ſi inſtitutus non deceſſerit, ſed in inſulam fuerit deportatus? Tunc idem VLPIANVS (*b*) magis pendere ait conditionem, quam deficere, quia ſpes reſtitutionis ſupereſſet. Aſt ſi ea poena in illum ſtatuta fuerit, quae irrogat ſeruitutem, legatum exſtingui concedit, quia ſeruitus morti adſimiletur (*c*). Singulare quid obſeruatur in legato vſufructu: ſi repetatur. Repeti autem dicitur vſusfructus, quum teſtator ei, cui vſumfructum legauit, eidem relegat, in eum euentum, ſi amiſſus fuerit. Idque fit vel palam, his verbis: QVVM AMISSVS FVERIT, vel QVOTIES AMISSVS ERIT, vel tacite, quum teſtator ad tempus vitae, vel in certos annos, legauit (*d*). Quum itaque huiuſmodi legatum non pro vno, ſed pro multis habeatur, quorum dies per ſingula tempora cedit (*e*): non abs re inde collegerunt veteres, quotieſcumque legatarius, capite minutus, vſumfructum amiſerit, illum repeti poſſe, ſiue tacite ita legatus ſit, ſiue palam: quamuis hoc poſterius, tanquam iuri publico aduerſum, aegrius, et diu poſt Antonini conſtitutionem admitteretur. Quare ſiue teſtator ſcripſiſſet: TITIO VSVMFRVCTVM, QVOTIES AMISSVS ERIT, DO LEGO: ſiue TITIO VSVMFRVCTVM, QVOAD VIXERIT, DO LEGO: vſufructuarius capite minutus priorem quidem vſumfructum amiſiſſe intelligebatur, ſed nouum tamen ſimul reſumebat (*f*).

Et hoc ius ad hoc caput noſtrum tractauit IVNIVS MAVRICIANVS (*g*), quamuis eius fragmentum crucem quodammodo figat iureconſultis. Vulgo ita legitur, etiam Florentiae: *licet teſtatori repetere legatum vſusfructus, vt etiam poſt capitis deminutionem deberetur, et hoc nuper Imperator Antoninus ad libellum reſcripſit, tunc tantum eſſe huic conſtitutioni locum, quum in annos ſingulos relegaretur*. Sed *id falſum eſt*, inquit vir ſummus, IAC. CVIACIVS (*h*), *Vlpianus enim et Marcianus diſerte docent, et palam et tacite repeti poſſe vſumfructum* (*i*). Quin Mauricianus ſecum ipſe pugnat. Quum enim initio ſcribat: Licet teſtatori repetere legatum vſusfructus, VT ETIAM POST CAPITIS DEMINVTIONEM DEBERETVR, (quod idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet, licere teſtatori, vſusfructus legatum palam repetere:) ſtatim pergit, ex conſtitutione Antonini, tacite tantum repeti poſſe. Quomodo vero licebit palam repetere, ſi tacite tantum licet? Quum itaque haec manifeſto inter ſe pugnare videantur: HALOANDER et RVSSARDVS pro *tunc tantum* reſcribunt *tunc tamen*, quae medicina tamen parum opis adfert. CVIACIVS legi iubet *nec tantum*, eumque plerique ſequuntur: quum tamen paullo violentior ſemper criticis viſa ſit emendatio, quae nullius innixa codicis auctoritate, textui infarcit particulam ſalutarem *non*,

vel

(a) VLP. *Lib.* XIII. L. 59. *pr. D. de cond. et demonſtr.*

(b) *ibid.* §. 1.

(c) *ibid.* §. 2.

(d) L. 2. L. 3. *quib. mod. vſufr. amitt.*

(e) L. 1. *D. quando dies vſufr. leg. ced.*

(f) L. 3. §. 2. *D. quib. mod. vſufr. amitt.*

(g) MAVRICIAN. *Lib.* II. L. 23. *D. de vſufr. leg.*

(h) *Obſ. Lib.* XIIII. *cap.* 17.

(i) L. 1. §. *vlt.* L. 2. §. 1. *D. quib. mod. vſusfr. amitt.*

vel *nec*. Ex mea ſententia ſanus eſt MAVRICIANI textus, nec auctorem ſecum pugnare puto, dummodo recte intelligatur. *Licet*, inquit, *teſtatori repetere legatum vſusfructus*, eo effectu, *vt etiam poſt capitis deminutionem debeatur*. Non itaque haec verba modum repetendi innuunt, quaſi palam hac formula legatum vſusfructus repetere liceret, ſed effectum, vt repetitum etiam poſt capitis deminutionem debeatur. Pergit MAVRICIANVS: *et hoc*, (puta, quod vſusfructus repetitus etiam poſt capitis deminutionem debeatur,) *nuper Imperator Antoninus ad libellum reſcripſit*, *tunc tantum conſtitutioni locum eſſe*, ſi non expreſſe et palam in fraudem legum repetatur, ſed tacite, id eſt, *quum in annos ſingulos relegaretur*. Ita MAVRICIANVS ſecum non pugnat. Aſt pugnat tamen cum VLPIANO. Quaſi vero pugna ſit inter aeui diuerſi iureconſultos, et eam Antonini Pii conſtitutionem, cuius MAVRICIANVS meminit, mutare non potuerint Principes inſequentes. Quod Antonini aetate prohibitum adhuc erat, id ſane facile poſtea vel nouis principum conſtitutionibus, vel tacite inualeſcente contraria conſuetudine, permitti potuit.

His caſibus bona in cauſſa caduci erant. De iis vero cautum fuerat lege noſtra, VT QVASI CADVCA POPVLO DEFERRENTVR. Conſultum Auguſtus voluerat aerario, et hinc quaſi caduca populo, cuius aerarium erat, deferri iuſſerat. Aerarium temporibus ſaltim Auguſti caduca omnia occupaſſe, teſtis eſt TACITVS (*a*), qui Auguſtum refert ſanxiſſe, *vt ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur*, *velut parens omnium*, POPVLVS, *vacantia teneret*. Idem obtinuiſſe ſub Traiano et Hadriano, docent PLINIVS (*b*), MAVRICIANVS (*c*) et PAVLLVS (*d*), qui aliquoties mentionem faciunt bonorum, quae quis capere nequeat, ad aerarium delatorum. Primus, quae antea aerario inferebantur, fiſco addixerat Antoninus Caracalla, de quo VLPIANVS (*e*): *Hodie ex conſtitutione* IMP. ANTONINI *omnia caduca* FISCO *vindicantur*, *ſed ſeruato iure antiquo liberis et parentibus*. Nec eſt, quod vel fidem VLPIANO abrogemus, vel eius textum cum CVIACIO ideo ſollicitemus, quod iam IVLIANVS (*f*) Hadriani temporibus fiſco ceſſiſſe caduca teſtetur. Tribonianum enim, eiuſue ſocios, ex inſtituto ſuo, pro aerario ibi fiſcum repoſuiſſe, vel inde patet, quod aliquando, vno loco praeteruiſo, alterum mutauerint, aliquando in eadem paene periodo et aerarium reliquerint, et fiſcum repoſuerint pro aerario. Sic in *L. 13. pr. D. de iure fiſc.* legimus, *Edicto D. Traiani*, *quod propoſui*, *ſignificatur*, *vt*, *ſi quis antequam cauſſa eius ad* AERARIVM *deferatur*, *profeſſus eſſet*, *eam rem*, *quam poſſideret*, *capere ſibi non licere*, *ex ea partem* FISCO *inferret*, *partem ipſe retineret*. Ea manum Triboniani produnt, quae priore colo vocabulo AERARIVM pepercit, poſteriore, illo expuncto, reſcripſit: FISCVM. An vero dubitemus, quin idem in textibus VLPIANI factum ſit?

III. Hactenus de ipſo capite legis noſtrae. Id autem mutationem aliquam ſub Nerone paſſum eſt, SCto, (ſi recte vidit MERILLIVS (*g*) Trebelliano, quod legata et fideicommiſſa, quae viuo teſtatore deficiant, apud eos, a qui-

Rr 2

(a) *Ann. Lib.* III. *cap.* 25.
(b) *Lib.* II. *Epiſt.* 16. *Lib.* IIII. *Epiſt.* 12. *et Paneg. cap.* 42.
(c) *L.* 15. §. 1. 3. *D. de iur. fiſci.*
(d) *L.* 13. *princ. D. eod.*
(e) *Fragm. tit.* XVII. §. 11.
(f) *L.* 20. §. 6. *D. de her. petit. L.* 96. §. 1. *D. de legat.* 1.
(g) *Obſeru. Lib.* VII. *cap.* 22.

a quibus relicta erant, manere voluit (*a*). Deinde idem caput vna ſpongia deleuit Ivstinianvs (*b*), dum ea omnia, quae olim in cauſſa caduci eſſe dicebantur, aeque ac pro non ſcriptis habita, apud eos manere voluit, a quibus relicta fuerant, vel apud eos qui fideicommiſſo erant grauati, niſi et in hunc caſum eos vel ſubſtitutus vel coniunctus antecederet. Addidit etiam, vt his omnibus ea portio accreſceret cum onere, ſiue illud in faciendo dandoue, ſiue in modo, ſiue in conditione conſiſteret. Quo iure etiamnum vtimur.

(a) L. 26. *D. de her. inſtit.* L. 68. *D. de legat.* 2.

(b) L. *vn.* §. 4. *C. de caduc. toll.*

C A P V T VI.

AD CAPITA V. VI. ET VII.

DE CADVCIS.

I. *Sequitur doctrina de caducis. De iis non vnum, ſed tria capita in hac lege exſtitiſſe, probatur. Eorum ſententia profertur.* II. *Caduca erant, quae mortuo teſtatore ante apertas tabulas deficiebant. Non tamen ſi deficeret heres ex aſſe.* L. 68. D. de her. inſt. *explicata. Tabulae quando dicerentur apertae? Pereger factus quis videatur? Peregri, peregrem, peregre.* L. 81. D. de adqu. vel omitt. her. *et* L. 49. D. de legat. 2. *expoſitae.* III. *Caelibi vel alii incapaci relictum caducum fiebat. An et quod Latino Iuniano relictum? Seruo hereditario inſtituto ex cuius perſona aeſtimata capacitas?* L. 55. D. de legat. 2. *explicata. Quibus caſibus haec fiſcus ceperit?* IIII. *Ob conditionem deficientem id, quod relictum erat, caducum fiebat. An conditio heredi adſcripta ad ſubſtitutum quoque pertineat?* V. *Ius nouum.*

I. Tertium bonorum genus, de quo lege caducaria cautum fuerat, ſunt caduca *κυρίως* dicta, id eſt, quae mortuo teſtatore ante apertas tabulas deficiunt. De his permulta exſtant Vlpiani, Ter. Clementis, Pavlli et Caii fragmenta, ex quibus manifeſtum eſt, caput de quaſi caducis proxime excepiſſe doctrinam de caducis. Non autem vnum cum ſuperiori hoc fuiſſe caput, vel ex eo adparet, quod de quaſi caducis a Caio actum *libro* x, *de caducis libro* xi. xii. *et* xiii, ex quo librorum numero ſimul colligimus, totidem fuiſſe de caducis capita, maxime, quum de aliis caducis libro xi. de aliis, ſequentibus agat. Quamobrem ductu Vlpiani (*a*) et Ivstiniani (*b*) tria illa capita ita concipimus:

Cap. V. *Si heres pro parte, legatariuſue, quibus pure vel in certum diem hereditas legatumue relictum erit, poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas teſtamenti decedet, vel pereger fiet, ea hereditatis* pars

[a] *Fragm. tit.* XVII.

(b) L. *vn.* §. 2. C. *de caduc. toll.*

pars legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.

CAP. VI. *Siue caelibi, vel alteri ciuius plus, quam ex H. L. licebit, relictum erit, et id caducum eſto, populoque vindicator.*

CAP. VII. *Siue heres legatariuſue poſt mortem teſtatoris ante euentum conditionis deficiat, hereditas legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.*

II. Primum itaque caſum, quo hereditas legataue caduca fiebant, ita expreſſimus: SI HERES PRO PARTE LEGATARIVSVE, QVIBVS PVRE, VEL IN DIEM CERTVM HEREDITAS LEGATVMVE RELICTVM ERIT, POST MORTEM TESTATORIS DECEDET, VEL PEREGER FIET. Intelligenda lex DE HEREDE PRO PARTE. Nam ex aſſe inſtitutus non ſolum, quandocumque vellet, hereditatem recte adibat, ſed et, ſi ante aditionem deficeret, eam hereditatem non ad fiſcum, ſed ad heredes ab inteſtato deuoluebat (a). Hinc PAVLLVS (b) ad hoc caput eleganter quaerit, *quum ſolus ſeruus heres inſtitutus ſit, an ſicut licet uno tempore omnium dominorum iuſſu adire hereditatem, ita et ſeparatis temporibus ſingulorum iuſſu recte adeat?* Species belliſſima, et cuius occaſione quaeſtionem non vnam tractaſſe videtur iureconſultus. Titius Stichum, communem Iauoleni, Caii et Maeuii ſeruum heredem ex aſſe inſtituerat. Non poterat Stichus, niſi dominorum iuſſu, adire. Iubebat Iauolenus: Caius et Maeuius ſibi amplius deliberandum putabant. Sticho itaque iuſſu Iauoleni hereditatem non totam, ſed pro parte adeunte, quaeſtio incidebat, an ea aditio pro parte rata ſit, et an is poſtea et Caii et Maeuii iuſſu reliquas hereditatis partes ſeparatim adire queat? Adfirmabat id PAVLLVS, addita ratione: *Nam quia ſeruus ſaepius adit, non ex teſtamento, ſed ex* IVRE DOMINORVM *venire vtilitatis cauſſa videtur, ne alterius feſtinatione alterius ius laedi videatur.* Hinc perinde erat, ac ſi non vnus ex aſſe, ſed ſinguli Stichi domini pro parte dominii inſtituti fuiſſent. Ex eo altera naſci poterat quaeſtio, quae praecipue ad hoc caput pertinet, et a Triboniano videtur omiſſa, an Caio et Maeuio ante apertas tabulas exſtinctis caducae eorum portiones eſſent, et a fiſco vindicarentur? Quamuis vero hic nihil lex definiat, et ex eodem principio, quod ſeruus non tam ex teſtamento quam ex dominorum iure veniat, conſequi videatur, vt partes illae tanquam deficientes fiſco cedant: benigniorem tamen ſententiam praeualuiſſe putauerim, partim quod portio nulla vere deficeret, deficiente non herede, ſed heredis domino: partim quod iſtud principium *vtilitatis tantum cauſſa, et ne alterius feſtinatione alterius ius laederetur*, receptum in odium coheredum non erat detorquendum.

Lex itaque ad ſolos pro parte inſtitutos heredes, nec non ad LEGATARIOS pertinebat, ſiue HEREDITAS LEGATVMVE iis PVRE, ſiue IN DIEM CERTVM RELICTVM eſſet, modo POST MORTEM TESTATORIS ANTE APERTAS TABVLAS DECESSISSENT. *Heres* enim tunc nihil tranſmittebat, quia nondum adire potuerat: nec *legatarius*, quia dies legatorum pure vel in diem certum relictorum demum ab apertis tabulis cedebat: nec is cui ſub conditione vel in diem incertum aliquid relictum fuerat, quia huiuſmodi

[a] L. 80. D. *de adqu. hered.*

[b] PAVLL. *Lib. V.* L. 68. D. *de adqu. vel omitt. her.*

modi legati dies exſiſtente demum conditione vel die cedebat : vti ad primum legis caducariae caput plenius notauimus . Additur : POST MORTEM TESTATORIS . Nam quod defecerat iam ante conditum teſtamentum , *pro non ſcripto ;* quod poſt illud ante mortem teſtatoris, *in cauſſa caduci* erat. Sed et ſequentia verba : ANTE APERTAS TABVLAS non ſine ratione adiecta ſunt. Iis enim apertis, hereditas ſtatim poterat adiri, et ſemel adita transmittebatur ad heredes, multoque magis legatum, cuius dies ab apertis tabulis cedebat, ſtatim tranſmittebatur . Inde eſt, quod veteres tanto cum adparatu ad hoc caput diſſeruerint de aperiendis tabulis. Quum enim quaereretur, ſi duo exſtent exempla tabularum, an, alterutro patefacto , apertae videantur , tabulae ? VLPIANVS intereſſe ait , vtrum alterutrum , an vtrumque ſit authenticum. Priore caſu, exemplo aperto, nondum apertum eſſe teſtamentum *(a)* : poſteriore ſufficere , ſi alterutrum fuerit patefactum *(b)*. Quumque porro dubitaretur, an teſtamentum ſua natura apertum, pro aperto habendum ſit, idem VLPIANVS *(c)* id quoque adfirmat , nec referre ſcribit (puta quod ad ius accreſcendi,) a quo apertum ſit . Idem *(d)* eleganter quaerit , quid iuris ſit , ſi tabulae non exſtent , veluti ſi exuſtae ſint , vel ab herede aliove ſupprimantur ? reſpondetque , *futurum eſſe , vt ſubueniri legatariis debeat* , ſi nimirum aliunde conſtet , quid quantumque iis relictum ſit ? Praeter haec CAIVS *(e)* monet , codicillos aeque ac tabulas ſecundas, (id eſt, in quibus ſubſtitutiones ſcriptae erant, quas tabulas ſecundas dici conſueuiſſe iam BRISSONIVS obſeruauit,) teſtamenti vel tabularum principalium partem obtinere. Ex quo ſequebatur, vt, iis apertis, dies legatorum cederet, etiamſi codicilli nondum eſſent aperti ; adeoque et ſubſtitutiones ſaluae eſſent, etiamſi tabulae ſecundae nondum fuiſſent apertae.

Ita ex lege noſtra dies legatorum pure vel in diem certum relictorum cedebat ab apertis tabulis , et , quod ante earum aperturam deficiebat , id aerario vel fiſco deferebatur. Quum vero vſusfructus non tranſiret ad heredes, eiuſque legati dies cederet ab adita hereditate : facile patet , ad hoc legatum ius illud non pertinuiſſe. Magis autem dubitabatur de ſeruitutibus praedialibus, quando earum dies cederet ? PAVLLVS *(f)* videtur exiſtimaſſe, huius quoque legati diem cedere ab adita hereditate , eamque ſententiam adoptauit vir ſummus , IAC. CVIACIVS *(g)* . At ex MARCELLO *(h)* tamen veroſimilius eſt , diem legatae ſeruitutis ſtatim a morte teſtatoris ceſſiſſe. Quam in rem quae a BACHOVIO *(i)* et WISSENBACHIO *(l)*, viris clariſſimis , diſputentur , repetere nolumus , ſed id tantum obſeruamus , eamdem quaeſtionem tractaſſe videri VLPIANVM *(m)*, dum ad hoc caput de ſeruitutibus praedialibus egit, ex quo tractatu tamen non niſi pauciſſima haec verba Tribonianus decerpſit: *ius cloacae mittendae ſeruitus eſt.*

Aerarium itaque occupabat iis relicta, qui ante apertas tabulas poſt conditum teſtamentum DECESSERANT . Quid vero ſi coheredes ſibi inuicem fuiſſent ſubſtituti ? Fingamus Caium et Titium heredes fuiſſe ſcriptos , addita ſubſtitutione, vt ſi alteruter heres non ſit, alter heres eſſet: ſingamus, mortuo

[a] VLP. *Lib.* XIII. L. 12. *D. teſtam. quemadm. aper.*
[b] IDEM *Lib.* XIII. L. 10. *pr. D. eod.*
[c] IBID. *d.* L. 10. §. 1. *D. eod.*
[d] IBID. *d.* L. 10. §. 2. *D. eod.*
[e] CAI. *L.* XI. L. 11. *D. eod.*
[f] L. *vlt. comm. praed. ruſt. et vrb.*
[g] *Obſ. Lib.* I. *cap.* 23.
[h] L. 3. *D. de ſeru. legat.*
[i] *Vol.* II. *Diſp.* XIII. *th.* 7.
[l] *Ad tit. D. de ſeru. leg. Theſ.* 1.
(m) VLP. *Lib.* XIII. L. 7. *D. de ſeru.*

mortuo teſtatore Titium adiiſſe, Caium repudiaſſe ſuam partem, tunc ſane quaeſtio oriri potuit, an Titius ſine noua aditione partem Caii deficientem adquirat? Eleganter reſpondet VLPIANVS (a): *totiens videtur heres inſtitutus etiam in cauſſa ſubſtitutionis adiiſſe, quotiens adquirere ſibi poſſit: nam ſi mortuus eſſet, ad heredem non transferret ſubſtitutionem*. Poterat itaque Titius etiam Caii partem ſine noua aditione adquirere, quia adquirere ſibi poterat. Aſt ſi eum, antequam Caius repudiaret, deceſſiſſe ponamus: heredes Titii partem Caii repudiatam non cepiſſent, etiamſi Titius iam ſuam partem adiiſſet.

Nec minus caducum fiebat, quod ei fuerat relictum, qui poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas PEREGER FACTVS erat. Ita enim rem exprimit VLPIANVS (b), non, vti editiones vulgares praeferunt, *pereger*, nec, vt CVIACIVS mallet, *peregrinus*. Probum enim et antiquum eſt τὸ *pereger*, aeque ac *celeber*, *acer* et ſimilia. Argumento ſunt non ſolum aduerbia *peregre* et *peregri* (c): ſed et accuſatiuus vetus *peregrem* quo adhuc vſus eſt AVSONIVS (d), dum ſcripſit: *nedum me* PEREGREM *exiſtimes*. Pereger autem fiebat deportatus, vel cui aqua et igni fuerat interdictum. Is enim *ad peregrinitatem redigi dicitur* SVETONIO (e) et VLPIANO (f), quia iura ciuitatis omnia amittebat, adeo, vt et togae iure careret, teſte PLINIO (g). Quidquid ergo ei pure vel in certum diem relinquebatur, fiebat caducum, tanquam ſi heres vel legatarius ante apertas tabulas deceſſiſſet. Quod ſub conditione fuerat teſtamento datum, non ſtatim perimebatur, quia ante exſiſtentem conditionem poterat in ciuitatem reſtitui. Quid vero ſi heres tempore conditi teſtamenti in hoſtium poteſtate eſſet, ibique deceſſiſſet? Tunc ſane pars ei relicta non cedebat fiſco, ſed tanquam non ſcripta in hereditate ſubſidebat, etiamſi mortuo teſtatore ante apertas tabulas deceſſiſſet, quia ex lege Cornelia fingebatur ipſo captiuitatis momento mortuus eſſe (h).

His caſibus autem EA HEREDITAS PARS LEGATVMVE CADVCA ERANT, POPVLOQVE DEFEREBANTVR. Non itaque caduca ſubſidebant in hereditate, nec accreſcebant coheredi vel collegatario, ſed aerario vindicabantur, cuius iura deinde fiſcum inuaſiſſe diximus. Quid vero ſi res legata periiſſet? Tunc non plus capiebat aerarium, quam ipſe legatarius, ſi viueret, accepiſſet. Quam in rem elegans eſt PAVLLI (i) ad hoc caput tractatio. *Mortuo boue*, inquit, *qui legatus eſt*, *neque corium neque caro debetur*. Quamuis enim alioquin noſtrum etiam ſit, quod e re noſtra supereſt (l): aliud tamen in legatis obtinet, quod rei interitu exſtinguitur: vt adeo nec ad aerarium vel fiſcum inde quidquam perueniat. Quaerit deinde PAVLLVS (m): An *ſi Titio frumentaria teſſera legata ſit*, *et is deceſſerit*, legatum exſtinguatur? Erant autem *teſſerae frumentariae*, Graecis χαλάμια vel ψῆφοι, ſignum, quo quiſque exhibito frumenti menſtrui portionem teſſerae illi inſcriptam, principis liberalitate accipiebat, et vnde diribitores frumenti teſ-

(a) VLP. *Lib.* XIII. L. 81. D. *de adqu. vel omitt. her.*

(b) *Fragm. tit.* XVII. §. 1.

(c) VOSS. *Analog. Lib.* IIII. *cap.* 20.

(d) *Epiſt.* XVII. *ad Symmach.*

[e] *Claud. cap.* 16.

(f) *L.* 10. §. 6. *D. de in ius voc.*

[g] *Lib.* IIII. *Epiſt.* 11.

(h) *L.* 4. §. 1. *D. de his, quae pro non ſcript.*

(i) *Lib. V.* L. 49. *D. de legat.* 2.

(l) *L.* 29. §. 1. D. *de rei vind.*

(m) IB. *d.* L. 49. §. 1. *D. de leg.* 2.

Digitized by Google

ti teſſerarii dicebantur, de quibus quaedam CVIACIVS (a), HADR. TVRNEBVS (b), PETITVS (c) et viri docti ad PERSIVM (d), quae hic non repeto. [Id tamen addere viſum, teſſerarum illarum venditionem etiam in marmoribus memorari, ſi recte legit REINES. *Inſcript. claſſ.* XV. *n.* 12.

HIC. SEPTIMVM. DECIMVM

FRVMENTVM PVBLICVM

ACCEPIT

SEXTVM. DECIMVM. VenDIDIT

Plura de teſſeris frumentariis habent IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. auguſt. Lib* II. *cap.* 9. LIPSIVS *Elector. Lib.* I. *cap.* 8. IAC. GOTHOFRED. *ad Cod. Th. Lib* XIIII. *tit.* 17. *de annon. ciuic. et pane gradil. Tom.* V. *pag.* 241. et VINC. CONTAREN. tractatu ſingulari *de re frumentaria*.] Id modo obſeruo, teſſeram non ita legatam intelligi, ac ſi teſtator ſuam teſſeram, quam beneficio principis acceperat, legare alii potuerit: (perſonale enim erat beneficium, quod non magis ac aliae principum liberalitates in heredes tranſmittebatur:) ſed ſolebant teſtatores heredem damnare, vt alicui teſſeram huiuſmodi compararet, vel, ſi id non poſſet, eius praeſtaret aeſtimationem. Hinc aliquoties huiuſmodi legatorum vel fideicommiſſorum mentio fit in iure noſtro: *heres libertis meis teſſeram frumentariam emito* (e). *Seio teſſeram frumentariam comparari volo poſt diem trigeſimum a morte mea* (f). *Liberto meo tribum emi iubeo* (g): nam et inde tribules commoda et liberalitates principales conſequebantur. Quaerit itaque PAVLLVS, ad quem iam redeo, an eiuſmodi legatum teſſerae frumentariae, decedente legatario, extinguatur? Idque negat, quia *cui teſſera vel militia legatur, ei aeſtimatio videatur legata*. Quod adeo verum eſt, vt, ſi legatarius frumentariam teſſeram ex cauſſa lucratiua habere coepiſſet, pretium tamen teſſerae praeſtandum videretur, quia tale legatum vel fideicommiſſum magis in quantitate, quam in corpore conſiſteret (h). Vnde et SCAEVOLA, legata tribu, non modo tribus aeſtimationem, ſed et commodorum et liberalitatum principalium, quas legatarius ex eadem tribu vſque in diem mortis ſuae conſequuturus fuiſſet, deberi, docet (i). Ex quo facile patet, deficiente ante apertas tabulas legatario, aerarium etiam vel fiſcum frumentariae iſtius teſſerae aeſtimationem ab herede petere potuiſſe. Bella quoque tertia PAVLLI (l) quaeſtio, an ſi rem, quae in commercio non eſt, teſtator reliquerit, legatum extinguatur? Intereſſe ait, reſne in commercio legatarii ſit, an in nullius. Si nec in legatarii nec in vllius commercio ſit, nullum eſſe legatum, cum PRISCO FVLCINIO ſtatuit, quamuis ita vtiliter legari olim exiſtimauerit C. TREBATIVS TESTA. Sin quis heredem ſuum eum fundum, cuius commercium ipſe non habuit, dare iuſſit ei, qui eius commercium habet, Proculo putat aſſentiendum, qui huiuſmodi legatum deberi, et vel rem, ſi in bonis teſtatoris fuerit, vel aeſtimationem eius peti poſſe, docebat. Quemadmodum idem et in ſtipulatio-

(a) *Obſ. Lib.* VI. *cap.* 33.
(b) *Adverſ. Lib.* XVIIII. *cap.* 26.
(c) *Lect. var. Lib.* I. *cap.* 8.
(d) *Sat. V. v.* 73.
(e) L. 52. §. 1. *D. de iudic.*
(f) L. 87. *pr. D. de legat.* 2.
(g) L. 35. *pr. D. de legat.* 3.
(h) L. 87. *pr. D. de leg.* 2.
(i) *d.* L. 35. *pr. D. de legat.* 3.
(l) PAVLL. *Lib. V. d.* L. 49. §. 2. 3. *de legat.* 2.

Digitized by Google

lationibus obtinet, ſi quis mihi rem commercio ſuo exemtam promiſerit (*a*). Ex quo denuo conſequitur, vt caduco huiuſmodi legato, etiam aerarium vel fiſcus eodem iure vteretur, et vel rem vel aeſtimationem ab herede recte exigeret. Quod et obtinebat, *ſi teſtator dari quid iuſſiſſet, aut opus fieri, aut munus dari*. Nullum enim eſt dubium, quin ſi legatum hoc caducum fieret, aerarium vel fiſcus idem petere potuerit, quod petiiſſet legatarius. Aſt contra, ſi heredes, a quibus huiuſmodi quid relictum fuerat, deficerent, eorumque portiones occuparet fiſcus: is idem dare vel facere erat obſtrictus, quod dediſſent feciſſentue heredes. Et eo pertinere videntur poſtrema PAVLLI (*b*) verba: *pro portione ſua eos praeſtare, quibus pars hereditatis accreſceret, aeque atque cetera legata, placet*. Quamuis hic Tribonianus quaedam videatur immutaſſe, et loco fiſci poſuiſſe heredes, quibus pars hereditatis accreſcat, quum eo tempore ius accreſcendi hoc caſu non haberet locum. Omnia enim onera ſubire aerarium vel fiſcum etiam ex SCto Silaniano hereditates occupantem, quae heredi legatarioue, ſi cepiſſet, incubuiſſent, poſtremo capite docebimus, et ad hoc ipſum caput monuit CAIVS (*c*), dum ſcripſit: *Dicitur, ex aſſe hereditates ex Silaniano cum fiſcus vindicaſſet, vt nec libertates nec legata tueatur, quod aperte nullam habet rationem, quum ex quibuslibet aliis cauſſis fiſco vindicatis hereditatibus, et* LIBERTATES *et* LEGATA *maneant*.

III. Alterum caducorum genus capite ſexto hunc in modum deſcribitur: SIVE CAELIBI VEL ALTERI CVIVIS PLVS, QVAM EX H. L. LICEBIT, RELICTVM ERIT. Caelibem iam puberem nihil capere potuiſſe ex aliorum teſtamentis, niſi teſtatori cognationis vinculo iunctum, ſuperiore libro demonſtrauimus. Si quid ergo ei relictum fuerat; id tanquam caducum vindicabat aerarium, niſi intra centum dies, cretioni olim praefinitos, vxorem ducendo nubendoue, legi paruiſſet (*d*). Quamuis enim obſtare videatur regula Catoniana, quam CELSVS (*e*) ad hoc ipſum caput refert et interpretatur, quippe qua cautum, vt *quod, ſi teſtator teſtamenti facti tempore deceſſiſſet, inutile foret, id legatum, quocumque tempore deceſſerit, non valeret*: tamen, ipſo monente CELSO, haec definitio in quibuſdam falſa eſt, nec ad nouas leges, teſte VLPIANO (*f*), pertinet. Poterat itaque caelebs legatum capere, ſi intra centum dies legi pareret: alias fiſco erat locus. Quod quum moleſtum eſſet teſtatoribus, ignaris, vtrum tempore apertarum tabularum heres vel legatarius caelebs adhuc futurus ſit, an habiturus vxorem: id agere ſolebant, vt aerarium vel fiſcum, quoquo modo excluderent. Eo ſane comparatum erat elegans iſtud εὕρημα, cuius ad hoc caput meminit VLPIANVS (*g*). Teſtator L. Titio, ob caelibatum incapaci, legauerat decem, ſperans fore, vt ante mortem ſuam vxorem duceret. Veritus autem, ne, ſi in caelibatu permaneret, fiſcus id legatum praerepturus et Titio nihil relicturus ſit: hac formula fuerat vſus: HERES MEVS L. TITIO DECEM DARE DAMNAS ESTO, ET QVANTO QVIDEM MINVS PER LEGEM, (Tribonianus de ſuo addidit *Falcidiam*,) CAPERE POTERIT,

(a) L. 34. D. *de verb. oblig.*
(b) PAVLL. *ibid. d. L. 40. §. vlt. de leg. 2.*
(c) CAI. *Lib.* XI. L. 14. D. *de iure fiſci.*
(d) VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1.
(e) CELS. *Lib.* XIII. L. 1. *D. ad reg. Cat.*
(f) *L. 5. D. eod.*
(g) VLP. *Lib.* XIII. L. 64. *D. ad L. Falcid.*

TANTO AMPLIVS EI DARE DAMNAS ESTO. Quaerebatur, an, praereptis a ſiſco decem illis, Titio legatis, heres nihilominus Titio alios decem praeſtare teneretur? Reſpondebat VLPIANVS *ſententiae teſtatoris ſtandum eſſe*. Accipiebat itaque hoc caſu ſiſcus decem, Titio legatos, tanquam caducos: ſed heres tunc eam iacturam reſarcire tenebatur Titio: idque ſiſcus, cui iam ſatisfactum fuerat, iure non impediebat. Saepe etiam fiebat, vt legatarii caelibis intereſſet, ſpeciem quandam, veluti fundum, domum, ſeruum habere. Quum autem eius legati incapax eſſet, operam dabat teſtator, vt, ſi non lucrum, rem ſaltim haberet. Hinc fundum v. c. centum dignum, ita legabat: SI CENTVM HEREDI, VEL ALII CVILIBET DEDISSET. Quaeſtio incidebat, an ſiſco locus eſſet? Idque procul dubio erat negandum, quia ita legatarius nihil capiebat lucri, rem accipiens pro iuſto pretio. Sed quum videretur id legatum inutile, quo legatarius nihilo fieret locupletior: reſpondit TER. CLEMENS (a), VBERRIMVM *videri eſſe legatum: nam alias intereſſe legatarii, fundum potius habere, quam centum: ſaepe enim confines fundos etiam ſupra iuſtam aeſtimationem intereſſe noſtra adquirere*.

Nec tantum, quod caelibi, ſed et, quod ALTERI CVIVIS PLVS, QVAM PER H. L. LICEBAT, RELICTVM FVERAT, tamquam caducum aerario vel ſiſco deferebatur. Sic orbi non capiebant vltra ſemiſſem. Si quid vltra relictum eſſet, id ſiſcus occupabat, niſi ante apertas tabulas, filium filiamue ſuſtuliſſent. Et quamuis additum fuiſſe videatur: PER HANC LEGEM: non minus tamen legi caducariae locus erat, ſi quis per aliam nouam legem tantum, quantum relictum fuerat, capere non poſſet. Hinc VLPIANVS (b) etiam quod Latino Iuniano relictum fuerat, caducum eſſe ſcribit, niſi intra centum dies iura Quiritium conſequeretur. Id quod ſane non eſt ex lege Iulia et Papia Poppaea, ſed ex Iunia Norbana. Verum eius rei rationem eleganter reddidit PAVLLVS (c), cum ad hoc caput ſcripſit: *Sed et* POSTERIORES LEGES *ad priores pertinent, niſi contrariae ſint, idque multis argumentis probatur*. IAC. enim GOTHOFREDO, id fragmentum ad regulam Catonianam referenti, vel ideo adſentiri non poſſumus, quod regula Catoniana non fuit lex, vt ad eam lex Papia Poppaea referri potuerit, ſed canon, a ICto inuentus. Commodior itaque ſenſus eſt, caducariam legem etiam locum habere in iis, quae lex Iunia Norbana capere vetuerit libertinos Latinos, quia haec lex, tametſi Iulia et Papia poſterior, ei tamen non repugnet.

Semper itaque aerarium occupabat, quod cuicumque incapaci fuerat relictum. Seruo autem inſtituto, nonnunquam incidebat quaeſtio; cuius ex perſona aeſtimanda eſſet capacitas? Equidem ſi ſeruus Titii caelibis eſſet inſtitutus, nullum erat dubium, quin ſiſco locus eſſet, quia alias in fraudem legis cuique incapaci per ſeruos relinqui quiduis potuiſſet. Nec ambigebatur, quin, ſi Stichus ſeruus communis inſtitutus heres alterum dominum capacem, alterum incapacem haberet, ſiſcus portionem huic adquirendam occuparet. Sed paullo incertior res erat, ſi quid ad ſeruum hereditarium, hereditate iacente, peruenturum eſſet ex teſtamento. Quam bellam ſpeciem ad hoc caput tractauit CAIVS (d). Quum enim, ſeruo hereditа-

(a) TER. CLEM. *Lib.* XIII. L. 54. *D. legat.* 2.
(b) *Tit.* 22. §. 111.
(c) PAVLL. *Lib. V.* L. 28. *D. de Legib.*
(d) CAI. *Lib.* XII. L. 55. §. 1. *D. de legat.* 2.

ditario legatum fuiſset : non parum diſceptabatur tractantibus de capacitate, herediſne an defuncti perſona, an neutrius, ſpectanda eſset? *Et poſt multas varietates demum placuit, vt, quia* NVLLVS SIT DOMINVS, *in cuius perſona de capacitate quaeri poſſit, ſine vllo impedimento legatum adquireretur hereditati, atque ob id omnimodo ad eum pertineret, quicunque poſtea heres exſtiturus ſit, ſecundum quod accipere poſſit, reliqua autem pars ad eos, qui iure vocentur, veniret.*

Id omne, de quo diximus, lex noſtra CADVCVM ESSE, POPVLOQVE VINDICARI IVSSERAT. Omnia enim quaſi caduca et caduca olim in aerarium, poſteaque in fiſcum principis, illata fuiſse, haud ſemel monuimus. Huic ergo locus fuiſse videtur, etſi heres vel legatarius incapax rem ſe vſucepiſse adfirmabat. Id enim mihi colligere poſse videor ex fragmento PAVLLI (*a*): *conſtat eum, qui teſtamentifactionem habet, pro herede vſucapere poſſe*. Quum itaque cum incapace non eſſet teſtamentiſactio: is nec pro herede nec pro legato vſucapiebat. Nam *et legatorum nomine nemo poteſt vſucapere, niſi is, cum quo teſtamentiſactio eſt, quia ea poſſeſſio ex iure teſtamenti proficiſcitur*, inquit IAVOLENVS (*b*). Et HERMOGENIANVS (*c*): *pro legato vſucapit, cui* RECTE *legatum relictum eſt: ſed et, ſi* NON IVRE *legatum relinquatur, vel legatum ademptum eſt, pro legato vſucapi, poſt magnas varietates obtinuit*. Vbi RECTE *relictum* dicitur, quod relictum capaci, NON IVRE *relictum*, quod non ea forma, quam leges requirunt, relictum, quemadmodum *iniuſtum* vel *non iure factum* vocatur teſtamentum, cui externae iuris ſollemnitates deſunt (*d*). Incapax ergo, quod ſibi relictum fuerat, nec pro herede, nec pro legato vſucapiebat: aſt qui ex teſtamento non iure facto, vel ex codicillis teſtamento non confirmatis ceperat, eum vſucapere poſſe, poſt multas varietates demum obtinuit. Deinde fiſcus non praeferebatur incapaci inſtituto, ſi hereditas non ſoluendo eſſet. Quum enim *capere* in tota hac lege cum effectu accipiatur, neque is *capere* videatur, qui ſit reſtituturus (*e*): iſtius ſane nullum lucrum erat, quod fiſcus praeriperet, cui adita hereditate creditores bona omnia hereditaria adimebant. Bona autem ſemel auctoritate iudicis poſſeſſa a creditoribus vendebantur, praeter ſtatuas in publico poſitas. Has enim *bonis diſtractis eius, cuius in honorem poſitae erant, non eſſe emtoris bonorum, ſed aut publicas, ſi ornandi municipii cauſſa poſitae eſſent, aut eius, cuius in honorem poſitae erant, et nullo modo detrahi poſſe*, ex FVFIDIO obſeruat PAVLLVS (*f*). Ex quo et CAII fragmentum intelligitur. Quum enim Titius obaeratus Maeuium incapacem inſtituiſſet, et bona eius a creditoribus poſſeſſa venirent: creditores, perfecta venditione, ſed bonis nondum traditis, ſeruum manumiſerant: quaerebatur, an libertas rata ſit? Sane ſi heres manumiſiſſet, nihil egiſſet ob legem Aeliam Sentiam. Aſt quum ipſi creditores, qui bona vendiderant, ſeruo donaſſent libertatem: CAIVS (*g*) ad hoc caput reſpondet: *eum, qui venierit, venditor, et promiſſor, quem promiſerit manumittere poteſt*. Quamuis enim ſeruus cum reliquis bonis eſ-

(a) PAVLL. *Lib. V. L. 4. D. pro herede.*
(b) L. 7. *D. pro legato.*
(c) L. 9. *D. eod.*
(d) L. 1. *D. de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.*
(e) L. 71. *pr. D. de verb. ſignif.*
(f) *Lib. V. L. 29. D. de reb. auct. iud. poſſid.*
(g) CAIVS *Lib. XII. L. 18. D. de manumiſſ.*

ſet venditus, vel promiſsus bonorum emtori, neque dubitari poſset, quin hic aduerſus venditores vel promiſſores recte ageret in id, quod intereſſet: ante traditionem tamen venditores vel promiſſores *perſeuerabant domini*, *et ideo manumittendo libertatem ſeruo hereditario* iure *praeſtabant*, vti reſcripſit ALEXANDER Imperator (*a*). Haec ſunt, de quibus occaſione huius capitis ſexti diſputarunt interpretes: iam reliquum eſt, vt ad ſeptimum progrediamur.

IIII. Hoc ſeptimo capite tertius caſus, quo caduca fiebant, ita deſcribitur: SIVE HERES LEGATARIVSVE POST MORTEM TESTATORIS ANTE EVENTVM CONDITIONIS DEFICIAT. Relictum aliquid fuerat vel pure, vel ſub conditione, vel in diem, eumque vel certum, vel incertum. Si quod pure, vel in diem certum relictum, poſt aditam hereditatem apertaſue tabulas deficeret, id fiſcum non reddebat locupletiorem, quia hereditas adita, legatumue, ad heredes tranſmittebatur. Sin ſub conditione, vel in diem incertum, qui pro conditione erat (*b*), aliquid relinqueretur, fiſcus illud occupabat tanquam caducum, modo heres legatariuſue, ante conditionis euentum, vel ante exſiſtentem diem defeciſſet, quia antea dies huiuſmodi legati non cedit (*c*). Hinc CAIVS refert, quum in teſtamento expreſſum eſſet: TITIO, SI VOLVERIT, DO LEGO: id legatum Proculo conditionale viſum eſſe, Titiumque illud ad heredes non tranſmiſiſſe, niſi ipſe, ſe velle, viuus declaraſſet. Idem (*e*) alio loco hanc ſpeciem tractat. Titius libertatem legauerat Sticho, ſub conditione, SI REDDIDERIT RATIONES. Reddiderat, ſed nondum reſtituerat reliqua: quaerebatur, an et id ad conditionis euentum pertineret? Adfirmat id CAIVS, ſimulque quaerit, ſi ita legatum fuerit: STICHVS, QVVM RATIONES REDDIDERIT, CVM CONTVBERNALI SVA LIBER ESTO, an Sticho ante conditionis euentum mortuo, contubernalis eius ad libertatem adſpiret? Id quoque adfirmat CAIVS, ex ea ratione, quod duplex id videatur legatum, et non vtrique, ſed Sticho, conditio reddendarum rationum iniuncta fuerit. Aſt IVLIANVS tamen cenſebat, magis videri hoc caſu vtrique eam conditionem adſcriptam, ac proinde contubernalem, ſi Stichus nulla reliqua habuerit, ſtatim liberam fieri poſſe: ſin habuerit, eam non niſi numerata ea pecunia, quam tamen e peculio ſuo dare nequeat, libertatem conſequuturam. Quae ſane Iuliani deciſio rationi conſentanea quam maxime videtur. Quamuis enim non a contubernali, ſed a Sticho rationes reddi iuſſiſſet teſtator: noluerat tamen contubernalem liberari, niſi redditis rationibus, eique adeo hanc conditionem non minus, quam Sticho, adſcripſerat. Haec occaſione legis noſtrae diſputauit CAIVS, vt, quid ſit ANTE EVENTVM CONDITIONIS DEFICERE, eo facilius intelligeretur. Quem in finem etiam alio loco (*f*) eleganter obſeruat, ſi ſub conditione inſtituto heredi alius ſit ſubſtitutus, hunc *pure inſtitutum intelligi*, *niſi conditio eadem* diſerte *repetita ſit*. Ex quo ſequitur, vt Titio herede ſcripto, ſi nauis ex Aſia redierit, eique ſubſtituto Maeuio, hic defuncto ante nauis reditum Titio, hereditatem adire, et aditam, excluſo fiſco, ad heredes tranſmittere potuerit, etiamſi nauis ex Aſia nunquam redierit.

V. Et

(a) L. 3. C. *de his qui a non dom.*
(b) L. 75. D. *de cond. et dem.*
(c) L. vn. §. 12. C. *de cad. toll.*
(d) CAI. *Lib. XIII.* L. 69. D. *de cond. et dem.*
(e) CAIVS *Lib. XIII.* L. 31. D. *de ſtat. lib.*
(f) CAI. *Lib. XIII.* L. 73. D. *de hered. inſt.*

V. Et haec igitur CADVCA ERANT, POPVLOQVE, vel poſtea Principi, vti reliqua, DEFEREBANTVR ante tempora IVSTINIANI. Is vero primus caduca funditus ſuſtulit, ſtatuitque *primo*, vt et clauſis tabulis hereditatem adire liceret: *deinde*, vt dies legatorum et fideicommiſſorum, pure vel in diem certum relictorum, non ab apertis tabulis cedat, ſed a morte teſtatoris, adeoque ſtatim ad heredes tranſmittatur, exceptis iis legatis, quae non tranſmittuntur, quorumque dies ideo iam antiquitus ab adita demum hereditate ceſſit, vti vſusfructus, vſus, habitationis, libertatis. Tum *porro*, vt hereditas nondum adita non quidem tranſmittatur, niſi heredes ſint ſui, vel extranei intra ſpatium deliberandi defecerint, nec legati ſub conditione vel in diem incertum relicti dies ante euentum conditionis cedat: ſed ea omnia tamen, ſi defecerint, non fiſcus occupet, ſed vel is, a quo relicta ſint, vel ſubſtitutus, vel coheres collegatariuſue capiat, iure adcreſcendi in vſum reuocato. Quae omnia copioſe exſequitur IVSTINIANVS in luculenta, quam ſaepe laudauimus, conſtitutione (*a*), quamque etiamnum in ipſis obtinere rerum argumentis, ſatis conſtat.

(a) L. *vn.* §. 5. *ſequ.* C. *de caduc. toll.*

C A P V T VII.

AD CAPITA LEGIS VIII. ET VIIII.

DE BONIS EREPTITIIS ET VACANTIBVS.

I. *Caput octauum de bonis ereptitiis egit: Eius ſententia.* II. *Haec quoque bona aliquando dicta caduca. Quae vt indignis eripiantur. Ea aerarium, poſtea fiſcus, occupauit. Aliquando aerario vel fiſco quaedam perſonae praeferebantur.* III. *Caput nonum de bonis vacantibus. Eius ſententia.* IIII. *Caduca etiam Tacito dicuntur vacantia. Non adita a defuncto hereditas legatumue ab eo non agnitum vacare dicebatur. Quae legata agnoſcenda? Legatorum diſcrimen. Aerarium etiam occupabat hereditatem omiſſam vel legatum repudiatum.* L. 59. D. de leg. 2. *explicata.* V. *Ius nouum.*

I. PRoxima ſunt bona EREPTITIA, ſeu ea, quae vt indignis auferuntur, de quibus quum VLPIANI (*a*) fragmentum ex libro XIV. exſtet: veroſimile eſt, de illis egiſſe caput legis noſtrae nonum, quod tale fuiſſe arbitramur:

Quae hereditas, quodue legatum, tanquam indigno erepta ereptumue erit, illa illudue populo defertor.

II. Ait lex: QVAE HEREDITAS LEGATVMVE TANQVAM INDIGNO EREPTA EREPTVMVE ERIT. His enim fere verbis eam vſam eſſe, vel inde patet, quod haec bona ideo EREPTITIA adpellantur VLPIANO (*b*): Ali-

(a) VLP. *Lib. XIIII. Lib. 9. D. de his quae vt indign.* (b) *Fragm. tit. XVIIII.* §. 17.

Aliquando, licet minus accurate, et haec *caducorum* nomine veniunt (*a*), quia non minus ac caduca fiſco vindicantur. Non obſcura tamen eſt inter caduca et ereptitia differentia. *Caduca* deficientibus poſt mortem teſtatoris et ante apertas tabulas heredibus vel legatariis fiunt: ereptitia etiam heredibus legatariiſue exſtantibus et ſuperſtitibus auferuntur (*b*). Illa ſuſtulit Iuſtinianus: haec illibata ſeruauit. Ceterum hoc caput non ſolum ad LEGATA pertinet, ad quae titulum *de his, quae vt indignis auferuntur*, retulit Tribonianus, verum etiam ad ipſas HEREDITATES. Vnde et hereditates legataue recte iunguntur in rubrica huius tituli Baſilicorum (*c*): *περὶ τούτων ἐξ ὧν τὰ καταλειφθέντα ληγάτα ἢ κληρονομίαι ὡς ἀναξίων ἀφαιροῦνται*: *De iis, quibus vt indignis legata vel hereditates auferuntur*. Loquitur autem lex de hereditatibus legatiſue, QVAE TANQVAM INDIGNIS ERIPIVNTVR: nec videntur legislatores nominatim expreſſiſſe, quinam indigni ſint, quibuſue, quod relictum eſſet, auferatur, quia id iam ex aliis legibus ſatis conſtabat. Sane cauſſae illae, ob quas iura hereditatem legatumue indignis eripi iubent, non omnes legi Papiae, ſed pleraeque aliis legibus et SCtis originem debent. Quare et CONSTANTIVS (*d*) non vni, ſed pluribus legibus id ius tribuit, dum bonorum meminit, *quae indignis*, LEGIBVS COGENTIBVS, *auferuntur*.

Tanquam indignis autem auferebatur, quod relictum erat, vel ob delictum, vel ob neglectam teſtatoris voluntatem. Ob delictum indigni beneficio teſtatoris iudicabantur, qui occiderant defunctum (*e*), vel qui eius morti cauſſam culpa vel negligentia ſua prebuerant (*f*): qui eius necem vindicare omiſerant (*g*): qui capitales cum teſtatore ſuſceperant inimicitias, eiue proterue maledixerant, vel plane mouerant controuerſiam ſtatus. Quas cauſſas prae ceteris ad hanc legem noſtram vrget VLPIANVS (*h*). Nec minus in defunctum eiuſue Manes vel in ipſam rempublicam peccaſſe videbantur, qui ei graue aliquod crimen in iudicio obiecerant (*i*): qui, ſpe improbe feſtinata, bona ſibi ex legitima ſucceſſione obuentura donatione alioue pacto contra bonos mores in alterum tranſtulerant (*l*): qui contra mandata pupillam ſibi commiſſam, vel mulierem in ea prouincia, in qua officium gerebant, duxerant (*m*): qui expilatae hereditatis fuerant conuicti (*n*): qui ſe tacito fideicommiſſo obſtringi paſſi fuerant ad bona in fraudem legis noſtrae incapacibus reſtituenda (*o*): denique, qui commiſſo adulterio adulterae morientis liberalitatem meruerant (*p*).

Sed et iis hereditas legatumue videbatur auferendum, qui aliquid contra ſupremum teſtatoris iudicium commiſerant, veluti eum teſtari prohibendo, cogendoue (*q*): teſtamentum eius falſi arguendo, vel tanquam inofficioſum irrito euentu impugnando (*r*): tabulas eius celando vel ſupprimendo (*s*): petita bonorum poſſeſſione contra tabulas, hereditatem ex ſubſtitutione pupillari

(a) *L. 9. D. de SCto Silan.*

(b) *l. pen. D. de iure fiſci L. 25. D. ad L. Corn. de falſ.*

[c] *Lib. LX. tit. XXXXII. p. 734. Tom. VII.*

(d) *L. 26. C. Theod. de adpellat.*

(e) *L. 7. §. 4. D. de his quae vt indign.*

(f) *L. 3. D. eod.*

(g) *L. 17. L. 20. L. 21. D. eod.*

(h) *VLP. Lib. XIII. L. 9. D. ed.*

(i) *L. 1. D. eod.*

(l) *L. 2. §. 3. D. eod.*

(m) *L. 2. §. 1. ſeq. D. eod.*

[n] *L. 6. D. eod.*

(o) *L. 10. §. 18. L. 23. D. eod.*

(p) *L. 13. L. 14. eod.*

(q) *L. 19. D. eod.*

[r] *L. 5. pr. §. 1. L. 15. D. eod.*

(s) *L. pen. C. de legat.*

pillari adeundo (*a*) : a tutela teſtamentaria ſeſe excuſando (*b*) , aliudue quidquam committendo , quod teſtatorem ad expungendum heredis vel legatarii nomen induxiſſet (*c*).

Aſt harum cauſſarum quaedam demum poſt legem noſtram caducariam SCtis vel principum conſtitutionibus inuectae ſunt . Ob mortem enim teſtatoris, culpa heredis vel legatarii acceleratam, id quod relictum erat , ex reſcripto Antonini Pii (*d*) ; ob nomen a teſtatore inductum ex reſcripto Marci Aurelii Antonini (*e*) ; ob nuptias tutoris cum pupilla ex SCto Antonini eiuſdem et Commodi temporibus facto (*f*) ; ob matrimonium cum muliere prouinciali initum (*g*) , et delatum teſtatoris nomen ex reſcriptis Seueri et Antonini (*h*) ; ob expilatam hereditatem ex reſcripto Antonini Pii (*i*) , ob celatas denique teſtamenti tabulas ex conſtitutione IVSTINIANI (*l*) eripitur . Ex ipſa tamen lege noſtra eſt , quod hereditas legatumue ei tanquam indigno eripiebatur , qui tacitam fidem in fraudem legis teſtatori accommodauerat (*m*) : de quo iure plura infra ad caput huius legis x. dicemus. Iam id obſeruamus, eam fideicommiſſi taciti poenam Senatuſconſulto etiam ad eos eſſe porrectam , qui fidem ſuam in fraudem legis Falcidiae clam accommodaſſent . Id enim PAPINIANVS (*n*) et CAIVS (*o*) diſerte teſtantur.

Ceterum de his lex noſtra cauit , VT POPVLO DEFERRENTVR . Aeque igitur ac caduca aerario, poſteaque fiſco, vindicabantur . Hinc in legibus, quae ad bona ereptitia pertinent, frequentiſſimae ſunt phraſes : *Fiſco locus eſt* (*p*) : *Bona ad fiſcum venient* (*q*) : *Fiſcus cum ſuo onere ſuccedit* (*r*), quamuis in lege 6 , quae MARCELLI eſt , Tribonianus ex ſuo inſtituto *fiſcum* pro *aerario* videatur repoſuiſſe , ſiquidem MARCELLVS Caracallae imperium, ſub quo fiſco huiuſmodi bona vindicari coeperant, non attigit. Quemadmodum autem aerarium vel fiſcus caduca non ſemper cepit : ita nec ſemper in bonis ereptitiis excluſit eos, a quibus relicta fuerant. Teſtis eſt IVSTINIANVS (*s*), qui, vbi de bonis ereptitiis agit : *Quae autem*, inquit, *antiquis legibus dicta ſunt de his , quae vt indignis auferuntur , et nos ſimili modo intacta ſeruamus , ſiue in noſtrum fiſcum , ſiue* IN ALIAS PERSONAS *perueniant*. Et VLPIANVS (*t*): *Lege nobis adquiritur*, *velut caducum*, *vel* EREPTITIVM *ex lege Papia Poppaea* . Indigni itaque ſemper hereditate vel legato excidebant : ſed non ſemper id lucrum aerarium vel fiſcus intercipiebat , verum aliquando illud ſubſidebat in hereditate , vel coheredi accreſcebat, vti accurate docuit SCIPIO GENTILIS (*v*) . Ita ſane , excuſante ſe tutore teſtamentario (*x*) , legatario celante tabulas (*y*) : ortaque inter hunc et teſtatorem inimicitia capitali (*z*) , id quidem , quod reli-

[a] L. 2. *princ. D. de his quae vt indign.*
[b] L. 5. §. 2. *eod.*
[c] L. 12. L. 16. §. 2. *D. eod.*
(d) L. 3. *D. eod.*
(e) L. 12. L. 16. *eod.*
(f) L. 2. §. 1. *eod. iunct.* L. 36. L. 62. D. *de rit. nupt.*
(g) L. 3. §. 1. D. *eod.*
(h) L. 1. D. *eod.*
[i] L. 6. *eod.*
[l] L. 24. C. *de legat.*
(m) L. 33. D. *de adqu. hered.*
(n) L. 11. D. *de his quae vt indign.*
(o) L. 23. D. *eod.*
(p) L. 2. §. 1. D. *eod.*
(q) L. 6. L. 12. *eod.*
[r] L. 16. §. 2. *eod.*
[s] L. *vn.* §. 12. C. *de caduc. toll.*
[t] *Fragm. tit. XVIIII.* §. 17.
(v) *De iure adcreſc. cap.* 10.
(x) L. 5. §. 2. D. *de his quae vt indign.*
(y) L. *pen.* C. *de legat.*
(z) L. 9. D. *de his quae vt indign.*

Digitized by Google

relictum fuerat, tanquam indignis videbatur auferendum, ſed ita, vt non aerarium vel fiſcus id occuparet, ſed vniuerſum in hereditate ſubſideret. Similiter, ſi vnus ex aſſe heres, tanquam indignus, priuandus erat, res ad cauſſam inteſtati rediiſſe videtur. Sed haec quidem non ad regulam, verum ad exceptionem pertinent. Quaecumque enim bona ereptitia leges non diſerte deferunt certis perſonis, ea ordinarie populo, vel iure nouo fiſco ſummi imperantis, deferuntur.

III. Iungimus huic capiti octauo nonum, quod de bonis vacantibus egiſſe, ex fragmentis TER. CLEMENTIS (a) et CAII (b) liquido conſtat. Ex his autem et L. vn. §. 5. C. de caduc. toll. tale hoc caput fuiſſe didicimus:

Si ante aditam hereditatem agnitumue legatum per damnationem, ſinendi modo, vel per praeceptionem relictum heres legatariuſue decedat, ſiue heres legatariuſue ius ſuum omittat repudietue, hereditas legatumue, ceu vacantia, populo vindicantor, neue heredibus deferuntor.

IIII. Bona VACANTIA diuerſimode dicuntur. Proprie eo nomine veniunt eorum bona, qui ſine herede decedunt, STRABONI (c) ἀδέσποτα, CONSTANTINO HARMENOPVLO (d) ἀκληρονόμητα dicta. Deinde et ipſa caduca *vacantia* adpellat TACITVS (e), vbi cuſtodes, id eſt, delatores ideo praemiis lege Papia Poppaea inductos ait, *vt ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus* VACANTIA *teneret*: Vbi recte addit MVRETVS: *Vacantia, deficientia*, CADVCA. Denique lex Papia Poppaea hoc vocabulum non ſolum ad legata produxit, ſed et omnia vacantium nomine complexa eſt, quae heres legatariuſue vel nolunt, vel non poſſunt capere poſt apertas tabulas. Dupliciter itaque accidit, vt bona ex hac lege fiant vacantia. Cauſſam primam ita lex exprimit: SI ANTE ADITAM HEREDITATEM AGNITVMVE LEGATVM HERES LEGATARIVSVE DECEDET. Si ante apertas tabulas heres legatariuſue deceſſerat, illa quae ei teſtamento deſtinata fuerant, *caduca*: ſin poſt apertas tabulas, ſed ante aditam hereditatem vel agnitum legatum, *vacantia* dicebantur. Et ſane hereditatem non aditam non tranſmitti, hodienum expediti iuris eſt. Sunt tamen quaedam cauſſae exceptae. Nam primo ſuus heres, quum viuo quodammodo patre dominus aeſtimetur, et quaſi ipſe ſibi heres videatur exſiſtere (f), non aditione demum hereditatem adquirit, ſed ipſo iure heres eſt, hereditatemque, etiam non aditam, ad quoſuis heredes ſuos extraneoſque tranſmittit (g). Quam primam exceptionem ita ad hoc legis noſtrae caput eleganter expreſſit CAIVS (h): *In his heredibus aditio non eſt neceſſaria, quia ſtatim ipſo iure heredes ſunt*. Deinde et ſui iuris liberis idem beneficium eatenus conceſſum eſt a THEODOSIO et VALENTINIANO Imp. (i) vt hereditatem ſibi relictam ſaltim in deſcendentes tranſmittere poſſent. Praeterea et heres extraneus, qui intra tempus deliberandi deceſſit, id, quod ex anno reliquum eſt, ex conſtitutione IVSTINIANI (l) in heredes ſuos tranſmittit, ita, vt et hi ante elapſum iſtum annum hereditatem adire, ſibique adquirere poſſint. Reliquis caſibus hereditas per cretio-

[a] TER. CLEM. *Lib. XV. L. 16. D. de opt. leg.*
[b] CAI. *Lib. XIII. L. 14. D. de ſuis et legit. her.*
[c] *Lib. XVII.*
[d] *Lib. III. tit. 1. §. 18.*
(e) *Annal. Lib. III. cap. 28.*
(f) *§. 2. Inſt. de ered. qual.*
(g) *L. 7. §. 1. D. de adqu. her.*
(h) CAI. *Lib XIII. L. 14. D. de ſuis et legit.*
(i) *L. vn. C. de his qui ante ap. tab.*
(l) *L. 19. C. de iure delib.*

Digitized by Google

tionem vel pro herede geſtionem nondum adquiſita, vel nondum petita bonorum poſſeſſio ad heredes ſuos non tranſmittebatur, idque manifeſti atque euidentis iuris eſſe aiunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA (*a*). Quidquid autem hoc modo non tranſmittebatur, id ſub nomine bonorum vacantium fiſcus occupabat.

Idem erat legatorum fatum. Nam et ea aerario vel fiſco deferebantur, SI ANTE AGNITVM LEGATVM, PER DAMNATIONEM, SINENDI MODO VEL PER PRAECEPTIONEM RELICTVM, LEGATARIVS DECESSISSET. Quamuis enim dies legatorum pure et in diem certum relictorum ab apertis tabulis cederet: diſcrimen tamen vetus legatorum efficiebat, vt in quibuſdam et agnitione opus eſſet ad illud penitus adquirendum tranſmittendumque ad heredes. Legata nimirum relinquebantur vel per VINDICATIONEM, verbis: DO, LEGO, CAPITO, SVMITO, HABETO: vel per DAMNATIONEM his formulis: HERES DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, DARE IVBEO: vel SINENDI MODO ita: HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE L. TITIVM SVMERE, SIBIQVE HABERE: vel denique per PRAECEPTIONEM his verbis: L. TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO (*b*). Iam facile patet, legata per damnationem, ſinendi modo et per praeceptionem relicta, nondum agnita tranſmitti non potuiſſe. Cui enim per damnationem relictum, is actionem perſonalem aduerſus heredem habebat ad ſoluendum legatum (*c*): ſed haec actio non prius naſcebatur, quam ſibi dari velle legatarius declaraſſet, id eſt, ſi agnouiſſet legatum. Nondum autem natam actionem non tranſmitti manifeſti certiſſimique iuris eſt: eamque rationem reddit PAVLLVS (*d*), dum ſcribit: *poſt diem legati cedentem actio, quae* INCHOATA NON EST, *ad heredem non tranſmittitur*. Cedebat itaque huius legati dies ab apertis tabulis, eatenus, vt, ſi poſtea peteretur, heres ab eo tempore et fructus et omnem rei legatae cauſſam praeſtare teneretur: ſed petendi ius demum ab agnitione legati naſcebatur, nec prius tranſmittebatur ad heredes. Multo minus ante agnitionem tranſmittebatur legatum ſinendi modo relictum. Hoc enim vtrique, puta heredi et legatario, factum aliquod iniungebat: illi, *vt fineret*, huic vt *ſumeret*. Si non ſumſerat legatarius, nec ius in re illi naſcebatur, nec ius ad rem, ſed ſola adhuc ſpes erat, quae in vltimis voluntatibus ad heredes non deuoluitur. Denique quod ad praeceptionis legatum attinet: eo modo ſoli coheredi legabatur (*e*). Coheres autem nemo erat ante aditionem. Dum is adibat hereditatem, etiam agnoſcebat legatum. Antequam itaque agnouiſſet, nihil tranſmittebat, quum ius, quod ipſe non habebat, in alios transferre non poſſet.

Solum itaque legatum per VINDICATIONEM relictum communi iſta ſorte exemtum erat, quod a momento, quo dies legati cedebat, ſine agnitione, legatario adquirebatur. Teſtator enim dum DABAT LEGABAT, ipſe *ἀμέσως* dominium tranſmittebat in legatarium, eique adeo ſtatim, apertis tabulis, naſcebatur ius in re, ex eoque ius vindicandi a quocumque poſſeſ-

(a) *Cod. Hermog. tit. XI. §. 1.*
(b) VLP. *tit. XXIIII. §. 11.* CAI. *Inſt. Lib. II. tit. 5.*
(c) *L. 14. ff. de vſu et vſufr. leg.*
(d) *Recept. Sent. Lib. III. tit. 6. §. 3. B.*
(e) *Ibid. §. 7.*

ſore. Siue itaque ante agnitionem deceſſiſſet, ſiue legatum ad ſe pertinere, iam conſtituiſſet: illud tranſmittebat ad heredes, nec aerario vel fiſco erat locus, modo iam patefactae eſſent tabulae teſtamenti. Et ita intelligenda ſunt verba PAVLLI (a): PER VINDICATIONEM *legatum*, *etſi nondum conſtituerit legatarius*, *ad ſe pertinere*, *atque ita poſt apertas tabulas ante aditam hereditatem deceſſerit*, *ad heredem ſuum tranſmittit*. Quod et VLPIANI (b) locus a Triboniano ſeruatus praeclare docet.

Quibus recte intellectis, iam facile patet, cur ad caput noſtrum ſcripſerit TER. CLEMENS (c): *Optione legata*, *placet non poſſe ante aditam hereditatem optari*, *et nihil agit*, *ſi optaretur*. Quamuis enim et optionis legatum per vindicationem relinqui poſſet: dubium tamen non erat, quin legatarius illud ad heredes non tranſmittat, niſi ipſe viuus optaſſet. Ineſſe enim huic legato videbatur conditio, *ſi legatarius viuus elegerit:* qua conditione non exſiſtente, expediti iuris erat, ius optandi ad heredes non tranſiiſſe (d). Id non ignorantes legatarii, feſtinare, et ante hereditatem aditam optare ſolebant, ne ea ſpes legato potiundi heredibus ſuis fatis praeproperis incideretur. Sed ita feſtinantem nihil agere, definit TERENTIVS, idemque et IVLIANO, teſte PAVLLO (e), placuit. Si itaque, antequam optaſſet, legatarius decederet: legatum populo boni vacantis nomine deferebatur.

Hic primus caſus, quo hereditates legataque bonis vacantibus accenſebantur. Accedit iam alter: SIVE HERES LEGATARIVSVE IVS SVVM OMITTAT REPVDIETVE. Teſtis huius iuris eſt VLPIANVS (f): *Legem Papiam Poppaeam*, *partem non adeuntis caducam facere*, *et loco non adeuntis ea lege aerarium partis heredem fieri*, ſcribens. Idem alio loco (g) de legatis: *poſt legem Papiam Poppaeam*, inquit, *non capientis pars caduca fit:* vbi loco vtroque generatim CADVCVM vocat, quodcumque fiſcus praeripit heredibus vel legatariis. Proinde et hereditas omiſſa, et legatum repudiatum accenſebantur bonis vacantibus, itemque *ſi quis*, *ad quem bonorum poſſeſſio pertinebat*, *ius ſuum omiſerat* (h). Et huc pertinent ſpecies perbellae, tractatae a TER. CLEMENTE (i). Titius fundum eumdem legauerat Seio eiuſque ſeruo, Sticho: illi pure; huic vel pure vel ſub conditione. Si Seius legatum vtrumque agnouiſſet, totum adquiſiuiſſet fundum. Aſt ſuam partem Seius repudiabat, poſteaque exſiſtente conditione, legatum Sticho relictum agnoſcebat. Quaeſtio erat, an hanc partem poſſet petere? Reſponſum eſſe refert TERENTIVS, *partem legati deficere*. Eiuſque deciſionis non obſcura ratio eſt. Quia enim fundus re ipſa totus Titio legatus fuerat, legatarius autem pro parte adquirere, pro parte repudiare legatum non poteſt (l): omnino Titius, ſua repudiata parte, id quoque, quod ſeruo relictum fuerat, repudiaſſe videbatur. Aſt TER. CLEMENS tamen ab hac opinione ſeiungit ſententiam ſuam, pergitque: *niſi*, *ſi quis dubitet*, *an exſiſtente conditione*, *ſi ſeruus viuat*, *omnimodo legatum meum fiat*, *quod ſemel ad me pertinere voluerim*. *Quod aequius eſſe videtur*. Paullo obſcuriora haec quibuſdam videntur: atque hinc et veteres quidam, et e recentioribus

(a) *Ibid. Lib. III. tit. VI. §. 7.*
(b) L. 12. §. 7. D. *quando dies leg. ced.*
(c) TER. CLEM. *Lib. XV.* L. 16. D. *de opr. leg.*
(d) §. 23. *Inſt. de legat.*
(e) L. 10. *D. de leg.* 1.
(f) *Fragm. tit. I. §. 21.*
(g) *Tit. XXIIII. §. 12.*
(h) VLP. *tit. XXVIII. §. 7.*
(i) TER. CLEM. *Lib. XV.* L. 59. *D. de leg.* 2.
(l) L. 38. *D. de leg.* 1.

Digitized by Google

ribus Rvssardvs, et Charondas legunt: *quod ſemel ad me pertinere voluerit*, idque de t..ſtatore interpretantur. Sed ea admiſſa emendatione, tota deciſionis ratio periret. Ait enim ICtus, potius videri *exſiſtente conditione, ſi ſeruus adhuc viuat*, et iuſſu domini legatum agnoſcat, *omnimodo*, id eſt *totum*, *domini fieri*, eiuſque deciſionis ſuae hanc addit rationem, *quod ſemel* dominus id *legatum ad ſe pertinere voluerit*, id eſt, quod non agnitione duplici vnius eiuſdemque legati opus ſit, ſed ſufficiat, vel eius partem ſemel agnoſci, ſiquidem, vt recte Caivs (a) ſcribit, *qui rem legatam omnino* ALIQVA EX PARTE *ſuam eſſe voluit, totam adquirit*. Proinde inuertit argumentum, quo deficere partem legati, alii probauerant, idque telum veluti retorquet. Si enim legatum pro parte adquiri, pro parte repudiari non poteſt, conſequens eſt, vt altera parte agnita et adquiſita, pars quoque altera antea repudiata adquiratur. Quam deciſionem ſuam Ter. Clemens vel ideo aequiorem exiſtimare potuit, quod iureconſultorum interpretationes fauere non ſolerent legi caducariae, iſque Modestino (b) aliiſque iureconſultis cordatioribus *delinquere* non videretur, *qui in dubiis quaeſtionibus contra fiſcum tacite reſponderit*. Addit poſtremo Ter. Clemens: *idem eſt, et ſi duobus ſeruis meis eadem res legetur*. Nam et tunc Stichi parte repudiata, alteram Dauo ſub conditione legatam, exſiſtente conditione, eoque viuo, agnoſcere, agnoſcendoque totum legatum adquirere poteſt dominus. Hi ſunt caſus, quibus bona fiebant vacantia, eaque tunc omnia CEV VACANTIA, POPVLO VINDICABANTVR, NEVE HEREDIBVS DEFEREBANTVR. Nec ergo heredibus deferebantur, a quibus fuerant relicta, nec accreſcebant coheredibus ſimul inſtitutis, vel legatariis coniunctis, nec denique ad heredes heredum legatariorumue deficientium tranſmittebantur: ſed a fiſco omnino praeripiebantur. Quare nec cum Iac. Gothofredo addere viſum eſt HEREDIBVS EORVM, quaſi de ſolis heredum legatariorumque heredibus lex loqueretur.

V. Sed haec duo legis caducariae capita non eadem et ſimilia fata ſubierunt. Prius enim de bonis EREPTITIIS intactum ſeruari iuſſit Ivstinianvs (c): poſterius, reuocato accreſcendi iure, veterique principio, quod dies legatorum a morte teſtatoris cedat, in vſum recepto, et ſublato denique legatorum diſcrimine, in pleriſque immutauit (d). Quamuis enim hereditas non adita hodienum ab extraneo non tranſmittatur: tamen ea non cedit fiſco, ſed vel in ſubſtitutum deuoluitur, vel coheredi adcreſcit, vel in hereditate ſubſidet, vel, deficiente herede vnico, res ad cauſam inteſtati redit. Quia etiam legati pure vel in diem certum relicti dies hodie a morte teſtatoris cedit, omniumque legatorum eadem iure nouiſſimo natura eſt: legata etiam omnia, licet nondum agnita, ad heredes legatarii tranſmittuntur. Repudiatum quoque legatum non fiſcus vindicat, ſed id vel collegatariis re vel verbis vel mixtim coniunctis adcreſcit, vel apud eum remanet, a quo relictum eſt. Quare hodie illa tantum bona vacantia ſunt, quorum nullus heres exſiſtit. Ea enim fiſco et iure nouo addicuntur (e), dum intra quadriennium, ex quo, heredem nullum exſtare, cer-

(a) L. 48. D. de legat. 2.
(b) Lib. 10. D. de iure fiſci.
(c) L. vn. §. 12. C. de caduc. toll.
(d) d. L. vn. §. 5. C. eod.
(e) L. 1. pr. C. de ſucceſſ. edict.

Digitized by Google

certum eſſe coeperit, a fiſco agnoſcantur (*a*). Fiſcus contra creditoribus tenetur (*b*), nec tamen vltra bonorum vires, etiamſi non confecerit inuentarium (*c*). Iure tamen nouo fiſco praeferuntur collegia in bonis decurionum, nauiculariorum, cohortalium et fabricenſium (*d*) et hos participes liberalitatis principalis in bonis ſibi et defunſto communiter donatis antecedunt (*e*). De quibus ipſa iuris compendia copioſe agere ſolent, quamuis mores omnium prouinciarum in vſu horum iurium non conſpirent.

(a) L. 1. §. 2. D. *de iure fiſc.* L. 10. §. 1. D. *de diu. et temp. praeſcr.*
(b) L. 11. D. *de iure fiſci.*
(c) L. 1. §. 1. D. *eod.*
(d) Tit. C. *de hered. decur. nauicul.*
(e) L. *vn.* C. *ſi liberal. princ.*

CAPVT VIII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM.

DE FRAVDIBVS, ADVERSVS H. L. COMMISSIS.

I. *CApitis decimi cum reliquis connexio, eiuſque ſententia.* II. *Quid ſit in fraudem legis aliquid admittere?* Εὑρήματα *ICtorum.* III. *Fraus legi noſtrae fiebat donationibus mortis cauſſa.* IIII. *Inſtitutionibus filiorum familias et ſeruorum, a dominis ante aditionem manumittendorum.* V. *Pecunia credita, legataque liberatione, vel debito ita legato, vt aliquanto plus ſit in legato quam in obligatione.* L. 29. D. *de legat.* 1. *leuiter emendata.* VI. *Vſufructu tanquam annuo legato relicto.* VII. *Fideicommiſſis tacitis, de quibus infra ad caput legis* XIII. *Subſtitutiones, et conditiones quaedam legatis adſcriptae fraudibus non accenſebantur.*

I. HActenus de variis bonorum generibus, quae aerario vel fiſco vindicari ſolebant, actum eſt. Quemadmodum autem priore legis parte id praecipue agebant legislatores, ne quod nuptiis impedimentum obiiceretur: ita non minore ſollicitudine opus erat, ne aerario cauſſa caduci, caducum, nec non bona ereptitia et vacantia interciperentur. Quum autem huic lucro aerarii quam maxime aduerſari viderentur non modo variae fraudes, ad eludendam legem ingenioſe excogitatae, verum etiam ius adcreſcendi antiquum, ius ſibi relicta ad heredes tranſmittendi, fideicommiſſa tacita, et caducorum occultatio: de ſingulis hiſce impedimentis actum eſſe animaduertimus capitibus proxime inſequentibus, et decimo quidem, vti ex VLPIANI libro XV. TER. CLEM. libro XVI. et PAVLLI libro VI. adparet, de fraudibus aduerſus hanc legem excogitatis, de quibus ita hoc capite cautum fuiſſe arbitror:

Ne quis in fraudem huius legis, quo magis caduca et ereptitia is, qui capere non poteſt, capiat, quidquam admittere velit.

II. NE QVIS IN FRAVDEM H. L. aiunt legislatores. In fraudem vero legis

legis aliquid admittere dicitur, *qui ſaluis verbis legis* SENTENTIAM *eius circumuenit* (*a*). Quemadmodum itaque *contra legem facere* intelligitur, qui id facit, quod lex palam et nominatim prohibet: ita fraus legi fit, *vbi, quod fieri lex noluit, fieri autem non vetuit, id fit: et quod diſtat* ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, DICTVM *a* SENTENTIA: *hoc diſtat* FRAVS *ab eo, quod* CONTRA LEGEM fit (*b*). Ingenioſiſſima enim eſſe ſolet improbitas, adeoque facile aliquid fingit atque excogitat, quo legis verba captentur, et, quod ipſe legislator diſerte non expreſſit, id ad eludendam legum vim ac poteſtatem, vel vt TACITVS (*c*) de hac ipſa lege eleganter loquitur, *ad praemia* poenaſque *legis in ludibrium vertenda*, callide adhibeatur. Caue itaque cum huiuſmodi fraudibus confundas varias iureconſultorum cautiones, quibus legem aequitate mitigabant, viaſque earum rigorem euitandi legitimas inueniebant. Quemadmodum enim fraudes legum ſententiam euertebant: ita haec ICtorum εὑρήματα erant cautiones innocuae, et nec verbis nec ſententiae legum aduerſantes, quibus obſeruatis negotia valide explicari, calumniaeque ac ſophiſticae aliorum artes prudenter euitari poſſent. Quales cautiones permultas libro ſingulari Εὑρηματικῶν complexus eſt HERENNIVS MODESTINVS, cuius non niſi fractae quaedam tabulae commune librorum iuridicorum naufragium euaſerunt (*d*).

III. Quum itaque et ſuae legi idem imminere fatum facile animaduerteret Auguſtus, qui teſte SVETONIO (*e*) iam ſua aetate *vim legis* variis artibus *eludi*, experiebatur: id operam dedit, vt omnes huiuſmodi fraudes generali ſanctione excluderet. Hinc ita ſcriptum fuiſſe videtur in lege noſtra: NE QVIS IN FRAVDEM H. L. QVO MAGIS CADVCA ET EREPTITIA IS, QVI CAPERE NON POTEST, CAPIAT, QVIDQVAM ADMITTERE VELIT. Frequentiſſima fraus erat, et a ICtis ad hoc caput praecipue tractata, quae donando admittebatur. Si quando enim ſciebant teſtatores, nec hereditatum, nec legatorum capaces eſſe eos, quibus quid relictum vellent: ſolebant illis mortis cauſſa donare. Sed eam fraudem veteres omnes veluti ex compacto damnant, tanquam contra ſententiam legis excogitatam. Hinc VLPIANVS (*f*) hanc generalem iuris regulam proponit ad hoc caput decimum: *illud generaliter meminiſſe oportebit, donationes mortis cauſſa factas* LEGATIS *comparatas. Quodcumque igitur in legatis iuris eſt, id in mortis cauſſa donationibus erit accipiendum.* Ex quo prono alueo fluit, incapacibus non magis donari, quam legari poſſe. Nec aliter PAVLVS (*g*), niſi quod is, SCto ita cautum eſſe, obſeruat, cuius occaſione varias quaeſtiones et caſus enucleat, ſed ad generalem magis doctrinam de mortis cauſſa donationibus, quam ad legem caducariam, pertinentes. Vnde iis immorari inſtituti ratio non patitur. Non magis valebat donatio in fraudem legis ea facta formula: VT NVLLO CASV SIT REPETITIO. Quamuis enim ita donari poſſit eo effectu, vt donatarius a donatore ſecurus ſit (*h*): non tamen ea formula impediebat aerarium vel fiſcum, quo minus, quod in fraudem legis ita traditum fuerat, reuocaret, et quidem, vt videtur, cum

(a) L. 29. D. *de legibus.*
(b) L. 30. D. *eod.*
(c) *Annal. Lib. XV. cap.* 19.
(d) LABITT. *Indic. p.* 244.
(e) *Aug. cap.* 34.
(f) VLP. *Lib.* XV. L. 37. *pr. D. de mort. cauſſ. don.*
(g) PAVLL. *Lib. VI.* L. 35. *pr. D. eod.*
(h) PAVLL. IB. L. 35. §. 4. *eod.*

Digitized by Google

cum fructibus et acceſſionibus omnibus, quia et *donator*, poſtquam conualuit, *mortis cauſſa donationem condicens*, *fructus quoque donatarum rerum*, *et partus*, *et quod accreuit rei donatae*, teſte PAVLLO *(a)*, *repetere poteſt*. Atqui non magis rata erat donatio, in fraudem fiſci vel aerarii facta, quam quae in fraudem donatoris, qui cogitatione imminentis periculi donans poſtea conualuerat.

IIII. Aliis quoque fraudibus vim ac poteſtatem legum eluſam eſſe, ex aliis quam plurimis fragmentis patet. Sic ſolebant quidam non ipſos incapaces, ſed eos, quos illi in poteſtate habebant, heredes inſtituere, vt, quod ipſi per ſe capere non poſſent, per liberos caperent. Similiter et ſi filius familias incapax eſſet, impune ei plus, quam lex ferebat, relinqui poſſe exiſtimabant, quia non ſibi, ſed patri adquireret. Sed et has artes reiiciunt interpretes, et in his PAVLLVS *(b)* noſter, cuius eſt haec regula iuris: *cepiſſe quis intelligitur*, *quamuis* ALTI ADQVISIIT. Quid enim intereſt, ſiue iam ſtatim filius familias ex teſtamento extranei capiat, ſiue in poſterum a patre recipiat. Subtiliſſima etiam erat ars, qua teſtatores ſeruos incapacium inſtituebant, ſub conditione libertatis. Quamuis enim dominum incapacem, nec per ſeruum capere poſſe, haud ignorarent: ita tamen callide inſtrui ſolebat ſcena, vt dominus ſeruum heredem ante aditionem hereditatis manumitteret, ac ab eo hereditatem illam ſibi, tanquam pretium manumiſſionis, clam ſtipularetur. Ita enim duo ſe conſequuturos ſperabant, primum vt nec fiſco vel aerario locus eſſet, ſi non dominus, ſed manumiſſus, hereditatem capere videretur: alterum, vt dominus nihilominus id lucrum obtineret, tanquam pretium manumiſſionis. Sed ſi fraus pelluceret, nihil actum videbatur, quantumuis alias huiuſmodi inſtitutiones eſſent licitae. Et ita intelligendus TER. CLEMENS *(c)*, qui propoſita hac ſpecie, tum demum *ſeruum* ad hereditatem *admitti* ait, SI NIHIL IN FRAVDEM LEGIS *factum eſſet*.

V. Argutum quoque eſt inuentum cuius PAVLLVS *(d)* ad hoc caput meminit. Nam primo is, qui incapaci bonorum partem deſtinauerat, ei tantumdem pecuniae credebat viuus, et poſtea heredem, vt eum liberaret, damnabat. Sed et ſic nihil egiſſe teſtatorem, facile patet. Quid vero ſi ex duobus reis promittendi alter capere poſſet, alter non poſſet, et vtrique tamen legata fuiſſet liberatio? *Tunc*, inquit PAVLLVS, *ſi ſocii non ſint*, *delegari debet is*, *qui nihil capit*, *ei*, *cui hoc commodum lege competit*: *cuius petitione vtrumque accidit*, *vt et hoc commodum ad eum perueniat*, *et is*, *qui capit*, *liberetur*. Nimirum Titius et Seius, correi promittendi debebant mille. Creditor heredem damnabat, vt vtrumque liberaret. Sed Titius caelebs id commodum capere non poterat. Si itaque heres vtrumque liberaſſet, partem Titii nihilominus exegiſſet fiſcus, iſque, ſolutis mille, a Seio dimidiam ſummam repetiiſſet, actione ceſſa ab herede: adeoque hic non fuiſſet liberatus *(e)*. Sin Seium liberaſſet ſolum, peremta etiam eo ipſo fuiſſet obligatio Titii, quia, ſoluente vno correo, vel quocunque modo ſatisfaciente, et alter liberatur *(f)*. Nec Seius aduerſus Titium

(a) PAVLL. *Lib. VI.* L. 12. *D. condict. cauſſ. dat.*
(b) PAVLL. *Lib. VI.* L. 140. D. *de verb. ſign.*
[c] TER. CLEM. *Lib.* XIV. L. 82. D. *de adqu. hered.*
(d) PAVLL. *Lib. VI.* L. 29. *D. de liber. leg.*
(e) *L.* 2. *C. de duob. reis.*
(f) *L.* 2. *L.* 3. *D. eod.*

Digitized by Google

tium actione vlla vti potuiſſet, quia pro eo nihil ſoluerat. Callide itaque PAVLLVS ſuadet, vt, quia heres Seio debeat legatum liberationis, ei deleget Titium incapacem: eo enim ſoluente, et dimidia, quam iure tunc petit Seius, ad eum ſolum peruenit, et ipſe ex teſtatoris iudicio liberatur. Quid vero ſi ſocii ſint? Tunc, inquit PAVLLVS, *propter eum, qui capax eſt, et ille capit per conſequentias, liberato illo per acceptilationem. Id enim eueniret etiam, ſi ſolum capacem liberare iuſſus eſſet*. Contra ſi incapacem ſocium ſolum liberari iuſſiſſet teſtator, neuter fuiſſet liberatus (*a*). Haec de legato liberationis. Quid ſi debitor creditori incapaci legaſſet debitum: an id quoque legatum legi aduerſabatur? Id merito negandum, ſi inutile erat legatum, id eſt, ſi nihilo plus erat in legato, quam in obligatione. Sin lucrum aliquod ineſſet: quod capere legatarius non poterat, id aerarium procul dubio praeripiebat. Et huc pertinet alterum PAVLLI (*b*) fragmentum, quo an debiti legato lucrum inſit, diſquirit, reſpondetque: *ſi neque* MODO, *neque* TEMPORE, *neque* CONDITIONE, *neque* LOCO *debitum differatur, inutile eſt legatum*. Paullo obſcurius hic eſt verbum DIFFERATVR, pro quo alii codices, notante IVL. PACIO, habent *proferatur*: ſed eodem ſenſu. Atqui quaeſtio eſt de debito legato creditori. Quo caſu quis vtile dixerit legatum, ſi debitum conditione, loco, tempore differatur vel proferatur? Manifeſtum itaque videtur, legendum eſſe *differat*: vt ſenſus ſit, ſi legatum ab obligatione neque modo, neque tempore, neque loco differat, illud eſſe inutile.

VI. Fraus etiam legi facta videtur non vſufructu, ſed reditu patrimonii omnibus annis legato: eoque pertinere videtur fragmentum VLPIANI (*c*), quod haec ſpecies illuſtrare videtur. Titius duxerat Caiam, trium liberorum, ex priore matrimonio ſuſceptorum, matrem. Moriens ei relinquebat, quantum per leges capere poterat, puta decimam matrimonii nomine, tres decimas ob liberos legatariae ſuperſtites, et praeterea tertiam partem vſusfructus omnium bonorum. Vltimum legatum his verbis conceperat: *Tertiae partis* PATRIMONII MEI REDITVM OMNIBVS ANNIS VXORI MEAE DARI VOLO. Non videbatur hoc annuum legatum, quia non in annos ſingulos, ſed omnibus annis dari iuſſerat maritus. Nec dici poterat vſusfructus legatus, quia reditus fit mentio, cuius legatum quomodo a legato vſusfructus differat, in iure notiſſimum eſt. Sed nondum eo tempore iuris expediti erat, an et reditus legatum morte legatarii exſtinguatur? Aſt hoc caſu Ariſtonem reſpondiſſe refert VLPIANVS, *ad vxoris heredem legatum hoc non tranſire, quia aut uſuifructui ſimile eſſet aut huic legato* IN ANNOS SINGVLOS. Non ſolum ex ea ratione, *quod haec mens fuiſſe teſtatoris videretur*, quam in ſimili fere ſpecie LABEO, teſte IAVOLENO (*d*), vrgebat; ſed et, quia alias in fraudem legis plus a coniuge cepiſſet coniux, quam par erat.

VII. Maxime etiam per tacita fideicommiſſa fraus legi fiebat, de quibus et ſupra diximus, et infra dicemus accuratius. Iam id addo, ſubſtitutiones fraudibus his non accenſeri conſueuiſſe, quas praecipue ad id *introductas* ait IVSTINIANVS (*e*), *ne fierent caduca, et ſi facta ſint*, non ad fiſcum,

(a) *Arg.* L. 5. §. 1. *D. de donat. inter vir. et vxor.*
(b) PAVLL. *Lib. VI.* L. 29. *de legat.* 1.
(c) VLP. *Lib. XV.* L. 22. *D. de vſufr. leg.*
(d) L. 41. *D. de vſufr. leg.*
(e) L. *vn. pr. C. de cad. toll.*

fiſcum, ſed *ad certas perſonas recurrere diſponerent*. Hinc ſi quis caelibem inſtitueret, incertus, an tempore apertarum tabularum capax futurus ſit, ad excludendum aerarium vel fiſcum vtiliter ita ſubſtituebat: *Titius heres meus eſto: ſi heres non erit, Maeuius heres eſto*. Ita enim fiebat, vt, Titio caelibe excluſo, hereditas non in caſum incideret, ſed Maeuio in hunc caſum ſubſtituto deferretur, modo et ipſe per legem capere poſſet. Nec fraudibus accenſebantur legata, iis relicta conditionibus, quas iam ad caput ſextum ex *L. 64. D. ad L. Falc. et L. 54. D. de legat. 2.* notauimus. Et hinc illis plane ſimilem conditionem ad hoc caput refert PAVLLVS (*a*). Fundum quinquaginta dignum legauerat Titius incapaci, ſub hac conditione, SI QVINQVAGINTA HEREDI DEDISSET. Fiſco hic locum non eſſe, facile patebat, quia ſic nihil lucri perueniebat ad legatarium: ſed quaerebatur, an non legatum ſit inutile? Vti vero TER. CLEMENS iam in *L. 54. D. de leg. 2.* id vtile eſſe demonſtrauerat: ita eiuſdem ſententiae eſt PAVLLVS. *Plerique*, inquit, *putant*, *vtile eſſe legatum:* ſed ratio eius illa TERENTIANA paullo eſt obſcurior. Addit enim, ideo vtile hoc legatum pleriſque videri, *quia conditionis implendae cauſſa detur*, *et conſtare*, *etiam Falcidiam eum pati poſſe*. Sed haec manifeſto redolent manum Triboniani. Procul dubio ſcripſerat PAVLLVS: *Plerique putant*, *vtile eſſe legatum*: *quia conditionis implendae cauſſa datur*: *nam conſtat etiam legem Papiam hoc legatum pati poſſe*. Vtile ergo id legatum eſſe cenſet dupliciter, quia et legatarius fundum, quem habere eius intereſt, data ad implendam conditionem pecunia, accipiat, et lex Papia huiuſmodi legatum non improbet, ex quo nullum lucrum perueniat ad legatarium. Sed vti Tribonianus pleraque fragmenta, quae ad hanc legem pertinebant, ad legem Falcidiam retulit, vt vſum aliquem, abrogatis etiam legibus caducariis, haberent: ita mirum non eſt, eum in hac quoque lege non nihil mutaſſe. Vt autem ad illam reuertamur: ſub finem PAVLLVS adiicit: *Sed ſi quinquaginta aurei legati ſint*, SI QVINQVAGINTA DEDISSET, *dicemus inutile eſſe legatum*, *et magis ridiculum eſſe*, nimirum quia ſic nihil legatum eſt, quinquaginta pro quinquaginta datis. Si quis tamen quinquaginta aureos Romanos rariores ea conditione hiſtorico legaret, ſi quinquaginta aureos daret heredi: vberrimum id videretur legatum: quemadmodum nec illud inutile eſt, ſi quis ita leget: *ſi Titius heredi meo cauerit*, *centum Maeuio ſe daturum*, *et heres meus Titio centum dato*: de quo legato agit IVLIANVS (*b*).

Sed his fraudibus non opus fuit ab eo tempore, quo IVSTINIANVS caduca ſuſtulit. Ex quo et ratio reddetur facile, cur tot conditiones paene ridiculae in pandectis occurrant, quas ſi quis hodie legatis adſcriberet, teſtatorem emotae mentis fuiſſe, deieraret. Sunt viri docti, qui huiuſmodi caſus, ſubtiliter in Pandectis enucleatos, nunquam exſtitiſſe putant, ſed ea a ICtis excogitatos arbitrantur, ad leges huiuſmodi exemplis illuſtrandas. Sunt etiam, qui ſummae ſtoliditatis arguunt Romanos, in re ſeria magno conatu maximas agentes nugas, et tot conditionibus abſurdis et ridiculis onerantes heredes et legatarios, vt vel eo tempore, quo teſtamenta conderent, operam videantur dediſſe, vt cum ratione inſanirent. Sed neutri mihi rem acu tangere videntur. Qui titulum de conditionibus et demonſtrationibus

(a) PAVLL. *Lib. VI. L. 65. D. ad L. Falc.* (b) *L. 84. pr. D. de leg. 1.*

Digitized by Google

nibus euoluerit, pleroſque caſus vere extitiſſe animaduertet. Qui vero legem noſtram aliaſque plures, quibus teſtatorum licentia adſtricta fuerat, veluti Voconiam, Falcidiam, Fuſiam Caniniam, Iuliam Viceſimariam recte expenderit: facile reddet rationem, cur tot conditionibus tam ſubtiliter inuentis vſi ſint Romani teſtatores: non ideo ſane, quod dulce iis eſſet deſipere, vel nugas agere eo tempore, quo de ſuprema ac decretoria vitae hora cogitabant, ſed quod huiuſmodi artibus opus ſibi eſſe exiſtimarent ad euitandas fiſci calumnias. Iureconſultorum vero erat diſquirere, haſne conditiones ferant leges, an tanquam in earum fraudem excogitatas reiiciant? Quod ſi hodie illae in teſtamentis noſtrorum hominum exſulant: id felicitati temporum noſtrorum acceptum ferimus, quibus tot legibus non circumſcripta ſunt ſuprema hominum iudicia. Neque tamen ideo dementiae arguendi Romani, quibus ob principum auiditatem non licebat eſſe tam candidis atque apertis in teſtando. Sane ſi quis principum hodie leges ſaltim caducarias reſtitueret, (quod omen auertat Deus!) res ipſa procul dubio doctura eſſet iureconſultos, mille conditiones aeque ſubtiles in teſtamentis exſtituras, ac olim exſtiterant apud Romanos. Natura enim ita comparatum eſt, vt, aucta legum multitudine, crimina etiam ſub ſpecie legis inuoluantur, et circumſcriptio, vti veterum nonnemo ait, per ius ad iniuriam veniat.

C A P V T   VIIII.

AD CAPITA LEGIS XI. XII. XIII.

DE IVRE ADCRESCENDI, TRANSMITTENDI ET DE TACITIS FIDEICOMMISSIS.

I. *Alterum caducis impedimentum obſtabat ius adcreſcendi, quod ſublatum capite* XI. *Eius ſententia*. II. *Iuris adcreſcendi origo. Illud in hereditatibus prius, quam in legatis, inualuit. Inter quos coniunctos id ius obtinuerit? An et inter verbis tantum coniunctos? An in legato per damnationem? Lex caducaria ius adcreſcendi in vniuerſum non ſuſtulit. Ius adcreſcendi quibus caſibus obtinuerit? quibus ſublatum ſit?* III. *Iuſtinianus illud in vſum reuocauit*. IIII. *Caput duodecimum de iure tranſmittendi egiſſe, probatur. Eius ſententia*. V. *Expoſitio capitis et vſus*. VI. *Tacita fideicommiſſa prohibita ſunt capite decimo tertio. Eius ſententia*. VII. *Huiuſmodi fideicommiſſa frequentiſſima*. L. 90. D. de legatis 3. *leuiter tentata*. VIII. *Edictum Traiani et conſtitutio Conſtantini de his, qui ſe ipſos deferunt*.

I. Capita legis caducariae proxima impedimentis, quae caducis obſtabant, remouendis deſtinata fuiſſe, capite ſuperiore obſeruauimus. Nihil autem caducis magis aduerſabatur, quam ius adcreſcendi. Portione enim deficiente coheredibus vel legatariis adcreſcente, nihil erat, quod in

Digitized by Google

aerarium vel fiſcum incideret. Hinc id ius, fiſco inimiciſſimum, Auguſtus veluti in exſilium egit, idque capite hoc vndecimo: Siquidem complura fragmenta TER. CLEMENTIS ex libro XVII., PAVLLI ex libro VI. et CAII ex libro XIII. ad ius adcreſcendi manifeſto pertinent. Ex his autem, aliiſque veterum, quae ſuo loco laudabimus, teſtimoniis tale fuiſſe diſcimus caput legis noſtrae decimum tertium.

Ante apertas tabulas aditamque hereditatem, inter coniunctos heredes legatarioſue, ius adcreſcendi in iis, quae caduca vel in cauſſa caduci ſunt, excepto uſufructu legato, ne eſto.

II. Ius adcreſcendi videtur antiquiſſimum, et interpretatione prudentum ex ipſis XII. tabularum principiis deriuatum. Sanxerant decemuiri (a): AST SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. Inde prudentes collegerunt, nullo modo admittendum heredem legitimum, ſi quis deceſſiſſet teſtatus, atque inde conſtruxerunt regulam iuris antiqui (b): *neminem poſſe pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere, earumque rerum, teſtati puta et inteſtati, naturaliter inter ſe pugnam eſſe*. Quae quum ita ſint: non potuit non inde naſci ius adcreſcendi inter coheredes, ita, vt ſi vel minima pars bonorum alicui titulo inſtitutionis honorabili relicta eſſet, is, altero deficiente, aſſem hereditatis totum caperet (c).

Quamuis autem ea ratio in legata non caderet, ſiquidem parte legati deficiente, non ideo eueniebat, vt quis pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus deceſſiſſe videretur: tamen ad haec quoque ius illud proferendum videbatur prudentibus, quod praeſumtio eſſet, teſtatorem, dum duos pluresue legatarios in vna re coniunxit, partem deficientem ad collegatarios potius deuolui, quam in hereditate ſubſidere, voluiſſe. Itaque inter collegatarios ius adcreſcendi valebat *iure coniunctionis* (d). *Coniunctim autem heredes inſtitui*, vel *coniunctim legari*, definiente CELSO (e), eſt *totam hereditatem vel tota legata ſingulis data eſſe, parteſque concurſu fieri*. Coniunctio illa fit tripliciter, vel *re et verbis*, vel *re tantum*, vel *verbis tantum* (f). *Re et verbis* coniuncti dicuntur, qui in eamdem rem, indiſtinctis partibus; vnaque propoſitione vocantur, veluti: TITIO ET MAEVIO FVNDVM CORNELIANVM DO LEGO. Si quibus eadem quidem res, ſed diuerſis propoſitionibus, relinquitur, hi *re coniuncti* dicuntur, veluti: TITIO FVNDVM CORNELIANVM DO LEGO; MAEVIO EVMDEM FVNDVM DO LEGO. Hi tametſi ad eamdem rem vocentur, et eatenus coniuncti habeantur, quia tamen diuerſis vocantur orationibus, aliquando in iure vocantur *diſiuncti* (g): nec intereſſe videtur, quod ad ius adcreſcendi attinet, continuis periodis, an in diuerſis teſtamenti locis et paginis ad eamdem rem vocentur, dummodo ex verbis haud adpareat, teſtatorem, dum fundum Cornelianum, initio tabularum Maeuio legatum, ſub earundem finem Sempronio relinquit, priori id legatum voluiſſe adimere. Idque recte ex

(a) *Collat. Leg. Moſ. et Rom. tit. vlt.*
[b] *L. 7. D. de reg. iur.*
(c) *L. 1. §. 4. L. 13. §. 2. L. 35. L. 74. D. de her. inſtit.*
(d) *L. 16. D. quib. mod. vſuſr.*
(e) CELS. *Lib.* XXXV. *L. 80. D. de leg. 3.*
(f) PAVLL. *Lib.* VI. *L. 142. D. de verb. ſign. L. 89. D. de leg. 3.*
(g) *§. 8. Inſt. de legat. L. 1. §. 3. D. de vſuſr. adcreſc.*

ex *L.* 33. *D. de legat.* 1. contra FR. HOTOMANVM (*a*) defendit vir doctiſſimus, VLR. HVBERVS (*b*), maximum olim Friſiae noſtrae ornamentum. *Verbis* denique *tantum coniuncti* ſunt, qui eadem oratione in rem vnam, ſed pro partibus in teſtamento expreſſis, vocantur, vt puta: TITIO ET MAEVIO FVNDVM CORNELIANVM DO LEGO EX AEQVIS PARTIBVS. Et has partes tantum intelligi oportet: nam ſi reipſa diuiſae ſint et teſtator verbi cauſſa Titio partem fundi Corneliani cis flumen; Maeuio partem eiuſdem vltra flumen; vel Caio et Seio ſingulos ſeruos legauerit (*c*): non ſunt coniuncti, ſed ſeparati, nec, vno repudiante legatario, res legata alteri adcreſcit (*d*). Non magis coniuncti cenſentur, quando partes intellectuales quidem duobus, ſed diuerſis orationibus adſcribuntur, vt puta: PARTEM FVNDI CORNELIANI TITIO DO LEGO, PARTEM EIVSDEM FVNDI MAEVIO DO LEGO, quia ſingulis quidem pars rei, ſed non vtrique eaedem legatae videntur (*e*). Denique nec, quum diuerſi heredes diuerſis legatariis eamdem rem dare damnantur, coniunctio inter legatarios intelligitur, veluti: TITIVS HERES MEVS FVNDVM CORNELIANVM MAEVIO DATO, CAIVS HERES MEVS EVMDEM FVNDVM SEMPRONIO DATO (*f*).

Quod itaque ad coniunctos attinet, inter eos omnes obtinet ius adcreſcendi, etiam inter verbis tantum coniunctos, quibus id legis beneficium abiudicant GOVEANVS (*g*), FR. HOTOMANVS (*h*), ANT. FABER (*i*), et, quem primo loco nominare debebam, *ὁ πάνυ* IAC. CVIACIVS (*l*). Quid enim clarius eſt verbis PAVLLI noſtri (*m*): *Si vero* VERBIS *quidem* CONIVNCTVS *ſit, re autem non: quaeſtionis eſt, an coniunctus* POTIOR *ſit? et magis eſt, vt et ipſe praeferatur*. Praeferebantur itaque eadem figura coniuncti reliquis. Hinc deficiens portio adcreſcebat collegatario coniuncto. Sin pluribus diuerſa orationis forma rem eamdem legauerat teſtator, veluti: *Primo et Secundo fundum Aemilianum do lego: Tertio eundem fundum do lego: Quarto eundem do lego: Quinto et Sexto eundem do lego aequis partibus*: tunc deficiente Primo, eius portio Secundo; deficiente Quinto, Sexto adcreſcit, iique reliquis omnibus praeferuntur tanquam eadem figura orationis coniuncti, in quos et onus cum lucro tranſit. Sin Tertius deficiat, iſte, quia diſiunctus eſt, portionem ſuam omnibus relinquit, ſed ita, vt eadem figura coniuncti, veluti Primus et Secundus, Quintus et Sextus, pro vna perſona habeantur, adeoque illi, ſi velint, tertiam vnam; hi alteram cum onere; Quintus reliquam tertiam inuitus, ſed ſine onere, conſequatur. Illud poſtremo moneo, teſtatorem ius adcreſcendi quidem in legatis; non autem in hereditate prohibere poſſe (*n*), quia ſi in hereditate prohiberet, ipſe pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decederet: id quod tamen non contingit, ſi legatariis non adcreſcat. Vnde et heredibus ſemper cum onere etiam inuitis; legatariis non ſemper inuitis, ſed volentibus, neque ſemper cum onere adcreſcit.

 Nul-

(a) *Ad §. 8. Inſt. de legat.*
(b) *Praelect. ad Inſt. Lib. II. tit.* XX. §. 26.
(c) *L.* 84. *§. pen. D. de legat.* 1.
(d) *L.* 1. *pr. D. de vſufr. adcreſc.*
[e] *L.* 1. *D. eod.*
(f) *L. pen. D. eod.*
(g) *D. de iure adcreſc. n.* 26.
(h) *Obſ. lib. VI. cap.* 12.
(i) *Coniect. Lib. VI. cap.* 1.
(l) *Obſ. Lib.* XXIIII. *cap.* 34.
[m] PAVLL. *Lib.* VI. *L.* 89. *D. de legat.* 3.
[n] *L.* 57. §. 1. *D. de vſufr. L.* 7. *de reg. iur.*

Digitized by Google

Nullum eſt dubium, quin haec omnia iure vetere ante legem Papiam Poppaeam obtinuerint. Quum tamen diuerſa tum eſſent legatorum genera: ius adcreſcendi quidem locum habebat in legato *per vindicationem* et aliis, non autem in legato *per damnationem*, de quo VLPIANVS (*a*): Si PER DAMNATIONEM *eadem res duobus legata ſit, ſiquidem coniunctim, ſingulis partes debentur, et non capientis pars iure ciuili* IN HEREDITATEM REMANEBAT, *nunc autem caduca fit: Quod ſi diſiunctim: ſingulis ſolidum debetur*. Si itaque hunc in modum per damnationem legauerat teſtator: HERES MEVS TITIO ET MAEVIO FVNDVM AEMILIANVM DARE DAMNAS ESTO: heres ſingulis praeſtabat partem eius fundi dimidiam, et alterutra portio deficiens alteri non adcreſcebat, ſed ſubſidebat in hereditate. Sin ita heredem damnauerat teſtator: HERES MEVS FVNDVM AEMILIANVM TITIO DARE DAMNAS ESTO, EVMDEM FVNDVM MAEVIO DATO: ſingulis heres debebat legatum ſolidum, id eſt alteri fundum, alteri praeſtabat aeſtimationem (*b*). Vnde et alterius deficiente portione, nihil erat, quod adcreſceret alteri, qui iam tum ſolidum erat ex teſtamento conſequutus. Tale fuit vetus iſtud inter legata diſcrimen, cuius eam fuiſſe rationem arbitror, quod in legato vindicationis et reliquis cum legatariis agebat teſtator, iiſque *ἀμέσως dabat, legabat*, vel *ſumendi, praecipiendique* poteſtatem faciebat: vnde et iis ius eſſe videbatur partem deficientem captandi, ad quam eſſent per coniunctionem quamcumque ab ipſo teſtatore vocati (*c*). Contra in legato per damnationem cum herede res erat teſtatori, quem hic dare facere iubebat. Si itaque perſona, cui dare fuerat iuſſus, deficeret: liberatus videbatur, nec vllum ius eſſe collegatario, qui, quod debebatur, iam conſequutus fuerat, portionem alteri deſtinatam petendi.

Ceterum ius hactenus explicatum et ante legem Papiam Poppaeam valuit, et, ſi a diſcrimine legatorum vetere diſceſſeris, hodienum valet, poſtquam illud ab exſilio reuocauit IVSTINIANVS. Quid vero lex noſtra? ANTE APERTAS, inquit, TABVLAS ADITAMQVE HEREDITATEM *ius adcreſcendi ne eſto*. Vetus illa magnoque cum apparatu agitata quaeſtio eſt: an ius adcreſcendi in vniuerſum ſuſtulerit lex Papia Poppaea? In ea ſoluenda nec ipſe ſibi CVIACIVS ſatis conſtitit, ſiquidem illud modo penitus hac lege excluſum eſſe, docet (*d*), modo illud etiam poſt illam ſaluum fuiſſe, contendit (*e*): quam viri ſummi fluctuationem inter variantes eius interpretationes, ex ſuo inſtituto notauit EM. MERILLIVS (*f*). Et ſane vtrimque non deeſſe videntur rationes, quae dubiam et viri maximi mentem trahere potuerint. Nam ſi conſideres paullo accuratius, PAVLLVM (*g*) ad hanc ipſam legem noſtram accurate, et copioſius, quam quiſquam, de coniunctis et iure adcreſcendi diſputare: vix eſt, vt eam doctrinam illa aetate exoleuiſſe, nulliuſque in orbe Romano vſus fuiſſe arbitremur. Sin verba VLPIANI (*h*) intueamur: *Sed poſt legem* PAPIAM POPPAEAM *non capientis pars* CADVCA *fit*: nihil certius videri poſſet illa de profligato iure adcre-

[a] *Fragm. tit.* XXIIII. §. 13.
(b) CAI. *Inſt. Lib.* II. *tit.* 5. §. 5.
(c) MERILL. *Obſ. Lib. VI. cap.* 32.
(d) *Obſerv. Lib. XII. cap.* 11. *Paratitl.* C. *de caduc. toll.*
(e) *Obſ. Lib.* XXIIII. *cap.* 34.
[f] *Var. Cuiac. Lib.* I. *cap.* 39.
(g) PAVLL. *Lib. XI.* L. 89. D. *de leg.* 3. L. 142. D. *de verb. ſign.*
(h) *Fragm. tit.* XXIIII. §. 12.

adcreſcendi ſententia. Sed quod ſaepe in huiuſmodi quaeſtionibus euenire intelliges, neutra ſententia vera; neutra ſine exceptione admittenda eſt. Suſtulit omnino lex caducaria ius adcreſcendi, ſed nec in vniuerſum, nec inter omnes perſonas, nec in omnibus legatis ſuſtulit. Quare capiti legis varias inſeruimus reſtrictiones, iam paullo accuratius contemplandas.

Primo itaque ius adcreſcendi non in vniuerſum ſublatum erat, ſed ANTE APERTAS TABVLAS ADITAMQVE HEREDITATEM. Quidquid enim condito teſtamento, viuo teſtatore, deficiebat, id erat in CAVSSA CADVCI. Quod mortuo teſtatore, ante apertas tabulas deficiebat, CADVCVM fiebat. Apertis tabulis, ſed nondum adita hereditate, legatoue agnito, quidquid deficiebat, bonorum VACANTIVM nomine ab aerario vel fiſco occupabatur, ac proinde hactenus locus non erat iuri adcreſcendi. Aſt tabulis apertis, aditaque hereditate, non amplius fiſco quidquam ſpei ſupererat, et proinde ſi quid deficeret, id vel coheredibus vel coniunctis collegatariis adcreſcebat. Hinc CAIVS (a) ad hoc caput: *Qui ſemel*, inquit, *aliqua ex parte* HERES EXSTITIT, *deficientium partes etiam inuitus excipit, id eſt, tacite ei deficientium portiones etiam inuito* ADCRESCVNT. Idem de legatis tradit IVLIANVS (b), qui legati partem deficientem etiam heredibus coniuncti collegatarii adcreſcere, docet, *ſi tamen* HEREDITAS ADITA SIT. Eodem pertinent *Leges* 34. *et* 35. *D. ad L. Aquil.* et *L.* 4. *D. de manum: vindicta*, vbi alteri collegatario, altero partem ſuam poſt hereditatis aditionem repudiante, pars deficiens adcreuiſſe dicitur. Simile quid de bonorum poſſeſſionibus ſecundum tabulas obſeruat VLPIANVS (c), vt ſatis adpareat, adita iam hereditate locum fuiſſe iuri adcreſcendi, quod et a viris eximiis, EM. MERILLIO (d), IAC. GOTHOFREDO (e) et IANO A COSTA (f) ſatis ſuperque obſeruatum eſt.

Hinc porro ſequitur: INTER CONIVNCTOS HEREDES LEGATARIOSVE IVS ADCRESCENDI IN IIS, QVAE CADVCA VEL IN CAVSSA CADVCI SVNT, NE ESTO. Quibus verbis ideo vſi ſumus, quia in iis, quae pro non ſcriptis habentur, ius adcreſcendi, vti ex IVSTINIANI (g) conſtitutione recte obſeruauit MERILLIVS (h), ſemper obtinuit, adeoque ad ſola caduca et, quae in cauſſa caduci ſunt, hoc legis caput pertinuit. Quin ex eodem ſequitur, vt quia non omnia caduca fiſco cederent, ſed in illis quaedam perſonae, de quibus capite legis caducariae ſecundo agitur, fiſco anteferrentur, inter huius modi perſonas coniunctas etiam ius adcreſcendi habuerit locum. Inſtitutis itaque liberis, vel parentibus ad tertium gradum, vel extraneis liberorum iure ſubnixis, ius adcreſcendi inter eos obtinuit, idemque dicendum videtur de eo caſu, ſi huiuſmodi perſonis aliquid per modum ligati coniunctim fuerat relictum (i). His enim ius antiquum, id eſt, ius adcreſcendi, relictum eſſe diſerte fatetur MERILLIVS (l). Et iam facile adparet, quo pertineant praeclara illa TER. CLEMENTIS (m),

CATI

(a) CAI. *Lib.* XIIII. L. 53. §. 1. *D. de adquir. vel omitt.*
(b) L. 26. §. 1. D. *de cond. et dem.*
(c) L. 2. §. 8. D. *de bon. poſſeſſ. ſec. tab.*
(d) *Obſ. Lib. V. cap.* 4. *et* 12.
(e) *Ad Leg. Pap. pag.* 319.
(f) *Ad* §. *vlt. Inſt. de SC. Orphit.*
(g) *L. vn.* §. 3. *C. de caduc. toll.*
(h) *Var. Cuiac. Lib. I. cap.* 39. *p.* 163.
(i) SCHVLTING. *Iuriſprud. vet. anteiuſt. pag.* 653 618.
(l) *Fragm. tit.* XVIII. §. 1.
(m) TER. CLEM. *Lib.* XVII. L. 17. *D. de opt. leg.*

Caii (a) et Pavlli (b) fragmenta, quibus totam de iure adcreſcendi doctrinam eleganter et copioſe exponunt. Oſtendendum enim illis erat, quomodo deficiens portio his perſonis, ab ipſa lege exemtis, adcreſceret, ſi vel coheredes eſſent, vel collegatarii mixtim, re, verbiſue coniuncti.

Exceptum porro fuiſſe arbitramur legatum vſusfructus, in quo nec poſt legem Papiam Poppaeam ius adcreſcendi exoleuerat. Hinc capiti noſtro inſeruimus verba: excepto vsvfrvctv legato. Vſusfructus enim id habebat ſingulare, quod eius pars deficiens non fiſco vel aerario vindicaretur, ſed coniuncto adcreſceret, et quidem non ſolum ante agnitum legatum deficiens, ſed et, ſi iam aliquamdiu vſus fruitus legatarius poſtea morte interciperetur (c). Immo vſusfructus deficiens non ſolum ei, qui tum altera parte vtebatur fruebatur, adcreſcebat, ſed et illi, qui portionem ſuam amiſerat (d): quia, vti recte vidit clariſſimus A. A. Pagenstecherus (e), vſusfructus non rei, ſed perſonae, adcreſcebat (f), quum alias in proprietate portio portioni adcreſcat (g). Quod ius quum lex Papia Poppaea non ſuſtuliſſet, facile iam reddetur ratio, cur, quum in Digeſtis nullus de iure adcreſcendi titulus ſingularis occurrat, de vſufructu tamen adcreſcendo tam verboſe egerint veteres iureconſulti.

III. Verum hoc legis caducariae caput, vna cum caducis, ſuſtulit Iustinianus (h), qui ius adcreſcendi antiquum velnti poſtliminii iure in vſum recepit, et copioſe expoſuit in luculenta de caducis conſtitutione.

IIII. Sequens caput decimum tertium omiſit vir eximius Iac. Gothofredus. Sed ſunt quaedam ex libro xvi. Vlpiani (i), ex libro xiiii. Caii (l), et Pavlli (m) libro vi fragmenta, quae, caput hoc de tranſmiſſione legatorum egiſſe, plane perſuadent.

Et ſane non minus caducis obſtabat atque aduerſabatur ius legatum tranſmittendi ad poſteros, quam ius adcreſcendi. Quare et illud reſtrictum et coarctatum hac lege fuiſſe, perquam veroſimile eſt. Et quidem, quod ad hereditates attinet, in iis nihil mutauit. Nam et iure antiquo, et poſt legem Papiam Poppaeam, hereditas nondum adita non tranſmittebatur. Quin ius antiquum ea in re nouo erat rigidius, quod exceptiones illae, quibus hodie liberorum ſui iuris (n), et extraneorum, intra ſpatium deliberandi decedentium, heredes (o) vtuntur, poſteriore demum aeuo a Theodoſio, Valentiniano et Iuſtiniano inuectae ſunt. Aſt in legatis res aliter ſe habet, de quibus cautum fuiſſe arbitramur:

Legatum, pure aut in diem certum per vindicationem relictum, poſt apertas tabulas; reliqua huius generis non niſi agnita; conditionalia denique poſt conditionis euentum, ad heredes tranſmittuntor.

V. De ipſo hoc legatorum diſcrimine, et diuerſo tranſmittendi iure nihil eſt, quod hic monendum exiſtimemus poſt ea, quae iam ad caput legis nonum monuimus: vbi et ſententiam huius capitis veterum teſtimoniis

(a) CAI. *Lib. XIII. L.* 58. *D. de leg.* 2.
(b) PAVLL. *Lib. VI.* L. 89. *D. de leg.* 3. L. 242. *D. de verb. ſign.*
(c) *L.* 1. §. 3. D. *de vſufr. adcreſcendo.*
(d) *L.* 10. D. *eod.*
(e) *Admonit. ad Pand. Part.* II. §. 70.
(f) L. 33. §. 1. *de vſufr.*
(g) *d. L.* 33. L. 3. §. *vet. L* 4. *L.* 5. *de bon. poſſ. ſſ.*
(h) L. *vn.* §. 8. *ſequ.* C. *de caduc. toll.*
(i) VLP. *Lib. XVI.* L. 60. *de leg.* 2.
(l) CAI. *Lib.* XIIII. L. 56. D. *de leg.* 2.
(m) PAVLL. *Lib. VI.* L. 24. *quando dies leg.*
(n) L. *vn.* C. *de his qui ante apert. tab.*
(o) L. 19. C. *de iure delib.*

niis demonſtrauimus. Iam tantum veterum fragmenta, quae ad caput hoc retulimus, paucis expendere iuuabit. Elegans eſt ſpecies quam ex Ivliano repetit Vlpianvs (*a*): Pater a filio herede legauerat Seio, et huius fidei commiſerat ſub conditione, vt Titio daret. Titius pendente conditione deceſſerat. Non ſane dubium erat, quin fideicommiſſum, vtpote conditionale, deficeret, quia eius dies a conditionis euentu cedit, ab eoque tempore demum tranſmittitur. Sed id quaerebatur, quis is fideicommiſſum lucraretur? Fiſco ſane non erat locus, quia id erat fideicommiſſum, quod tum legatis nondum fuerat aequiparatum, nec id erat tacite relictum, vt ideo eripiendum eſſet. Aſt vtrum illud apud filium, a quo legatum, an apud Seium a quo fideicommiſſum erat, ſubſideat, de eo erat quaeſtio. Quam ita Ivlianvs definit: *Fideicommiſſum deficiens apud Seium manet, non ad filium heredem pertinet, quia in fideicommiſſis priorem cauſſam habere eum, cuius fides electa eſt, ſenatus cenſuit*. Intelligi Merillio (*b*) videtur SCtum Trebellianum, quod fideicommiſſa, ſi qua deficerent, non caduca eſſe, ſed apud eum, a quo relicta erant, manere voluerit. Quod SCtum in animo habuiſſe oportet etiam Marcellvm (*c*), dum ſimilem quaeſtionem eodem modo decidit, addita tamen elegante limitatione, *niſi duntaxat vt miniſtrum* legatarium Seium *elegerit*.

Paullo ſubtilior eſt ſpecies Pavlli (*d*). Teſtator heredem Caio dare damnauerat penum, vel fundum, et, ſi non dediſſet, decem. Ita conditionale erat legatum. Relicti enim erant decem, ſub ea conditione, ſi heres penum vel fundum non dederit. Caius, interpellato herede, deceſſerat. Quaerebatur, quid ad heredes ſuos tranſmittat? Reſpondet ICtus, decem tranſmitti. Conditio enim decedente Caio iam exſtiterat, quia interpellatus heres, vt fundum vel penum daret, neutrum dederat. Et ita iam facile intelligentur verba Paulli: *ſi penum heres dare damnatus ſit, vel fundum*, vel aliam quamcumque ſpeciem, *et ſi non dediſſet, decem*: *ego accepi* a magiſtris meis, *et penum legatam, et translatam eſſe in decem, ſi noluerit penum heres dare, et tunc pecuniam deberi, quum interpellatus fundum non dediſſet*: id eſt vtroque caſu legatam eſſe non penum vel fundum, ſed decem, ſub ea conditione, ſi heres penum vel fundum non dederit, adeoque heredem Caii petere poſſe decem, ſi viuus ille heredem interpellauerit. Iam altera ſequitur ſpecies. Caius, cui hoc modo legatum fuerat, antequam heredem interpellaſſet, deceſſerat; quid tunc tranſmittebat? Non ſane legatum decem aureorum, quia eius legati conditio nondum exſtiterat, herede nondum interpellato. Quia tamen et fundus et penus pure et perfecte legatus fuerat, Caius legatum hoc tranſmittebat ad heredes. Vnde pergit Pavllvs: *Et ſi interea*, antequam heredem interpellauerit, *deceſſerit legatarius*: *tunc heredi eius non niſi fundum* vel penum, non autem decem *deberi*. *Namque quum dictum eſt*: *Publicius heres fundum*, vel penum, *dato, perfectum eſt legatum*, et hinc ſtatim agnitum tranſmittitur: *et quum dicit*: *ſi non dederit*, (*penum vel fundum*,) *centum dato*: *ſub conditione fundi legatum ademtum videri eo caſu, quo centum deberi coeperint*. Id eſt, perinde habetur, ac ſi teſtator dixiſſet: Decem dato, ſi interpellatus penum

(*a*) VLP. *Lib.* XVI. L. 60. *D. de legat.* 2.
(*b*) *Lib.* VII. *Obſ. cap.* 22.
(*c*) L. 17. *pr. D. de legat.* 2.
(*d*) PAVLL. *Lib. VI.* L. 24. *D. quando dies legat.*

Digitized by Google

num vel fundum non dederis. *Quorum quia conditio, viuo legatario, non exſtiterit, forte quia interpellatus non ſit: euenerit, vt ademtio nihil egerit, fundique legatum*, quia purum et perfectum eſt, *durauerit*. Subiicit PAVLLVS ſpeciem tertiam. Teſtator ita Caio legauerat: SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO. Quid tunc tranſmittet? Si viuus interpellauerit heredem, decem tranſmittit, quia exſtitit conditio. Si non interpellauerit: in heredem Caii nihil deuoluetur. Nam neque penus debebitur, quae non legata eſt: nec decem, quia Caius ante exiſtentem conditionem deſecit. Et huc pertinent verba poſtrema: *Plane ſi ſic legatum ſit: Si penum non dederit, decem dato: dicimus, non eſſe penum legatam*. Vt breui ἀνακεφαλαιώσει rem omnem ob oculos ponamus. Si teſtator ſcripſit: *Heres Caio fundum dato, ſi non dederit, decem dato*: duplex legatum eſt, purum alterum, puta fundi; alterum conditionale decem aureorum. Si itaque Caius, interpellato herede, deceſſit, poſterius legatum tranſmittit, quia iam exſtitit conditio. Sin nondum interpellato herede ad plures abiit: legatum non poſterius traſmittit, cuius conditio nondum exſtitit, ſed prius, quia id purum et perfectum eſt. Denique ſi ita legatum: *Heres, niſi Caio penum dederit, centum dato*: interpellato herede, tranſmittitur legatum decem aureorum: non interpellato, nec pecunia, quia conditio non exſtitit, nec penus, quae plane non legata eſt.

Reliquum eſt tertium, quod ad hoc caput pertinet, fragmentum, ex quo diſcimus, id ius non tenuiſſe principem, et quidem ex conſtitutione Antonini. De ea enim CAIVS (*a*): *quod* PRINCIPI *relictum eſt, qui antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus eſt, ex conſtitutione D. Antonini* SVCCESSORI *eius debetur*. Mirum id videri poſſet, maxime in Antonino, eum ſe iure communi exemiſſe, quum alioquin in hereditatibus adeundis, agnoſcendiſque legatis nihil ſingulare adfectauerint boni principes. Et miratur ſane ad hunc locum DIONYS. GOTHOFREDVS, qui odioſam hanc conſtitutionem putat, et principis maieſtate indignam. Sed vera ratio eſt, partim quod huiuſmodi legatum non perſonae, ſed dignitati, relictum videretur, quae ratio acuta ſane et elegans nuper viro celeberrimo, mihique amiciſſimo ſuccurrit (*b*): partim, quod Princeps omnibus legibus caducariis, vt ſupra obſeruauimus, nominatim eſſet ſolutus. Hinc is vtebatur iure antiquo, et dies legatorum ei relictorum a tempore mortis teſtatoris cedebat. Ex quo ſane conſequebatur, vt legatum etiam tranſmitteret non ſolum ad heredem, ſed et ſucceſſorem: nec non, vt tranſmitteret illud, etiamſi, antequam dies legatorum ex lege Papia Poppaea cederet, ab hominibus eſſet ereptus.

VI. Progredimur ad caput XIII. quod de fideicommiſſis tacitis et in fraudem legis excogitatis egiſſe, exinde colligo, quod VLPIANVS libro XVIII, TER. CLEMENS libro eodem, CAIVS libro XV, et PAVLLVS libro ſeptimo de iis copioſiſſime diſputarunt. Eo capite ita cautum fuerat.

> *Si qui heres legatariuſue in fraudem H. L. a teſtatore tacite rogatus ſit, ei reſtituere, qui per H. L. capere prohibetur, iſque ſciens dolo malo tacitam fidem teſtatori adcommodauerat, hereditate legatoue, ſibi relicto, priuator, eaque populo vindicantor.*

VII.

(a) CAI. *Lib.* XIIII. L. 56. *D. de leg.* 2. (b) GVNDL. *de Principe herede Cap.* 6. §. 33.

Digitized by Google

VII. Qualia fuerint tacita illa fideicommiſſa, quibus heredes obſtringere conſueuerint teſtatores, vt hereditatem incapacibus reſtituerent, iam ſupra, vbi de legibus decimariis et ſolidi capacitate egimus, explicatum eſt. Iam ipſa capitis verba paucis interpretabimur: SI QVI HERES, inquit lex, LEGATARIVSVE. Nihil enim intereſt, ab herede incapaci relinquatur, an a legatario, nec, vniuerſale hoc fideicommiſſum ſit, an ſingulare, dummodo plus in ſe lucri contineret, quam fideicommiſſarius per leges capere poſſet. Additur: IN FRAVDEM H. L. Tam ſaepe enim hac fraude ad eludendam legis caducariae ſeueritatem vtebantur homines vaferrimi, vt apud veteres ſcriptores nihil ea memoretur frequentius. Hinc Scholiaſtes IVVENALIS (a): *Si vxor*, inquit, *iure impediatur adultero ſuccedere, ipſe maritus leno ſuccedit adultero heres; vt* PER FIDEICOMMISSVM *res adulteri ad adulteram veniant*. Et HIERONYMVS (b): *Per* FIDEICOMMISSA *legibus illudimus*; quem locum iam vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, notauit. Vidimus etiam ſupra TERTVLLIANVM (c) hanc fraudem ad pietatem inflectentem, ſcribentemque, ſe, vt vxor promiſſa diuina *in ſolidum capere poſſet; hoc* TACITVM *admonitionis ſuae* FIDEICOMMISSVM *Deo commendaſſe*. Denique CALLISTRATVS (d), *ſuo tempore eo fere iam decurſum*, refert, *vt fraus legi fieri videretur, quoties quis neque teſtamento, neque codicillis rogaretur, ſed domeſtica cautione et chirographo obligaret ſe, ad praeſtandum ei, qui capere non poſſet*. Ceterum iſta fraus in eo conſiſtebat, VT QUIS A TESTATORE TACITE ROGARETVR, EI RESTITVERE, QVI PER H. L. CAPERE PROHIBERETVR. Si quis ergo in teſtamento rogaret heredem, vel legatarium, vt bona eorumue partem incapaci reſtitueret, id in fraudem legis factum videbatur, ſiue fiduciarius chirographum eo nomine dediſſet, ſiue nuda pollicitatione repromiſiſſet, vt docet CAIVS (e). Quales vero fuerint hi chirographi, iam ſupra oſtendimus, neque id hoc loco repetimus. Praecipue tamen id pro fraude vel dolo habebatur, quod TACITE rogatus eſſet heres vel legatarius. Si quis enim palam rogatus promiſerat, ſe reſtituturum perſonae, quae legibus ex teſtamento capere prohiberetur: fideicommiſſum quidem concidebat, aſt illud non occupabatur ab aerario vel fiſco, ſed in hereditate ſubſidebat, vel apud eum, a quo relictum fuerat, permanebat. Quo pertinet fragmentum PAVLLI (f): *nominatim legatum accipiendum eſt, quod, a quo legatum ſit, intelligitur, licet nomen pronunciatum non ſit*. Ita Codices omnes. Sed quum in lege Papia caducaria non quaereretur, a quo legatum eſſet, (id quod non poterat non certum eſſe,) ſed cui aliquid contra leges vel in earum fraudem relictum fuerit: parum abeſt, quin expuncta praepoſitione ſcribendum putem: *quo legatum ſit*, vt *quo* vel ponatur pro *quorſum* vel pro *cui*. Ita enim aliquando loquuntur Iureconſulti et ipſe PAVLLO aequalis VLPIANVS (g), procul dubio more veterum, quos *quoi* pro *cui* ſcripſiſſe, in vulgus notum eſt. Porro additur: RESTITVERE EI, QVI PER LEGEM CAPERE PROHIBETVR. Puta tempore conditi teſtamenti. Nec enim is in-

(a) *Ad Sat. I. v. 55.*
(b) *Ad Nepotian.*
(c) *Ad vxor. Lib. I. cap. 2.*
(d) *L. 3. D. de iure fiſci.*
(e) CAI. *Lib. XV. L. 10. pr. de his quae vt ind.*
(f) PAVLL. *Lib. VII. L. 50. D. de leg. 3.*
(g) *L. 16. §. 12. D. ad SC. Trebell.*

is incidebat in legem, qui rogatus fuerat, ei reſtituere, qui quum tempore conditi teſtamenti capax eſſet, poſtea demum incapax eſſe coeperat. Quare non dubitat CAIVS (a), *quin, etſi hoc caſu fideicommiſſum deficiat, id tamen apud eum, qui rogatus erat reſtituere, manere debeat, quia* NVLLA *eius* FRAVS *interueniſſe videatur, niſi in futurum caſum fidem accommodauerit, id eſt, vt, licet capere legibus prohiberi coeperit, reſtituat*. Quare nec aerario locus erat, ſi perſona, cui reſtituenda hereditas, capere poſſet, veluti concubina. Et ita CELSVS pater, quum eſſet in conſilio Ducenni Veri, Conſ. ſententiam ſuam omnibus probauit, quum cenſeret, legatum ducentorum concubinae Otacilii Catuli praeſtandum eſſe, quod ipſe liberto reliquerat, petieratque, vt reſtitueretur concubinae, tametſi libertus viuo teſtatore deceſſiſſet, et legatum remanſiſſet apud Otacilii filiam heredem (b). Porro non ſufficiebat, heredem legatariumue a teſtatore tacite rogatum eſſe: ſed concurrere oportebat fiduciarii promiſſum, dolo malo factum. Hinc additur: ISQVE SCIENS DOLO MALO TACITAM FIDEM TESTATORI ADCOMMODAVERIT. Qui enim poena dignus videri potuiſſet heres vel legatarius, cui contra leges aliquid iniunxerat teſtator, quum ipſe fidem nunquam ei obſtrinxiſſet, ſe improbae iſti teſtatoris voluntati pariturum? Fidem itaque ſuam adcommodaſſe debebat fiduciarius, et quidem SCIENS, DOLO MALO. In illa vero quaeſtione, teſte VLPIANO (c), *nec ſupina ignorantia ferenda erat, factum ignorantis, nec ſcrupuloſa inquiſitio exigenda. Scientia enim hoc modo aeſtimanda videbatur, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita eſſet, neque delatoria curioſitas exigeretur*. Nec dolum commiſiſſe videbatur filius familias, qui iuſſu patris tacitam fidem adcommodauerat. Quamuis enim pater per filium tunc nihil adquireret, ne fraudis atque improbitatis ſuae caperet fructum: filio tamen, mortuo patre, vel facta emancipatione, id factum fraudi non erat, quia, vti CAIVS (d) reſpondet, non videbatur id filio nocere debere, qui *parendi neceſſitatem habuerit*.

Si quis ergo ita tacitam fidem ſciens dolo malo adcommodauerat: tunc is HEREDITATE LEGATOVE, SIBI RELICTO, PRIVABATVR, EAQVE POPVLO VINDICABANTVR. Hinc primo fideicommiſſa ipſa hoc modo relicta deficiebant, ne excepta quidem libertate fideicommiſſaria, cuius alioquin maximus erat fauor: *quum libertas*, teſte TER. CLEMENTE (e), *legibus adimeretur, aut pro non data haberi deberet, aut certe perinde obſeruari, ac ſi a teſtatore ademta eſſet*. Sed et ſi operae ſerui hoc modo cuiquam relinquerentur, qui tacitam fidem accommodauerat; eo quoque legato fiduciarium priuabat fiſcus, quamuis tunc multi non niſi vſum ſerui relictum cenſerent. Diſerte enim TER. CLEMENS (f): *operis ſerui legatis*, VSVM *datum intelligi; et ego didici*, et IVLIANVS *exiſtimat*. Diuerſae nimirum erant veterum de operis ſeruorum ſententiae. Alii eas vſuifructui (g); alii vſui adſimilabant. Quamuis autem ab vtroque differant, et plus ſit in vſu-

(a) CAI. IBID. L. 10. §. 1. D. de his, quae vt indign.

(b) CELS. Lib. XXXVI. L. 29. de leg. 2.

(c) VLP. Lib. XVIII. L. 6. D. de iur. et facti ign.

(d) CAI. Lib. XV. d. L. 10. §. vlt. D. de his, quae vt indign.

(e) TER. CLEM. Lib. XVIII. L. vn. D. de adem. lib.

(f) TER. CLEM. Lib. XVIII. L. 5. D. de op. ſeru.

(g) L. 3. L. 4. D. eod.

vſuſructu, quam in operis, plus in operis, quam in vſu: quum illae nec neceſſitate aeſtimentur, et locari aliis poſſint (a): aequior tamen Ter. Clementi eorum ſententia viſa eſt, qui ſeruorum operas vſui comparabant, quia idem ſenſerat Ivlianvs, a quo ipſe ſententiam ſuam haud temere ſeiungit. Denique fiduciarius non modo ſuam partem amittebat, verum etiam ius adcreſcendi. Quum enim in hereditate pars parti vel res rei adcreſcat (b): nihil ſane ei, Vlpiano (c) iudice, poteſt adcreſcere, *qui rem non videtur habere*.

VIII. Tantus erat legis caducariae rigor. Aſt aequitate motus Traianvs eum quodammodo temperauit, ſtatuitque, *vt quicunque profeſſus eſſet, vel palam vel tacite relictum ſibi, quod capere non poſſet, et probaſſet, iam id ad fiſcum pertinere: etiamſi id non poſſideret, ex eo quod redactum eſſet, partem dimidiam ferret* (d). Poſtea et Constantivs (e) A. Maximo Rationali Hiſpaniae reſcripſit, vt ſi ipſe, qui tacitam fidem teſtatori adcommodauit, ſtatim ſe deferret, is partem tertiam praemii loco auferret: ſin vxor fideicommiſſaria, illa dimidiam conſequeretur cum priuilegio optionis: occultator vero geſtorum, exutus omni patrimonio, deportaretur in inſulam. Sed poſtquam pleraeque leges, quae caelibes et orbos incapaces eſſe iuſſerant, ab ipſo Constantino, reliquae extremis reip. temporibus ſublatae fuerunt, ac denique Ivstinianvs ipſa etiam caduca abrogauit: nihil cauſſae ſuberat, cur homines tacitis huiuſmodi fideicommiſſis legi iam intermortuae illudere cuperent.

(a) L. 2. D. *de vſu legat.*
(b) L. 3. §. *vlt.* L. 4. L. 5. D. *de bon. poſſeſſ.*
(c) VLP. *Lib.* XVIII. L. 83. D. *de adqui. her.*
(d) PAVLL. *Lib.* VII. L. 13. §. 1. D. *de iure fiſci.*
(e) L. vn. C. *de his, qui ſe defer.*

C A P V T X.

AD CAPITA LEGIS XIIII. ET XV.

DE PRAEMIIS DELATORVM ET ONERIBVS FISCI.

I. *Caput* XIIII. *de delatorum praemiis. Iis praemia fuiſſe propoſita, demonſtratur. Sententia huius capitis.* II. *Quis deferre potuerit? Delator non niſi ſi conuicerit, praemia capiebat. Calumniae et praeuaricationis poena. Quantum fuerit delatorum praemium? Rationes ad aerarium deferendae. Quadruplatores. Delationes plane ſublatae.* III. *Edictum Traiani de iis qui ſe ipſi deferunt, expoſitum.* IIII. *Caput vltimum de oneribus fiſci.* V. *Aerarium vel fiſcus ſuccedens tenebatur ad aes alienum. Nec non ad legata, fideicommiſſa et reliqua onera praeſtanda. Fiſcus et omnes actiones adquirebat.*

I. Iiſdem commentariorum libris, quibus caput ſuperius illuſtrarunt Vlpianvs, et Pavllvs, etiam de praemiis delatorum diſputarunt.

 Dela-

Delatores autem premiis ad caduca deferenda fuiſſe inductos, multis veterum teſtimoniis conſtat. TACITVS (a) ſane *omnem domum* DELATORVM *interpretationibus ſubuerſam* refert. Et paucis interiectis (b): *Acriora*, inquit, *ex eo vincla, inditi cuſtodes, et lege Papia Poppaea praemiis inducti, vt, ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret*. Vbi *cuſtodes* non alii, quam delatores. Quantum fuerit, quod abſtulerunt, praemium, parum conſtat. Quum autem SVETONIVS (c) auctor ſit, Neronem *praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegiſſe*: facile patet, ea ſatis magna antea fuiſſe, et fortean tertiam aut ſemiſſem bonorum, quae ad aerarium detuliſſent, complexa. Poſterius mihi videtur veroſimillimum, vel ideo, quod TRAIANVS, vti paullo poſt videbimus, tantumdem reliquit iis, qui ſe ipſos eſſent delaturi. Et haec etiam ratio me retrahit, vt non adſentiar BEROALDO, quartam illam apud SVETONIVM non intelligenti de quarta bonorum, quae quis detulerit, ſed de quarta praemii ipſis conſtituti lege Papia Poppaea, quod quartam bonorum partem fuiſſe exiſtimat. Neque tamen haec pro certo adfirmare licet, videturque conſultius, caput hoc cum GOTHOFREDO mutilum ita proferre:

Si quis incapaci relictum ad aerarium detulerit, et conuicerit, praemii nomine - - - - partem bonorum conſequitor.

II. SI QVIS, inquit lex, INCAPACI RELICTVM AD AERARIVM DETVLERIT. Deferre autem poterant, qui et accuſare. Non igitur mulieres, nec viri clariſſimi, nec damnati, nec milites ac veterani, nec qui tutores vel curatores, aut procuratores fuerant, nec venditores earum rerum, quas deferunt: eeu ſingulari de delatoribus libro docuit MARCIANVS (d). Ii omnes deferre non poterant. Reliquis deferre licebat, iique id faciebant tam frequenter, vt omnis domus, omnis paene ſubuerteretur familia. Ne tamen calumniis ſuis peſſumdarent rempublicam: variis legibus, SCtis et conſtitutionibus principum coercenda videbatur hominum audacia. Primum enim praemii tunc demum fiebant participes, SI CONVICISSENT, id eſt ſi fraudem legi factam, aut caduca celari, iudici fidem feciſſent. Deinde ne et innocentes ficta opprimerentur calumnia, eiuſmodi ſcelus puniebatur grauiſſime: ſed non niſi ſub bonis Principibus. Sic ſane Titus Imp. teſte PLINIO (e), exempla primus fieri iuſſit in delatoribus, quos, vti SVETONIVS (f) refert, adſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac nouiſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos, ac venire imperauit, partim in aſperrimas inſularum iuſſit auehi. Deinde et Domitianus, adhuc bonus, reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit, nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, vt accuſatori, qui cauſſam non teneret, exſilium poena eſſet. Idem fiſcales calumnias magna calumniantium poena repreſſit, ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores non caſtigat,

(a) *Ann. Lib. III. cap.* 25.
(b) *Id. Ib. cap.* 28.
(c) *Neron. cap.* 10.
(d) L. 18. *D. de iure fiſci*.
(e) *Paneg. cap.* 35.
(f) *Tit. cap.* 8.

gat, irritat (a). Sequutus eſt principatus Neruae, quem PLINIVS (b) magna quaedam edicto Titi, quo delatorum calumnias repreſſerat, adſtruxiſſe; XIPHILINVS (c) autem ſeruos et libertos, dominis et patronis periculum facientes, poenis adfeciſſe, refert. Sed nemo ſeuerior Traiano, magnifice ideo collaudatus a PLINIO (d). Quum enim renatum eſſet illud delationis malum, multique reperirentur, qui quaſi graſſatores et latrones non ſolitudinem, non iter, ſed templa et fora, inſederant, nullaque iam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi prodeſſent: Traianus inſtituit delatorum iudicium, et quotquot calumniae conuictos intelligebat, ſtigmate ex lege Remmia vſtos, et impoſitos nauibus, in inſulas deferri iuſſit. Saepe et inſequentes principes eadem ſeueritate in delatores animaduerterunt. Hadrianus, teſte MAVRICIANO (e), reſcripſit, eamdem poenam ferre delatorem debere, ſi citatus per edictum non reſponderit, qua teneretur, ſi cauſſam non probaſſet. Poſtea ſenatus cenſuit, ſi delator tribus edictis apud Praefectum aerario adeſſe iuſſus, ſeſe non ſtiterit, ſecundum poſſeſſorem eſſe pronunciandum, et a delatore tantum exigendum, quantum apud aerarium ex ea cauſſa, quam detulerit, remaneret, ſi eam profeſſionem impleſſet (f). Si delator abolitionem petebat, quod erraſſe ſe diceret, iudicem cognoſcere iuſſerat Senatus, et ſi erraſſe delator viſus ſit, imprudentiae veniam dare, ſin dolus pelluceret, columniae poenam infligere (g): quae ſaeculo adhuc tertio erat ſtigma ex lege Remmia fronti impudiciſſimae inuſtum (h). Qui delatorem ſubiecerat, is tantum deferre tenebatur in aerarium, quantum praemii nomine conſequuturus fuiſſet delator, ſi viciſſet (i). Haec omnia ſub Antonino Pio, cui aequalis MAVRICIANVS fuit, cenſuit Senatus: de quo IVL. CAPITOLINVS (l): QVADRVPLATORES *exſtincti ſunt. Publicatio bonorum rarior, quam vnquam, fuit.* Poſt quem et de Marco Aurelio Antonino, principe optimo, IVL. CAPITOLINVS (m) obſeruat, *eum calumniis quadruplatorum interceſſiſſe, adpoſita falſis delatoribus nota, et delationes, quibus fiſcus augeretur, contemſiſſe.* Tot SCtis, tot optimorum principum conſtitutionibus opus fuit ad reprimendam delatorum audaciam.

Quid vero, ſi conuiciſſent? Tunc PARTEM BONORVM PRAEMII NOMINE CONSEQVEBANTVR: cuius praemii praeter auctores ſupra citatos meminit etiam IVNIVS MAVRICIANVS (n). Quanta haec fuerit pars bonorum, et quo ſenſu eam ad quartam redegiſſe dicatur Nero, iam ſub initium huius capitis diſpeximus. Ea pars vt iuſte aeſtimaretur, is, a quo hereditas eiuſue pars tanquam caduca euincebatur, rationes ad aerarium deferre tenebatur. Si falſas detuliſſe argueretur: de eo praefectus aeratio cognoſcebat, et quantam fraudem inueniebat, tantam pecuniam deferri iubebat in aerarium. Non autem poſt Neronis tempora iſtud praemium quartam

(a) SVET. *Domit. cap.* 9.
(b) PANEGYR. *cap.* 35.
(c) *In Nerua.*
(d) IB. *cap.* 34.
(e) MAVRICIAN. *Lib.* III. *L.* 15. §. 2. *D. de iure fiſci.*
(f) IBID. L. 15. §. 4.
(g) IBID. L. 15. *pr.*
(h) L. 1. §. 2. *D. ad SC. Turpill. L.* 13. *D. de teſt.*
(i) MAVRICIAN. IBID. d. L. 15. §. 1. *D. de iure fiſci.*
(l) *M. Anton. Pii cap.* 7.
(m) *M. Anton. cap.* 11.
(n) IBID. d. L. 15. §. 1. *eod.*

tam bonorum delatorum partem exceſſiſſe videtur , quia paene ſemper ab eo tempore quadruplatorum occurrit cognomen . Quid ? quod haec delatorum praemia paullatim prorſus ab vſu receſſiſſe videntur , quia demum infame viſum eſt , alios ad aerarium deferre , niſi quis id nullo inductus praemio , vltionis vel reip. cauſſa detuliſſet (*a*) , vel ſerui fiſcales cauſſam fiſco prodidiſſent . Hinc PAVLLVS de ſuis temporibus : *omnes omnino* ; inquit , *deferre alterum , et cauſſam pecuniariam fiſco nunciare prohibentur. Nec refert , mares iſtud , an feminae faciant : ſerui , an ingenui , an libertini , an ſuos , an extraneos deferant : omni enim modo puniuntur.* Similiter puniebantur MANDATORES , quos vocant SVETONIVS (*b*) , CALLISTRATVS (*c*) et MARCIANVS (*d*) , vel , vti PAVLLO (*e*) adpellantur , SVBORNATORES , qui , quum ipſi deferre non poſſent , alios , vt puta ſeruos fiſcales , ſubornabant . Illos tunc ſubornari prodere atque exhibere tenebantur (*f*) , eadem cum delatoribus poena adficiendos (*g*).

III. Sed et aliud aduerſus delatores remedium reperit Traianus Imp. edicto cauens , *vt , ſi quis , antequam cauſſa eius ad aerarium deferatur , profeſſus eſſet , eam rem , quam poſſideret , capere ſibi non licere , ex ea partem fiſco inferret , partem ipſe retineret* (*h*) . Licebat itaque omnibus , ſe ipſos deferre , et , quia nullo iudicio contradicto opus erat , iis quoque id beneficium dabatur , quibus alios deferre haud licebat , veluti feminis et adoleſcentulis in pupillari aetate conſtitutis (*i*) , modo ſe ipſos tantum deferrent . Quod adeo rigide exigebant ICti , vt nec illud , quod ſeruo relictum fuerat , a domino deferri paterentur (*l*) . Dubitabatur etiam , an heres eius , qui contra leges caperet , deferre ſe poſſet ; aſt Diui fratres , quos vocant , reſcripſerunt , ita demum deferre poſſe , ſi is , cui iuſto plus datum fuerat , morte praeuentus , per anguſtias temporis deferre ſe non poterit (*m*) . Sed hoc ita habebat locum , ſi iam defunctum eo animo fuiſſe liqueret , vt ſe deferret . Nam ſi ideo diſſimulaſſet , quod rem occultari poſſe ſperaret ; heres eius ex reſcripto Hadriani nihil vltra vulgare praemium , puta , quod alii delatores caperent , non autem dimidiam bonorum partem , conſequebatur (*n*).

Profeſſio illa fieri debebat , antequam cauſſa ab alio deferretur , nec deferendum erat aliud , quam , quod lateret , non quod iam fiſci eſſet (*o*) . Nec tamen fraudi erat , alium ante apertas tabulas caducum detuliſſe , dum ipſe ſtatim apertis tabulis profiteretur . Huiuſmodi enim profeſſionem recipi iuſſerat Antoninus , neque dignam eſſe praemio ſtatuit tam praecipitem alterius feſtinationem (*p*) . Porro profiteri quis debebat , eam rem , quam poſſideret , ſibi capere non licere . Hinc id Traiani beneficium proprie pertinebat ad eos , qui iam huiuſmodi bona contra leges poſſiderent . Aſt poſtea idem Princeps edicto ſignificauit , *vt , ſi qua profiteretur , vel palam*

vel

(a) PAVLL. *Recept. Sent. Lib. tit. XIII.* §. 1. 2.
(b) *Tit. cap.* 8.
(c) *L.* 2. § 5. *L.* 23. *D. de iure fiſci.*
(d) *L.* 24. *D. eod.*
(e) *Rec. Sent. ibid.* §. 11.
(f) *L.* 24. *D. de iure fiſci.*
(g) PAVLL. *ibid. et d. L.* 24.
(h) PAVLL. *Lib. VII. L.* 13. [illegible] *D. de iure fiſci.*
[i] VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 16. *D. eod.*
[l] PAVLL. *Lib.* VII. *d. L.* 13. §. 8.
[m] IBID. *L.* 13. §. 6. *D. eod.*
[n] IBID. L. 13. §. 5.
[o] IBID. L. 13. §. 3.
(p) IBID. L. 13. §. [illegible]

Digitized by Google

vel tacite ſibi aliquid relictum, quod capere non poſſet, probaretque idem id ad fiſcum pertinere, etiamſi id non poſſideret, ex eo tamen, quod relictum ſit, a Praefectis aerario partem dimidiam ferret (a). Nihil quoque intererat, quae cauſſa impediret, quo minus quis poſſet capere; verbi cauſſa caelibatus, vel orbitas (b); modo eſſent bona caduca, non ereptitia; ad quae edictum non pertinebat (c).

Ceterum deferentes ſe capiebant dimidiam bonorum, quod praemium quum dubitaretur, an et ad eius, qui ſe detulerat, heredes pertineret: Hadrianus reſcripſit, vt, licet ante deceſſiſſet is, qui ſe detulerat, quam id, quod detulerat, fiſco adiiceretur, heredem tamen eius maneret praemium (d). Idemque princeps conſtituerat, vt ſi quis, incapacem ſe falſo exiſtimans, per errorem fuiſſet profeſſus, id ne ei fraudi eſſet; quod deinde et Pius, diuique fratres probarunt (e). Vnde non erat dubium, quin, cognita cauſſa probataque, ei eſſet reſtituendum id, quod per errorem detuliſſet, ipſique praeter ius abſtuliſſet aerarium. De conſtitutione CONSTANTINI (f), qua id edictum illuſtratum eſt, iam ſuperiore capite diximus.

IIII. Reliquum eſt caput poſtremum de oneribus fiſci, ad quod fragmenta quaedam VLPIANI ex libro XVIII et PAVLLI ex libro VII pertinent. Id cum IAC. GOTHOFREDO tale fuiſſe arbitramur.

Caduca non niſi deducto aere alieno, iiſque conditionibus, et oneribus, quibus relicta erant, populo adquiruntor.

V. CADVCA fiſcus capiebat loco heredis vel legatarii deficientis. Quemadmodum itaque, quoties portio deficiens coheredi adcreſcit, toties is et omnia in ſe onera ſuſcipit (g): ita nihil aequius videtur, quam eadem conditione aerarium capere caduca, qua illud adquiſiturus fuiſſet heres. Hinc NON NISI DEDVCTO AERE ALIENO, IISDEMQVE CONDITIONIBVS ET ONERIBVS, QVIBVS RELICTA ERANT, caduca POPVLO ADQVIREBANTVR. Primo itaque deducebatur aes alienum, de quo VLPIANVS (h): *ſicuti legata non debentur, niſi deducto aere alieno: nec mortis cauſſa donationes debebuntur, ſed infirmantur per aes alienum. Quare ſi immodicum aes alienum interueniat, ex re mortis cauſſa ſibi donata nihil aliquis conſequitur.* Eodem itaque iure aerarium vel fiſcus vtebatur, ſiquidem ſuccedens nec quidquam lucrabatur, nec aliis ſoluebat, niſi deducto aere alieno. Deinde ſicuti circa Falcidiam interuallum temporis et interuſurium minorem faciebant quantitatem legati, ſub conditione vel in diem relicti: ita eodem iure vtebatur fiſcus, ſi forte huiuſmodi legatum, tanquam caducum, occuparet (i). Porro et iiſdem conditionibus parere debebat fiſcus, quibus perſona, a qua ad ipſum, quod relictum eſt, peruenit, ſicut etiam cum ſuo onere hoc ipſum vindicabat, vti ait PAVLLVS (l). Hinc ſi legatus eſſet vſusfructus Stichi, aut decem, ſi nauis ex Aſia redierit: aerarium occu-

cu-

(a) IB. L. 13. §. 1.
(b) *L.* 13 §. 2.
(c) IB. L. 13. §. 9.
(d) IB. *L.* 13. §. 4.
(e) IB. *L.* 13. §. 10.
(f) *L. vn. C. de his qui ſe def.*
(g) VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 61. D. *de leg.* 2.
(h) VLP. *Lib.* XVIII. L. 66 §. 1. *D. ad L. Fal.*
(i) IB. *L.* 66. *princ.* D. *eod.*
(l) PAVLL. *Lib. VII.* L. 60. *D. de cond. et demonſtr.*

cupans hereditatem non prius praeſtabat vſumfructum, quam conditio alterius legati exſtitiſſet, ne poteſtas, quae heredi relicta erat, vtrum velit, dandi auferretur (a). Quemadmodum porro D. Pius ab eo, qui annua legata praecipere ad diſtribuendum iuſſus erat, vetuit cautionem exigi, *ceſſantium partes reddi*, niſi aperte cauere iuſſus eſſet: Ita nec eam cautionem exigere poterat aerarium vel fiſcus, ſi ei hereditas tanquam caduca deferebatur (b). Paucis omnia complectitur IVLIANVS (c): *quoties lege Iulia bona vacantia*, (adde et caduca,) *ad fiſcum pertinent: et legata et fideicommiſſa praeſtantur, quae praeſtare cogeretur heres, a quo relicta erant.* Contra et id priuilegium fiſco competebat, vt non ſolum actiones defuncti ad eum vna cum hereditate tranſirent, ſed et is bona omnia in fraudem fiſci alienata reuocaret (d), et ea quoque, quae heres vel defunctus adquirere omiſerat, tanquam alienata, ab omni poſſeſſore retraheret (e).

KAI TATTA MEN TATTA.

(a) PAVLL. *Lib. VII. L. 21. D. de vſufr. leg.*

(b) PAVLL. *Lib. VII. L. 7. D. ſi cui plus, quam per L. Falc.*

(c) L. 96. §. 1. D. *de legat.* 1.

(d) L. 46. D. *de iure fiſci.*

(e) L. 45. *pr.* D. *eod.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX I.

AVCTORVM,

Qui in hoc commentario emendantur, explicantur, notantur, illuſtrantur.

Alciatus (Andr.) pag. 218
Athenaeus. 18
Auguſtinus (Ant.) 122
Auſonius. 262
Balduinus (Franc.) 131. 262
Berneggerus (Matth.) 36
Beroaldus. 348
Bertrandus (Ioann.) 40
Boethius. 258
Briſſonius (Barn.) 191. 122. 154. 199. 257. 262
Buchnerus (Aug.) 175
Capitolinus (Iul.) 170. 211. 277
Caſaubonus (Iſaac.) 36
Catullus. 115
Cellarius (Chriſt.) 175
Charondas (Lud.) 202
Cicero. 6. 95. 183. 148. 190. 246
Connanus (Franc.) 221
Coraſius (Io.) 91
Coritpus. 86
Cuiacius (Iac.) 41. 88. 130. 135. 179. 189. 209. 216. 220. 240. 262. 285. 314
Dacerius (Andr.) 52
D'Antoine (Io. Bapt.) 304
Dio Caſſius. 41. 33. 159. 187. 209
Dionyſius Halicarnaſſ. 3. 156
Doſitheus. 184
Duarenus (Franc.) 91. 238. 275
Euripides. 245
Euſebius. 270. 272
Faber (Ant.) 87. 214
Faber (Petr.) 182
Feſtus. 23
Frontinus (Iul.) 166
Gellius. 2. ſeq. 155. 190
Glandorpius (Mart.) 47
Gothofredus (Dionyſ.) 271
Gothofredus (Iac.) 5. 49. 87. 122. 151. 194. 198. 222. 226. 230. 233. 239. 244. 254. 256. 272. 304. 312. 322
Gratianus. 49
Grauina (Ian. Vinc.) 5. 22. 122. 240. 284
Gronouius (Io. Fridr.) pag. 52. 175
Grotius (Guil.) 12
Grotius (Hugo) 214
Haloander (Greg.) 197
Heraldus (Deſider.) 214
Horatius. 34. 115. 138
Hotomanus (Franc.) 122. 238. 300
Iamblichus. 19
Index numiſm. famil. Patini. 44
Inſcriptiones veteres. 5. 34. 45. 104. 113. 114. 134. 135. 136. 143. 176. 203. 207. 211. 212. 225. 230.
Ioſephus. 161
Iſidorus Hiſpal. 49
Iſocrates. 245
Iuuenalis. 148. 170. 203. 268. 303
Kirchmaierus (Caſp.) 22
Labittus (Iac.) 279
Lactantius. 113
Langlaeus (Ian.) 18. 162
Libanius. 239
Lipſius (Iuſtus) 32. 40. 122
Liuineius (Ioann.) 38
Liuius. 46. 156. 161. 188. 265
Marcianus Capella. 11
Marianus Scotus. 49
Martialis. 122. 196. 222
Maurus (Marc. Vertr.) 178. 179. 205. 237
Mercator (Anton.) 340
Merillius (Emund.) 110. 191. 298
Merula (Paullus). 5
Nonius. 127
Nummi veteres. 10. 39. 44. 45
Ouidius. 92. 137
Petrenonius (Petr.) 89
Philo. 245
Pighius (Steph. Vin.) 8
Pithoeus (Petr.) 151. 137
Plautus. 106. 195
Plinius ſenior. 49
Plinius iunior. 26. 85. 162. 272. 275. 307
Plutarchus. 18. 21. 23. 24. 268.
Propertius. 37. 257

Quinctilianus. pag. 153. 207
Rualdus (Ioann.) 21
Salmaſius (Claud.) 203. 211
Scaliger (Iuſt. Ioſeph.) 104. 135. 229. 231
Schelſtratenus (Eman.) 166
Seneca. 122. 124. 182
Seruius. 190
Silius Italicus. 45
Sozomenus. 219. 268. 272
Spartianus. 26
Stobaeus (Io.) 18
Suetonius. 5. 35. 123. 140. 163. 203. 257. 300. 348
Sylburgius (Fridr.) 3
Syluius (Franc.) 8
Tacitus. 19. 20. 32. 50. 92. 160. 203
Terentius. 204. 246
Tertullianus. 241. 216. 220. 268
Tillemont. 33
Valerius Maximus. 127
Virgilius. 190
Xylander (Guil.) 5

INDEX II. LEGVM,

Quae in hoc Commentario emendantur, vindicantur, illuſtrantur, vel ad ſpeciem ſuam reducuntur.

Ex Inſtitutionibus.

§. 4. 5. INſt. qui et ex quib. cauſſ. manum. non poſſ. *p.* 103
§. 6. 7. Inſt. de nupt. 247
§. 12. eod. 150. 154
§. 2. 3. Inſt. de ſucceſſ. lib. 277

Ex Pandectis.

L. 2. §. 5. de orig. iur. 156
L. 19. de legib. SC. et long. conſu. 304
L. 28. eod. 322
L. 31. eod. 311
L. 24. de ſtatu hom. 179
L. 25. eod. 96
L. 45. de adopt. 265
L. vlt. eod. 210
L. 1. §. 1. de Senator. 93
L. 5. eod. 90
L. 6. §. 1. eod. 91
L. 7. pr. eod. 113. §. 1. 115. §. 2. 93
L. 10. eod. 93
L. 12. eod. 100
L. 4. §. 2. de off. Procoſ. 224
L. 8. §. 1. de in ius voc. 297
L. 10. eod. *ibid.*
L. 1. de his qui not. inf. 97
L. 7. de cap. minut. 280
L. 52. §. 1. de indic. 320
L. 20. §. 6. de her. petit. 315
L. 21. pr. de act. emt. 126
L. 10. 11. de praeſcr. verb. 212
L. 48. de vſuris. 213
L. 4. de teſtib. *pag.* 151
L. 19. pr. eod. 251
L. 1. §. 4. de iur. & facti ign. 298
L. 5. et L. 6. eod. 150. 151
L. 14. de ſponſal. 143
L. 15. et L. 16. eod. 94
L. 17. eod. 143
L. 14. §. vlt. de rit. nupt. 245
L. 19. eod. 49
L. 21. eod. 169
L. 24. eod. 138
L. 25. eod. 298
L. 30. eod. 158
L. 31. eod. 253
L. 43. eod. 87
L. 44. pr. §. 8. eod. 87
L. 45. pr. §. 2. 3. et vlt. 197
L. 46. eod. 281
L. 47. eod. 100
L. 48. eod. 40. 198
L. 49. eod. 87
L. 50. eod. 194
L. 57. §. 1. eod. 27
L. 60. §. 5. eod. 94
L. 39. de iure dot. 128
L. 61. pr. et §. 1. eod. 204
L. 17. de pact. dot. 11
L. 3. §. 1. de don. int. vir. et vx. 109
L. 60. eod. 128. et 159
L. 11. pr. de diuort. 199
L. 15. §. 1. ſol. matr. dos quemadm. 262
L. 38. eod. *ibid.*
L. 47. eod. 258
L. 64. eod. 260

L. [illegible] de agn. et al. lib. pag. 265
L. 1. pr. de concub. 132. 199. §. 1. 137
L. 3. §. 1. eod. 132
L. 4. de tut. et curat. dat. 278
L. 6. pr. et §. 1. de lib. et poſtum. her. inſt. 129
L. 3. §. 4. de her. inſt. 300
L. 26. eod. 316
L. 42. eod. 300
L. 71. eod. 306
L. 72. eod. 231
L. 73. eod. 316
L. 5. de vulg. et pupill. ſubſt. 227
L. 6. eod. 226
L. 68. de adqu. vel om. hered. 317
L. 79. eod. 153
L. 80. eod. 398
L. 81. eod. 319
L. 83. eod. 347
L. 10. L. 11. L. 12. teſt. quemadm. aper. 318
L. 20. de iure codicill. 299
L. 10. de legat. 1. 330
L. 54. de legat. 1. 307
L. 55. eod. 11
L. 59. eod. 330
L. 60. eod. 310
L. 61. §. 1. eod. 405
L. 96. §. 1. eod. 315
L. 29. §. vlt. de legat. 2. 405
L. 49. eod. 319
L. 51. pr. 344. §. 1. eod. 116
L. 53. eod. 215
L. 54. eod. 322
L. 55. §. 1. eod. 322
L. 57. eod. 312
L. 77. §. 24. eod. 191
L. 87. pr. eod. 320
L. 14. pr. de legat. 3. 236
L. 35. pr. eod. 320
L. 87. eod. 270
L. 88. eod. 309
L. 90. eod. 345
L. 23. de vſufr. leg. 314
L. 43. eod. 213
L. 16. de opt. legat. 330
L. 35. de aur. arg. mund. 133
L. 21. de liberat. leg. 309
L. 6. de adim. vel transf. legatis. 308
L. 23. de reb. dub. 253
L. 4. de his quae pro non ſcript. hab. 308
L. 6. de his quae vt indign. 327
L. 10. eod. 153
L. 13. eod. 107
L. 16. eod. pag. 87
L. 25. eod. 138
L. 22. de cond. et dem. 236
L. 25. eod. 209
L. 31. eod. 392
L. 59. pr. eod. 314
L. 61. eod. 209
L. 62. eod. 228
L. 69. eod. 324
L. 76. eod. 163
L. 104. eod. 300
L. 62. ad L. Falc. 85
L. 63. eod. 208
L. 64. eod. 321
L. 67. eod. 108
L. 23. quando dies legat. 108
L. 38. de bon. libert. 277
L. 4. de bon. poſſeſſ. 277
L. 6. de collat. 266
L. 16. de iure patr. 278
L. 22. eod. 282
L. 37. §. 3. ſequ. de operis libert. 185
§. 7. 152
L. 48. eod. 275
L. 10. pr. de adſign. lib. 303
L. 3. §. 3. de ſuis et legit. her. 197
L. 13. eod. 302
L. 31. pr. de donat. 138
L. 36. de mort. cauſſ. don. 272
L. 44. eod. 300
L. 18. de manumiſſ. 313
L. 4. §. 17. de fideicom. libertat. 283
L. 22. fin. eod. 151
L. 31. de ſtatu liberis. 314
L. 24. qui et a quib. manum. lib. non fiunt. 177
L. 32. §. 2. eod. 185
L. 1. §. 1. de iur. aur. ann. L. 4. eod. 96
L. 6. eod. 276
L. 2. pr. §. 2. de colluſ. deteg. 96
L. 3. et 4. eod. *ibid.*
L. 4. pro herede. 323
L. 7. et 9. pro legato. 323
L. 29. de reb. auct. iud. poſſid. 323
L. 4. §. 1. de ſeparat. 313
L. 1. §. 2. de tab. exhib. 313
L. 1. §. 10. ſi is, qui teſt. lib. eſſe iuſſ. 313
L. 12. pr. de accuſ. 151
L. 10. §. 2. ad L. Iul. de adult. 99
L. 11. eod. 262
L. 15. §. 1. eod. 151
L. 15. ad L. Corn. de ſicar. 170
L. 1. pr. ad L. Pomp. de parric. 84

is incidebat in legem, qui rogatus fuerat, ei reſtituere, qui quum tempore conditi teſtamenti capax eſſet, poſtea demum incapax eſſe coeperat. Quare non dubitat CAIVS (a), *quin, etſi hoc caſu fideicommiſſum deficiat, id tamen apud eum, qui rogatus erat reſtituere, manere debeat, quia* NVLLA *eius* FRAVS *interueniſſe videatur, niſi in futurum caſum fidem accommodauerit, id eſt, vt, licet capere legibus prohiberi coeperit, reſtituat*. Quare nec aerario locus erat, ſi perſona, cui reſtituenda hereditas, capere poſſet, veluti concubina. Et ita CELSVS pater, quum eſſet in conſilio Ducenni Veri, Conſ. ſententiam ſuam omnibus probauit, quum cenſeret, legatum ducentorum concubinae Oracilii Catuli praeſtandum eſſe, quod ipſe liberto reliquerat, petieratque, vt reſtitueretur concubinae, tametſi libertus viuo teſtatore deceſſiſſet, et legatum remanſiſſet apud Oracilii filiam heredem (b). Porro non ſufficiebat, heredem legatariumue a teſtatore tacite rogatum eſſe: ſed concurrere oportebat fiduciarii promiſſum, dolo malo factum. Hinc additur: ISQVE SCIENS DOLO MALO TACITAM FIDEM TESTATORI ADCOMMODAVERIT. Qui enim poena dignus videri potuiſſet heres vel legatarius, cui contra leges aliquid iniunxerat teſtator, quum ipſe fidem nunquam ei obſtrinxiſſet, ſe improbae iſti teſtatoris voluntati pariturum? Fidem itaque ſuam adcommodaſſe debebat fiduciarius, et quidem SCIENS, DOLO MALO. In illa vero quaeſtione, teſte VLPIANO (c), *nec ſupina ignorantia ferenda erat, factum ignorantis, nec ſcrupuloſa inquiſitio exigenda. Scientia enim hoc modo aeſtimanda videbatur, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita eſſet, neque delatoria curioſitas exigeretur*. Nec dolum commiſiſſe videbatur filius familias, qui iuſſu patris tacitam fidem adcommodauerat. Quamuis enim pater per filium tunc nihil adquireret, ne fraudis atque improbitatis ſuae caperet fructum: filio tamen, mortuo patre, vel facta emancipatione, id factum fraudi non erat, quia, vti CAIVS (d) reſpondet, non videbatur id filio nocere debere, qui *parendi neceſſitatem habuerit*.

Si quis ergo ita tacitam fidem ſciens dolo malo adcommodauerat: tunc is HEREDITATE LEGATOVE, SIBI RELICTO, PRIVABATVR, EAQVE POPVLO VINDICABANTVR. Hinc primo fideicommiſſa ipſa hoc modo relicta deficiebant, ne excepta quidem libertate fideicommiſſaria, cuius alioquin maximus erat fauor: *quum libertas*, teſte TER. CLEMENTE (e), *legibus adimeretur, aut pro non data haberi deberet, aut certe perinde obſeruari, ac ſi a teſtatore ademta eſſet*. Sed et ſi operae ſerui hoc modo cuiquam relinquerentur, qui tacitam fidem accommodauerat; eo quoque legato fiduciarium priuabat fiſcus, quamuis tunc multi non niſi vſum ſerui relictum cenſerent. Diſerte enim TER. CLEMENS (f): *operis ſerui legatis*, VSVM *datum intelligi; et ego didici, et* IVLIANVS *exiſtimat*. Diuerſae nimirum erant veterum de operis ſeruorum ſententiae. Alii eas vſuifructui (g); alii vſui adſimilabant. Quamuis autem ab vtroque differant, et plus ſit in vſu-

(a) CAI. IBID. L. 10. §. 1. D. de his, quae vt indign.

(b) CELS. Lib. XXXVI. L. 29. de leg. 2.

(c) VLP. Lib. XVIII. L. 6. D. de iur. et facti ign.

(d) CAI. Lib. XV. 4. L. 10. §. vlt. D. de his, quae vt indign.

(e) TER. CLEM. Lib. XVIII. L. vn. D. de adem. lib.

(f) TER. CLEM. Lib. XVIII. L. 5. D. de op. ſeru.

(g) L. 3. L. 4. D. eod.

vſuſtuctu, quam in operis, plus in operis, quam in vſu: quum illae nec neceſſitate aeſtimentur, et locari aliis poſſint (a): aequior tamen TER. CLEMENTI eorum ſententia viſa eſt, qui ſeruorum operas vſui comparabant, quia idem ſenſerat IVLIANVS, a quo ipſe ſententiam ſuam haud temere ſeiungit. Denique fiduciarius non modo ſuam partem amittebat, verum etiam ius adcreſcendi. Quum enim in hereditate pars parti vel res rei adcreſcat (b): nihil ſane ei, VLPIANO (c) iudice, poteſt adcreſcere, *qui rem non videtur habere.*

VIII. Tantus erat legis caducariae rigor. Aſt aequitate motus TRAIANVS eum quodammodo temperauit, ſtatuitque, *vt quicunque profeſſus eſſet, vel palam vel tacite relictum ſibi, quod capere non poſſet, et probaſſet, iam id ad fiſcum pertinere: etiamſi id non poſſideret, ex eo quod redactum eſſet, partem dimidiam ferret* (d). Poſtea et CONSTANTIVS (e) A. Maximo Rationali Hiſpaniae reſcripſit, vt ſi ipſe, qui tacitam fidem teſtatori adcommodauit, ſtatim ſe deferret, is partem tertiam praemii loco auferret: ſin vxor fideicommiſſaria, illa dimidiam conſequeretur cum priuilegio optionis: occultator vero geſtorum, exutus omni patrimonio, deportaretur in inſulam. Sed poſtquam pleraeque leges, quae caelibes et orbos incapaces eſſe iuſſerant, ab ipſo CONSTANTINO, reliquae extremis reip. temporibus ſublatae fuerunt, ac denique IVSTINIANVS ipſa etiam caduca abrogauit: nihil cauſſae ſuberat, cur homines tacitis huiuſmodi fideicommiſſis legi iam intermortuae illudere cuperent.

(a) L. 2. D. de vſu legat.
(b) L. 3. §. vlt. L. 4. L. 5. D. de bon. poſſeſſ.
(c) VLP. Lib. XVIII. L. 83. D. de adqu. her.
(d) PAVLL. Lib. VII. L. 13. §. 1. D. de iure fiſci.
(e) L. vn. C. de his, qui ſe defer.

CAPVT X.

AD CAPITA LEGIS XIIII. ET XV.

DE PRAEMIIS DELATORVM ET ONERIBVS FISCI.

I. *Caput XIIII. de delatorum praemiis. Iis praemia fuiſſe propoſita, demonſtratur. Sententia huius capitis. II. Quis deferre potuerit? Delator non niſi ſi conuicerit, praemia capiebat. Calumniae et praeuaricationis poena. Quantum fuerit delatorum praemium? Rationes ad aerarium deferendae. Quadruplatores. Delationes plane ſublatae. III. Edictum Traiani de iis qui ſe ipſi deferunt, expoſitum. IIII. Caput vltimum de oneribus fiſci. V. Aerarium vel fiſcus ſuccedens tenebatur ad aes alienum. Nec non ad legata, fideicommiſſa et reliqua onera praeſtanda. Fiſcus et omnes actiones adquirebat.*

I. Iiſdem commentariorum libris, quibus caput ſuperius illuſtrarunt VLPIANVS, et PAVLLVS, etiam de praemiis delatorum diſputarunt.

Digitized by Google

Delatores autem premiis ad caduca deferenda fuiſſe inductos, multis veterum teſtimoniis conſtat. TACITVS (a) ſane *omnem domum* DELATORVM *interpretationibus ſubverſam* refert. Et paucis interiectis (b): *Acriora*, inquit, *ex eo vincla, indicii cuſtodes, et lege Papia Poppaea praemiis inducti, vt, ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret*. Vbi *cuſtodes* non alii, quam delatores. Quantum fuerit, quod abſtulerunt, praemium, parum conſtat. Quum autem SVETONIVS (c) auctor ſit, Neronem *praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegiſſe*: facile patet, ea ſatis magna antea fuiſſe, et fortean tertiam aut ſemiſſem bonorum, quae ad aerarium detuliſſent, complexa. Poſterius mihi videtur veroſimillimum, vel ideo, quod TRAIANVS, vti paullo poſt videbimus, tantumdem reliquit iis, qui ſe ipſos eſſent delaturi. Et haec etiam ratio me retrahit, vt non adſentiar BEROALDO, quartam illam apud SVETONIVM non intelligenti de quarta bonorum, quae quis detulerit; ſed de quarta praemii ipſis conſtituti lege Papia Poppaea, quod quartam bonorum partem fuiſſe exiſtimat. Neque tamen haec pro certo adfirmare licet, videturque conſultius, caput hoc cum GOTHOFREDO mutilum ita proferre:

Si quis incapaci relictum ad aerarium detulerit, et conuicerit, praemii nomine - - - partem bonorum conſequitor.

II. SI QVIS, inquit lex, INCAPACI RELICTVM AD AERARIVM DETVLERIT. Deferre autem poterant, qui et accuſare. Non igitur mulieres, nec viri clariſſimi, nec damnati, nec milites ac veterani, nec qui tutores vel curatores, aut procuratores fuerant, nec venditores earum rerum, quas deferunt: ceu ſingulari de delatoribus libro docuit MARCIANVS (d). Ii omnes deferre non poterant. Reliquis deferre licebat, iique id faciebant tam frequenter, vt omnis domus, omnis paene ſubuerteretur familia. Ne tamen calumniis ſuis peſſumdarent rempublicam: variis legibus, SCtis et conſtitutionibus principum coercenda videbatur hominum audacia. Primum enim praemii tunc demum fiebant participes, SI CONVICISSENT, id eſt ſi fraudem legi factam, aut caduca celari, iudici fidem feciſſent. Deinde ne et innocentes ficta opprimerentur calumnia; eiuſmodi ſcelus puniebatur grauiſſime: ſed non niſi ſub bonis Principibus. Sic ſane Titus Imp. teſte PLINIO (e), exempla primus fieri iuſſit in delatoribus, quos, vti SVETONIVS (f) refert, adſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac nouiſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos, ac venire imperauit, partim in aſperrimas inſularum iuſſit auehi. Deinde et Domitianus, adhuc bonus, reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit, nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, vt accuſatori, qui cauſſam non teneret, exſilium poena eſſet. Idem fiſcales calumnias magna calumniantium poena repreſſit, ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores non caſtigat,

(a) *Ann. Lib. III. cap.* 25.
(b) *Id. Ib. cap.* 28.
(c) *Neron. cap.* 10.
(d) L. 18. *D. de iure fiſci*.
(e) *Paneg. cap.* 35.
(f) *Tit. cap.* 8.

Digitized by Google

gat, irritat (*a*). Sequutus eſt principatus Neruae, quem PLINIVS (*b*) magna quaedam edicto Titi, quo delatorum calumnias repreſſerat, adſtruxiſſe; XIPHILINVS (*c*) autem ſeruos et libertos, dominis et patronis periculum facientes, poenis adfeciſſe, refert. Sed nemo ſeuerior Traiano, magnifice ideo collaudatus a PLINIO (*d*). Quum enim renatum eſſet illud delationis malum, multique reperirentur, qui quaſi graſſatores et latrones non ſolitudinem, non iter, ſed templa et fora, inſederant, nullaque iam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi prodeſſent: Traianus inſtituit delatorum iudicium, et quotquot calumniae conuictos intelligebat, ſtigmate ex lege Remmia vſtos, et impoſitos nauibus, in inſulas deferri iuſſit. Saepe et inſequentes principes eadem ſeueritate in delatores animaduerterunt. Hadrianus, teſte MAVRICIANO (*e*), reſcripſit, eamdem poenam ferre delatorem debere, ſi citatus per edictum non reſponderit, qua teneretur, ſi cauſſam non probaſſet. Poſtea ſenatus cenſuit, ſi delator tribus edictis apud Praefectum aerario adeſſe iuſſus, ſeſe non ſtiterit, ſecundum poſſeſſorem eſſe pronunciandum, et a delatore tantum exigendum, quantum apud aerarium ex ea cauſſa, quam detulerit, remaneret, ſi eam profeſſionem impleſſet (*f*). Si delator abolitionem petebat, quod erraſſe ſe diceret, iudicem cognoſcere iuſſerat Senatus, et ſi erraſſe delator viſus ſit, imprudentiae veniam dare, ſin dolus pelluceret, columniae poenam infligere (*g*): quae ſaeculo adhuc tertio erat ſtigma ex lege Remmia fronti impudiciſſimae inuſtum (*h*). Qui delatorem ſubiecerat, is tantum deferre tenebatur in aerarium, quantum praemii nomine conſequuturus fuiſſet delator, ſi viciſſet (*i*). Haec omnia ſub Antonino Pio, cui aequalis MAVRICIANVS fuit, cenſuit Senatus: de quo IVL. CAPITOLINVS (*l*): QVADRVPLATORES *exſtincti ſunt. Publicatio bonorum rarior, quam vnquam, fuit.* Poſt quem et de Marco Aurelio Antonino, principe optimo, IVL. CAPITOLINVS (*m*) obſeruat, *eum calumniis quadruplatorum interceſſiſſe, adpoſita falſis delatoribus nota, et delationes, quibus fiſcus augeretur, contemſiſſe*. Tot SCtis, tot optimorum principum conſtitutionibus opus fuit ad reprimendam delatorum audaciam.

Quid vero, ſi conuiciſſent? Tunc PARTEM BONORVM PRAEMII NOMINE CONSEQVEBANTVR: cuius praemii praeter auctores ſupra citatos meminit etiam IVNIVS MAVRICIANVS (*n*). Quanta haec fuerit pars bonorum, et quo ſenſu eam ad quartam redegiſſe dicatur Nero, iam ſub initium huius capitis diſpeximus. Ea pars vt iuſte aeſtimaretur, is, a quo hereditas eiuſue pars tanquam caduca euincebatur, rationes ad aerarium deferre tenebatur. Si falſas detuliſſe argueretur: de eo praefectus aerario cognoſcebat, et quantam fraudem inueniebat, tantam pecuniam deferri iubebat in aerarium. Non autem poſt Neronis tempora iſtud praemium quar-

tam

(a) SVET. *Domit. cap.* 9.
(b) PANEGYR. *cap.* 35.
(c) *In Nerua.*
(d) IB. *cap.* 34.
(e) MAVRICIAN. *Lib.* III. L. 15. §. 2. D. *de iure fiſci.*
(f) IBID. L. 15. §. 4.
(g) IBID. L. 15. *pr.*
(h) L. 1. §. 2. D. *ad SC. Turpill.* L. 13. D. *de teſt.*
(i) MAVRICIAN. IBID. d. L. 15. §. 1. D. *de iure fiſci.*
(l) *M. Anton. Pii cap.* 7.
(m) *M. Anton. cap.* 11.
(n) IBID. d. L. 15. §. 1. eod.

tam bonorum delatorum partem exceſſiſſe videtur, quia paene ſemper ab eo tempore quadruplatorum occurrit cognomen. Quid? quod haec delatorum praemia paullatim prorſus ab vſu receſſiſſe videntur, quia demum infame viſum eſt, alios ad aerarium deferre, niſi quis id nullo inductus praemio, vltionis vel reip. cauſſa detuliſſet (*a*), vel ſerui fiſcales cauſſam fiſco prodidiſſent. Hinc Pavllvs de ſuis temporibus: *omnes omnino*, inquit, *deferre alterum, et cauſſam pecuniariam fiſco nunciare prohibentur. Nec refert, mares iſtud, an feminae faciant: ſerui, an ingenui, an libertini, an ſuos, an extraneos deferant: omni enim modo puniuntur.* Similiter puniebantur mandatores, quos vocant Svetonivs (*b*), Callistratvs (*c*) et Marcianvs (*d*), vel, vti Pavllo (*e*) adpellantur, svbornatores, qui, quum ipſi deferre non poſſent, alios, vt puta ſeruos fiſcales, ſubornabant. Illos tunc ſubornati prodere atque exhibere tenebantur (*f*), eadem cum delatoribus poena adficiendos (*g*).

III. Sed et aliud aduerſus delatores remedium reperit Traianus Imp. edicto cauens, *vt, ſi quis, antequam cauſſa eius ad aerarium deferatur, profeſſus eſſet, eam rem, quam poſſideret, capere ſibi non licere, ex ea partem fiſco inferret, partem ipſe retineret* (*h*). Licebat itaque omnibus, ſe ipſos deferre, et, quia nullo iudicio contradicto opus erat, iis quoque id beneficium dabatur, quibus alios deferre haud licebat, veluti feminis et adoleſcentulis in pupillari aetate conſtitutis (*i*), modo ſe ipſos tantum deferrent. Quod adeo rigide exigebant ICti, vt nec illud, quod ſeruo relictum fuerat, a domino deferri paterentur (*l*). Dubitabatur etiam, an heres eius, qui contra leges caperet, deferre ſe poſſet; aſt Diui fratres, quos vocant, reſcripſerunt, ita demum deferre poſſe, ſi is, cui iuſto plus datum fuerat, morte praeuentus, per anguſtias temporis deferre ſe non poterit (*m*). Sed hoc ita habebat locum, ſi iam defunctum eo animo fuiſſe liqueret, vt ſe deferret. Nam ſi ideo diſſimulaſſet, quod rem occultari poſſe ſperaret; heres eius ex reſcripto Hadriani nihil vltra vulgare praemium, puta, quod alii delatores caperent, non autem dimidiam bonorum partem, conſequebatur (*n*).

Profeſſio illa fieri debebat, antequam cauſſa ab alio deferretur: nec deferendum erat aliud, quam, quod lateret, non quod iam fiſci eſſet (*o*). Nec tamen fraudi erat, alium ante apertas tabulas caducum detuliſſe, dum ipſe ſtatim apertis tabulis profiteretur. Huiuſmodi enim profeſſionem recipi iuſſerat Antoninus, neque dignam eſſe praemio ſtatuit tam praecipitem alterius feſtinationem (*p*). Porro profiteri quis debebat, eam rem, quam poſſideret, ſibi capere non licere. Hinc id Traiani beneficium proprie pertinebat ad eos, qui iam huiuſmodi bona contra leges poſſiderent. Aſt poſtea idem Princeps edicto ſignificauit, *vt, ſi qua profiteretur, vel palam*

vel

(a) PAVLL. *Recept. Sent. Lib. tit. XIII.* §. 1. 2.
[b] *Tit. cap.* 8.
(c) L. 2. § 5. L. 23. *D. de iure fiſci.*
(d) L. 24. *D. eod.*
(e *Rec. Sent. ibid.* §. 11.
(f) L. 24. *D. de iure fiſci.*
(g) PAVLL. *ibid. et d.* L. 24.
(h) PAVLL. *Lib. VII.* L. 13. *pr. D. de iure fiſci.*
[i] VLP. *Lib.* XVIII. L. 16. *D. eod.*
[l] PAVLL. *Lib.* VII. *d.* L. 13. §. 8.
[m] IBID. L. 13. §. 6. *D. eod.*
[n] IBID. L. 13. §. 5.
[o] IBID. L. 13. §. 3.
(p) IBID. L. 13. §. 7.

vel tacite ſibi aliquid relictum, quod capere non poſſet, probaretque, idem id ad fiſcum pertinere, etiamſi id non poſſideret, ex eo tamen, quod relictum ſit, a Praefectis aerario partem dimidiam ferret (*a*). Nihil quoque intererat, quae cauſſa impediret, quo minus quis poſſet capere; verbi cauſſa caelibatus, vel orbitas (*b*): modo eſſent bona caduca, non ereptitia; ad quae edictum non pertinebat (*c*).

Ceterum deferentes ſe capiebant dimidiam bonorum, quod praemium quum dubitaretur, an et ad eius, qui ſe detulerat, heredes pertineret; Hadrianus reſcripſit, vt, licet ante deceſſiſſet is, qui ſe detulerat, quam id, quod detulerat, fiſco addiceretur, heredem tamen eius maneret praemium (*d*). Idemque princeps conſtituerat, vt ſi quis, incapacem ſe falſo exiſtimans, per errorem fuiſſet profeſſus, id ne ei fraudi eſſet; quod deinde et Pius, diuique fratres probarunt (*e*). Vnde non erat dubium, quin, cognita cauſſa probataque, ei eſſet reſtituendum id, quod per errorem detuliſſet, ipſique praeter ius abſtuliſſet aerarium. De conſtitutione CONSTANTINI (*f*), qua id edictum illuſtratum eſt, iam ſuperiore capite diximus.

IIII. Reliquum eſt caput poſtremum de oneribus fiſci, ad quod fragmenta quaedam VLPIANI ex libro XVIII et PAVLLI ex libro VII pertinent. Id cum IAC. GOTHOFREDO tale fuiſſe arbitramur.

Caduca non niſi deducto aere alieno, iiſque conditionibus, et oneribus, quibus relicta erant, populo adquiruntor.

V. CADVCA fiſcus capiebat loco heredis vel legatarii deficientis. Quemadmodum itaque, quoties portio deficiens coheredi adcreſcit, toties is et omnia in ſe onera ſuſcipit (*g*): ita nihil aequius videtur, quam eadem conditione aerarium capere caduca, qua illud adquiſiturus fuiſſet heres. Hinc NON NISI DEDVCTO AERE ALIENO, IISDEMQVE CONDITIONIBVS ET ONERIBVS, QVIBVS RELICTA ERANT, caduca POPVLO ADQVIREBANTVR. Primo itaque deducebatur aes alienum, de quo VLPIANVS (*h*): *ſicuti legata non debentur, niſi deducto aere alieno: nec mortis cauſſa donationes debebuntur, ſed infirmantur per aes alienum. Quare ſi immodicum aes alienum interueniat, ex re mortis cauſſa ſibi donata nihil aliquis conſequitur*. Eodem itaque iure aerarium vel fiſcus vtebatur, ſiquidem ſuccedens nec quidquam lucrabatur, nec aliis ſoluebat, niſi deducto aere alieno. Deinde ſicuti circa Falcidiam interuallum temporis et interuſurium minorem faciebant quantitatem legati, ſub conditione vel in diem relicti: ita eodem iure vtebatur fiſcus, ſi forte huiuſmodi legatum, tanquam caducum, occuparet (*i*). Porro et iiſdem conditionibus parere debebat fiſcus, quibus perſona, a qua ad ipſum, quod relictum eſt, peruenit, ſicut etiam cum ſuo onere hoc ipſum vindicabat, vti ait PAVLLVS (*l*). Hinc ſi legatus eſſet vſusfructus Stichi, aut decem, ſi nauis ex Aſia redierit: aerarium occu-

(a) IB. L. 13. §. 1.
(b) *L.* 13 §. 2.
(c) IB. L. 13. §. 9.
(d) IB. L. 13. §. 4.
(e) IB. *L.* 13. §. 10.
(f) *L. vn. C. de his qui ſe def.*
(g) VLP. *Lib.* XVIII. *L.* 61. D. *de leg.* 2.
(h) VLP. *Lib.* XVIII. L. 66 §. 1. *D. ad L. Fal.*
(i) IB. *L. 66. princ. D. eod.*
(l) PAVLL. *Lib. VII.* L. 60. *D. de cond. et demonſtr.*

Digitized by Google

cupans hereditatem non prius praeſtabat vſumfructum, quam conditio alterius legati exſtitiſſet, ne poteſtas, quae heredi relicta erat, verum velit, dandi auferretur (*a*). Quemadmodum porro D. Pius ab eo, qui annua legata praecipere ad diſtribuendum iuſſus erat, vetuit cautionem exigi, *ceſſantium partes reddi*, niſi aperte cauere iuſſus eſſet: Ita nec eam cautionem exigere poterat aerarium vel fiſcus, ſi ei hereditas tanquam caduca deferebatur (*b*). Paucis omnia complectitur IVLIANVS (*c*): *quoties lege Iulia bona vacantia*, (adde et caduca,) *ad fiſcum pertinent: et legata et fideicommiſſa praeſtantur, quae praeſtare cogeretur heres, a quo relicta erant.* Contra et id priuilegium fiſco competebat, vt non ſolum actiones defuncti ad eum una cum hereditate tranſirent, ſed et is bona omnia in fraudem fiſci alienata reuocaret (*d*), et ea quoque, quae heres vel defunctus adquirere omiſerat, tanquam alienata, ab omni poſſeſſore retraheret (*e*).

ΚΑΙ ΤΑΥΤΑ ΜΕΝ ΤΑΥΤΑ.

(a) PAVLL. *Lib. VII. L. 21. D. de vſufr. leg.*

(b) PAVLL. *Lib. VII. L. 7. D. ſi cui plus, quam per L. Falc.*

(c) L. 96. §. 2. D. *de legat.* 1.

(d) *L. 46. D. de iure fiſci.*

(e) L. 45. *pr. D. eod.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX I.

AVCTORVM,

Qui in hoc commentario emendantur, explicantur, notantur, illuſtrantur.

Alciatus (Andr.) pag. 218
Athenaeus. 18
Auguſtinus (Ant.) 122
Auſonius. 262
Balduinus (Franc.) 131. 262
Berneggerus (Matth.) 36
Beroaldus. 348
Bertrandus (Ioann.) 40
Boethius. 258
Briſſonius (Barn.) 191. 122. 154. 199. 257. 262
Buchnerus (Aug.) 175
Capitolinus (Iul.) 170. 211. 277
Caſaubonus (Iſaac.) 36
Catullus. 115
Cellarius (Chriſt.) 175
Charondas (Lud.) 202
Cicero. 6. 95. 183. 148. 190. 246
Connanus (Franc.) 221
Coraſius (Io.) 91
Corippus. 86
Cuiacius (Iac.) 41. 88. 130. 135. 179. 189. 209. 216. 220. 240. 262. 285. 314
Dacerius (Andr.) 52
D'Antoine (Io. Bapt.) 304
Dio Caſſius. 41. 33. 159. 187. 209
Dionyſius Halicarnaſſ. 3. 156
Doſitheus. 184
Duarenus (Franc.) 91. 238. 275
Euripides. 245
Euſebius. 270. 272
Faber (Ant.) 87. 214
Faber (Petr.) 182
Feſtus. 23
Frontinus (Iul.) 166
Gellius. 2. ſeq. 155. 190
Glandorpius (Mart.) 47
Gothofredus (Dionyſ.) 271
Gothofredus (Iac.) 5. 49. 87. 122. 151. 194. 198. 222. 226. 230. 233. 239. 244. 254. 256. 272. 304. 312. 322
Gratianus. 49
Grauina (Ian. Vinc.) 5. 22. 122. 240. 284
Gronouius (Io. Fridr.) pag. 52. 175
Grotius (Guil.) 12
Grotius (Hugo) 214
Haloander (Greg.) 197
Heraldus (Deſider.) 214
Horatius. 34. 115. 138
Hotomanus (Franc.) 122. 238. 300
Iamblichus. 19
Index numiſm. famil. Patini. 44
Inſcriptiones veteres. 5. 34. 45. 104. 113. 114. 134. 135. 136. 143. 176. 203. 207. 211. 212. 225. 230.
Ioſephus. 161
Iſidorus Hiſpal. 49
Iſocrates. 245
Iuuenalis. 148. 170. 203. 268. 303
Kirchmaierus (Caſp.) 22
Labittus (Iac.) 279
Lactantius. 113
Langlaeus (Ian.) 18. 162
Libanius. 239
Lipſius (Iuſtus) 32. 40. 122
Liuineius (Ioann.) 38
Liuius. 46. 156. 161. 188. 265
Marcianus Capella. 11
Marianus Scotus. 49
Martialis. 122. 196. 222
Maurus (Marc. Vertr.) 178. 179. 205. 237
Mercator (Anton.) 340
Merillius (Emund.) 110. 191. 298
Merula (Paullus). 5
Nonius. 127
Nummi veteres. 10. 39. 44. 45
Ouidius. 92. 137
Petrenonius (Petr.) 89
Philo. 245
Pighius (Steph. Vin.) 8
Pithoeus (Petr.) 151. 137
Plautus. 106. 195
Plinius ſenior. 49
Plinius iunior. 26. 85. 162. 272. 275. 307
Plutarchus. 18. 21. 23. 24. 268.
Propertius. 37. 237

Quinctilianus. pag. 153. 207
Rualdus (Ioann.) 21
Salmaſius (Claud.) 203. 211
Scaliger (Iuſt. Ioſeph.) 104. 135. 229. 231
Schelſtratenus (Eman.) 166
Seneca. 122. 124. 182
Seruius. 190
Silius Italicus. 45
Sozomenus. 219. 268. 272
Spartianus. 26
Stobaeus (Io.) 18
Suetonius. 5. 35. 123. 140. 163. 203. 257. 300. 348
Sylburgius (Fridr.) 3
Syluius (Franc.) 8
Tacitus. 19. 20. 32. 50. 92. 160. 203
Terentius. 204. 246
Tertullianus. 241. 216. 220. 268
Tillemont. 33
Valerius Maximus. 127
Virgilius. 190
Xylander (Guil.) 5

INDEX II. LEGVM,

Quae in hoc Commentario emendantur, vindicantur, illuſtrantur, vel ad ſpeciem ſuam reducuntur.

Ex Inſtitutionibus.

§. 4. 5. INſt. qui et ex quib. canſſ. manum. non poſſ. *p.* 103
§. 6. 7. Inſt. de nupt. 247
§. 12. eod. 150. 154
§. 2. 3. Inſt. de ſucceſſ. lib. 277

Ex Pandectis.

L. 2. §. 5. de orig. iur. 156
L. 19. de legib. SC. et long. conſu. 304
L. 28. eod. 322
L. 31. eod. 311
L. 24. de ſtatu hom. 179
L. 25. eod. 96
L. 45. de adopt. 265
L. vlt. eod. 210
L. 1. §. 1. de Senator. 93
L. 5. eod. 90
L. 6. §. 2. eod. 91
L. 7. pr. eod. 113. §. 1. 115. §. 2. 93
L. 10. eod. 93
L. 12. eod. 100
L. 4. §. 2. de off. Procoſ. 224
L. 8. §. 1. de in ius voc. 297
L. 10. eod. *ibid.*
L. 1. de his qui not. inf. 97
L. 7. de cap. minut. 280
L. 52. §. 1. de iudic. 320
L. 20. §. 6. de her. petit. 315
L. 21. pr. de act. emt. 126
L. 10. 11. de praeſcr. verb. 212
L. 48. de vſuris. 213
L. 4. de teſtib. *pag.* 151
L. 19. pr. eod. 251
L. 1. §. 4. de iur. & facti ign. 298
L. 5. et L. 6. eod. 150. 151
L. 14. de ſponſal. 143
L. 15. et L. 16. eod. 94
L. 17. eod. 143
L. 14. §. vlt. de rit. nupt. 245
L. 19. eod. 49
L. 21. eod. 169
L. 24. eod. 138
L. 25. eod. 198
L. 30. eod. 158
L. 31. eod. 253
L. 43. eod. 87
L. 44. pr. §. 8. eod. 87
L. 45. pr. §. 2. 3. et vlt. 197
L. 46. eod. 281
L. 47. eod. 100
L. 48. eod. 40. 198
L. 49. eod. 87
L. 50. eod. 194
L. 57. §. 1. eod. 27
L. 60. §. 5. eod. 94
L. 39. de iure dot. 128
L. 61. pr. et §. 1. eod. 204
L. 17. de pact. dot. 11
L. 3. §. 1. de don. int. vir. et vx. 109
L. 60. eod. 128. et 159
L. 11. pr. de diuort. 199
L. 15. §. 1. ſol. matr. dos quemadm. 262
L. 38. eod. *ibid.*
L. 47. eod. 258
L. 64. eod. 260

L. 8.

Digitized by Google

L. [illegible] de agn. et al. lib. *pag.* 265
L. 1. pr. de concub. 132. 199. §. 1. 137
L. 3. §. 1. eod. 132
L. 4. de tut. et curat. dat. 278
L. 6. pr. et §. 1. de lib: et poſtum. her. inſt. 129
L. 3. §. 4. de her. inſt. 300
L. 26. eod. 316
L. 42. eod. 300
L. 71. eod. 306
L. 72. eod. 231
L. 73. eod. 316
L. 5. de vulg. et pupill. ſubſt. 227
L. 6. eod. 226
L. 68. de adqu. vel om. hered. 317
L. 79. eod. 153
L. 80. eod. 398
L. 81. eod. 319
L. 83. eod. 347
L. 10. L. 11. L. 12. teſt. quemadm. aper. 318
L. 20. de iure codicill. 299
L. 10. de legat. 1. 330
L. 54. de legat. 1. 307
L. 55. eod. 11
L. 59. eod. 330
L. 60. eod. 310
L. 61. §. 1. eod. 405
L. 96. §. 1. eod. 315
L. 29. §. vlt. de legat. 2. 405
L. 49. eod. 319
L. 51. pr. 344. §. 1. eod. 116
L. 53. eod. 215
L. 54. eod. 322
L. 55. §. 1. eod. 322
L. 57. eod. 312
L. 77. §. 24. eod. 191
L. 87. pr. eod. 320
L. 14. pr. de legat. 3. 236
L. 35. pr. eod. 320
L. 87. eod. 270
L. 88. eod. 309
L. 90. eod. 345
L. 23. de vſufr. leg. 314
L. 43. eod. 213
L. 16. de opt. legat. 330
L. 35. de aur. arg. mund. 133
L. 21. de liberat. leg. 309
L. 6. de adim. vel transf. legatis. 308
L. 23. de reb. dub. 253
L. 4. de his quae pro non ſcript. hab. 308
L. 6. de his quae vt indign. 327
L. 10. eod. 153
L. 13. eod. 107
L. 16. eod. *pag.* 87
L. 25. eod. 138
L. 22. de cond. et dem. 236
L. 25. eod. 209
L. 31. eod. 392
L. 59. pr. eod. 314
L. 61. eod. 209
L. 62. eod. 228
L. 69. eod. 324
L. 76. eod. 163
L. 104. eod. 300
L. 62. ad L. Falc. 85
L. 63. eod. 208
L. 64. eod. 321
L. 67. eod. 108
L. 23. quando dies legat. 108
L. 38. de bon. libert. 277
L. 4. de bon. poſſeſſ. 277
L. 6. de collat. 266
L. 16. de iure patr. 278
L. 22. eod. 282
L. 37. §. 3. ſequ. de operis libert. 185 §. 7. 152
L. 48. eod. 275
L. 10. pr. de adſign. lib. 303
L. 2. §. 3. de ſuis et legit. her. 197
L. 13. eod. 302
L. 31. pr. de donat. 138
L. 36. de mort. cauſſ. don. 272
L. 44. eod. 300
L. 18. de manumiſſ. 313
L. 4. §. 17. de fideicom. libertat. 283
L. 22. fin. eod. 151
L. 31. de ſtatu liberis. 314
L. 24. qui et a quib. manum. lib. non fiunt. 177
L. 32. §. 2. eod. 185
L. 1. §. 1. de iur. aur. ann. L. 4. eod. 96
L. 6. eod. 276
L. 2. pr. §. 2. de colluſ. deteg. 96
L. 3. et 4. eod. *ibid.*
L. 4. pro herede. 323
L. 7. et 9. pro legato. 323
L. 29. de reb. auct. iud. poſſid. 323
L. 4. §. 1. de ſeparat. 313
L. 1. §. 2. de tab. exhib. 313
L. 1. §. 10. ſi is, qui teſt. lib. eſſe iuſſ. 313
L. 12. pr. de accuſ. 151
L. 10. §. 2. ad L. Iul. de adult. 99
L. 11. eod. 262
L. 15. §. 1. eod. 151
L. 15. ad L. Corn. de ſicar. 170
L. 1. pr. ad L. Pomp. de parric. 84

L. 29. de poen. *pag.* 147
L. 7. §. 3. de bon. damn. 26
L. 3. de iure fiſci. 153
L. 13. et 15. eod. 315. 349. *ſeq.*
L. 14. eod. 321
L. 8. et 14. de captiu. 114
L. 3. de caſtr. pecul. 271
L. 2. §. 2. de decurion. 93
L. 2. de muner. et hon. 158
L. 5. §. 2. de iur. immun. 169
L. vlt. de cenſ. 260
L. 84. de verb. ſignif. 93
L. 97. eod. 160
L. 101. eod. 100
L. 131. pr. eod. 131
L. 132. eod. 175
L. 133. eod. 217
L. 134. eod. 174. 226
L. 137. eod. 179
L. 138. eod. 270
L. 139. eod. 260
L. 143. eod. 254
L. 144. eod. 260
L. 145. eod. 279
L. 148. eod. 130. 277
L. 149. eod. 303
L. 150. eod. 282
L. 152. eod. 311
L. 153. eod. 281
L. 191. eod. 304
L. 220. §. 1. 3. eod. 94
L. 207. de Reg. iur. 96
L. 208. eod.
L. 209. eod.

Ex Codice Iuſtin.

L. 33. C. de Epiſc. aud. 119. *ſeq.*
L. 2. C. de ſponſal. 144
L. 23. C. de nupt. 117
L. 27. eod. 123. 130
L. 28. eod. 89
L. 7. C. de inceſt. nupt. 117
L. 7. C. de dot. promiſſion. 265
L. 8. & L. 9. C. de repud. 263
L. 10. eod. 119. 163
L. 11. eod. 163
L. 1. C. de nat. lib. 111. 139
L. 5. 6. 7. et 10. eod. 139
L. 3. C. de legit. tut. 193
L. vlt. C. quando tut. eſſe deſin. 145
L. 2. C. de obſ. patr. 275
L. 19. C. de legat. 210
L. 1. L. 2. et L. 3. C. de indict. vid. 139
L. vn. C. de caduc. toll. *tot. lib.* [illegible]6. *paſſim.* 195. 300. 314
L. 12. C. de legit. hered. 116
L. 3. C. de his qui a non dom. 324
L. 1. C. de infirm. poen. cael. 272
L. vlt. C. de iur. lib. 233
L. 5. pr. C. ad L. Iul. maieſt. 87
L. vlt. C. de his, qui ſponte mun. publ. ſubeunt. 93
L. 2. et 3. C. de his qui num. lib. exc. 169
L. 8. C. de dignit. 87
L. 11. C. eod. 90. 91

Ex Nouellis.

Nou. XXII. cap. 43. 239
Nouell. XXII. cap. 4. et 14. 263
Nouell. LI. et LXXVIII. 111
Nouell. LXXXIIII. cap. vlt.
Nou. LXXXIIII. cap. 15. 110
Nou. CXVII. cap. 6. 151. cap. 8. 9. 10. et 13. 163
Nouell. CXXVII. cap. 4. et CXXXIII. cap. 11. 163
Nou. CXXXVIIII. praef. 17

Ex Codice Theodoſ.

L. 2. C. Th. de in integr. reſt. Lib. II. tit. 16. 167
L. vlt. C. Th. de inoff. dot. Lib. II. tit. 20. 216
L. 2. C. Th. de inceſt. nupt. Lib. III. tit. 12. 245
L. 2. C. Th. de tut. et cur. Lib. III. tit. 17. 189
L. 1. C. Th. de nat. lib. Lib. IV. tit. 6. 139
L. 1. C. Th. de infirm. poen. caelib. Lib. VIII. tit. 16. 206. 272
L. 1. C. Th. de iure lib. Lib. VIII. tit. 17. 232
L. 1. C. Th. de bon. proſcript. Lib. VIIII. tit. 42. 216
L. vn. C. Th. de his qui ſe defer. Lib. X. tit. 11. 217

Ex Nouell. Codici Theod. ſubiectis.

Nou. Marcian. tit. IV. 117

Ex Baſilic.

Baſil. Lib. LX. tit. 42. 326

Ex Vlpiani, Paulli aliiſque fragm.

Vlpiani, tit. 1. §. 3. 154. §. 12. 173. §. 21.
tit. III. §. 1. 3. 172
§. 4. 178
tit. IV. §. 13. 257. 261

tit.

tit. XI. §. 6. 313. §. 6. 7. 8. 189.
§. 20. 267
§. 21. 22. 24. 205
tit. XIII. rubr. §. 1. 87
tit. XIIII. §. 1. 141
tit. XV. 106
tit. XVI. §. 1. 123. §. 3. 124. §. 4. 154
tit. XVII. §. 1. 268. 306. §. 11. 315
tit. XVIII. §. 1. 302. 305
tit. XVIIII. §. 17. 327
tit. XX. §. 15. 192
tit. XXII. §. 3. 269
tit. XXIIII. §. 2. 319
§. 21. 330
tit. XXV. §. 17. 303
tit. XXVIII. §. 7. pag. 330
tit. XXVIIII. §. 2. 192. §. 3. 192
§. 11. 281
Paulli Recept. Sent. Lib. II. tit. 19. §. 5. 247
Lib. II. §. 7. 152
Lib. III. tit. 6. §. 3. 7. et 13. 330
Caii Inſt. Lib. I. tit. 4. §. 7. 248
Caii Inſt. Lib. II. tit. 5. 329
Lib. II. tit. 9. §. 3. 4. 203. 204
Collatio LL. Moſ. et Rom. tit. IV. §. 5. 178
tit. VI. §. 4. 247
Ex iur. Can.
Cap. vlt. X. de condit. adpoſ. 238

INDEX III.

RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

A.

ABſentes reip. cauſſa qui? 222. iis a plerisque legibus vacatio data. 251. inprimis a Lege Papia. 252
Abſentes poterant et ſponſalia et nuptias facere. 252. ſui commodi cauſſa non habebant vacationem a lege. 252. mariti ab vxoribus quinquennium expectandi. 351
Abſentia reip. cauſſa nemini debet eſſe damnoſa. 250
Accipere et *capere* quomodo differant? 209
Actio Calviſiana et Fauiana. 277. malae tractationis. 258
Addici liberos oportebat manumiſſos. 183
Adfines qui? 245. 246. inter eos Auguſtus, paucis exceptis nuptias conceſſit. 244. id quod deinde mutatum a Chriſtianis Impp. 248
Adfinitas ſoluto matrimonio ſolui videbatur. 245. etiam Hebraeis. *ib.* Graecis. *ib.* Romanis. 246
Adoptiones fictae, quibus praemia πολυτεκνίας adfectabant orbi, 161. *ſequ.* eae SC. prohibitae. 263. an adoptione nobilitas detur et adimatur? 91. an ea libertus ingenuitatis iura accipiat? 102
Adoptiuus eoſdem cum adoptante agnatos et libertos habebat. 280. pater filiae dotem debet. 264
Adſignatus libertus et exheredatum ſequebatur. 302. *ſeq.*
Adulterium. Eius perſequutio quomodo data marito vxoris immaturae? 146. in eo deprehenſae vxores duci non poterant. 107
Aediles meretrices nomen haud profeſſas perſequebantur. 107. Apud eos quaeſtum turpem profitebantur ſcorta. *ibid.*
Aerarium. Ad illud augendum comparata lex Papia. 50. militare ab Auguſto conſtitutum. 284. quomodo adminiſtratum? 285. eius differentia a fiſco. *ibid.* illud olim caduca ereptitia et vacantia occupabat. 315. Quando illi in his fiſcus praelatus? *ibid.*
Aes vxorium quale? 23
Aeſtimatio bonorum ob decimas facta. 207
Aetas quomodo probata? 128. quaenam legitima? 224
Africanae gentes feram Venerem probabant. 142
Ἀγαμίου poena apud Athenienſes. 18. apud Lacedaemonios. 23. qualis? *ibid.*
Agitatores quinam? 98
Ἀγὼν ἱερὸς quis? 98
Amica, *pellex*, *concubina* olim συνώνυμα ante

ante L. Papiam, poſt eam diſtingui coepere. 132
Ancillis ob tres libros vacatio, ob plures libertas data. 25
Annariae leges. 161. earum an antiquiſſima Villia? 162. iis aliquando ſoluti candidati. *ibid.*
Anni, quibus honores petendi. *ſeq.* ſinguli propter ſingulos liberos remittebantur. *ibid.*
Anniculus et *annicula* quinam dicti? 174. *ſq.*
ANNIVS (*T. Milo*) ex gente Papia. 47
Annulorum aureorum ius quale? 96
Ante diem Kal. quid? 175
ANTONINVS (*Marcus*) quam legem de tutelis tulerit? 277
ANTONIVS (*M.*) libertini filiam vxorem habuit. 95. an iure ideo a Cicerone reprehenſus? *ib.* eius liberi ex Cleopatra cur Antonii nomen non tulerint? 137
Anubis cultus cur deſpicatui habitus a Romanis? 99
Ἄτεκνος pro liberis orbato. 168
APRONIVS (C.) imperator quis? 42
Ἀπραγμάτοι liberi qui? 212
Aqua et igni quibus interdictum, ii ad peregrinitatem redigebantur, et togae ius amittebant. 319
Aquam equis ſpargere quid? 98
Aquila et lupa cur inſignia Lanuuinorum fuerint? 45
Arae tres ad ripam Tiberis in ludis ſaecularibus dedicatae. 30
Aram Iunonis tangere quid? 22
Arenarii qui. 182
Armenii ſibi vxores coemebant. 202
Ars ludicra qualis? 121. Vid. infra *Hiſtrio*, *Scena*.
Artes manuariae cur illiberales dictae? 154. *ſq.* a ſeruis et libertinis ſolis exercitae. *ibid.*
Ἀρχιερεῖς in prouinciis Orientalibus quinam? 114
Aſiarcha quis? 113
Aſſyrii vxores ſibi coemebant. 202
Ἄτεκνος pro liberis orbato. 108
Atellani ludi actores non infamabant, & cur? 98
Athenienſes aliquando πανηγυρίαν concedebant. 17. non niſi maritos & parentes ad remp. admittebant. *ibid.* caelibes puniebant. *ib.*
Athletae qui? 98
Auguſtae dictae etiam Imperatorum matres, ſorores, vxores repudiatae. 93. an legibus ſolutae? 312
AVGVSTI oratio ad equites maritos et caelibes habita. 39. quo geſtu is nuptias et πολυτεκνίας ſtudium commendarit? *ibid.* *ſq.* leges vetere ritu tulit. 40. lato clauo donauit ſenatorum filios. 90. Eius nobilitas adoptione aucta 92. Ei grauiter occlamatum a Senatu, quum legem Iuliam de marit. ordinibus eſſet rogaturus. 33. oratio Metelli ab eo recitata. *ibid.* cur nouum aerarium conſtituerit? 285. *ſq.* reprehenſus, quod Antonii viui tabulas recitarit. 296
Auriga Praefectus vigilum ab Elagabalo factus. 110
Auſpices. Apud eos dos data deponebatur. 203
Auus, quando ſub patris vocabulo comprehendatur? 97

B.

BALDVINI (*Franc.*) in legem Papiam Commentarius. 12
Βασιλικόν pro fiſco. 185
Bene merentes cur in marmoribus dicantur etiam infantes? 176
Beſtiarii infames. 182
Beſtiarum ludus. *ib.*
Beſtiis olim addicti ſerui: poſtea et ingenui ſe iis vltro addicebant. *ibid.*
Bithyniarchae qui? 113
Bonorum aeſtimatio ob decimarias leges facta. 208
Βραβευταί. 98
BRISSONII (*Barn.*) de iure connubii liber laudatus. 12

C.

CAducum vnde dictum. 301. quod? 302. locum non habebat in hereditate ab inteſtato. *ibid.* in iis capiendis quinam fiſco praelati? *ib. et ſeq.* Quot de caducis capita in lege Iulia et Papia exſtiterint? 316
Caduca quae fuerint? 316. 319. 321. 322. 324. ab aerario occupata. 315
Caelibatus conditio cur tam frequenter impoſita liberis et viduis? 22. ea pro non

non adſcripta habita . *ibid.* quamuis variis formulis incruſtata . 239. *ſq.* Ea conditio et libertis a patronis impoſita . 242. ob eam patroni iuribus ſuis priuati ex L. Aelia Sentia . *ibid.* illius conditio gratia fiebat libertis ex L. Papia . *ibid.*

Caelibes exoſi Hebraeis . 15. Athenienſibus . 17. Lacedaemoniis . *ib.* An et Pythagorae ? 19. Eos notabant Cenſores . 23. Eorum flagitia ab Auguſto deſcripta . 39. ſolidum capere non poterant . 268. immo ne legatum quidem . 270. qua hereditate exciderint ? 270. *ibid.* incapaces erant fideicommiſſi . *ibid.* a genere proximis tamen heredes ſcribi poterant . *ibid.* iidem capaces erant , ſi intra 100. dies legi parerent . 321

Caesar (*C. Iulius*) *πολυπαιδίας* praemia propoſuit 24. 31. quo iure cenſum egerit cur tam multos ciuitate donarit ? *ib.* Eius filius naturalis cur Caeſario dictus ? 137

Caivs ICtus commentarium ad L. Papiam ſcripſit . 12

Caligvla (*Caius*) a Senatu lege caducaria ſolutus . 254

Capere de vltimis voluntatibus dicitur . 261. capere et accipere quomodo differant ? 207

Capi ſolebant virgines Veſtales . 5. immo et alii ſacerdotes . 5

Capitalia crimina quomodo a nuptiis excuſarint ? 144

Cappadociarchae quinam ? 114

Captatoriae inſtitutiones quaenam ? 307. eae pro non ſcriptis habitae . 278

Cato (*M. Porcius*) *Cenſorius* , libertini filiam uxorem habuit . 95. eius filius auctor regulae Catonianae . 299

Cauſſa aliquando idem , ac quaſi . 313. Quid *cauſſa teſtamenti* , *cauſſa pignoris*, *cauſſa bonorum* ? *ib.*

In cauſſa caduci eſſe , quid ſignificet ? 313. quaenam in cauſſa caduci ſint ? 311. *ſequ.*

Cautelae ICtorum . 333

Cautio Muciana a vidua contra conditionem nubente praeſtanda . 239

Celsi dicti *Papii* . 43

Celsvs (*P. Iuuentius*) Legem Papiam libris illuſtrauit . 53

Cenſores caelibes notabant . 23. quae praemia parentibus elargiri ſint ? *ibid.* ſub auſpicium muneris ad populum concionabantur . 25

Cenſus quo iure actus a C. Iulio Caeſare ? 31. in eum furtim irrepere ſolebant Latini . 7. *ſeq.* Ex cenſu adparuit poſt bella ciuilia vix dimidium ciuium numerum ſupereſſe . 31

Cenſus Senatorius quantus ? 85. *ſeq.*

Centenarius libertus quis ? 278. centenario minor . 275

Centeſima rerum venalium . 284

Centeſimus ab vrbe lapis . 166

Centum dies . Intra hos poterant caelibes inſtituti legi parere . 269. erant dies cretionis , ſpatium deliberandi et agnoſcendi bonorum poſſeſſionem . *ib.* an et orbis profuerint ? 371

Certamen ſacrum quinquennale . 98

Chirographus ab iis exactus , qui tacito fideicommiſſo obſtringebantur . 153

Cicero honores omnes annis lege finitis capeſſiuit . 162

Ciuitate orbi Rom. data an ſublatum fuerit vrbis Italiae et prouinciarum diſcrimen ? 168. Ea priuati ſenatores , et viri perfectiſſimi , qui viles feminas vxores duxerant . 116. eius intra anxie quaerebant Latini . 7. *ſeq.*

Ciuium frequentia an utilis reip. 27

Clariſſimatus dignitas et ſenatorum filiabus , neptibus , proneptibus competebat . 100

Clavdivs Imp. vacationem eſſedario ob liberorum numerum dedit . 27

Clemens (*Terentius*) commentario illuſtrauit Legem Papiam . 14. quot in eam libros ſcripſerit ? *ib. et* 53.

Cloacae ius . 318

Clodivs (*Publ.*) per adoptionem plebeius factus . 91

Cocceivs Cassianvs V. C. an priuignam concubinam habuerit ? 88

Codicillis teſtamento non confirmatis relicta pro non ſcriptis erant : et quando id mutatum ? 307

Coemtio vxorum pluribus gentibus ſollemnis . 202. etiam Romanis . *ibid.*

Cognatio vltra ſeptimum gradum non temere porrecta . 221. in lege Papia ad ſextum gradum numerata . 270

Cognatorum hereditates et caelibes et orbi

orbi capiebant. 270. 271
Collegae vni cur ſaepe tribuantur, quae communia vtrique? 109. eorum quis potior? 156
Colluſione detecta is, qui ingenuus iudicatus fuerat, ingenuitatem amittebat. 96
Coloniarum mittendarum cauſſa. 28
Commodum dotis quid? 262
Concubina et *pellex* ante L. Papiam non piam non differebant varia eius nomina. 33. an a marito haberi potuerit? *ib.* quaenam haberi per leges potuerit? 134. 137. an et conſanguinea vel adfinis. 135. an et priuigna? 88. an ingenua? 102. an a patrono inuito diſcedere potuerit? 198. an a furioſo? *ibid.* ei nihil donari poterat. 139. poterat tamen heres eſſe. 207. vtrum vxor in dubio praeſumatur an concubina? 139
Concubinatus. De eo caput in lege Papia Poppaea exſtitit. 131. per hanc legem nomen adſumſit. 132. licita erat conſuetudo. 135. an et legitima? 137. 139. is maxime viduis placebat, etiam Imperatoribus. 137. Senatoribus eo aliquatenus interdixit Conſtantinus M. 117. in eo coniunctiones nefariae aeque prohibitae, ac in matrimoniis. 88. Eum indirecte ſubruere ſtuduit Conſtantinus M. 134. quamdiu viguerit? 140
Conditio liberorum in teſtamentis quo pertineat? 214. 271. impoſſibilis cur contractum, non teſtamentum vitiet? 238. caelibatus lege noſtra infirmatur. 236. 242. turpis ſponſalibus adiecta an pro non adiecta habenda? 238. quando deficere dicatur? 313
Congiarium iis copioſius datum, quibus numeroſa proles. 26
Coniuges illegitimi inter ſe nihil capiebant. 152
Coniugium. Ad id ineundum omnes obligari, Hebraei putabant. 15. confer infra *Matrimonium*, *Nuptiae*.
CONSTANTINVS M. legis Papiae Poppaeae caput I. in vſum reuocauit. 110. quamdiu eius conſtitutio eam in rem edita viguerit? 117. idem concubinatum variis legibus indirecte ſubruere ſtuduit. 140. cur legitimationem per ſubſequens matrimonium introduxerit? *ib.* Idem ſuſtulit poenas caelibatus et orbitatis? 272. *ſeq.*
Conſul maior quis dictus? 156
Conſularis aetas. 160. *ſeq.*
Conſulibus quomodo faſces praelati? *vid.* Faſces.
Continentia urbis ad Romam referebantur. 167
Conuictrix pro concubina. 133
Cooptari dicebantur quidam ſacerdotes. 2
CORNELIVS (*Cn. Coſſus*) per adoptionem factus patricius. 91
Coronae faſcibus illigatae. 156
Correctiones ineptae quam plures in Codice Florentino. 101
CRASSVS (M.) a Mamertinis ex lege Papia vindicatus. 6
Cretio hereditatis. 297
Culter. Ad eum ſe *locaſſe* dicebantur beſtiarii. 182
Curiae ſeſe offerentes ſaepe ea conditione excipiebant poſteros. 93

D.

DAmnata iudicio publico vxor duci non poterat. 107
Damnatorum liberis pro eorum numero pars bonorum conceſſa. 26
Dare dotem, quid? 203
Decemuiris quomodo faſces praelati? 157
Decimam inter ſe coniuges matrimonii nomine capiebant? 207. alias pro numero liberorum ex priore matrimonio ſuperſtitum. 208. aliam ob filium communem poſt nominum diem amiſſum. 209. ſed et ob alias cauſſas. 212. *ſequ.*
Decimariae leges. 269. *ſequ.* quando ſublatae? 217
Decreta principum an vim legis habeant? 228
Decuriones. Eorum filii patris dignitate fruebantur. 93. iis liberi proderant ad *προεδρίαν*. 165. legibus decimariis a Theodoſio ſoluti. 217
Delatores praemia capiebant. 348. a bonis principibus coerciti. 350. cur quadruplatores dicti? *ibid.*
DEMOSTHENES quando Praefectus praetorio fuerit? 118
Denicales dies quinam? 296. iis nihil ſuſcipi

ſeipi potuit. *ibid.*
Denotandi cauſſa quaenam dicantur reli-ℓta? 307. ea pro non ſcriptis habita. *ib.*
Deſignatores quinam? 122
Detrectatio. Sine ea quinam dicantur abeſſe? 251
Διασημότατοι qui dicti? 112
Dicere dotem, quid? et qua formula vſi qui dotem dicerent? 203
Dies vominum quis? 210. luſtricus quis? *ib.* annua, bima, trima, 259. denicales. 296. legatorum quando ceſſerit et etiamnum cedat? 299. *ſequ.* quorum legatorum dies cedat ab adita hereditate? 306
Δικαιώματα γεγαμηκότων quaenam? 159
Diſcidii poena quae? 257. adde *Diuortium.*
Diuortium meditantes plerumque jam de nouis nuptiis tranſegerant. 148. eius licentia olim maxima. 195. *ſeq.* non tamen permiſſum libertae patrono nuptae. 196. In eo ſeptem teſtes adhibiti, ex qua lege? 256. illud ſine cauſa fontica vel alterius culpa factum poena dignum iudicat L. Papia. 257. *ſequ.* de eo leges nouae. 262
Dolabella per adoptionem plebeius factus. 92
Domum deductione cur opus fuerit in abſentium nuptiis? 252
Dona et *munera* quomodo differant? 184. ea liberti debebant patronis. *ibid.* quomodo liberti ab hac obligatione liberati? 185
Donationibus fraus facta legibus decimariis. 216
Dos apud pleraſque gentes a marito data. 202. eius apud Romanos alia ratio, unam apud alias gentes. 202. eſt veluti pretium coemtionis *ib.* ſine ea raro feminae maritos inueniebant. *ib.* vel dabatur, vel dicebatur, vel promittebatur. 203. idque auctoribus tutoribus. 204. an a parentibus olim neceſſario data fuerit? 51. 265. *ſequ.* an actione repeti potuerit ab vxore immatura? 145. iniuſtis nuptiis contractis mortua muliere caduca fiebat; 154. praelegata ab vxore etiam orba capi poterat. 214. non minuebatur quarta Falcidia detracta. 215. an certis limitibus circumſcripta per legem Papiam? 216. et ſoluebatur et reddebatur annua bima trima die. 259. in quantitate conſiſtens ob mores mariti grauiores praeſens reddenda erat. 257. ob mores leuiores ſenum menſium die. *ibid.* 259. non conſiſtens in quantitate cum fructibus quadriennii reſtituenda. 258. 259. 260. 261. Ex ea morum nomine quaedam retinebat maritus. 257. 262. olim tota cedebat marito, ſi vxor ob mores graues repudiaretur. 256. quantum Lex Papia retinere conceſſerit. 262. An id ius ex formula: QVANTVM AEQVIVS MELIVS? 258
Dotalia inſtrumenta ſignum nuptiarum. 203
Draco Lauuii cultus, cui eſcam virgo praebebat. 45
Ducere de vxore vſurpatum a Propertio. 37
Duumuiri perfectiſſimatus dignitatem adfectabant. 113

E.

EBraei. *vid.* Hebraei.
Edicere legem quid? 37
Ἐνδοξότατοι qui? 114. ita Praefecti praetorio ſalutati. *ibid.* et ſacerdotes prouinciarum. 115
Epaminondae ſine liberis morienti illacrymatum. 19
Ereptitia bona quae? 325
Error in nuptiis circa perſonam commiſſus an noceat? 94
Eſſedario vacatio ob numerum liberorum a Claudio data. 27
Et declaratiue ſumtum. 152
Εὑρήματα ICtorum quid? 333
Evripides mulieres peroſus cur binas vxores duxerit? 17
Excuſare et *potiorem nominare* quomodo differant? 165
Excuſatio a muneribus ob numerum liberorum. *ibid.*

F.

FAecunditas in honore fuit Hebraeis, 15. Graecis, 17. Perſis, 16. Germanis. 19
Familia venatoria quae? 182
Faſces initio duodecim vtrique conſuli praeferebantur. 157. poſtea alteri faſces, alteri ſecures. 156. iis coronae illigatae. *ibid.* quo ordine poſtea praelati? 157. quibus? 157. *ſeq.* cui prius dati? 155. *ſeq.*
Februario menſe cur nuptiae non factae? 144
Feminae an tantum nuncupatiue teſtari potuerint? 191. cur earum teſtamen-

Digitized by Google

tiſfactio cum periculo coniuncta? *ib. ſq.* Eae in perpetua tutela erant vid. *Tutela*, ob tres liberos ſolidum capiebant. 232
Feminarum Romanarum luxus et ſocordia. 28. 29
Fibula vſi cantores. 122. *Fibulam imponere* quid? *ib.*
Fictio Praetoris rata, filiam eſſe filium. 280
Fideicommiſſa in fraudem L. Papiae Popp. facta. 153. maxime in fraudem legum decimariarum. 216. Ea initio valida, poſt grauiter prohibita. 153. tacita quid. 216
ex Fideicommiſſo manumiſſa an a patrono diuertere potuerit? 197
Filii in dignitate nati an in ſucceſſione antea natis praeferantur? 90. eo vocabulo quando et nepotes comprehendantur? 93. erant patroni libertarum quas ex caſtrenſi peculio manumiſerant. 197
Fiſcus quando aerario in caducis ereptitiis et vacantibus praelatus? 315. Eum ſaepe Tribonianus in Pandectis poſuit pro aerario. 315. Caduca cum onere capiebat. 351. apud eum ſe deferentes dimidiam capiebant. 347. 349
Flaccvs (*Granius*) quando vixerit. 132
Focariae militibus permiſſae. 159. heredes inſtitui poterant. 207
Foede ſe deducere quid? 101
Fratres ſaepe ſorores dotabant. 266. *ſq.* fratris viduam ducere poterant. 246. 247
Fraus legi facta quid? 332. in fraudem legis et patroni alienare quomodo differant? 276. *ſq.* multiplex qua Lex caducaria eludebatur. 332. *ſeq.*
Fundum dotalem alienate non prohibuit Lex Iulia et Papia, ſed Iulia de adulteriis. 256
Fundus Italicus quis? 260
Funus vendere quis dicatur? 182. eius cura excuſat. 296
Furcae an Coſſ. praelatae cum faſcibus? 156
Fvrii (*M. Camilli*) et *M. Poſtumii Albini* ſeuera cenſura. 23

G.

Galatarchae qui? 113
Galli Matris Deum cur deſpicatui habiti? 99
Γεγαμηκότων δικαιώματα quae fuerint? 159
Gener quis? 248. ex qua lege nec ille contra ſocerum nec ſocer contra generum teſtimonium dicere potuerit? 200
Germani liberos nulla ſpe praemiorum inducti quaerebant. 20. quo ſenſu apud eos plus valuerint boni mores, quam apud alios bonae leges? *ibid.* ii vxores coemebant. 202. ſeram Venerem probabant. 142
Gladiatores infames. 182. cur dicti meridiani? *ib.*
Glavcippvs quidam exceptus in lege Papia de peregrinis. 9
Gothofredvs (*Iacobus*) laudatus. 53. Commentarium in Legem Iuliam et Papiam Poppaeam adoleſcens ſcripſit. *ibid.* eius in Commentario quid deſiderandum? 53. *ſeq.*
Gracchvs duodecim menſes in vtero fuiſſe dicitur. 228
Graeci *παιδοποιΐας* ſtudioſi. 17. *ſeq.*
Granivs Flaccvs quando vixerit? 132
Gratiam facere criminis. 254. legis. *ib.* iuriſiurandi. *ib.* huius aliquando gratiam faciebant leges. 242

H.

Hageſtolzen-Recht quale ius apud Germanos? 20
Heautontimorumenos cur dicta Terentii comoedia? 84
Hebraei legem de ineundo matrimonio praeceptiuam putabant. 15. caelibatum odio proſequebantur. *ib.* Iis ſterilitas ignominioſa. 16. immunitatem dabant *νεογάμοις ibid.* vxores ſibi coemebant. *ibid.* 202
Hereditas delata quae? 238 *lege obueniens* quae? 152. adeunda ex lege Papia Poppaea tabulis apertis. 297. eam non capiebant, qui nuptias adverſus hanc legem facerant. 152
Heres pro genero. 248
Heres ex aſſe ante apertas tabulas hereditatem adire poterat, et cur? 298. nuncupatus item, et cur? 299
Hiſtriones infames. 98. ex turba peregrina. 99. tribu movebantur. 98
Homo et femina vocatur. 311
Honores. In iis petendis parentes orbis, mariti caelibibus praeferebantur. 161
Hora diei tertia forum fervere incipiebat. 297

I.

Impar matrimonium quodnam? 130
Imperatores. In iis deligendis ratio habita liberorum. 161
Impubes domum pacta quando iuſta uxor

uxor eſſe coeperit? 145
Impunitatis ſpes an a peccando retrahat? 118. ſeq.
In tantum pro *adeo*. 100
Inceſta matrimonia ſaepe ob liberorum numerum confirmata. 32
Indignis quaenam eripiantur, et ex quibus legibus? 326. ſeq.
Infamia ludionum unde? 98. eam illis ſenatoribus impegit Conſtantinus M. qui viles feminas uxores duxerint. 116
Infantes quoto anno mamma depulſi? 225. quomodo initiati? 110
Ingenui ducere poterant libertinas. 102. non autem mulieres ſcenicas. 104. nec lenas vel a lenone manumiſſas. 105. nec iudicio publico damnatas, nec in adulterio deprehenſas. 107
Initiatio infantum. 210
Iniuſtae nuptiae a Romanis non reſciſſae. 128
Inſcriptiones legum non ſemper ſanae. 68. nec tamen exemplo Iac. Gothofredi pro lubitu mutandae. 54
Inſignes viri qui? 112
Iſidis cultus cur a Romanis deſpicatui habitus? 98
Italiae limites antiqui et novi. 167
Italici iuris colonias cur in commentariis ad hanc legem deſcripſerit Caius? 260
Italici et *prouinciales* ſibi inuicem oppoſiti. 167
Italicus fundus. 260. *Italicum ſolum* quod? 167
Iudicio publico damnati qui? 107
Iudicium de moribus quid? 190
IVLIVS MISCELLVS an exſtiterit? 240
IVNO *Domiduca*, *Iterduca*, *Iuga*, *Ζυγία*, *Cinxia*, *Lucina*, *Patulca*. 22. *Siſpita* Lanuuii culta. 45. Eius *aram tangere* quid. 22
Iura maritorum militibus data et cur? 159. ciuitatis et Quiritium quomodo differant? 176
Iurans, ſe patronum eſſe, an omnibus patronorum iuribus fruatur? 197
Iureiurando obſtringi liberta, ne nuptias faceret, non poterat. 274. Eius aliquando gratiam faciebant leges. 242
Ius liberorum communium. 229. a quo conceſſum? *ib.* iam Domitiani tempore a principe datum. 230. non dabatur temere, niſi utriuſque coniugis aetas coniuncta centum annos excederet. 232. an et mortuis datum cenſeatur, ſi, qui petunt, ante principis decretum deceſſerint? 281. omnibus promiſcue datum a Theodoſio. 232. an et parentes illud a principe impetrarint? *ib.*
Ius trium liberorum an a Numa invectum? 21. an a Tullo Hoſtilio? 22
IVSTINIANVS Theodoram uxorem ducturus caput 1. legis Iuliae et Papiae abolevit. 117. Ei multae conſtitutiones Iuſtini perperam tribuuntur. 117. is concubinatum probauit. 157
IVSTINVS Imp. nomen ſuum quatuor litteris expreſſit. 118
IVVENTIVS (*P. Celſus*) legem Papiam ſeptem libris interpretatus eſt. 53

K.

Καθολικοί Rationales. 285
Κακογαμίου poena apud Lacedaemonios qualis fuerit? 18
Κατακοττόμενοι, beſtiarii. 182
Κυνηγέσια vel κυνηγίσια, venationes, quales ludi? 182

L.

LAcedaemonii praemia πολυπαιδίας conſtituebant. 17. caelibes puniebant, immo et male et ſero ducentes uxores. 18. nec non qui ſolius dotis habebant rationem. 18. an ab iis ſumtum ſit Legis Iul. et Papiae caput de immunitate parentum ob quatuor liberos; 167. ſeq.
Lanuuii inſignia. 45. prodigium in eius conditu notatum. *ib. ſeq.* Draco ibi annoſus, cui virgo quotannis pabulum praebeat. 45. Iuno Siſpita ibi culta. 45
Latii ius multis extra Latium datum. 173
Latini adfectabant ius ciuitatis Romanae. 7. ſaepe urbe exire et in patriam redire iuſſi. *ib.* et ſocii Latini nominis ac ſemper iidem? 8. quando ius civitatis acceperint? *ib.* liberti an quidam ex lege Aelia Sentia? 173. colonarii ob anniculum filium iura Quiritium conſequuti. 174. etiam liberti ex L. Iunia Norbana. *ibid.* non habebant ius connubii et patriae poteſtatis. 174. an pro peregrinis habiti? 179. tanquam peregrini virgis caeſi. *ibid.* dicti ciues ex Latio. *ib.*
Latus clauus inſigne Senatorum. 86. etiam filiis Senatorum ab Auguſto conceſſus. 90

Quinctilianus. pag. 153. 207
Rualdus (Ioann.) 21
Salmaſius (Claud.) 203. 211
Scaliger (Iuſt.Ioſeph.) 104. 135. 229. 231
Schelſtratenus (Eman.) 166
Seneca. 122. 124. 182
Seruius. 190
Silius Italicus. 45
Sozomenus. 219. 268. 272
Spartianus. 26
Stobaeus (Io.) 18
Suetonius. 5. 35. 123. 140. 163. 203. 257. 300. 348
Sylburgius (Fridr.) 3
Syluius (Franc.) 8
Tacitus. 19. 20. 32. 50. 92. 160. 203
Terentius. 204. 246
Tertullianus. 241. 216. 220. 268
Tillemont. 33
Valerius Maximus. 127
Virgilius. 190
Xylander (Guil.) 5

INDEX II. LEGVM,

Quae in hoc Commentario emendantur, vindicantur, illuſtrantur, vel ad ſpeciem ſuam reducuntur.

Ex Inſtitutionibus.

§. 4. 5. INſt. qui et ex quib. cauſſ. manum. non poſſ. *p.* 103
§. 6. 7. Inſt. de nupt. 247
§. 12. eod. 150. 154
§. 2. 3. Inſt. de ſucceſſ. lib. 277

Ex Pandectis.

L. 2. §. 5. de orig. iur. 156
L. 19. de legib. SC. et long. conſu. 304
L. 28. eod. 322
L. 31. eod. 311
L. 24. de ſtatu hom. 179
L. 25. eod. 96
L. 45. de adopt. 265
L. vlt. eod. 210
L. 1. §. 1. de Senator. 93
L. 5. eod. 90
L. 6. §. 2. eod. 91
L. 7. pr. eod. 113. §. 1. 115. §. 2. 93
L. 10. eod. 93
L. 12. eod. 100
L. 4. §. 2. de off. Procoſ. 224
L. 8. §. 1. de in ius voc. 297
L. 10. eod. *ibid.*
L. 1. de his qui not. inf. 97
L. 7. de cap. minut. 280
L. 52. §. 1. de iudic. 320
L. 20. §. 6. de her. petit. 315
L. 21. pr. de act. emt. 126
L. 10. 11. de praeſcr. verb. 212
L. 48. de vſuris. 213
L. 4. de teſtib. *pag.* 151
L. 19. pr. eod. 251
L. 1. §. 4. de iur. & facti ign. 298
L. 5. et L. 6. eod. 150. 155
L. 14. de ſponſal. 143
L. 15. et L. 16. eod. 94
L. 17. eod. 143
L. 14. §. vlt. de rit. nupt. 245
L. 19. eod. 49
L. 21. eod. 169
L. 24. eod. 138
L. 25. eod. 198
L. 30. eod. 158
L. 31. eod. 253
L. 43. eod. 87
L. 44. pr. §. 8. eod. 87
L. 45. pr. §. 2. 3. et vlt. 197
L. 46. eod. 281
L. 47. eod. 100
L. 48. eod. 40. 198
L. 49. eod. 87
L. 50. eod. 194
L. 57. §. 1. eod. 27
L. 60. §. 5. eod. 94
L. 39. de iure dot. 128
L. 61. pr. et §. 1. eod. 204
L. 17. de pact. dot. 11
L. 3. §. 1. de don. int. vir. et vx. 109
L. 60. eod. 148. et 159
L. 11. pr. de diuort. 199
L. 15. §. 1. ſol. matr. dos quemadm. 262
L. 38. eod. *ibid.*
L. 47. eod. 258
L. 64. eod. 260

L. [illegible] de agn. et al. lib. *pag.* 265
L. 1. pr. de concub. 132. *199.* §. 1. 137
L. 3. §. 1. eod. 132
L. 4. de tut. et curat. dat. 278
L. 6. pr. et §. 1. de lib. et poſtum. her. inſt. 129
L. 3. §. 4. de her. inſt. 300
L. 26. eod. 316
L. 42. eod. 300
L. 71. eod. 306
L. 72. eod. 231
L. 73. eod. 316
L. 5. de vulg. et pupill. ſubſt. 227
L. 6. eod. 226
L. 68. de adqu. vel om. hered. 317
L. 79. eod. 153
L. 80. eod. 398
L. 81. eod. 319
L. 83. eod. 347
L. 10. L. 11. L. 12. teſt. quemadm. aper. 318
L. 20. de iure codicill. 299
L. 10. de legat. 1. 330
L. 54. de legat. 1. 307
L. 55. eod. 11
L. 59. eod. 330
L. 60. eod. 310
L. 61. §. 1. eod. 405
L. 96. §. 1. eod. 315
L. 29. §. vlt. de legat. 2. 405
L. 49. eod. 319
L. 51. pr. 344. §. 1. eod. 116
L. 53. eod. 215
L. 54. eod. 322
L. 55. §. 1. eod. 322
L. 57. eod. 312
L. 77. §. 24. eod. 191
L. 87. pr. eod. 320
L. 14. pr. de legat. 3. 236
L. 35. pr. eod. 320
L. 87. eod. 270
L. 88. eod. 309
L. 90. eod. 345
L. 23. de vſufr. leg. 314
L. 43. eod. 213
L. 16. de opt. legat. 330
L. 35. de aur. arg. mund. 133
L. 21. de liberat. leg. 309
L. 6. de adim. vel transf. legatis. 308
L. 23. de reb. dub. 253
L. 4. de his quae pro non ſcript. hab. 308
L. 6. de his quae vt indign. 327
L. 10. eod. 153
L. 13. eod. 107
L. 16. eod. *pag.* 87
L. 25. eod. 138
L. 22. de cond. et dem. 236
L. 25. eod. 209
L. 31. eod. 392
L. 59. pr. eod. 314
L. 61. eod. 209
L. 62. eod. 228
L. 69. eod. 324
L. 76. eod. 163
L. 104. eod. 300
L. 62. ad L. Falc. 85
L. 63. eod. 208
L. 64. eod. 321
L. 67. eod. 108
L. 23. quando dies legat. 108
L. 38. de bon. libert. 277
L. 4. de bon. poſſeſſ. 277
L. 6. de collat. 266
L. 16. de iure patr. 278
L. 22. eod. 282
L. 37. §. 3. ſequ. de operis libert. 185
§. 7. 152
L. 48. eod. 275
L. 10. pr. de adſign. lib. 303
L. 2. §. 3. de ſuis et legit. her. 197
L. 13. eod. 302
L. 31. pr. de donat. 138
L. 36. de mort. cauſſ. don. 271
L. 44. eod. 300
L. 18. de manumiſſ. 315
L. 4. §. 17. de fideicom. libertat. 283
L. 22. fin. eod. 151
L. 31. de ſtatu liberis. 314
L. 24. qui et a quib. manum. lib. non fiunt. 177
L. 32. §. 2. eod. 185
L. 1. §. 1. de iur. aur. ann. L. 4. eod. 96
L. 6. eod. 276
L. 2. pr. §. 2. de colluſ. deteg. 96
L. 3. et 4. eod. *ibid.*
L. 4. pro herede. 323
L. 7. et 9. pro legato. 323
L. 29. de reb. auct. iud. poſſid. 323
L. 4. §. 1. de ſeparat. 313
L. 1. §. 2. de tab. exhib. 313
L. 1. §. 10. ſi is, qui teſt. lib. eſſe iuſſ. 313
L. 12. pr. de accuſ. 151
L. 10. §. 2. ad L. Iul. de adult. 99
L. 11. eod. 262
L. 15. §. 1. eod. 151
L. 15. ad L. Corn. de ſicar. 170
L. 1. pr. ad L. Pomp. de parric. 84

Digitized by Google

L. 29. de poen. *pag.* 147
L. 7. §. 3. de bon. damn. 26
L. 3. de iure fiſci. 153
L. 13. et 15. eod. 315. 349. *ſeq.*
L. 14. eod. 321
L. 8. et 14. de captiu. 114
L. 3. de caſtr. pecul. 271
L. 2. §. 2. de decurion. 93
L. 2. de muner. et hon. 158
L. 5. §. 2. de iur. immun. 169
L. vlt. de cenſ. 260
L. 84. de verb. ſignif. 93
L. 97. eod. 160
L. 101. eod. 100
L. 131. pr. eod. 131
L. 132. eod. 175
L. 133. eod. 217
L. 134. eod. 174. 226
L. 137. eod. 179
L. 138. eod. 270
L. 139. eod. 260
L. 143. eod. 254
L. 144. eod. 260
L. 145. eod. 279
L. 148. eod. 130. 277
L. 149. eod. 303
L. 150. eod. 282
L. 152. eod. 311
L. 153. eod. 281
L. 191. eod. 304
L. 220. §. 1. 3. eod. 94
L. 207. de Reg. iur. 96
L. 208. eod.
L. 209. eod.

Ex Codice Iuſtin.

L. 33. C. de Epiſc. aud. 119. *ſeq.*
L. 2. C. de ſponſal. 144
L. 23. C. de nupt. 117
L. 27. eod. 123. 130
L. 28. eod. 89
L. 7. C. de inceſt. nupt. 117
L. 7. C. de dot. promiſſion. 265
L. 8. & L. 9. C. de repud. 263
L. 10. eod. 119. 163
L. 11. eod. 163
L. 1. C. de nat. lib. 111. 139
L. 5. 6. 7. et 10. eod. 139
L. 3. C. de legit. tut. 193
L. vlt. C. quando tut. eſſe deſin. 145
L. 2. C. de obſ. patr. 275
L. 19. C. de legat. 210
L. 1. L. 2. et L. 3. C. de indict. vid. 139
L. vn. C. de caduc. toll. *tot. lib.* 6. *paſſim.* 195. 300. 314
L. 12. C. de legit. hered. 116
L. 3. C. de his qui a non dom. 324
L. 1. C. de infirm. poen. cael. 272
L. vlt. C. de iur. lib. 233
L. 5. pr. C. ad L. Iul. maieſt. 87
L. vlt. C. de his, qui ſponte mun. publ. ſubeunt. 93
L. 2. et 3. C. de his qui num. lib. exc. 169
L. 8. C. de dignit. 87
L. 11. C. eod. 90. 91

Ex Nouellis.

Nou. XXII. cap. 43. 239
Nouell. XXII. cap. 4. et 14. 263
Nouell. LI. et LXXVIII. 111
Nouell. LXXXIIII. cap. vlt.
Nou. LXXXIIII. cap. 15. 110
Nou. CXVII. cap. 6. 151. cap. 8. 9. 10. et 13. 163
Nouell. CXXVII. cap. 4. et CXXXIII. cap. 11. 163
Nou. CXXXVIIII. praef. 17

Ex Codice Theodoſ.

L. 2. C. Th. de in integr. reſt. Lib. II. tit. 16. 167
L. vlt. C. Th. de inoff. dot. Lib. II. tit. 20. 216
L. 2. C. Th. de inceſt. nupt. Lib. III. tit. 12. 245
L. 2. C. Th. de tut. et cur. Lib. III. tit. 17. 189
L. 1. C. Th. de nat. lib. Lib. IV. tit. 6. 139
L. 1. C. Th. de infirm. poen. caelib. Lib. VIII. tit. 16. 206. 272
L. 1. C. Th. de iure lib. Lib. VIII. tit. 17. 232
L. 1. C. Th. de bon. proſcript. Lib. VIIII. tit. 42. 216
L. vn. C. Th. de his qui ſe defer. Lib. X. tit. 11. 217

Ex Nouell. Codici Theod. ſubiectis.

Nou. Marcian. tit. IV. 117

Ex Baſilic.

Baſil. Lib. LX. tit. 42. 326

Ex Vlpiani, Paulli aliiſque fragm.

Vlpiani, tit. 1. §. 3. 154. §. 12. 173. §. 21.
tit. III. §. 1. 3. 172
§. 4. 178
tit. IV. §. 13. 257. 261

tit. XI. §. 6. 313. §. 6. 7. 8. 189.
§. 20. 267
§. 21. 22. 24. 205
tit. XIII. rubr. §. 1. 87
tit. XIIII. §. 1. 141
tit. XV. 106
tit. XVI. §. 1. 123. §. 3. 124. §. 4. 154
tit. XVII. §. 1. 268. 306. §. 11. 315
tit. XVIII. §. 1. 302. 305
tit. XVIIII. §. 17. 327
tit. XX. §. 15. 192
tit. XXII. §. 3. 269
tit. XXIIII. §. 2. 319
§. 21. 330
tit. XXV. §. 17. 303
tit. XXVIII. §. 7. pag. 330
tit. XXVIIII. §. 2. 192. §. 3. 192
§. 11. 281
Paulli Recept. Sent. Lib. II. tit. 19. §. 5. 247
Lib. II. §. 7. 152
Lib. III. tit. 6. §. 3. 7. et 13. 330
Caii Inſt. Lib. I. tit. 4. §. 7. 248
Caii Inſt. Lib. II. tit. 5. 329
Lib. II. tit. 9. §. 3. 4. 203. 204
Collatio LL. Moſ. et Rom. tit. IV. §. 5. 178
tit. VI. §. 4. 247
Ex iur. Can.
Cap. vlt. X. de condit. adpoſ. 238

INDEX III.

RERVM ET VERBORVM

LOCVPLETISSIMVS.

A.

Abſentes reip. cauſſa qui? 222. iis a pleriſque legibus vacatio data. 251. inprimis a Lege Papia. 252
Abſentes poterant et ſponſalia et nuptias facere. 252. ſui commodi cauſſa non habebant vacationem a lege. 252. mariti ab vxoribus quinquennium expectandi. 351
Abſentia reip. cauſſa nemini debet eſſe damnoſa. 250
Accipere et *capere* quomodo differant? 209
Actio Calviſiana et Fauiana. 277. malae tractationis. 258
Addici liberos oportebat manumiſſos. 183
Adfines qui? 245. 246. inter eos Auguſtus, paucis exceptis nuptias conceſſit. 244. id quod deinde mutatum a Chriſtianis Impp. 248
Adfinitas ſoluto matrimonio ſolui videbatur. 245. etiam Hebraeis. *ib.* Graecis. *ib.* Romanis. 246
Adoptiones fictae, quibus praemia *πολυτεκνίας* adfectabant orbi. 161. *ſequ.* eae SC. prohibitae. 263. an adoptione nobilitas detur et adimatur? 91. an ea libertus ingenuitatis iura accipiat? 102
Adoptiuus eoſdem cum adoptante agnatos et libertos habebat. 280. pater filiae dotem debet. 264
Adſignatus libertus et exheredatum ſequebatur. 302. *ſeq.*
Adulterium. Eius perſequutio quomodo data marito vxoris immaturae? 146. in eo deprehenſae vxores duci non poterant. 107
Aediles meretrices nomen haud profeſſas perſequebantur. 107. Apud eos quaeſtum turpem profitebantur ſcorta. *ibid.*
Aerarium. Ad illud augendum comparata lex Papia. 50. militare ab Auguſto conſtitutum. 284. quomodo adminiſtratum? 285. eius differentia a fiſco. *ibid.* Illud olim caduca erepititia et vacantia occupabat. 315. Quando illi in his fiſcus praelatus? *ibid.*
Aes vxorium quale? 23
Aeſtimatio bonorum ob decimas facta. 207
Aetas quomodo probata? 128. quaenam legitima? 224
Africanae gentes feram Venerem probabant. 142
Ἀγαμίου poena apud Athenienſes. 18. apud Lacedaemonios. 23. qualis? *ibid.*
Agitatores quinam? 98
Ἀγὼν ἱερὸς quis? 98
Amica, *pellex*, *concubina* olim *συνώνυμα* ante

ante L. Papiam, poſt eam diſtingui coepere. 132
Ancillis ob tres libros vacatio, ob plures libertas data. 25
Annariae leges. 161. earum an antiquiſſima Villia? 162. iis aliquando ſoluti candidati. ibid.
Anni, quibus honores petendi. ſeq. ſinguli propter ſingulos liberos remittebantur. ibid.
Anniculus et annicula quinam dicti? 174. ſq.
ANNIVS (*T. Milo*) ex gente Papia. 47
Annulorum aureorum ius quale? 96
Ante diem Kal. quid? 175
ANTONINVS (*Marcus*) quam legem de tutelis tulerit? 277
ANTONIVS (*M.*) libertini filiam vxorem habuit. 95. an iure ideo a Cicerone reprehenſus? *ib.* eius liberi ex Cleopatra cur Antonii nomen non tulerint? 137
Anubis cultus cur deſpicatui habitus a Romanis? 99
Ἄπαις pro liberis orbato. 168
APRONIVS (C.) imperator quis? 42
Ἀπροικότεροι liberi qui? 212
Aqua et igni quibus interdictum, ii ad peregrinitatem redigebantur, et togae ius amittebant. 319
Aquam equis ſpargere quid? 98
Aquila et lupa cur inſignia Lanuuinorum fuerint? 45
Arae tres ad ripam Tiberis in ludis ſaecularibus dedicatae. 30
Aram Iunonis tangere quid? 22
Arenarii qui. 182
Armenii ſibi vxores coemebant. 202
Ars ludicra qualis? 121. Vid. infra *Hiſtrio, Scena.*
Artes manuariae cur illiberales dictae? 154. ſq. a ſeruis et libertinis ſolis exercitae. *ibid.*
Ἀρχιερεῖς in prouinciis Orientalibus quinam? 114
Aſiarchae quis? 113
Aſſyrii vxores ſibi coemebant. 202
Ἄτεκνος pro liberis orbato. 108
Atellani ludi actores non inſamabant, & cur? 98
Athenienſes aliquando πολυγαμίαν concedebant. 17. non niſi maritos & parentes ad temp. admittebant. *ibid.* caelibes puniebant. *ib.*
Athletae qui? 98
Auguſtae dictae etiam Imperatorum matres, ſorores, vxores repudiatae. 93. an legibus ſolutae? 312
AVGVSTI oratio ad equites maritos et caelibes habita. 39. quo geſtu is nuptias et πολυτεκνίας ſtudium commendarit? *ibid. ſq.* leges vetere ritu tulit. 40. lato clauo donauit ſenatorum filios. 90. Eius nobilitas adoptione aucta 92. Ei grauiter occlamatum a Senatu, quum legem Iuliam de marit. ordinibus eſſet rogaturus. 33. oratio Metelli ab eo recitata. *ibid.* cur nouum aerarium conſtituerit? 287. ſq. reprehenſus, quod Antonii viui tabulas recitarit. 296
Auriga Praefectus vigilum ab Elagabalo factus. 110
Auſpices. Apud eos dos data deponebatur. 203
Auus, quando ſub patris vocabulo comprehendatur? 97

B.

BALDVINI (*Franc.*) in legem Papiam Commentarius. 12
Βασιλικὸν pro fiſco. 185
Bene merentes cur in marmoribus dicantur etiam infantes? 176
Beſtiarii infames. 182
Beſtiarum ludus. *ib.*
Beſtiis olim addicti ſerui: poſtea et ingenui ſe iis vltro addicebant. *ibid.*
Bithyniarchae qui? 113
Bonorum aeſtimatio ob decimarias leges facta. 208
Βραβευταί. 98
BRISSONII (*Barn.*) de iure connubii liber laudatus. 12

C.

CAducum vnde dictum. 301. quod? 302. locum non habebat in hereditate ab inteſtato. *ibid.* in iis capiendis quinam fiſco praelati? *ib. et ſeq.* Quot de caducis capita in lege Iulia et Papia extiterint? 316
Caduca quae fuerint? 316. 319. 321. 322. 324. ab aerario occupata. 315
Caelibatus conditio cur tam frequenter impoſita liberis et viduis? 22. ea pro non

non adſcripta habita. *ibid.* quamuis variis formulis incruſtata. 239. *ſq.* Ea conditio et libertis a patronis impoſita. 242. ob eam patroni iuribus ſuis priuati ex L. Aelia Sentia. *ibid.* illius conditio gratia fiebat libertis ex L. Papia. *ibid.*

Caelibes exoſi Hebraeis. 15. Athenienſibus. 17. Lacedaemoniis. *ib.* An et Pythagorae? 19. Eos notabant Cenſores. 23. Eorum flagitia ab Auguſto deſcripta. 39. ſolidum capere non poterant. 268. immo ne legatum quidem. 270. qua hereditate exciderint? 270. *ibid.* incapaces erant fideicommiſſi. *ibid.* a genere proximis tamen heredes ſcribi poterant. *ibid.* iidem capaces erant, ſi intra 100. dies legi parerent. 321

Caesar (*C. Iulius*) πολυπαιδίας praemia propoſuit 24. 31. quo iure cenſum egerit cur tam multos ciuitate donarit? *ib.* Eius filius naturalis cur Caeſario dictus? 137

Caivs ICtus commentarium ad L. Papiam ſcripſit. 12

Caligvla (*Caius*) a Senatu lege caducaria ſolutus. 254

Capere de vltimis voluntatibus dicitur. 261. capere et accipere quomodo differant? 207

Capi ſolebant virgines Veſtales. 5. immo et alii ſacerdotes. 5

Capitalia crimina quomodo a nuptiis excuſarint? 144

Cappadociarchae quinam? 114

Captatoriae inſtitutiones quaenam? 307. eae pro non ſcriptis habitae. 278

Cato (*M. Porcius*) *Cenſorius*, libertini filiam uxorem habuit. 95. eius filius auctor regulae Catonianae. 299

Cauſſa aliquando idem, ac quaſi. 313. Quid *cauſſa teſtamenti*, *cauſſa pignoris*, *cauſſa bonorum*? *ib.*

In cauſſa caduci eſſe, quid ſignificet? 313. quaenam in cauſſa caduci ſint? 311. *ſequ.*

Cautelae ICtorum. 333

Cautio Muciana a vidua contra conditionem nubente praeſtanda. 239

Celsi dicti *Papii*. 43

Celsvs (*P. Iuuentius*) Legem Papiam libris illuſtrauit. 53

Cenſores caelibes notabant. 23. quae praemia parentibus elargiti ſint? *ibid.* ſub auſpicium muneris ad populum concionabantur. 25

Cenſus quo iure actus a C. Iulio Caeſare? 31. in eum furtim irrepere ſolebant Latini. 7. *ſeq.* Ex cenſu adparuit poſt bella ciuilia vix dimidium ciuium numerum ſupereſſe. 31

Cenſus Senatorius quantus? 85. *ſeq.*

Centenarius libertus quis? 278. centenario minor. 275

Centeſima rerum venalium. 284

Centeſimus ab vrbe lapis. 166

Centum dies. Intra hos poterant caelibes inſtituti legi parere. 269. erant dies cretionis, ſpatium deliberandi et agnoſcendi bonorum poſſeſſionem. *ib.* an et orbis profuerint? 371

Certamen ſacrum quinquennale. 98

Chirographus ab iis exactus, qui tacito fideicommiſſo obſtringebantur. 153

Cicero honores omnes annis lege finitis capeſſiuit. 162

Ciuitate orbi Rom. data an ſublatum fuerit vrbis Italiae et prouinciarum diſcrimen? 168. Ea priuati ſenatores, et viri perfectiſſimi, qui viles feminas vxores duxerant. 116. eius intra anxie quaerebant Latini. 7. *ſeq.*

Ciuium frequentia an utilis reip. 27

Clariſſimatus dignitas et ſenatorem filiabus, neptibus, proneptibus competebat. 100

Clavdivs Imp. vacationem eſſedario ob liberorum numerum dedit. 27

Clemens (*Terentius*) commentario illuſtrauit Legem Papiam. 14. quot in eam libros ſcripſerit? *ib. et* 53.

Cloacae ius. 318

Clodivs (*Publ.*) per adoptionem plebeius factus. 91

Cocceivs Cassianvs V. C. an priuignam concubinam habuerit? 88

Codicillis teſtamento non confirmatis relicta pro non ſcriptis erant: et quando id mutatum? 307

Coemtio vxorum pluribus gentibus ſollemnis. 202. etiam Romanis. *ibid.*

Cognatio vltra ſeptimum gradum non temere porrecta. 221. in lege Papia ad ſextum gradum numerata. 270

Cognatorum hereditates et caelibes et orbi

orbi capiebant. 270. 271
Collegae vni cur ſaepe tribuantur, quae communia vtrique? 109. eorum quis potior? 156
Colluſione detecta is, qui ingenuus iudicatus fuerat, ingenuitatem amittebat. 96
Coloniarum mittendarum cauſſa. 28
Commodum dotis quid? 262
Concubina et *pellex* ante L. Papiam non piam non differebant varia eius nomina. 33. an a mariro haberi potuerit? *ib.* quaenam haberi per leges potuerit? 134. 137. an et conſanguinea vel adfinis. 135. an et priuigna? 88. an ingenua? 102. an a patrono inuito diſcedere potuerit? 198. an a furioſo? *ibid.* ei nihil donari poterat. 139. poterat tamen heres eſſe. 207. vtrum vxor in dubio praeſumatur an concubina? 139
Concubinatus. De eo caput in lege Papia Poppaea exſtitit. 131. per hanc legem nomen adſumſit. 132. licita erat conſuetudo. 135. an et legitima? 137. 139. is maxime viduis placebat, etiam Imperatoribus. 137. Senatoribus eo aliquatenus interdixit Conſtantinus M. 117. in eo coniunctiones nefariae aeque prohibitae, ac in matrimoniis. 88. Eum indirecte ſubruere ſtuduit Conſtantinus M. 134. quamdiu viguerit? 140
Conditio liberorum in teſtamentis quo pertineat? 214. 271. impoſſibilis cur contractum, non teſtamentum vitiet? 238. caelibatus lege noſtra infirmatur. 236. 242. turpis ſponſalibus adiecta an pro non adiecta habenda? 238. quando deficere dicatur? 313
Congiarium iis copioſius datum, quibus numeroſa proles. 26
Coniuges illegitimi inter ſe nihil capiebant. 152
Coniugium. Ad id ineundum omnes obligari, Hebraei putabant. 15. confer infra *Matrimonium*, *Nuptiae*.
Constantinvs M. legis Papiae Poppaeae caput 1. in vſum reuocauit. 110. quamdiu eius conſtitutio eam in rem edita viguerit? 117. idem concubinatum variis legibus indirecte ſubruere ſtuduit. 140. cur legitimationem per ſubſequens matrimonium introduxerit? *ib.* Idem ſuſtulit poenas caelibatus et orbitatis? 272. *ſeq.*
Conſul maior quis dictus? 156
Conſularis aetas. 160. *ſeq.*
Conſulibus quomodo faſces praelati? *vid.* Faſces.
Continentia urbis ad Romam referebantur. 167
Conuictrix pro concubina. 133
Cooptari dicebantur quidam ſacerdotes. 2
Cornelivs (*Cn. Coſſus*) per adoptionem factus patricius. 91
Coronae faſcibus illigatae. 156
Correctiones ineptae quam plures in Codice Florentino. 101
Crassvs (M.) a Mamertinis ex lege Papia vindicatus. 6
Cretio hereditatis. 297
Culter. Ad eum ſe *locaſſe* dicebantur beſtiarii. 182
Curiae ſeſe offerentes ſaepe ea conditione excipiebant poſteros. 93

D.

Damnata iudicio publico vxor duci non poterat. 107
Damnatorum liberis pro eorum numero pars bonorum conceſſa. 26
Dare dotem, quid? 203
Decemuiris quomodo faſces praelati? 157
Decimam inter ſe coniuges matrimonii nomine capiebant? 207. alias pro numero liberorum ex priore matrimonio ſuperſtitum. 208. aliam ob filium communem poſt nominum diem amiſſum. 209. ſed et ob alias cauſſas. 212. *ſequ.*
Decimariae leges. 269. *ſequ.* quando ſublatae? 217
Decreta principum an vim legis habeant? 228
Decuriones. Eorum filii patris dignitate fruebantur. 93. iis liberi proderant ad παιδία. 165. legibus decimariis a Theodoſio ſoluti. 217
Delatores praemia capiebant. 348. a bonis principibus coerciti. 350. cur quadruplatores dicti? *ibid.*
Demosthenes quando Praefectus praetorio fuerit? 118
Denicales dies quinam? 296. iis nihil ſuſcipi

ceipi potuit. *ibid.*
Denotandi cauſſa quaenam dicantur relicta? 307. ea pro non ſcriptis habita. *ib.*
Deſignatores quinam? 122
Detrectatio. Sine ea quinam dicantur abeſſe? 251
Διασημότατοι qui dicti? 112
Dicere dotem, quid? et qua formula vſi qui dotem dicerent? 203
Dies nominum quis? 210. luſtricus quis? *ib.* annua, bima, trima. 259. denicales. 296. legatorum quando ceſſerit et etiamnum cedat? 299. *ſequ.* quorum legatorum dies cedat ab adita hereditate? 306
Δικαιώματα γεγαμηκότων quaenam? 159
Diſcidii poena quae? 257. adde *Diuortium.*
Diuortium meditantes plerumque jam de nouis nuptiis tranſegerant. 148. eius licentia olim maxima. 195. *ſeq.* non tamen permiſſum libertae patrono nuptae. 196. In eo ſeptem teſtes adhibiti, ex qua lege? 256. illud ſine cauſa fontica vel alterius culpa factum poena dignum iudicat L. Papia. 257. *ſequ.* de eo leges nouae. 262
Dolabella per adoptionem plebeius factus. 92
Domum deductione cur opus fuerit in abſentium nuptiis? 252
Dona et *munera* quomodo differant? 184. ea liberti debebant patronis. *ibid.* quomodo liberti ab hac obligatione liberati? 185
Donationibus fraus facta legibus decimariis. 216
Dos apud pleraſque gentes a marito data. 202. eius apud Romanos alia ratio, unam apud alias gentes. 202. eſt veluti pretium coemtionis *ib.* ſine ea raro feminae maritos inueniebant. *ib.* vel dabatur, vel dicebatur, vel promittebatur. 203. idque auctoribus tutoribus. 204. an a parentibus olim neceſſario data fuerit? 51. 265. *ſequ.* an actione repeti potuerit ab vxore immatura? 145. iniuſtis nuptiis contractis mortua muliere caduca fiebat; 154. praelegata ab vxore etiam orba capi poterat. 214. non minuebatur quarta Falcidia detracta. 215. an certis limitibus circumſcripta per legem Papiam? 216. et ſoluebatur et reddebatur annua bima trima die. 259. in quantitate conſiſtens ob mores mariti grauiores praeſens reddenda erat. 257. ob mores leuiores ſenum menſium die. *ibid.* 259. non conſiſtens in quantitate cum fructibus quadriennii reſtituenda, 258. 259. 260. 161. Ex ea morum nomine quaedam retinebat maritus. 257. 262. olim tota cedebat marito, ſi vxor ob mores graues repudiaretur. 256. quantum Lex Papia retinere conceſſerit. 262. An id ius ex formula: QVANTVM AEQVIVS MELIVS? 258
Dotalia inſtrumenta ſignum nuptiarum. 203
Draco Lanuuii cultus, cui eſcam virgo praebebat. 45
Ducere de vxore vſurpatum a Propertio. 37
Duumuiri perfectiſſimatus dignitatem adfectabant. 113

E.

EBraei. *vid.* Hebraei.
Edicere legem quid? 37
Εὐδοξότατοι qui? 114. ita Praefecti praetorio ſalutati. *ibid.* et ſacerdotes prouinciarum. 115
Epaminondae ſine liberis morienti illacrymatum. 19
Ereptitia bona quae? 325
Error in nuptiis circa perſonam commiſſus an noceat? 94
Eſſedario vacatio ob numerum liberorum a Claudio data. 27
Et declaratiue ſumtum. 152
Εὑρήματα ICtorum quid? 333
Euripides mulieres peroſus cur binas vxores duxerit? 17
Excuſare et *potiorem nominare* quomodo differant? 165
Excuſatio a muneribus ob numerum liberorum. *ibid.*

F.

FAecunditas in honore fuit Hebraeis, 15. Graecis, 17. Perſis, 16. Germanis. 19
Familia venatoria quae? 182
Faſces initio duodecim vtrique conſuli praeferebantur. 157. poſtea alteri faſces, alteri ſecures. 156. iis coronae illigatae. *ibid.* quo ordine poſtea praelati? 157. quibus? 157. *ſeq.* cui prius dati? 155. *ſeq.*
Februario menſe cur nuptiae non factae? 144
Feminae an tantum nuncupatiue teſtari potuerint? 191. cur earum teſtamentifa-

uxor eſſe coeperit ? 145
Impunitatis ſpes an a peccando retrahat ? 318. *ſeq.*
In tantum pro *adeo*. 100
Inceſta matrimonia ſaepe ob liberorum numerum confirmata. 32
Indignis quaenam eripiantur, et ex quibus legibus ? 326. *ſeq.*
Infamia ludionum unde ? 98. eam illis ſenatoribus impegit Conſtantinus M. qui viles feminas uxores duxerint. 116
Infantes quoto anno mamma depulſi ? 225. quomodo initiati ? 110
Ingenui ducere poterant libertinas. 102. non autem mulieres ſcenicas. 104. nec lenas vel a lenone manumiſſas. 105. nec iudicio publico damnatas, nec in adulterio deprehenſas. 107
Initiatio infantum. 210
Iniuſtae nuptiae a Romanis non reſciſſae. 128
Inſcriptiones legum non ſemper ſanae. 68. nec tamen exemplo Iac. Gothofredi pro lubitu mutandae. 54
Inſignes viri qui ? 112
Iſidis cultus cur a Romanis deſpicatui habitus ? 98
Italiae limites antiqui et novi. 167
Italici iuris colonias cur in commentariis ad hanc legem deſcripſerit Caius ? 260
Italici et *prouinciales* ſibi inuicem oppoſiti. 167
Italicus fundus. 260. *Italicum ſolum* quod ? 167
Iudicio publico damnati qui ? 107
Iudicium de moribus quid ? 190
Ivlivs Miscellvs an exſtiterit ? 240
Ivno *Domiduca*, *Iterduca*, *Iuga*, Ζυγία, *Cinxia*, *Lucina*, *Patulca*. 22. *Siſpita* Lanuuii culta. 45. Eius *aram tangere* quid. 22
Iura maritorum militibus data et cur ? 159. ciuitatis et Quiritium quomodo differant ? 176
Iurans, ſe patronum eſſe, an omnibus patronorum iuribus fruatur ? 197
Iureiurando obſtringi liberta, ne nuptias faceret, non poterat. 274. Eius aliquando gratiam faciebant leges. 242
Ius liberorum communium. 229. a quo conceſſum ? *ib.* iam Domitiani tempore a principe datum. 230. non dabatur temere, niſi utriuſque coniugis aetas coniuncta centum annos excederet. 232. an et mortuis datum cenſeatur, ſi, qui petunt, ante principis decretum deceſſerint ? 281. omnibus promiſcue datum a Theodoſio. 232. an et parentes illud a principe impetrarint ? *ib.*
Jus trium liberorum an a Numa inventum ? 21. an a Tullo Hoſtilio ? 22
Ivstinianvs Theodoram uxorem ducturus caput 1. legis Iuliae et Papiae abolevit. 117. Ei multae conſtitutiones Iuſtini perperam tribuuntur. 117. is concubinatum probauit. 157
Ivstinvs Imp. nomen ſuum quatuor litteris expreſſit. 118
Ivventivs (*P. Celſus*) legem Papiam ſeptem libris interpretatus eſt. 53

K.

Καθολικοὶ Rationales. 285
Κακογαμίου poena apud Lacedaemonios qualis fuerit ? 18
Κατακοπτόμενοι, beſtiarii. 182
Κυνηγέσια vel κυνηγίσια, venationes, quales ludi ? 182

L.

Lacedaemonii praemia πολυπαιδίας conſtituebant. 17. caelibes puniebant, immo et male et ſero ducentes uxores. 18. nec non qui ſolius dotis habebant rationem. 18. an ab iis ſumtum ſit Legis Iul. et Papiae caput de immunitate parentum ob quatuor liberos ; 167. *ſeq.*
Lanuuii inſignia. 45. prodigium in eius conditu notatum. *ib. ſeq.* Draco ibi annoſus, cui virgo quotannis pabulum praebeat. 45. Iuno Siſpita ibi culta. 45
Latii ius multis extra Latium datum. 173
Latini adſectabant ius ciuitatis Romanae. 7. ſaepe urbe exire et in patriam redire iuſſi. *ib.* et ſocii Latini nominis ac ſemper iidem ? 8. quando ius ciuitatis acceperint ? *ib.* liberti an quidam ex lege Aelia Sentia ? 173. colonarii ob anniculum filium iura Quiritium conſequuti. 174. etiam liberti ex L. Iunia Norbana. *ibid.* non habebant ius connubii et patriae poteſtatis. 174. an pro peregrinis habiti ? 179. tanquam peregrini virgis caeſi. *ibid.* dicti ciues ex Latio. *ib.*
Latus clauus inſigne Senatorum. 86. etiam filiis Senatorum ab Auguſto conceſſus. 90

Legata obſcura, pugnantia, mortuis relicta, translata, ademta pro non ſcriptis habita. 306. *ſequ.* quaenam caduca? vid. *caduca*. Quae ut indignis erepta? vid. *ereptitia*. quotuplici modo relicta? 329. per vindicationem relictum deficiens ab aerario vel fiſco non occupabatur. 322

Legationes liberæ. 223. *ſequ.*

Lege ſoluebat Senatus. 229. 253. an et populi ſuffragiis opus fuerit? *ib.* quando id ius ad principes deuolutum? 254. de lege ſolutione lex Cornelia. 228. eius lege ſolutionis effecta. 254 quomodo legibus ſoluti ipſi Principes? 311. *ſeq.*

Leges a primis capitibus nomina acceperunt. 84. ſeuerius emendatae. 30. de coniugio ineundo et liberis procreandis libera adhuc rep. latae. 22. *ſeq.* Papiae plures. 2. Saturae quae? 52. minus quam perfectae. 108

Leges variae.

- Aelia Sentia eodem anno lata quo Iulia de maritandis ordinibus. 38. non fuit Senatusconſultum. 40. an ea ingenuis facultatem dederit, libertinas vxores ducendi? 103. an quosdam libertinos Latinos eſſe iuſſerit? 173
- Caducaria. vid. *Iul.* et *Papia.*
- Caecilia Didia qualis? et an adhuc tempore Auguſti recepta? 52
- Canuleia de nuptiis patrum cum plebe. 94. *ſeq.*
- Cincia cur muneralis dicta? 84
- Claudia de ſociis Lat. nominis domum remittendis, 7
- Claudia de tutela mulierum. 189
- Cornelia de ſicariis, parricidis et veneficis. 84
- Cornelia de lege ſolutione. 229
- Decimaria, 206. cur inuenta? 207. *ſeq.* fuit pars legis Jul. Papiae de marit. ord. *ib.*
- Lex Incerta, ut mater iterum nupta non ſit heres liberorum ex priore matrimonio ſuſceptorum, ſed ei ipſe auus maternus praeferatur. 293
- Iulia de adulteriis cur id nomen acceperit, quum et de aliis criminibus egerit? 84. ea dotalis fundi alienatio prohibita. 256. ſeptem teſtes in diuortiis adhiberi iuſſit. *ibid.*
- Iulia iudiciorum publicorum a Gothofredo male cum Papia Poppaea confuſa. 200. 243
- Iulia de maritandis ordinibus. De ea quando primum cogitatum? 32. SCtum de illa roganda aegre impetratum. *ibid. ſequ.* Eius mentio in marmore, antequam perlata. 34. *ſequ.* prima rogatione reiecta. 36. quando et quomodo demum perlata? 38. Coaeua eſt legi Aeliae Sentiae. *ibid.* eam fruſtra abrogari volunt equites Rom. 38. Inter illam et Papiam Poppaeam differentia. 41
- Iulia Miſcella pars Papiae Poppaeae. 239. ſublata a Iuſtiniano et poſtea quadantenus reſtituta. 240. eius uſus hodiernus. 241
- Iulia de parricidiis. 84
- Iulia Titia de tutelis quando lata? 267
- Iulia viceſimaria qualis et quando lata? 284
- Iulia et Papia Poppaea. Eius varia nomina. 11. κατ' ἐξοχὴν dicta Lex vel Leges. *ib.* diutiſſimo uſu viguit. 11. in ſponſalibus recitata. *ib.* quinam in eam commentarios ſcripſerint? 12. *ſequ.* Eius fragmenta ſe per univerſum ius diffundunt. 13. Eius finis. 14. 50. an de ea ferenda Auguſtus in ſexto conſulatu cogitarit? 32. an fuerit SCtum? 40. Eius chronologia. *ibid.* Duae eiuſdem partes. 50. *ſeq.* 283. quando et a quo lata? 39. Eius a Iulia de maritandis ordinibus diſcrimen. 41. an diverſa a Iulia caducaria? *ibid.* quot et qualibus capitibus conſtiterit? 50. fuit Lex Satura. 52. et minus quam perfecta. 108. quot eius fragmenta ſuperſint, et quomodo in ordinem redigi debeant? 13. Eius caput I. confirmatum a Conſtantino M. 110. et Marciano. 117. abolitum a Iuſtino et Iuſtiniano, et cur? 117. 119. *ſequ.* Eiuſdem caput II. male a Iac. Gothofredo et aliis expreſſum. 123. quale illud fuerit et an ſenibus connubio interdixerit? 123. Eius capita de ſolidi capacitate quando ceſſarint? 254. Ea quis ſoluere potuerit. 256. an fundi dotalis alienationem prohibuerit? 254. an in diuortiis

ſeptem teſtes adhiberi iuſſerit? 256. an initio in prouinciis etiam valuerit per omnia? 267. per eam aucta iura patronatus. 275. quoto anno liberos exegerit? 220. Caducaria odioſa. 284. 285. 303. Ea Caligulam ſoluit Senatus de ea moderanda ſub Tiberio cogitatum. 286. capita eius. *ibid.* de quibus bonis egerit? 313

Lex Iunia Norbana quando lata? 173. 177. ea omnes non iuſte manumiſſos Latinos eſſe iuſſit. *ibid.* 177. Latinis ob anniculum iura Quiritium dedit. 178

Iunia Penni de peregrinis. 8. an iure a Cicerone reprehendatur: 10

Laetoria cur quinavicennaria. 84

Licinia Mucia de ſociis Lat. nom. in patriam remittendis. 7

Maenia qualis et quando lata? 127

Menſia quae? 179. an Meſſia dicenda? 180

Oppia. 28

Papia de virginibus Veſtalibus quando et a quo lata? 5. an fuerit pars L. Iuliae et Papiae? *ib. ſequ.*

Papia de ſociis et nom. Latin. 8. *ſequ.* quando lata? 8

Papia de Peregrinis. 10. eius veſtigia in numis. *ibid.* an a Cicerone iure reprehenſa? *ibid.* eius ferendae occaſio. 11. *ſequ.*

Petronia ſeruos beſtiis addici vetuit. 182. an Paetinia dicenda? *ib.*

XII. Tabularum de nuptiis inter patres et plebeios non contrahendis. 94. de ſucceſſione libertorum. 275

Lex Villia annaria. 161

Voconia an tempore Auguſti adhuc viguerit? 209

Legitimatio per ſubſequens matrimonium cur inuenta? 139. Eam primus omnibus promiſcue indulſit Iuſtinianus. *ibid.*

Leno quis? 105. Lenonum et lenarum turpitudo. 106. Ab iis manumiſſae cur ingenuis nubere non potuerint? *ib.*

Liberalium cauſſarum gratia profeſſionem ad tabularia fieri iuſſerat Marcus Antoninus. 170

Liberi in fraudem legis inſtituti. 153. quotnam a muneribus excuſent? 165. qui non excuſent? 168. *ſeq.* Sedecim a muneribus patrimonialibus excuſant. 169. alieni ſaepe pro propriis offerebantur excuſationis cauſſa *ibid.* Eorum quaerendorum cauſſa matrimonium ſe inire profitebantur Romani. 178. legitimi ex iniuſto matrimonio non naſcebantur. 152. naturales non erunt infames. 135. nominibus ſuis adſcribebant F. *ibid.* vel FIL. NAT. 170. dignitatum capaces. *ibid. ſq.* qualia nomina adſumſerint? *ib.* iis nihil donari poterat ex legibus Conſtantini M. 138. patronorum libertatis cauſſa aliquid accipere ſolebant. 185. quo anno exigerentur per legem Iuliam et Papiam? 220. 271

Liberos quis *habere* dicatur? 55

Liberta aliena an in concubinatu eſſe potuerit? 101. operis patrono debitis, per nuptias liberabatur. 181. 274. *ſequ.* innupta iiſdem liberabatur aetate quinquagenaria. 181. *ſq.* patrono deſponſa ei repudium mittere poterat. 108. inuita patrono nubere non cogebatur. *ib. ſequ.* an a patrono furioſo diſcedere potuerit? 200. a patrono cui ſemel nupta, inuito diſcedere non poterat. 197. 252. in perpetua tutela patroni viuebat. 192. an abſente tutore ius ei fuerit alium tutorem petere. 204. ob quatuor liberos ſolidi capax erat. 232

Libertatis legatae dies cur non niſi ab adita hereditate cedat? 310

In Libertate morari et liberum eſſe quo modo differant? 177

Libertinae quae? 96. Earum nuptias omnes ingenui ante L. Papiam adſpernabantur. 95. nuptiae tamen cum ingenuis illis aliquando conceſſae per priuilegium. *ibid.* earum filias etiam ingenui ducere poterant. 95. quod poſtea Senatoribus vetuit Conſtantinus. 115. cum iis nuptias conceſſit L. Iulia et Papia. 96. non tamen Senatoribus. *ib.* 102

Libertini, quibus filius quinquennis, in tribus ruſticas deſcribebantur. 24. antiquis qui dicti? 96. ne adoptati quidem ab ingenuis iura ingenuitatis adquirebant. 101. in ſenatum admiſſi a Commodo. 110. opificia et artes manuarias exercebant. 83

Libertus patronae nuptias adfectare non poterat, niſi haec eſſet vilioris conditionis. 103. Exempla huiuſmodi nu-

nuptiarum, 103. *ſeq.* artem ludricram faciens, operis non liberabatur ob liberorum numerum, 182. nec arenarius, *ibid.* operis non liberabantur ſolis nuptiis, 274. centenarius et centenario minor. 275
LICINIVS CAESAR multos Senatores ad nauiculatiorum conditionem detruſit. 110
LIPSII (*Iuſti*) Excurſus ad Tacitum de lege Pap. Popp. 12
Liuiae gentis claritas. 92
LIVIAE Auguſti nobilitas per adoptionem aucta. 92. cur ſine indulgentia Senatus non potuerit tertiam bonorum partem ex Auguſti teſtamento capere. 209
LIVIVS DRVSVS per adoptionem ex patricio plebeius. 92
Lucar quid? 30
LVCILLA *Auguſta* privato nupta imperatorii coniugii inſignia retinuit. 100
Lucrum ex dote quid? 226
Luctu durante nuptiae non fiebant. 144
Luctus tempore nubens infamis. 148
Ludi ſaeculares quo anno facti? 34. varia de iis SCta marmori inciſa. 35. quinam iis intereſſe potuerint. *ib. ſequ.* unde ſumtus petiti? 36. in iis arae in ripa Tiberis dedicatae. *ibid.* quis iis ſub Auguſto perfuerit? *ib.*
Ludus venatorius, *beſtiarum matutinus*, *meridianus*. 182
Lupa et aquila ſignum Lanuuiorum. 45
Luſtratio infantis quo ritu facta? 210
Lyciarcha quis? 113
LYCVRGI leges de ducendis vxoribus. 18
LYCVRGVS qua aetate nuptias fieri voluerit. 142

M.

MAenia gens. 126
Mainia gens eadem quae *Maenia*. *ib.*
Maiorennitatis initium definiuit Lex Laetoria. 84
Mamma quo anno depulſi infantes? 224
Mandatores quinam? 350
in Manum conuentio quid? 189. *ſeq.* per eam vxores redigebantur in poteſtatem maritorum. *ibid.* eius effecta. *ib.*
Manumiſſio. Eius merces prohibita Lege Ael. Sent. 184. ancillae matrimonii cauſſa non eſt ex L. Aelia Sentia, ſed ex SCto. 103
Manumiſſus teſtamento minor XXX. annis ex Lege Iunia Norbana erat Latinus. 177. *ſq.* cur ei ſaepe adſcripta conditio: QVVM ANNORVM XXX. ERIT? 177
MANZANO (*Ramez del*) commentario illuſtrauit L. Papiam Poppaeam. 12
MARCELLVS (*Vlp.*) ICt. Commentarium ad L. Papiam Poppaeam ſcripſit. 12
MARCIANVS ICtus in citandis auctoribus accuratus. 51. diuerſorum temporum leges per μεταξυλογίαν coniungere ſolet. 51
Maritus XI. annorum. 146. maritus vxorem non lugere debebat. 148. in maritorum numero qui eſſe dicantur? 158. iura maritorum quidam a principe impetrabant. *ib.* quanta mariti poteſtas in vxorem. 189. an is tutelam vxoris geſſerit? 190
Matres Conſulum an conſulares. 93. Auguſtorum Auguſtae dictae. *ib.* Earum conditionem liberi extra matrimonium nati an ſemper ſequerentur? 179
Matrimonium. Qualis ad id ineundum ſit obligatio? 15. *ſq.* putatiuum quale. 150. iniuſtum num reſciderit Lex Papia Poppaea. 108. eius iure non gaudebant Latini. 178. Matrimonium ſine connubio quid? *ibid.* an duorum menſium matrimonium ad ſolidi capacitatem requiſitum? 220
Matronali dignitate exſolutae meretrices. 105
MATTHAEI Euangelium an titulum habeat: βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. 84
Matutini dicti beſtiarii. 182
MAVRI (*M. Vertranii*) tractatus de iure liberorum laudatus. 12
MAVRICIANVS (*Iun.*) commentarium ad L. Iuliam Papiam ſcripſit. 12
Sine Mendacio cum aliqua viuere quid? 133
Mercatura tabernaria vilis et contemta. 115
Mercedem manumiſſionis ſibi ſtipulari nefas per L. Aeliam Sentiam. 184. *ſeq.* promittere tamen vltro poterant ſerui. *ibid.* eius exempla ex Dionyſio Halicarnaſſeo. *ibid.*
Mercibus quae publice praeerant, nubere prohibentur viris perfectiſſimis. 115
Meretricum conditio apud Romanos. 105
Meridiani gladiatores. 182
METELLI (*Q.*) Cenſoris ſeueritas aduerſus caelibes. 24. Eius oratio ab Auguſto repetita. *ib.* 33
Milites an potuerint vxores ducere? 159 quis primus id illis indulſerit? *ibid.* iis focariae mulieres permiſſae. *ibid.*
non

Digitized by Google

non poterant vxores in caſtra vel hiberna perducere. *ibid.* iis ius liberorum datum. 230
Modestini (*Herennii*) Εὑρηματικὰ qualis liber. 333
Modum diuortiis imponere quid? 257
Monſtruoſus partus quando profuerit? 210
Mores grauiores vel maiores qui? 259. *leuiores vel minores*. *ibid.*
Mors parentum iuſta cauſſa trahendi ſponſalia. 143
Munera a liberto Patrono debita. 184. ab iis quomodo liberti liberati. 185. publica quotuplicia? 164. quid ab iis excuſarit. 165. 169.

N.

NAtalium profeſſio quomodo facta? 169. reſtitutio quid? 69. 276. ea non temere concedebatur niſi conſentiente patrono. 355
Navem mercaturae cauſſa fabricantibus vacationem Legis Pap. Popp. dedit Claudius. 217
Neglecti liberi qui? 212
Nepotes quando filiorum nomine veniant? 116. ex filiabus Senatorum an clariſſimi? *ib.*
Neronem puduit libertinam ducere. 93
Nobilitas an per adoptionem data et peremta? 91
Nomen quo die infantibus datum? 210. aliquando ſtatim poſt partum impoſitum. 212. Nominum dies quis? 210
Nominare potiorem et excuſare quomodo differant? 165
Non ſcripta. Pro his quae habita? 306. *ſq.*
Nothorum conditio. 135. vide *Liberi*.
Nouercae priuignorum vxoribus infeſtae. 247
Nvma Pompilivs an auctor iuris trium liberorum? 21. Eius leges quae πολυπαιδίᾳ fauent. 22. cur Iunonis aram a pellice tangi vetuerit? *ib.* cur filium qui volente patre vxorem duxerat, venundari vetuerit? 22
Nurus quae? 247
Nuptiae inter patres et plebeios cur prohibitae? 94. iniuſtae an reſciſſae? 128. impares quae? 130. ſero initae honeſtiſſimae viſae gentibus quamplurimis. 141. praematuras contra probabant Romani. 141. impuberum an reſciſſae? 145. *ſq.* ſimulatae quae? 158. putatiuae quae? 94. inter generum et ſocrum. 247. cur ab iis abhorruerint multi Romani? 28. cur philoſophi? 30. quomodo differant a matrimonio? 178. Liberorum ſine conſenſu parentum nullae. 264

O.

OBlatio virginum Veſtalium. 6
Obrogare legi quid? 123
Obſcura legata pro non ſcriptis habita. 306
Octavenvs an ad L. Papiam Poppaeam ſcripſerit? 12
Octauo menſe natus an legitimus? 168
Officii quae eſſe dicantur in iure noſtro? 266.
in officio mariti et patroni eſſe, quid? 275
Operae patronis debitae. 183. quotuplices? *ibid.* quomodo promiſſae. *ibid.* vltra promiſſum exigi non poterant. 84. illis liberabantur liberti ob numerum liberorum. *ibid.* libertae voluntate patroni nuptae. 274. *ſequ.* non tamen ab operis patronae vel patroni filiae debitis. 275. earum obligatio reuiuiſcebat, ſimulac nuptae eſſe deſiiſſent. *ib.*
Opificia a ſeruis et libertinis Romae exercebantur. 183
Ὀψιγαμίου poena apud Lacedaemonios. 18
Optionis legati dies quando cedat? 300. 330
Oratio principis quid? 109. Antonini et Commodi. *ibid.* Metelli ab Auguſto repetita. 24. 33. Auguſti ad Equites de Lege Iulia habita. 38. *ſeq.* P. Scipionis Africani. 24
Orbi dicuntur etiam qui liberos nunquam habuerunt. 168. 271. eorum et parentum diſcrimen an ab Honorio et Theodoſio ſublatum ſit? 218. ii ſolidum capere non poterant. 268. cur eorum conditio poena digna viſa? 271. an ſibi relicta ceperint, ſi intra centum dies parentes fierent? *ib. ſq.* ſemiſſem tantum capiebant. 272
Orbitas ignominioſa apud Thebanos. 19. Hebraeos. 16. aliaſque gentes *ib. ſq.* Eius pretia apud Romanos. 19. 29. Talia nulla Germanis. 19
Ordo adoptione non imminuebatur, ſed augebatur. 91
Ornamenta coniugii ſenatorii a Principe data. 100
Ὤστιρ, pro ὥσπερ. 100
Ὥσπερεί. Ea particula quando vſi Stoici et ICti Rom.? 91

P.

PActa dotalia in fraudem legum decimariarum facta. 216

Paez (*Ferd.*) de numero liberorum excuſante ſcripſit. 12

Παιδογραφία quid? 170

Παλιγγενεσία pro natalium reſtitutione. 96

Pantomimorum aedes ingredi vel eos in publicum prodeuntes ſectari, ignominioſum ſenatoribus. 99

Papia gens plebeia. 44

Papii Celsi, Mutili, Polliones. 44. an quidam etiam *Triumpi* et *Milones* cognominati? *ibid.* *Celſi* Lanuuio oriundi. *ibid.* *Mutili* origine Samnites. 46. Celebriorum *Papiorum* ſyllabus. 46. *ſeq.*

Papius (*M. Mutilus*) Coſ. ſuffectus. 54. Eius Propraetura et adulatorium ingenium. *ibid.*

Pareia (*Ioannes de*) ad Legem Papiam Popp. ſcripſit. 12

Parentes cur ſaepe liberorum nuptias prohibuerint?. 264. liberos et dotare cogebantur. *ibid. ſequ.* iis ad tertium uſque gradum bona damnatorum liberorum deferebantur. 302. itemque caduca, *ibid.*

Partus tempus legitimum. 168. trium, quatuor, quinque infantum poſt quadrageſimum diem. 179. decimeſtris a morte mariti legitimus. 227. an et undecimeſtris. 227. *ſeq.* duodecim et tredecim menſium. 228

Pater ſolitarius quis? 231. is ſolidum capiebat. *ibid.* eius nomine quando et auus intelligatur? 97

Patria poteſtas cur tanta ciuibus Romanis conceſſa? 21

Patrona liberorum iure idem ius in bonis liberti habebat ac patronus. 282. olim ſibi fideiuſſores dari curabat a liberto, quod certa bonorum pars ad ſe peruentura ſit. 283. trium liberorum iure ſubnixa ius ſuccedendi in bonis liberti ad liberos ſuos tranſmittebat; *ibid.* eius nuptias adfectare liberto nefas. 103

Patronus liberto veluti agnatus. 192. liberta ſine eius auctoritate teſtari non poterat. *ibid.* Liberta ei quid teneretur relinquere. 193. eius cum liberta connubium an parum honeſtum? 103. quo ſenſu ei honeſtius fuerit, libertam concubinam quam matremfamilias habere? 199. ſine eius conſenſu liberta nubere non poterat. 274. erat ordinarius libertae tutor. 192. 274. ſi impubes eſſet, conſentire non poterat ſine tutoris ſui auctoritate. 274. eius ius in bonis liberti centenario minoris. 278. et centenarii. *ibid. ſequ.* excluſus a liberti hereditate an tutelam ſuſcipere teneretur liberorum eius? ius in bonis libertae. 281. ab eo furioſo an liberta vxor diſcedere potuerit? 200

Patroni filias non admittebat praetor ad libertorum ſucceſſionem. 280. ſuccedebant tamen ex Lege Papia Poppaea ſi trium liberorum matres eſſent. *ibid.*

Paullus (*Iulius*) ICtus, quot libros ad L. Papiam Poppaeam ſcripſerit? 12. 54. Eius liber ſingularis de iure patronatus, quod ex L. Iulia et Papia venit, in libros vltimos Commentariorum illorum migrauit. *ib.* 273

Pellices conceſſae Perſis. 16. Lex Numae de illis. 22. an et quomodo a concubinis differant. 132

Πεντετηρικὸς ludus. 98

Pereger pro peregrinus. 319. quis pereger factus dicatur? *ib.*

Peregrina inſtituta Romanis ſordebant. 99

Peregrinationis ſtudioſiſſimi Romani. 250. ea impedimentum nuptiarum. *ib.* quaenam a faciendis nuptiis excuſarit? 144

Peregrini vrbe eiecti variis legibus. 9. an id iure fieri potuerit? 10

Perfectiſſimi viri qui? 112. etiam Duumviri quarumdam ciuitatum. *ibid. ſequ.*

Permittere pro remittere. 242

Perperna (*M.*) Conſulis pater a Sabellis ex lege Papia vindicatus. 6. quando id factum? 8

Perſae πολυπαιδίας praemia elargiebantur. 16. pellices alebant. *ibid.*

Philoſophi pleriſque a nuptiis abhorrebant. 30

Phoeniciarcha quis? 114

Plancius Varius quando Conſul fuerit? 154

Plebeiae olim non nubebant Senatoribus ante legem Canuleiam. 94

Plutarcho familiaris admodum eſt πρόληψις. 21

Paenae praemiis efficaciores. 118. iniuſtarum nuptiarum quae? 128. ἀγαμίου, ὀψιγαμίου, κακογαμίου apud Lacedaemonios. 18. *ſequ.* caelibatus et orbitatis ex L. Papia Poppaea. 267. a Conſtantino M. ſublatae. 272

Πολυανδρία veteribus omnibus exoſa. 235

Πολυγυνία aliquando ab Athenienſibus per-

permiſſa. 17. ſemper a Perſis. 16
Πολυπαιδίας ſtudioſi Hebraei. 19. *ſq.* Perſae. 16. Graeci. 17. Germani. 19. eam legibus promotum ibat Romulus. 21. Numa. 21. an et Tullus Hoſtilius? 22. Leges ea de re libera rep. latae. 23. ob eam plebeii tributis liberati. *ibid.* praemia πολυπαιδίας a Cenſoribus conſtituta. *ibid. ſq.* a Iulio Caeſare. 25. ob eam ancillis libertas data. 25. pars bonorum liberis damnatorum conceſſa. *ib.* eius ratio habita in congiariis. 26. ob eam inceſta matrimonia confirmata. *ibid.* ob eamdem vacatio data eſſedariis. 27. et decurionibus προεδρία conceſſa. *ib.* Cur tot praemiis ornata fuerit a Romanis? *ib. ſq.*
Pomoeria vrbis ſaepe promota. 165
Pompeii et Poppaei ſaepe confuſi ab auctoribus. 49
Pontifex M. virgines Veſtales eiectis regibus capiebat. 2. vide etiam *Sacerdos.*
Poppaea gens origine Sabina. 47. libera rep. obſcura. *ib.*
Poppaea Sabina Neronis ſocrus. 47. eiuſdem vxor. *ib.*
Poppaeorum ſtemma. 48. celebriorum ſyllabus. *ib. ſq.* ii ſaepe cum Pompeiis confuſi. 49
Poppaevs (*Q. Secundus* vel *Secundinus*. 44. Duumuir Col. Vilillae Celſae. 44. Conſul ſuffectus. 42
Poppaevs (*Q. Sabinus*) aedilis. 47. Coſ. ordinarius. *ib.* triumphalibus ornamentis donatus. *ibid.* Moeſiae, Achaiae et Macedoniae per XXIIII. annos Praeſes. *ibid.* an Secundi patruelis? *ibid.*
Populus Rom. an ſub Auguſto ius liberorum dederit? 229. an lege ſoluerit? *vid.* ſupra *Lex*.
Postvmii (*M. Albini*) et M. Fvrii Camilli ſeuera aduerſus caelibes cenſura. 23
Poſtumus an Senatoris filius? 115
Potiorem nominare et *excuſare* quomodo differant? 165
Praedium Italicum. 260
Praemia πολυπαιδίας. *vid.* πολυπαιδία.
Praefecti et *perfecti* ſaepe in codicibus confuſi. 112
Praefecti Praetorio viri clariſſimi, poſtea illuſtres. 112. 113. amici Principis. 112. Senatores. *ib.*
Praefecti Vrbi clariſſimi, poſtea illuſtres et Senatores. *ib. ſq.*
Praefecti aerarii milit. et Saturni. 285
Praeſidatus gentium quid? 114
Praetores aerario praefecti. 285
Primordia quae dicta? 211
Princeps legibus caducariis ſolutus. 311. et aliis legibus. *ib.*
Priuigna an potuerit in vitrici concubinatu eſſe? 88
Priuignus et *priuigna* quinam dicantur? 248
Priuilegium Glaucippo datum lege Papia de peregrinis. 9
Proconſul non niſi vrbe egreſſus cum imperio erat. 166
Procuratores Caducorum, hereditatum principis, legatorum, peculiorum xx. *hereditatium.* 285
Prodi dicebantur quidam ſacerdotes. 2
Profeſſio cenſualis. 169. *natalium* quomodo facta, et quam antiqua? *ib.* 211. an a Marco Antonino inuenta? 270. an ei abſolute fides habita? 171
Promagiſtri xx. *hereditatium.* 285
Promiſſio dotis quomodo facta? 240
Propertivs cur a nuptiis abhorruerit? 37
Prouinciae. Ad illas ſaepe prolata iura in vrbe obſeruanda. 267
Puberes omnes lex coegit vxores ducere et nubere. 125
Pubertas an in feminis ſpectata? 145. eius annos Auguſtus definiuit. *ib. ſequ.* an et quatenus hodie in nuptiis requiratur? 149
Pythagoras an caelibatum damnarit? 19

Q.

Quadruplatores quinam? 349
Quaeſtum corpore facere quae dicantur? 104. *ſq.* Eae nubere non poterant ingenuis. *ibid.*
Quandoque pro *quandocumque.* 209
Quandoque liberos habebit, cur ſub ea conditione legatum? 212. 214
Quantum aequius melius, formula in actione rei vxoriae ſolemnis. 258
Quantum per leges capere poteris, cur ea conditione hereditas vel legata relicta? 272
Quaſi. Quando ea particula vſi Stoici et ICti? 91
Quaſi Senatoris filius vel *nepos* quis? *ib.*
Quinavicennaria lex dicta Laetoria et cur? 184
Quinquagenaria an parere poſſit? 126
Quinquennis filius libertum ab operis liberabant. 185. ob eundem libertini olim in tribus ruſticas deſcripti. *ib.*
Qui-

Digitized by Google

Quiritium iura quae? 221. an eadem ac ius Latii? *ib.*

R.

REges Rom. virgines Veſtales cepere. 2
Regiones ſuburbicariae quae? 166
Regula Catoniana a quo compoſita? 299. ad leges nouas non pertinet. *ib.* 321
Repetitio vſufructus quid ſit et quomodo ſaluo iure fieri poſſit? 314
Repudiatae non illico nubere poterant. 148
Res iudicata an ſemper pro veritate habeatur? 96
Reſcindi ſaepe dicuntur, quae ipſo iure nulla. 279
Reſtitutio in integrum intra quod tempus data minoribus, Romae, in Italia et in prouinciis. 167
Retrahi ſaepe dicuntur, quae ipſo iure nulla. 279
Revocari aliquando dicuntur, quae ipſo iure nulla. *ib.*
Rogantes legem, eam non ſemper probabant. 43
Romae aedificatum quid notet? 260
Roma quouſque ſe extenderit? 166. latius patebat quam vrbs. *ibid.*
Romanae reip. finis potentia bellica. 28
Romani maxime a nuptiis abhorrebant. 28
ROMVLVS πολυπαιδίαν multis legibus promotum iuit. 20. *ſequ.*
ROSCIVS (Q.) hiſtrio. De eo Ciceronis iudicium. 99

S.

SAbina Poppaea Neroni nupta Ollia dici debebat. 48
Sacerdotia quando cum plebe communicata? 3. 6
Sacerdotes prouinciales. 113. a quibus electi? 113. eorum munus, tituli, dignitas. 114
Sacra certamina quae? 98
Saltator praefectus vrbi ab Elagabalo factus. 110
Sanguinolenti liberi quinam? 212
Satura Lex quid? 52
Scena quid? 97. in eam mercede conducti prodeuntes infames. *ib.*
Scenicae mulieres lenis aſſimilatae, cum quibus ſtuprum non committi videbatur. 99
Scientia qualis exigatur, quando leges babent: SCIENS DOLO MALO? 150
SCIPIONI (P.) Africano cur negata fuerit aedilitas? 162
Secundae nuptiae gentilibus etiam inuiſae. 234. nec non Chriſtianis. 239
Secures coſſ. non in vrbe, ſed extra vrbem praeferebantur poſt tempora Valerii Poplicolae. 156
Senatores primo natales, deinde virtus, poſtremo cenſus faciebant. 85. Eorum inſigne latus clauus. 86. eorum priuilegia. *ib.* a quibus in ſenatum lecti. 89. quas uxores ducere non potuerint? 94. *iuuenes* et *honoribus perfuncti*. 90. eorum onera, *ibid.* plebeias olim non ducebant ante legem Canuleiam. 94. *ſeq.* ſub malis principibus perſonae viliſſimae. 110. iis cur nuptias cum ſcenicis indulſerat Iuſtinianus? 117. *ſeq.*
Senatorius ordo primus in ciuitate. 85. cenſus quantus fuerit? *ib.*
Senatorum filiae et neptes quae clariſſimae? 100. an iis haec dignitas ſemper ſalua fuerit? 111. nubere non poterant libertinis. 101
Senatorum filii clariſſimi. 94. lato clauo ab Auguſto donati. *ib.* antea equeſtris ordinis erant. 94. quinam fuerint? *ibid.* huius renouatio. 111
Senatorum nepotes ex filiis clariſſimi, non nepotes ex filiabus. 193
Senatorum matres et ſorores an clariſſimae? 193
Senatus auctoritas ſub Imperatoribus. 81. eius membrum ipſe Imperator. 86. eo qui mouebantur, vix integrae erant exiſtimationis. 89
Senatuſconſulta cum legibus, ad quas facta, non confundenda. 40. quod tamen a viris doctiſſimis factum. 124
Senatuſconſulta varia.
Caluiſianum, vulgo Caſuitianum, 130. *ſq.* an idem ac Claudianum? *ibid.* quinquagenarias feminas iunioribus nubere prohibuit. *ibid.*
Claudianum de ſexagenariorum nuptiis. *ibid.*
Incerti nominis de Latina ter enixa. 174. 179. De vidua iterum nupta. 239. *ſq.* de ſociis Lat. nominis. 7. contra fictas adoptiones. 163. de Lege Iulia de maritandis ordinibus ferenda. 33. de matrimoniorum lege Papia Poppaea prohibitorum nullitate. 109. *ſequ.* de tutore mulieri in locum furioſi muti-ue dando. 205. item in locum abſentis. *ib.* item ad dotem dandam, di-

dicendam promittendamue, etiam in provinciis. *ibid.*
Largianum an Latinis ob liberos iura Quiritium dederit? 187
Libonianum de falſis. 306
Perſicianum, vulgo Pernicianum. 127. 131. an nuptias ſenum reſciderit? 128
Plancianum. 154
Tertullianum an iura Quiritium Latinae ter enixae dederit? 170
Trebellianicum an et de quaſi caducis tollendis egerit. 315
Senibus nuptias conceſſit Iuſtinianus. 130
SENTIVS (C.) SATVRNINVS, Magiſter xv. viror. ſacr. faciund. in ludis ſaecularibus ſub Auguſto. 36
Servi exercebant opificia. 183
Seruitus poenae ſoluit matrimonium. 147
Seruitutis legatae dies quando cedat? 318
Sexagenarii an generare poſſint? 126. iis an nuptiis interdixerit lex Papia Poppaea? *ib. ſeq.*
Socer et gener inter ſe teſtimonium non dicebant. Id ex qua lege? 200. et *ſoceri* quinam dicantur? 248. non erat, ſi iniuſtae contraherentur nuptiae. 151
Socii Latini nominis. *vid.* Latini.
SOCRATES binas uxores eodem tempore habuit. 17
Sodalitiaria pro concubina. 133
Solidum quinam coniuges inter ſe ceperint? 219. quinam ex aliorum teſtamentis? 228. *ſeq.* non capiebant caelibes et orbi. 268
Sorores duas in matrimonio habuit Honorius. 249
Sortitio in deligendis Virginibus Veſtalibus. 5. in eligendis prouincialibus magiſtratibus quando omiſſa? 161
SP. F. in marmore an idem ſit ac Spurius filius? 135
Spadones qui? 126. iis gratia legis Papiae facta. *ib.* an iis nuptiis interdictum? 128. ſaepe matrimonium inibant. *ib.* 131. quis hoc primum inhibuerit? *ibid.*
Spoliarii ludi. 182
Spoliarium, locus, ubi beſtiarii ſaginati. *ibid.*
Sponſae intra biennium domum ducendae 143. cur ita Lege Iul. et Papia cautum? 142. cauſſae iuſtae eas intra biennium domum non ducendi. 144. eſſe poterant ſponſae quae uxores eſſe poterant. 94. aliquando erant infantes. 142
Spurii qui? 135. 136
Statuae in publico poſitae a creditoribus cum reliquis non vendebantur. 323
Sterilitas apud Hebraeos aliaſque gentes ignominioſa. 16. *ſq.*
Stoici frequenter vſi particula *ὡσανεί*. 91
Stuprum cum qua committatur. 137
Subornatores quinam. 350
Subſtituendi formula: *ſi is heres non erit, quiſquis mihi heres erit, in parte deficientis etiam heres eſto*, cur inuenta? 227
Subſtitutionibus eluſae leges caducariae. 226
Suburbicariae regiones quae? 166
Succeſſio libertorum ex Lege XII. tab. 349. ex edicto Praetoris. *ib.* ex Lege Iul. et Papia. *ibid.*
Σύμβιος pro concubina. 133
Syri vxores ſibi coemebant. 202
Syriarcha quis? 114

T.

TAberna et *tabernariae*. 115. cur Catullo *Salax*? 115
Tabularia per prouincias quis conſtituerit? 170
Tabulas aperiendi ritus ſollemnis. 296. ex lege viceſimaria. *ib.* viuentis aperire nefas. *ibid.*
Ταμεῖον aerarium et fiſcus. 285
Τεκνότοκοι qui? 113
Ter enixa quae dicatur? 178
TERENTIVS (*Clemens*) vid. CLEMENS.
Teſſera frumentaria quid? 319
Teſtamento maritus poterat uxori tutorem dare. 188
Teſtamenta feminarum an ſemper nuncupatiua. 191. cur periculoſa olim viſa? *ibid.* libertae an et quomodo fecerint? 193. *ſequ.*
Teſtes ſeptem adhibiti in diuortiis. 256
Thebis orbitas ignominioſa. 19
Thymelici qui? 98
Titulus libris a primis capitibus datus. 84
Togae ius amittebant exules. 206
TORRENTII (*Laeu.*) exceſſus de Lege Papia. 12
Translatio legatorum quot modis facta? 308. *ſeq.*
Tribonianiſmi quidam. 204. 315
Tribunorum plebis poteſtas ſub Imperatoribus. 204. militum Conſulari poteſtate numerus et inſignia. 157. *ſequ.*
Tribus ruſticae honoratiores. 24. 185.

in

in eas deſcripti liberti, quibus filius quinquennis erat. *ib.*
Tribus ruſticae honoratiores. 24. 185. in eas deſcripti liberti, quibus filius quinquennis erat. *ib.*
Trimi ad dimidium ſtaturae modum perueniſſe credebantur. 225
Triumphaturis cur extra urbem ſenatus datus? 166
TVLLI HOSTILII lex de tergeminis an ad ius trium liberorum pertineat. 22
Tutela liberatae ingenuae iure trium liberorum. 186. 119. libertinae quater enixae. 187. 192. ſub ea omnes erant feminae. 188. feminarum quotuplex? 189. *ſeq. ceſſitia* quae? 237. quomodo finita? 238. quando ſublata? 193. libertae ad patronum eiuſque liberos pertinebat. 192
De Tutelis quam legem tulerit M. Antoninus Imp. 352
Tutor cur dari non poſſit perſona incerta? 188. dotis cauſſa mulieri nupturae dabatur. 202. ſine eius auctoritate dos conſtitui non poterat. 204. hic tutor a ſolo Praetore non adhibitis Tribunis datus. 205. *Praetorius. ib.*

V.

V*Acatio legis* quotuplici ſenſu dicatur? 141. 147. quanti temporis feminis data poſt diuortium. 141. 147. 251. cur non et viris data? *ib.* abſentibus reip. cauſſa data. 223
Vacantia bona quae? 328. Ea aerario et poſtea fiſco cedebant. 299. aliquando caduca dicuntur. 328. quaenam hodie? 331
Valetudo ſponſi ſponſaeque iuſta cauſſa habendi ſponſalia. 144
Venatores qui? 182
Venatoria familia. *ib.*
Venatorius ludus. *ib.*
Venus tuta quae? 137. *ſq.*
Verborum obligatio an ſola ſtipulatione contracta. 204
VESPASIANVS lege ſoluendi ius accepit. 254
Veſtalium virginum electio. 2. perſona qualis eſſe deberet. 3. priuilegia et iura. 2. 3. 21. *ſq.* earum ſacerdotium moleſtum. 3. 4. earum honores. 21. an de iis egerit Lex Iulia & Papia? 148. *ſeq.*
Veſtis meretricia qualis? 105
Vibo Valentia colonia. 44
Viceſima hereditatum qua lege inuecta. 285
Viduae nuptae aliquando prioris mariti dignitatem beneficio principis retinebant. 100. cur iis plus laxamenti a morte mariti datum, quam repudiatis a diuortio? 147. iterum nuptae, non erant heredes liberorum ex priore matrimonio. 139
Viduitas maximi fiebat. 234
Vililla Celſa Colonia. 44
Virginitas perpetua magni fiebat. 234
Virgis caedi poterant Latini. 179
Virilis partis nomine quando tota hereditas veniat? 304
VITELLIVS an ſine liberis fuerit? 161
VLPIANVS quot liberos ad hanc legem ſcripſerit. 53
Vniuirae laudatae? etiam in epitaphiis. 235
Vrbare quid? 166
Vrbicariae prouinciae quae? 166
Vrbs quouſque porrecta? 165. centum ab ea lapides. 166
Vſucapere pro herede et legatario quis poſſit? 313
Vſusfructus quantus a coniuge capi poſſet. 212. eius repetitio. 315. legati dies cur ab adita hereditate cedat? 300
Vtero exſecti an profuerint parentibus? 179
Vxor gratuita cur concubina dicta? 133. pro hacne an pro concubina habeatur ingenua? 138. apud Rom. in poteſtate mariti. 21. 189. qualis eſſe deberet ex legibus Lycurgi? 142. ſaepe impubes. 146. non poterat a marito olim diuortere. 194. *ſeq.*
Vxores coemtae apud Hebraeos, Syros, Aſſyrios, Armenios, Germanos, Romanos. 254. Romanorum luxurioſae. 36. maritos in prouinciam antea non comitabantur? 202. quando id conari coeperint? *ib.* earum ſorores duci poterant. 247. an et fratris uxor adhuc virgo? 248

X.

X*Yſtici* quinam? 98

F I N I S.

Digitized by Google

JOH. GOTTL.

HEINECCII,

JURISCONSULTI CELEBERRIMI. *Potent.* PRUSSOR. REGI *quondam a Conſiliis Sanctior. & Jur. ac Philoſoph. in Ill. Academ.* HALENSI, *Prof. Publ. Ordin.*

ELEMENTA JURIS NATURAE ET GENTIUM,

Commoda Auditoribus methodo adornata.

EDITIO TERTIA ACCURATISSIMA.

NEAPOLI MDCCLXXV.

SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI

S. P. D.

JO. GOTL. HEINECCIUS.

QUi adhuc in juriſprudentia civili, cum Romana, tum patria, illuſtranda non perſunctoriam operam collocaſſe mihi videor: jam perſuaderi mihi paſſus ſum, CANDIDE LECTOR, ut etiam JUS NATURAE ET GENTIUM brevi libello complecterer, & enchiridion illud in uſum eorum, qui inſtitutione mea utuntur, typis exſcriptum, publicarem. Et rem ſui fortaſſis periculi fecerunt amici, qui me conſilio atque auctoritate ſua ad concinnandum hunc libellum impulerunt. Quod enim ad me attinet, ita jam pridem occallui, ut non magnopere reformidem aliorum de me judicia, ſed, ſincerae bene de communibus ſtudiis merendi voluntatis mihi ſatis conſcius, hac ipſa conſcientia me facile conſoler. Sive enim opuſcula mea in virorum bonorum, & rerum hujuſmodi intelligentium, manus incidant: non eſt profecto, quod verear, ne hoc conſilium meum damnent: ſive obtrectatores ea oculis luſtrare non dubitent: eorum judicia ego non majoris facio, quam hominum, a lacu & furno redeuntium, quibus non poſſunt non omnia, quae ſuis ipſi impuris manibus contrectant, ſordere. Quare, miſſis his, ad id venio, quod magis ad rem pertinere arbitror, id eſt, ad conſilium meum, inſtitutique rationem, quibus perſpectis, quid ego præſtiterim, quemque fructum tu ex hoc libello capere poſſis, ſatis intelliges. Nulla eſt philoſophiae practicae diſciplina, quae vel rerum argumentorumque pondere, vel utilitatis ubertate, cum hac juriſprudentia naturali ulla ex parte ſit comparanda, quippe cujus tanta eſt dignitas, tantuſque in vita humana uſus, ut iis, qui, illa neglecta, ſolis rerum abſtractarum ac naturalium ſpeculationibus ingenii aciem intendunt, jure merito occlames illa Helenae apud Euripidem *in Hel. v. 928.*

Αἰσχρὸν, τὰ μέν σε θεῖα πάντ' ἐξειδέναι,
Τά σ' ὄντα, καὶ μὴ τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι.
Nam turpe id eſſet, quum ſcias hominum ac Deum
Quod eſt, eritque, juſta te haud cognoſcere.

Sane ii, qui ad juriſprudentiae civilis intelligentiam cogitationes ſuas

ac ſtudia conferunt, ii magnopere falluntur, ſi ſe operae pretium, ſine hac praeſtantiſſima ſcientia, ſperant facturos. Nam ſi is demum ad veram ac ſolidam doctrinam rerumque ſcientiam perveniſſe dicendus eſt, qui, quas perſpectas habet, veritates, ex fonte, non ex impurioribus lacunis, hauſit: juriſprudentiae profecto noſtrae non alius fons, aliaque ſcaturigo eſt, quam jus illud primaevum, quod non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi quis maximam juriſprudentiae Romanae partem jus naturale, factis hominum adplicatum, dixerit, is me non admodum habiturus ſit diſſentientem. Vidit id incomparabilis philoſophus, Epictetus, qui apud Arrianum *Diſſ. Epict. IV.*, 3. eos, qui ſapientiae ſtudent, ad ſempiternam illam legem divinam, tamquam ad limpidiſſimum fontem; non ad ſolos legum civilium rivulos, vocans: Οὗτοι, inquit, εἰσὶν οἱ ἐκεῖθεν ἀπεσταλμένοι νόμοι, ταῦτα διατάγματα. τούτων ἐξηγητὴν δεῖ γενέσθαι, τούτοις ὑποτεταγμένον, οὐ τοῖς Μασουρίου, καὶ Κασσίου. *Hae ſunt inde, (a Deo) ad nos miſſae leges, haec praecepta: horum interpretem fieri oportet, his obedientem: non Maſſurii, aut Caſſii legibus*. Et Tullius noſter de legibus *II*, 4. ubi ex inſtituto de legum juſtitiaeque origine diſſerit: *Hanc*, inquit, *video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed aeternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte eſt laudata, eſt enim ratio menſque ſapientis, ad jubendum & ad deterrendum idonea*. Addit, ſibi a parvis ediſcendum fuiſſe illud: SIN JUS VOCAT, id eſt, corpus illud XII. Tabularum: & haec, aliaque juſſa ac vetita populorum, vim aliquam habere ad recte facta vocandi, & a pravis avocandi: quæ vis non modo ſenior ſit, quam aetas populorum & civitatum, ſed & aequalis illius coelum atque terras tuentis & regentis Dei. Quod ubi praeclaris exemplis demonſtravit, inde porro colligit, eſſe aliquam rationem, profectam a rerum natura, & ad recte faciendum impellentem, & a delicto avocantem, quæ non tunc denique incipiat lex eſſe, quum ſcripta ſit, ſed tunc, quum orta ſit: ortam autem eſſe ſimul cum mente divina. Eam demum eſſe juſtorum injuſtorumque diſtinctionem: ad illam antiquiſſimam & principem naturam leges hominum dirigendas eſſe, quae ſupplicio improbos adficiant, defendant ac tueantur bonos. Haec illo loco Cicero, qui & alibi de officiis *III*, 17. hunc locum tractat, &, ubi diſcrimen juris gentium & civilis oſtendit, prioris principia paene ex hominum memoria evanuiſſe, ac proinde juriſpruden-

tiam

tiam Romanorum fere totam oblanguiſſe, graviter conqueritur. Ita enim intelligenda ſunt verba viri prudentiſſimi ſequentia: *Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile eſſe debet. Sed nos veri juris, germanaeque juſtitiae, ſolidam expreſſamque effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur. Eas ipſas utinam ſequeremur, feruntur enim ex optimis naturae & veritatis exemplis.* Quid vero aliud hic docet Cicero, quam quod nos non ſatis umquam doceri poſſe, itemtidem monemus, praeclaram eſſe Romanorum jurisprudentiam, & ex optimis naturae ipſiusque interioris philoſophiae praeceptis expreſſam, ſed inanem eam tamen umbram, ac vita veluti deſtitutam imaginem futuram, niſi accedant veri juris germanaeque juſtitiae principia, quae, quia ſola ab ipſo Deo immortali divinaque ratione proficiſcuntur, nullius hominis imperio ſuffragioque populi tolli atque abrogari poſſunt? Haec vero ſi conjungantur cum civili illa, quam jurisconſulti perpoliunt, ſapientia: tunc demum illud neſcio quid praeclarum & ſingulare ſolet exſiſtere. Accedit, quod, ſi vel maxime ita comparata eſſet jurisprudentia Romana, nullo ut alio praeſidio indigeret, totaque ex decemvirorum tabulis, aliiſque legibus civilibus, tamquam ex uberrimo fonte, promanaret: ea tamen nihil auctoritatis habitura ſit in definiendis integrarum gentium litibus & controverſiis, quippe quae inter ſe non alio jure, quam quod ipſa natura inter omnes homines peraeque conſtituit, reguntur, jure, inquam, illo univerſali, *quod in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, exterorum regum, in uno univerſo denique belli jure & pacis* verſatur, quodque *Cn. Pompeium &, quum requieſceret, litteras, &, quum rem gereret, rem ipſam docuiſſe*, gloriatur Cicero pro L. Cornelio Balbo *Cap. VI.* Quare in quantum integrae gentes & reſpublicae prae privatis quibusdam hominibus eminent: tanto jus naturae & gentium eſt jure civili, quod inter privatos tantum cives viget, excellentius, ut de eo vere dici poſſit, quod, comparatis inter ſe Graecorum Romanorumque linguis, dixit Tullius pro Archia poeta *Cap. X. jus illud naturale ac gentium apud omnes gentes vigere; civile ſuis finibus, exiguis ſane, contineri.* Qui jam vulgo gloſſatorum nomine veniunt, homines, diligentes illi quidem, nec juris civilis imperiti, at ſaeculi vitio barbari, non aliunde decidi oportere, exiſtimabant, illas regum gentiumque controverſias, quam ex diffuſa illa juris juſtinianei collectione, qua comprehenſas leges ſi quis recte imbibiſſet, eum, tamquam ex tripode, de belli paciſque juribus oracula illico fundere poſſe, jactabant. Et ſane id tam facile faciebant, quam pirum vulpes comeſt. Quoties enim quaeſtio incidebat de jure Imperatoris auguſtiſſimi in univerſam orbem, per quem olim Romani arma victricia circumtulerant: ſedes hujus doctrinae erat

in LEGE IX. DIG. LEGE RHOD. DE JACTU, in qua, tamquam gemma quaedam, fulgent verba illa Antonini Imperatoris: Ἐγὼ *μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. Ego quidem mundi dominus & lex autem maris*. Si de jure belli diſceptandum eſſet, feciales ſuos ablegabant ad titulos Digeſtorum de captivis & poſtliminio, & redemtis ab hoſtibus, de re militari, de caſtrenſi peculio, de veteranis, de teſtamento militis, de bonorum poſſeſſione ex teſtamento militis, & in primis ad titulos inſignes Codicis Juſtinianei, qui militare poſſunt, vel non poſſunt, & de ſervis, ad militiam vel dignitatem adſpirantibus, & ut nemo duplici militia, vel dignitate & militia ſimul utatur, negotiatores ne militent, de re militari, de caſtrenſi peculio militum & praefectianorum, de erogatione militaris annonae, de excoctione & translatione militarium annonarum, de militari veſte, de metatis & epidemiticis, de ſalgamo, ſimileſque alios quam plurimos, in quibus omnibus tantos jurium belli & pacis theſauros reconditos eſſe, adſeverabant, ut copia ipſa inopes reddituta ſit omnes, qui illis occupandis animum velint adpellere. Quid ſi de foederibus, pactionibus ac ſponſionibus liberarum gentium eſſet reſpondendum? Quid vero? Quaſi non in pandectis aeque, ac codice fulgerent verboſiſſimi tituli de pactis, de tranſactionibus, de verborum obligationibus, de duobus reis, de contrahendis ſtipulationibus; & ſimiles: quos quiſquis, multis vigiliis excuſſos, in ſuccum & ſanguinem converterit, eum nihil exiſtimabant ignorare, nimiſque ſtupidum eſſe querebantur illum, qui in iſta rerum praeſtantiſſimarum farragine vel deciſionem, vel argumentum legis, quod vocant, non illico reperiret. Sic & de legatorum juribus diſceptantes, nihil deſiderare poſſe contendebant, ſi in conſilium adhiberent titulos de legationibus. De jure vero leges ferendi, magiſtratus conſtituendi, poenas infligendi, exigendi tributa & vectigalia, & ſimilibus, omnia jam in titulis de legibus, ſenatus conſultis, longa conſuetudine, conſtitutionibus principum, de officio praefectorum praetorio, praefectorum urbi, & ſequentibus, de poenis, bonis damnatorum, interdictis & relegatis, denique de publicanis, vectigalibus, & commiſſis, & ſimilibus exhauſta, & ad liquidum perducta eſſe, credere auditores ſua fide jubebant. Quin ſi vel maxime ibi aliquid non ſatis explicatum alicui videatur: cum tamen ſitim non melius expleturum, putabant, quam ſi in ſubſidium adhibeat ſcripturam ſacram, jus canonicum, pontificum decretales; & maxime diffuſa illa philoſophorum ſcholaſticorum opera, in quibus omnibus & ille juris gentium vindex, Hugo Grotius, *prolegom.* §. *XLVIII. & ſequ.* inveniſſe ſibi viſus eſt quam plurima, quae ad jus illud naturae & gentium illuſtrandum non parum adferant utilitatis. At, ſi dicendum

a quod

quod res eſt, boni illi viri vix ſecum expendiſſe videntur, quam parum ponderis apud gentes, juris Romani ignatas, & a Chriſtiana pietate alienas, habitura ſint argumenta ex jure Juſtinianeo, ſacris pandectis, jure pontificio, Thomae, Alberti Magni, S. Bonaventurae, & aliorum operibus depromta. Apud Plautum *Moſtell. III.*, 1. *v.* 29. conſultus a domino, Theuropide, Tranio ſervus, quid nunc faciendum cenſeat, quando ea omnia facta neget vicinus, quae ipſe retuliſſet? lepide ac percallide reſpondet:

Egon' quid cenſeam?
Cape, obſecro hercle te, cum eo una judicem.
Sed eum, videto, ut capias, qui credat mihi:
Tam facile vinces: quam vulpes pirum comeſt.

Idem, vereor, ne poſtulent ii, qui ſe jura belli, pacis, foederum, omnesque, quae inter gentes intercedere poſſunt, controverſias, vel ex legibus Romanis, vel ex jure pontificio, vel ex ſacris veteris novique foederis libris, vel denique ex vaſtis philoſophorum ſcholaſticorum commentariis, ſe definire velle pollicentur. Judices enim poſtulant eos, qui his libris ſibique eorum auctoritate fretis, credant, polliceanturque victoriam tam facilem, quam ſi vulpes pirum comedat. Quid vero ſi gens quaedam cum Turcis, vel Sinenſibus, vel Japonibus de violatis foederum legibus expoſtulet? His ſciſicet facile perſuadebitur, juſta eſſe omnia, quae non dicam jureconſulti aut pontifices Romani, vel Thomas Aquinas, ſed ipſi prophetae ac Apoſtoli ſcripſerunt. At ego id eos, credo, non facilius conſequuturos, ac Turcas, ſi Mahumedem; aut Sinenſes, ſi Confucium ſuum nobiſcum judicem capere vellent. Ex eo vero profecto conſequitur, ut aut omnes gentium rerumque publicarum controverſiae inter τὰ ἄπορα referendae ſint, aut in promtu eſſe oporteat praecepta vel leges, quas ipſa recta ratio vel Deus potius, rationis auctor, inter omnes gentes, quantumvis linguis ac regionibus diſſitas, conſtituerit, quibuſque ſe populi omnes, qui non plane obbrutuerint, obligari fateantur. Quum vero haec ipſa non alia ſint, quam quae juris naturae ac gentium vocabulo deſignamus: quid quaeſo, utilius, quidque magis in omni vita frugiferum eſſe poteſt, quam praeclara iſta vereque divina praecepta ita percepta habere, ut iis non ad oſtentationem, ſed ad dijudicanda integrarum gentium civitatumque negotia, utaris? Quis praeclare de ſtudioſa juventute mereri neget eos, qui ſe illi duces ad tam incomparabilem ſcientiam profitentur? Denique quis non eos ipſam rectam rationem in exſilium agere velle dicat, qui operam omnem, in jure naturae ac gentium collocatam, non modo infructuoſam, ſed & noxiam, & cum maximo juvenum detrimento conjunctam eſſe, clamant? Sed haec quidem fortaſſis ad pudo-

rem

rem purgandum mihi ſufficerent, ſi vel ſolus, vel inter primos, in hac perpolienda diſciplina operam aliquam atque induſtriam collocaſſem. Jam vero quum jam pridem non modo aeterna illa Grotii & Puſendorffii opera in omnium manibus verſentur, ſed & hodie nemo fere ſit umbraticus doctor, quin aliquod meditationum ſuarum, ad hanc univerſalem juriſprudentiam pertinentium, ſpecimen, tamquam evulſum ſplendidiſſimo palatio lapidem, circumferat: actum egiſſe videbor pleriſque; & otium, quod melius tranſigi poterat, in adornando hoc libello male contriviſſe. Enimvero hos meminiſſe velim, ſuum cuique eſſe judicium, &, quod uni ſupervacuum videtur, id aliis non modo utile, ſed & neceſſarium, videri. Et ſane qui in academiis erudiendae juventuti operam navant; ii reipſa quotidie experiuntur, quanto cum taedio conjuncta ſit ſervitus, cui obnoxii ſunt omnes, qui aliorum libellos enarrare coguntur, ac proinde nihil illis accidit moleſtius, quam ſi alios duces ſequi, & confidere jubeantur alieno ingenio. Saepe enim talia ſunt auctoris cujuſdam, quem interpretandum ſuſcipiunt, principia, qualia ipſi probare non poſſunt. Saepe ille pleraque ſine ordine etiam confuſe pertractat, ut nihil ſit in libello, quod veluti certam ſedem ac fixum domicilium habeat; nihil, quod non aeque facile alieniſſimo, ac ſuo loco, pertractatum reperiatur. Aliquando contingit, ut auctor, quem quis ducem elegit, in rebus vel nugatoriis, vel ἀπροσδιονύσοις, admodum ſit verboſus, magnoque conatu maximas agat nugas; in aliis, perquam ſcitu neceſſariis, tam brevis, ut eas ſaltu magis tranſilire, quam attingere videatur. Atque inde duo conſequi neceſſe eſt, primum ut docentes multa, quae auctor ſcripſit, refellere, rebus nihili cum taedio immorari, plura ab eo omiſſa magno cum temporis diſpendio ſupplere teneantur: alterum, ut diſcentes, veluti per labyrinthum eo perducti, quo via recta multo facilius pervenire potuiſſent, res, tam variis interruptas diſputationibus, ſuopte ingenio connectere nequeant, atque ita praecipuo fructu, quem ex illis acroaſibus capere debuiſſent, priventur. Id vero vel ſolum ſatis idoneam rationem ſufficit doctori, ut in docendo ſuis, quam aliorum, libellis uti malit, adeoque & mihi prodeſſe debet, elementa haec juris & gentium ſcribere auſo, ne temere eum laborem ſuſcepiſſe, aut poſt tot Homeros Iliada exorſus eſſe videar. Sed habere mihi viſus ſum & alias cauſſas, quae me ad ſcribendum non modo invitarent, ſed & quodammodo impellerent. Quicumque adhuc in pulcherrima illa diſciplina verſati ſunt, illi doctrinas ſuas vel nulli certo ac indubio principio ſuperſtruxerunt, veritates varias, eaſque utiliſſimas, veluti uno falce, collegiſſe contenti, vel principia parum idonea admiſerunt, vel ea denique tam longe ex ſubtiliſſimis, quas metaphyſica ſuppeditat, notionibus petierunt, ut

 data

data veluti opera tenebris omnia involvere voluiſſe videantur. At ego, expenſis omnibus, quae huc facere videntur, hanc feci ſummam cogitationum mearum, nullius diſciplinae philoſophicae evidentiora oportere eſſe principia, quam juris naturae & gentium, quippe quod Deus immortalis non ſolis eruditis, iiſque, qui acutius reliquis vident, ſed omnibus omnino hominibus, non modo perſpectum, verum etiam eorum mentibus inſcriptum eſſe voluit. Nullum vero reperiri principium evidentius, exiſtimo, quam quod vir illuſtriſſimus, SAMUEL L. B. DE COCCEII, aulae Regiae Pruſſicae Papinianus, tum adhuc admodum juvenis, pereruditis diſſertationibus demonſtravit, puta VOLUNTATEM DEI. Quamvis enim plerique hodie veterem illam ſcholaſticorum doctrinam de naturali actionum bonitate & juſtitia, a Puſendorffio tanto molimine profligatam, in lucem revocare malint: ego tamen perſpexiſſe mihi videor, eſſe quidem actiones in ſe & ſua natura bonas: at juſtas illas dici non poſſe ſine jure, nec jus intelligi ſine lege, nec legem ſine legislatoris voluntate concipi poſſe: adeoque bonitatem actionum naturalem poſſe illam quidem hominem, qui rectae rationi, quam cupiditatibus ſuis obtemperare malit, obligatione quadam interna ad bene agendum impellere, verum non tamquam legem, ſed tamquam conſilium aliquod, quod qui non ſequitur, imprudenter quidem, at non injuſte, egiſſe videri poteſt. Sed non minus porro perſpicue intelligere mihi viſus ſum, Deum voluiſſe, ut vero bono frueremur. Quod quum aliter conſequi, quam per AMOREM, nemo poſſit: ex eo ſolo, tamquam limpidiſſimo fonte, totum jus naturae & gentium prono alveo fluere, cenſeo, atque ita incido in harmoniam illam incomparabilem revelationis & rationis, quippe ab eodem benigniſſimo Numine profectarum. Nam & illa, amorem totius legis divinae, quae decalogo comprehenditur, ſummam, ἀνακεφαλαίωσιν, πλήρωμα, τέλος eſſe, diſerte docet. *Matth. XXII.*, 37. *Luc. X.*, 27. *Rom. XIII.*, 9. 1. *Tit. I.*, 5. Non equidem ignoro, quid obverti ſoleat huic ſententiae, puta, amorem eſſe virtutem, ad quam nemo cogi vel externa obligatione obſtringi poſſit: ac proinde ex eo fonte officia quidem humanitatis, quae & inperfecta vocant, non autem perfecta, promanare. Sed praeterquam, quod decalogi leges, quae procul dubio perfecta non minus, quam imperfecta, officia inculcant, ad AMOREM, tamquam ad principium ſuum, ab ipſo Servatore revocantur: luculenter videmur oſtendiſſe, verum amorem non modo cum propenſione alteri benefaciendi, ſed & cum propoſito, eum, quem amamus, non laedendi, eique omnia, quae jure etiam perfecto debemus, tribuendi, conjunctum eſſe, & priorem AMOREM BENEFICENTIAE, poſteriorem JUSTITIAE, commode poſſe adpellari, utrumque vero eſſe intelligendum, quoties ex

amo-

Digitized by Google

amore univerſum jus naturae & gentium derivatur. Ceterum ex AMORE fluere officia omnia erga Deum, nos ipſos, alioſque homines, eaque tum abſoluta, tum hypothetica, re ipſa nos oſtendiſſe, arbitramur. Nec aliam juris gentium originem eſſe, patet. Sive enim in ſtatu naturali, ſive in ſocietate, vivant homines, ad tuendam vitam, ſanitatem, ſubſtantiam, rem denique publicam, amore impelluntur, nec gens a gente quidquam exigere ex ulla ratione poteſt, niſi ex regulis amoris notiſſimis: Quod tibi vis fieri, id & aliis facito: itemque, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Immo ad ipſas ineundas ſocietates nihil aliud impulit homines, quam amor tum ſui, tum aliorum, quorum communi ſaluti talibus pactis conſulere voluerunt. Habes, CANDIDE LECTOR, meditationum mearum ſummam, quibus me, ob illam rationis & fidei concordiam, magnopere delectari, non diffiteor, ſed ita, ut eas obtrudam nemini, neque ideo aliorum doctrinis quidquam detractum velim. Ipſe etiam hic libellus, uti ſpero, oſtendet, me nuſquam id egiſſe, ut aliis inſultarem, ſed ut mea proponerem, eaque vel firmarem argumentis, vel contra ea, quae obverti illis poſſe viderentur, modeſte vindicarem. Nullum ſcriptorem, cujus memini, paullo acerbius reprehendi, quamvis aliquando non defuiſſet occaſio: quin eorum nomina plerumque diſſimulare, quam aliquid, quod, non dicam immodeſtius, ſed duriuſcule ſcriptum videri poſſet, ſcribere malui. Methodo uſus ſum, Muſis meis familiari, non mathematica quidem illa, vel geometrica, ſed naturali & perſpicua, quam auditoribus commodiſſimam eſſe, re ipſa per tot annos expertus ſum. Operam dedi, ut omnia praecepta ex claris definitionibus, deductiſque inde axiomatibus derivarem, eaque ſtilo, non ornato illo quidem, aut multis eloquentiae luminibus diſtincto, quem hujuſmodi libelli non deſiderant, ſed puro tamen, quantum fieri potuit, & perſpicuo proponerem. Pleriſque paragraphis ſcholia ſubjunxi, in quibus modo doctrinas, in iis propoſitas, aliis argumentis firmavi, modo objectiones quaſdam ſolvi, modo conſenſum veterum ac recentiorum, ipſarumque ſacrarum litterarum, oſtendi, non quod turpi μεταβάτει εἰς ἄλλο γένος, juris naturae & gentium praecepta ex aliis, quam ſuis ac domeſticis principiis, derivare voluerim, ſed quod ea & oblectare lectorem, & convincere poſſint, talia eſſe hujus diſciplinae praecepta, ut ea & veteres ſolo rationis ductu perſpexerint, & ipſi ſacri ſcriptores, divino adflatu, humano generi inculcarint. Indicis conficiendi laborem filius in ſe ſuſcepit, quem non male hoc officio functum eſſe, ſperamus. Sed quum ſpe longius procedere orationem, animadvertam, hic eam abrumpo, meque benevolentiae bonorum omnium, & tuae maxime, CANDIDE LECTOR, vehementer etiam atque etiam commendo. Vale. Halae Magdeb. ipſis Idibus Octobr. MDCCXXXVII.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM.

L I B. I.

JUS NATURAE.

CAP. I. *De natura & conſtitutione juris naturae & gentium.* pag. 1
CAP. II. *De actionum humanarum natura atque indole.* 7
CAP. III. *De norma actionum humanarum, veroque juris naturalis principio.* 20
CAP. IV. *De adplicatione bujus normae ad actiones, & emergente inde harum differentia.* 31
CAP. V. *De officiis hominis erga Deum.* 40
CAP. VI. *De officiis hominis erga ſeipſum.* 47
CAP. VII. *De officiis erga alios abſolutis, & perfectis, ſpeciatim de nemine laedendo.* 59
CAP. VIII. *De officiis erga alios imperfectis.* 74
CAP. IX. *De officiis erga alios hypotheticis, & primo quidem, circa dominii adquiſitionem originariam.* 79
CAP. X. *De derivativis dominii adquiſitionibus, quae vivo priore domino fiunt.* 93
CAP. XI. *De derivativis adquiſitionibus per ſucceſſionem, ex diſpoſitione defuncti & ab inteſtato.* 100
CAP. XII. *De juribus & officiis, quae ex dominio oriuntur.* 108
CAP. XIII. *De rerum, in dominio conſtitutarum, commercio.* 115
CAP. XIV. *De pactis.* 138
CAP. XV. *Quibus modis obligationes ex contractibus ſolvuntur.* 145

LIB.

L I B. II.

JUS GENTIUM.

Cap. I. *De ſtatu hominis naturali & ſociali.* pag. 150
Cap. II. *De officiis, in ſocietate conjugali obſervandis.* 159
Cap. III. *De officiis, in ſocietate parentum & liberorum obſervandis.* 170
Cap. IV. *De officiis, in ſocietate herili obſervandis.* 180
Cap. V. *De ſocietate compoſita, quam familiam vocamus, officiiſque in illa obſervandis.* 185
Cap. VI. *De ſocietatis civilis origine, forma & adfectionibus.* 189
Cap. VII. *De ſumma poteſtate, eamque adquirendi modis.* 202
Cap. VIII. *De juribus majeſtatis immanentibus, quidque circa ea juſtum ſit.* 210
Cap. IX. *De juribus majeſtatis tranſeuntibus.* 228
Cap. X. *De officiis civium.* 243

Digitized by Google

JO. GOTTL. HEINECCII, J. C.

ELEMENTA
JURIS NATURAE & GENTIUM.

LIB. I.
JUS NATURAE.

CAPUT I.
DE NATURA ET CONSTITUTIONE JURIS NATURAE ET GENTIUM.

§. I.

Quemadmodum omne id homini BONUM eſſe dicimus, quod eum conſervat ac perficit; MALUM, quod eumdem deſtruit deterioremque reddit: (*Elem. phil. mor.* §. *CXLII.*) ita & ACTIO BONA erit, quaecumque ad conſervationem perfectionemque hominis prodeſt; MALA, quae deſtruit eumdem, ac imperfectiorem reddit. — Quid actio bona & mala?

§. II. CONSERVARE HOMINEM dicitur, quidquid ad ejus durationem & continuationem ſtatus praeſentis aliquid confert; PERFICERE, quod ea omnia, quae ad eſſentiam integritatemque ejus pertinent, quaeque omnino gradus admittunt, auget atque amplificat (*). Ex quo, quid nos DESTRUERE ac IMPERFECTIORES, vel DETERIORES reddere dicatur, facile intelligitur. — Quid conſervatio, perfectio, diſtructio & imperfectio?

(*) Eadem eſt *perfectionis* idea, quae Simplicio obverſata eſt, dum *ad Epict. Enchir. Cap.* XXXIV *p.* 176 ſcribit: μὴ τὰ πρῶτα μόνα, καὶ τὰ μέσα ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἔσχατα ἴδιόν ἐστι τῆς τελειότητος. *Non prima tantum et media habere, ſed extrema quoque, proprium eſt* PERFECTIONIS. Nec aliter Ariſtotel. *Metaph. IV.* 16. ubi licet varias vocabuli notiones evolvat, ad eamdem tamen ideam omnes reducit.

Homines aeque male, ac bene agere poſſunt.

§. III. Quum ergo ea ſit voluntatis humanae indoles, ut ſemper adpetat bonum, malumque averſetur: (*Elem. phil. moral.* §. *XXIX.*) fieri quidem 1. non poteſt, quin ſemper actiones, quae ad conſervationem & perfectionem noſtram pertinent, edere velimus, ab iiſque, quae nos deſtruunt, vel imperfectiores reddunt, abhorreamus: at 2. quia bonum & malum aeque adparens, ac verum, eſſe poteſt, & bonum adparens verum malum; malum adparens verum bonum eſt: (*Elem. phil. moral.* §.*CXLIII.*) ſaepiſſime ſane contingit, ut, quemadmodum Ixion nubem pro Junone, ita nos bonum adparens pro vero adplectamur, malumque adparens pro vero averſemur, ac proinde 3. aeque facile male, ac bene, agamus (*).

(*) Id denuo recte vidit Simplicius *ad Epictet. Enchir. Cap. XXXIV. p.* 184. ubi maximopere laudat voluntatis libertatem, eamque vocat τὴν αὐτεξούσιον αὐτοκελεύστως καὶ ἄνευ βίας ποτὲ μὲν τὸ ἀληθῶς ἀγαθὸν αἱρουμένην, ποτὲ δὲ τὸ φαινόμενον, *liberam animi naturam, quae ſuapte voluntate & abſque coactione alias verum bonum amplectitur, alias* IMAGINARIUM.

Itaque actionum ſuarum norma indigent.

§. IV. Facultas ex duobus poſſibilibus alterutrum eligendi, adeoque bene vel male agendi potentia, vocatur LIBERTAS: ac proinde negari non poteſt, 4 dari actiones hominis bonas malaſque liberas. Quumque omnia, quae aeque facile a tramite deflectere, ac viam rectam tenere poſſunt, norma, ad quam dirigantur, indigeant: conſequens eſt, 5. ut & actiones humanae liberae ad normam quamdam componendae ſint (*).

(*) Eodem modo ratiocinatur Epictetus apud Arrian. *Lib. II. Cap. XI.* Πάντα καλῶς ἔχει τὰ δοκοῦντα ἅπασι; καὶ πῶς δυνατὸν τὰ μαχόμενα καλῶς ἔχειν; οὐκ ἄρα ἀρκεῖ τὸ δοκεῖν ἑκάστῳ πρὸς τὸ εἶναι· οὐδὲ γὰρ ἐπὶ βαρῶν, ἢ μέτρων, ψιλῇ τῇ ἐμφάσει ἀρκούμεθα, ἀλλὰ κανόνα τινὰ ἐφ' ἑκάστου εὕρομεν. Ἐνταῦθ' οὖν οὐδεὶς κανὼν ἀνωτέρω τοῦ δοκεῖν; καὶ πῶς οἷόν τε ἀτέκμαρτα εἶναι καὶ ἀνεύρετα τὰ ἀναγκαιότατα ἐν ἀνθρώποις: *Omnia‑ne recta eſſe exiſtimas pro eo, cuique viſa fuerint? At qui fieri poteſt, ut pugnantia inter ſe ſint recta? Itaque ut aliquid recte ſe habeat, ſatis non eſt, ita alicui viſum eſſe, quum ne in gravibus quidem librandis menſurandiſque rebus nudis viſis ſimus contenti, ſed in omnibus* REGULAM *quamdam adhibeamus. An ergo in his, de quibus loquimur,* REGULA *nulla erit eminentior, quam quod nobis ita aliquid videatur? Sed qui fieri poteſt, ut* CERTA NORMA *nulla ſit vel perveſtigari non poſſit, qua in vita humana nihil eſt magis neceſſarium?*

Et hanc quidem rectam, certam & conſtantem eſſe oportet.

§. V. Per NORMAM hic intelligimus evidens boni malique criterium. Neque ergo 6. illa recte ſuo fungeretur officio, niſi RECTA, CERTA, & CONSTANS eſſet. Pone, *rectam* illam non eſſe: nec normatum recte ſe habebit. Pone, eamdem non eſſe *certam:* non boni malive erit criterium. Si denique Lesbiam eſſe, ſibique *non conſtare* hanc normam fingas: actio ad illam compoſita modo bona, modo mala eſt futura, ac proinde omnibus his caſibus nec normae nomine digna illa eſſe videbitur (*).

(*) Adeo verum eſt, quod cecinit Lucret. *de rer. nat. Lib. IV. v.* 515.

Si prava eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum:

Omnia

Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſum eſt.
Prava, cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta.
Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Nec non cum obligatione conjunctam.

§. VI. Praeterea 7. parum utilitatis homini attulerit haec norma actionum, niſi ita ſit comparata, ut motivo aliquo, quod vocant, impellatur voluntas ad illam adhibendam. Quia enim numquam agit homo, ut non aliquid, quo impellatur ad agendum, ſimul animo obverſetur: ſane nec normam adhibebit, vel ſaltim parum ſua intereſſe exiſtimabit, adhibeatne eam, nec ne, niſi motivo aliquo ad id impellatur. Quum vero motivorum nexum cum actione libera OBLIGATIONEM vocemus: conſequens eſt, 8. ut normam actionum humanarum, ſi officio ſuo fungi debeat, oporteat eſſe obligatoriam.

Quid & quotuplex ſit obligatio?

§. VII. Quandoquidem ergo obligatio eſt nexus motivorum cum actione libera: (§. VI.) illa motiva vel in ipſa actionum bonitate prauitateque: vel in entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, actiones aliquas ſub comminatione poenae prohibentis praecipientiſve, voluntate conſiſtunt. Priore ergo caſu OBLIGATIO INTERNA: poſteriore EXTERNA vocari ſolet. Vid THOMAS. *fund. jur. nat. & gent. Lib. I. Cap. IV. §. LXI. ſequ.* Illa ad actiones BONAS, haec ad JUSTAS homines impellit. Utriuſque vero correlatum quod vocant eſt JUS. Si enim alter eſt obligatus: alteri jus eſt, vel facultas aliquid ab altero exigendi.

Non ſufficere obligationem internam.

§. VIII. Jam facile intelliges, 9. non ſufficere homini normam, cum interna tantum obligatione conjunctam. Quum enim haec obligatio bonitatem cum actione connectat, (§. VII.) adeoque hominem ad agendum ideo moveat, quod actio bona ſit futura, at ita natura comparatum ſit, ut bonum adparens ſaepe pro vero amplectamur: (*) (§. III. 2.) fieri profecto non poſſet, quin norma, cum interna obligatione conjuncta, incerta futura ſit, adeoque indigna, quae normae nomine veniat (§. V.)

(*) Non equidem negamus, ſpeciem obligationis nobiliſſimam eſſe internam, quippe quam ſapientes & probi viri ſequuntur, ſecundum ſententiam notiſſimam: *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Quin veteres omnes vel eo maxime nomine laudarunt naſcentis mundi homines, quod ſuopte ingenio, ſuaque ſponte & ſine lege, quae juſta rectaque eſſent, fecerint. Seneca *Epiſt. XC. Primi mortalium, & ex iis geniti, naturam incorrupte ſequebantur, eamque babebant & ducem, & legem.* Add. Ovid. *Metamorph. Lib. I. v. 90.* Tacit. *Annal. III. 26 Salluſt. Catil. Cap. IX.* At ſufficere illam negamus, quia quaerimus jus naturale, improbis & bonis, ſtultis & ſapientibus commune, ut ſi quos ratio continere in officio non poſſit, obligatio ſaltim externa, vel, quod eodem recidit, periculi metus efficiat,

Ne vaga proſiliat fraenis natura remotis.
Horat. *Lib. II. Serm. ſat. VII. v. 74.*

Opus ergo eſt externa, vel perfecta vel imperfecta.

§. IX. Si vero norma, cum interna obligatione conjuncta, incerta eſſet futura, opus omnino eſt 10. tali, quae obligationem externam producat, atque in entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, voluntate conſiſtat. Quum vero ens illud nos vel ſine coactione ad virtutem vel honeſtatem obliget, vel actiones quaſdam, ſub comminatione poenae vel propoſito praemio, prohibeat praecipiatve, prior obligatio IMPERFECTA: poſterior PERFECTA adpellatur. Denique 11. voluntas entis ſuperioris, actiones quaſdam ſub comminatione poenae prohibentis praecipientiſve, dicitur LEX:

 ac

Digitized by Google

ac proinde 12. norma actionum humanarum liberarum, ad quas perfecte obligamur, conſiſtit in legibus, earumque complexio κατ' ἐξοχὴν JUS adpellatur (*).

(*) JUS enim, quatenus pro norma actionum humanarum accipitur, eſt *complexio omnium legum unius ejuſdemque generis*. (*Elem. Inſt.* §. *XXXIII.* Itaque *jus* ſine relatione ad legem vel obligationem externam concipi non poſſe, ipſa vocabuli origo ſatis oſtendit. Eſt enim illud non a δίω, uti ſibi perſuaſit Menag. *Amoen. Jur. Cap. XXXIX. p.* 205. nec *a Jove*, uti poſt Scip. Gentil. *Orig. p.* 270. exiſtimavit Grotius *prolegom. jur. belli & pac.* §. *XII.* ſed *a jubendo*. Jura enim veteres JUSA vel JUSSA vocabant. Feſtus: *Juſa, jura*. Add. Hieron. Magii *Var. Lect. IV.*, 1. Similiter & Germanicum RECHT involvere notionem legis, juris rectorii, principii, dirigentis actiones humanas; pluribus oſtendit Jo. Georg. Wachter. *Gloſſar. p.* 1251.

Ejus legis non alius auctor eſſe poteſt, quam Deus.

§. X. Jam quum SUPERIUS procul dubio dicendum ſit ens, a quo & exiſtentia noſtra, & eſſentia pendet, cujuſque agnoſcere tenemur IMPERIUM, quia & juſtam habet cauſſam exigendi a nobis obſequium, & facultate pollet malum nobis repraeſentandi, ſi fraena mordeamus, & voluntatem ſuam, quod huic imperio numquam renunciarit, nec renunciare umquam velit, argumentis luculentiſſimis oſtendit: (*) 13. iſtud ens ſuperius, cujus imperium agnoſcere tenemur, non aliud erit, quam DEUS O. M. adeoque 14. hic ſolus etiam auctor dicendus JURIS illius, quod univerſo generi humano pro norma eſſe oportere, diximus.

(*) Juſta obſequium exigendi cauſſa procul dubio eſt non modo ipſa entis alicujus *perfectio & bonitas*, ceu viſum eſt tum MOSI AMIRALDO *diſſert. de jure Dei in res creatas*, tum olim DEMOCRITO, cujus eſt dictum notiſſimum: φύσει τὸ ἄρχειν οἰκήιον τῷ κρείσσονι. *Natura evenit, ut, quod melius eſt, imperet*: Stob. *ſerm. XLVII. p.* 323. verum etiam *dependentia*. Quis enim negaverit, eum merito ab altero exigere obſequium, qui alteri exiſtentiae ac conſervationis cauſſa eſt? Jure ergo obſequium exigit DEUS O. M. ἐν ᾧ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν; *In quo vivimus movemur & ſumus*. *Act. XVII.*, 28. Porro & malum nobis fraena mordentibus repraeſentare poſſe Deum, ejus juſtitia & omnipotentia nos dubitare non patitur. (*Elem. phil. moral.* §. *CLXXXV. ſequ.*) Denique ſi renunciaſſet vel etiamnum renunciaret huic in homines aliaſque res creatas imperio: hoc indignum eſſet ejus ſapientia ac bonitate, ſiquidem ſatis novit, tamquam ens ſapientiſſimum, nos ſine ejus imperio ac ductu fore miſerrimos, ut ens vero optimum non poteſt ens a ſe conditum, quod ſe ipſum gubernare nequit, deſerere, ac ſummae miſeriae objicere. Quod vero ejus ſapientia bonitateque indignum eſt, id nec velle, nec poſſe intelligitur. Renunciare ergo imperio in homines & res creatas nec velle nec poſſe intelligitur. Idque obſervandum eſt contra illuſtrem Leibnitium, qui quam vir illuſtriſſimus, SAM. a COCCEIIS, ſingulari diſſertatione *de principio juris naturalis unico, vero & adequato*, Francof. MDCXCIX. edita, ſolide demonſtraſſet, non aliud fingi poſſe juris naturalis principium, quam voluntatem Dei, anno MDCC. in Ephemeridibus Hanoveranis, quae *monatliche auszuge* vocabantur, menſe Julio huic hypotheſi inter alia objecit *Obſ. VII. Si fingeretur, creaturam tantarum virium eſſe poſſe, ut a creatore ſemel producta, deinde non poſſet cogi: eam habendam fore pro manumiſſa, uti liberi poſſint eo pervenire potentiae, ut a parentibus, a quibus generati ſint, cogi non poſſint*. Id enim fingere eſſet inſanire, quum contradictionem involvat fictio rei creatae finitae tantarum virium, ut a creatore, ente infinito & omnipotente, cogi amplius non poſſit. Quales ſunt & reliquae illae fictiones, quibus veriſſimae doctrinae abſurditatem oſtendere ibi conatur vir doctiſſimus, veluti, *quod, ſi fingeretur, malum quemdam genium ſummam rerum poteſtatem habere, non ideo, quod irreſiſtibilis eſſet, deſiturus ille ſit malus eſſe, & injuſtus, & tyrannus*. Fingi enim non poteſt, malum aliquem genium rerum potiri, ſi Deum infinitae potentiae exiſtere credimus. Sin Deum exiſtere negamus, nec malum genium, nec res creatas exiſtere.

ſtere, ſalva recti ratione, concedemus. Magnum hoc profecto veritatis argumentum eſt, ſi convelli non poſſit propoſitio, niſi fictionibus, quae contradictionem manifeſtam involvunt.

Nec aliter ea lex univerſo generi humano innoteſcit, quam per rationem.

§. XI. Quum ergo ex his omnibus adpareat, non aliud nos quaerere JUS, quam quod Deus O. M. univerſo generi humano, tamquam normam actionum liberarum tradidit: (§. X. 13. 14.) conſequens eſt, 15. ut illud toti generi humano debeat innoteſcere. Quumque quidquid innoteſcit univerſo humano generi, vel per *revelationem* aliquam, quam totum genus humanum pro vera ac divina agnoſcit, vel per *rectam rationem* ei cognitum perſpectumque eſſe oporteat, talis vero revelatio, quam omnes homines pro vera ac divina agnoſcant, nec exſtiterit umquam, nec hodie exſtet: nemo non intelligit, 16. jus naturae eas complecti leges, quae per ſolam rectam rationem, univerſo generi humano communem, promulgatae ſint, ac proinde univerſo generi humano natura innoteſcant (*).

(*) Hinc Cicero *pro Milone Cap. IV.* id jus vocat *non ſcriptum, ſed natum, quod non didicimus, accepimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* Immo & Apoſtolus, dum *Rom.* II. 14. ait, gentes legem ſcriptam Dei non habentes, ipſas ſibi fuiſſe legem, atque oſtendiſſe, τὸ ἔργον τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, rationem redditurus, quomodo hoc jus illis innotuerit, ſtatim ſubjicit: συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν, κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων: *una teſtimonium reddente eorum conſcientia, & cogitationibus, ſeſe mutuo accuſantibus, aut etiam excuſantibus.* Quod ſane aliter fieri non poteſt, quam per ratiocinationem, adeoque per rectam rationem. Communis ſane omnibus haec doctrina eſt, qui jus naturae veluti ex compacto pro *dictamine rectae rationis* habuerunt, ſi ab illis ſolis diſceſſeris, qui juſtum aliquid eſſe natura plane negarunt, veluti Archelaus apud Laert. II, 16. Ariſtippus apud eumdem II, 93. Carneades apud Lactant. *Inſtit. divin. V.* 14. & 19. Pyrrho apud Sext. Empir. *Hypot. III*, 24. immo ipſe Ariſtoteles, quem ab hac ſententia non admodum alienum fuiſſe, probat Menag. *ad Laert. VII*, 128. *p.* 311.

Definitio juris naturae & jurisprudentiae naturalis vel divinae.

§. XII. Itaque JUS NATURAE eſt complexio legum, ab ipſo Deo immortali generi humano per rectam rationem promulgatarum. Si vero illud, tamquam ſcientiam conſiderare malis, JURISPRUDENTIA illa naturalis erit habitus practicus voluntatem ſupremi legiſlatoris ex recta ratione cognoſcendi, adplicandique quibuſvis ſpeciebus obvenientibus. Quae, quia in jure, a Deo immortali profecto, enarrando adplicandoque verſatur, recte etiam JURISPRUDENTIA DIVINA dici poteſt.

Diviſio in praeceptivum & permiſſivum.

§. XIII. Quia ergo etiam hoc jus eſt complexio legum (§. XII.) 17. omnia, quae in leges cadunt, etiam in jus naturae cadere animadvertimus, veluti *vetare*, *permittere*, *punire*: *l.* 7. *D. de legib.* Quin ex eodem colligimus, 18. illud recte dividi in PERMISSIVUM, quod homines univerſos ad alios in uſu juris libertatiſque ſuae non turbandos; & PRAECEPTIVUM, quod eoſdem ad actiones bonas edendas, malaſque omittendas obligat: itemque, 19. nullam circa *jus praeceptivum* libertatem relictam eſſe homini, quum *permiſſivo* unuſquiſque, cui quidquam permittitur, recte omnino renunciet (*).

(*) Itaque JUS PERMISSIVUM regulam conſtituit, JUS PRAECEPTIVUM exceptionem. Omnia enim libertati hominis permittit Deus, quae non praecepit vel prohibuit. Sic e. g. quum ſola arbore ſcientiae boni & mali hominibus

inter-

Digitized by Google

interdixiſſet Deus : recte omnino inferebant protoplaſti, licet ſibi fructibus reliquis omnibus veſci. *Gen. III*, 2. 3. Ceſſante enim legis obligatione, viget libertas. Nec tamen ideo negandum fuerit, obligationem conjunctam eſſe cum jure permiſſivo. Obligat enim univerſum genus humanum, ne quem uſu libertatis ſuae prohibeat. Sic e. g. quia Deus hominibus omnibus permiſit, ea, quae nullius ſunt, ſuis uſibus adplicare, & dominia rerum conſtituere: non poſſunt non injuſta ac illicita eſſe furta, rapinae, defraudationes, cetera.

An jus naturae futurum eſſet, ſi non eſſet Deus.

§. XIV. Et quandoquidem deinde jus naturae ab ipſo Deo immortali, tamquam ſupremo legislatore, proficiſcitur: (§. XII.) conſequens eſt, 20. ut, quamuis poſſit quis aliquando ſuopte ingenio & ſine lege *bene agere*, impellente illum obligatione interna, (§. VII.) idque 21. & homo, nullo religionis ſenſu imbutus, quandoque faciat, eo, quod actionem, praelucente ratione, bonam ſibique utilem fore, cognoverit: non tamen 22. ideo dicendum ſit, atheum poſſe *juſte agere*: (§. VII.) multoque minus, 23. etiamſi detur, quod ſine impietate dari nequeat, non eſſe Deum, nec res humanas curare, tamen aliquod jus naturae futurum eſſe (*). Vid. Grot. *proleg. jur. bell. & pac.* §. *XI.*

(*) Potius ergo juri naturae veluti nervos incidunt, qui illud ſine Deo concipiunt, & legem ſibi ſine legislatore fingunt. Omnes ſane, qui paullo religioſius philoſophati ſunt, agnoverunt, & jus omne a Deo proficiſci, &, ſi illum exſiſtere neges, nihil jam amplius juſtum injuſtumve fore. Ipſe Deus O. M. ad juſtitiam incitaturus Abraamum: Ego, inquit, ſum אלרוש *Deus ſibi ſufficiens vel omnipotens: ambula coram me: & eſto integer. Gen. XVII*, 1. Et Apoſtolus *Hebr. XI*, 6. eum, qui ad Deum acceder velit, credere debere, ait, *ὅτι ἐςὶ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται*: *eſſe Deum, & praemia largiri iis, qui ipſum requirunt.* Immo & Cicero *de nat. Deor. I*, 2. *Haud ſcio*, inquit, *an pietate adverſus Deos ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus*, JUSTITIA, *tollatur*.

Cur dicatur cordibus inſcriptum?

§. XV. Quumque hoc jus complectatur leges, per rectam rationem promulgatas, (§. XII.) recta vero ratio nobis ſit facultas ratiocinandi, ſeu veritates alias ex aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi: (*Hiſt. philoſ.* §. *II.*) facile patet, 24. cur hanc juris notitiam cordibus hominum eſſe inſcriptam, dicat Apoſtolus (*). *Rom. II*, 15. Tribuit enim hominibus facultatem vel potentiam de juſto injuſtoque ratiocinandi: quae, quum non ſemper ponat actum, 25. cur & infantibus a quibuſdam vindicetur connata quaedam juſti injuſtique notitia, non obſcurum eſt.

(*) Elevant hujus phraſeos emphaſin Grot. *ad Rom. II*, 15. & Joan. Clericus *Art. crit. Part. II. Sect. I. Cap. IV.* §. X. qui illam nihil aliud innuere contendunt, quam quod lex facile ſine magiſtro diſci & memoria teneri poſſit, atque ideo multa accumulant veterum loca, ubi *ἐγγράφω δέλτοις φρενῶν, γράφω φρενῶν ἔσω. γράφω ἐν τῇ ψυχῇ*, nihil aliud ſignificet, quam quod diximus. Sed his jam ſatisfecit Jo. Franc. Bud. *Inſt. Theol. mor. Part. II. Cap. II.* §. *V.* (*) ubi & Jo. Lockii ſententiam accuratius examinavit.

An ex ſacris litteris vel traditione derivandum?

§. XVI. Ex eodem conſequitur, 26. ut jus naturae derivandum non ſit ex ſacris litteris, nec 27. ex legibus divinis poſitiuis, veluti ex ſeptem praeceptis, quae Noacho data eſſe, jactant Hebraei: (*) quamvis, quum idem ſit revelationis, ac rectae rationis auctor, facile largiamur, 28. non modo multa, quae ratio dictitat, in ſacris litteris repeti, ſed & 29. miram eſſe utriuſque juris conſonantiam, nec 30. quidquam Deum in ſacris pandectis vel

Digitized by Google

vel praecipere vel prohibere, quod juri per rectam rationem promulgato adverſetur.

(*) Hebraei quomodo jus naturae & gentium ex ſeptem praeceptis, Noacho datis, derivent, ex inſtituto oſtendit Jo. Selden. *de jure nat. & gent. ſecundum diſciplin. Hebraeorum*. Quamvis vero illam Hebraeorum de praeceptis Noachidicis traditionem non omni fundamento deſtitui exiſtimet laudatus Buddeus *Introd ad hiſt. philoſ. Hebr. p. 14. & 15.* tamen nec probari hodie poteſt, illa vere data eſſe Noacho, & ſi quaedam eorum, quae praecepta illi inculcant vel prohibent, hodie nota ſunt Noachidarum poſteris: ea illis non ex traditione, ſed ex recta ratione innotuerunt, ac proinde non ſunt leges poſitivae, ſed per rectam rationem promulgatae.

Jus naturae immutabile.

§. XVII. Porro ex eodem axiomate intelligimus, 31. jus naturae non minus eſſe immutabile, quam ipſam rectam rationem, quae non poteſt non ſemper eadem ſuique ſimilis eſſe: adeoque 32. nec Deum, qui non poteſt, quod non vult, quidquam contra legem illam ſempiternam indulgere, multoque minus 33. ullum mortalium in illam quidquam ſibi imperii adrogare poſſe (*).

(*) Eleganter apud Lactant. *Inſtit. divin. VI, 8.* Cicero: *Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per populum, ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac; ſed & omnes gentes, & omni tempore, una lex continebit, unuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium, Deus, ille legis hujus inventor, diſceptator, lator.* Neque huic veritati refragatur Ulpianus *l. 6. pr. D. de juſt. & jure*, quam legem alibi ſatis expoſuiſſe nobis videmur.

Ejus differentia a jure civili.

§. XVIII. Nec difficile jam erit, concipere JURIS NATURALIS & CIVILIS differentiam. Nam 34. illud ex recta ratione; hoc ex lege, ſive viva voce, ſive per ſcripturam promulgata, innoteſcit. 35. Illud tam late patet, ac ipſa recta ratio; hoc cuique civitati proprium eſt. §. 1. & 2. *Inſt. de jure nat. gent. & civ.* 36. Illud ad actiones natura bonas malaſque, internas ac externas; hoc ad indifferentes & externas, quatenus ſaluti populi cujuſque vel reipublicae attemperandae ſunt, (*) pertinet.

(*) Cicero *de Invent. I, 38. Omnes leges ad commodum reipublicae referre oportet, & eas ex* UTILITATE COMMUNI, *non ex ſcriptione, quae in litteris eſt, interpretari. Ea enim virtute & ſapientia majores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi* SALUTEM *atque* UTILITATEM REIPUBLICAE *proponerent, neque enim ipſi, quod obeſſet, ſcribere volebant, & ſi ſcripſiſſent, quum eſſet intellectum, repudiatum iri legem, intelligebant. Nemo enim leges legum cauſſa ſalvas eſſe vult, ſed reipublicae.* Magnopere ergo falluntur, qui jus, quod naturale vocatur, ab utilitate profectum eſſe putant, veluti poſt Epicurum Horat. *Serm I. 3* cujus eſt πολυθρύλλητον illud:

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.

Sola eſt UTILITAS JUSTI *prope* MATER *& aequi.*

Verum eſt, nihil jure naturali praecipere Deum, tamquam ens ſapientiſſimum optimumque, niſi quod ſi utile: at non ideo aliquid praecipit, quod illud utile ſit, ſed quod voluntati ſuae conveniat. Non ergo juſtum aliquid eſt, quia utile: ſed utile, quia juſtum eſt. Nam ὠφέλιμος πρᾶξις κατὰ φύσιν, *emolumentum eſt omnis actio, naturae conſentanea*, ut eleganter obſervat Marcus Antoninus Imp. εἰς ἑαυτόν. *VII, 74.* Sed hunc errorem erudite profligarunt Grot. *proleg. jur. belli & pac. §. XVI.* Puſendorff. *de jure nat & gent. II, 3. 10. & 11.* & illuſtriſſimus Sam. de Coccei. *de princip. jur. nat. & gent. ſect. II. §. IX. ſequ.*

Ejuſdem ſumma in

§. XIX. Quamvis vero maxime inter ſe haec jura differant: nullum tamen dubium eſt, 37. quin jus naturae incredibilem utilitatem adferat iis, qui

jure civili utilitas.

qui juri civili excolendo animum adpellunt, quum 38. & pleraque illius praecepta ipſum jus ciuile adoptet, iiſque acriora poenarum vincula injiciat, *l.* 1. §. 1. *D. de juſt. & jur.* §. *ult. Inſt. eod.* & 39. nouas inde concluſiones eliciat, & 40. numquam a jure civili & ſtricto ſejungenda ſit naturalis aequitas, ne ſummum jus in ſummam evadat injuriam.

Bruta jure naturae non reguntur.

§. XX. Porro ex eo cognoſcendi principio manifeſtum eſt, 41. hoc jure non alias res creatas regi, quam homines, quos ſolos rectae rationis praerogativa donavit ſummum Numen, ac proinde 42. manifeſto falſam eſſe definitionem Ulpiani: JUS NATURALE *eſſe*, *quod natura omnia animantia docuerit. l.* 1. §. 3. *D. de juſt. & jure.* (*).

(*) Obſervavit hoc jam Heſiodus, cujus notiſſimus eſt locus *oper. & dier. v.* 271. *ſequ.*

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων.
Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεεινοῖς,
Ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ ὀ δίκη ἐςὶν ἐπ' αὐτοῖς.
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίςη.
Namque hanc hominibus legem poſuit Saturnius.
Piſcibus quidem, & feris, & avibus volucribus.
Se mutuo ut devorent, quandoquidem JUSTITIA CARENT.
Hominibus autem dedit juſtitiam, quae multo optima eſt.

Neque rem expedivit Jac. Cujac. *in Not. prior. ad Inſtit. p.* 8. *Tom. I.* dum ſcripſit, *quae bruta faciunt incitatione naturali, ea ſi homines ratione faciant, jure gentium eos facere.* Sic enim non ideo aliquid erit juris naturae vel gentium, quod idem faciunt bruta animantia, ſed quod homines id faciunt, praelucente recta ratione.

Quid jus gentium.

§. XXI. Quum praeterea jus naturae eas complectatur leges, quae univerſo generi humano per rectam rationem ſunt promulgatae, (§. XII.) homines autem, vel ſinguli ſeorſum, vel, prout in certas ſocietates coaluerunt, conſiderari poſſint: 43. jus, quo ſingulorum actiones reguntur, NATURALE; quod, quid in ſocietatibus, & inter eas, juſtum injuſtumve ſit, praecipit, JUS GENTIUM vocamus, adeoque 44. eadem juris utriuſque ſunt praecepta, eaedem leges, quin immo JUS GENTIUM eſt ipſum jus naturale, vitae hominis ſociali negotiiſque ſocietatum atque integrarum gentium adplicatum (*).

(*) Itaque latius patet JUS NATURALE, quam JUS GENTIUM. Nihil enim recta ratio inter omnes gentes conſtituit, quod non & ſinguli obſervare certa ratione teneatur. At ſunt quaedam juris naturae, quae non aeque commode adplicantur integris gentibus, e. g. jura matrimonii, patriae poteſtatis, cetera.

An a jure naturae diverſum ſit?

§. XXII. Ex quo colligimus, 45. jus naturae a jure gentium nec principio cognoſcendi, nec ipſis regulis, ſed ſolo objecto differre: adeoque 46. rationem eos fugere, qui neſcio quod jus gentium, a jure naturae diverſum, ſibi fingunt. 47. JUS GENTIUM POSITIVUM vel SECUNDARIUM, quod veteres commenti ſunt, proprie huc non pertinere, quum nec a Deo conſtitutum, nec per rectam rationem promulgatum, nec univerſo generi humano commune, nec denique immutabile ſit (*).

(*) Pleraque, quae ad jus gentium poſitivum referuntur, vel ex ipſo jure naturae, vel ex moribus, vel ex lege aliqua, pluribus gentibus communi, oriuntur. Ita jura legatorum pleraque ex jure naturae recte explicantur. Multa quoque inter ſe ſervabant Greci, quae barbari inſuper habebant, v. g. ut inducias darent victis ad cadavera tollenda. Poſtea mores Germanorum paene omnibus gentibus communes facti ſunt, uti recte obſervavit Grot. *de jure belli & pac. II.* 8. 1. 2. Denique & inter Chriſtianos mores quidam inoleverant, quorum apud poſteros

ſteros vix manſit veſtigium. Leibnit. *Praefat. Cod. jur. gent. dipl. pag.* VIII. cujus & haec eſt elegantiſſima obſervatio, quod multa, quae olim Pontifex Romanus veluti in communi gentium Chriſtianarum republica ſanxerit, pro jure Chriſtianarum gentium communi ſint habita. Quod elegante exemplo de uſu baliſtarum adverſos Chriſtianos ex *cap. un. X. de ſagittar.* illuſtrat Hert. *ad Puſendorff. de jure nat. & gent. Lib.* II. *Cap.* III. §. XXIII. *litt. c.*

Partitio operis.

§. XXIII. Itaque non inutile fuerit, jura haec, quum ad eamdem normam exigenda ſint, hoc libello conjungere, illa tamen, quum & objecto & adplicatione differant, ſimul in tractatione diſtinguere, & utrumque jus ſeorſum eo expendere ordine, ut *librum* opuſculi *priorem* JURI NATURAE, *poſteriorem* JURI GENTIUM deſtinemus.

CAPVT II.

DE ACTIONUM HUMANARUM NATURA ATQUE INDOLE.

§. XXIV.

Tranſitio ad tractatum de actionibus humanis.

Ex iis, quae haſtenus de natura & conſtitutione juris naturae & gentium diximus, non obſcurum eſſe exiſtimamus, illud ad dirigendas HOMINUM ACTIONES pertinere, adeoque rem ipſam exigere, ut de earum natura atque indole paullo accuratius agamus.

Quid actio & paſſio? Quid actio interna & externa?

§. XXV. Varios in homine motus, variaſque contingere mutationes, ab ipſa rerum omnium magiſtra, experientia, ſatis ſuperque convincimur. Quum vero motus nullus ſine ſufficiente aliqua cauſſa motrice fieri atque intelligi poſſit: motus quoque omnes, quos in homine deprehendimus, cauſſam aliquam ſufficientem habere, eamque vel *in ipſo homine*, vel *extra eumdem* eſſe oportet. Motum ergo, cujus cauſſa ſufficiens in ipſo homine eſt, ACTIONEM; cujus cauſſa extra eumdem quaerenda eſt, PASSIONEM adpellamus. Quum vero motus iſte, quem ACTIONEM vocamus, vel in cogitatione conſiſtat, vel in corpore a voluntate producatur, prior ACTIONIS INTERNAE, poſterior EXTERNAE nomine venit.

Paſſiones quotuplices?

§. XXVI. Paſſiones ergo quamvis non a nobis ipſis, ſed a cauſſa extra nos poſita, proficiſcantur, ac aetenus non ſint in poteſtate noſtra, ſed ſaepenumero & nobis invitis oriantur: aliquando tamen veluti repelli poſſunt, atque impediri, ſi inſtructi ſimus viribus ſufficientibus ad reſiſtendum cauſſae, extra nos poſitae, motumque hujuſmodi in nobis excitaturae. Contra ea etiam contingere poteſt, ut veluti adjuvemus hanc cauſſam motricem, extra nos poſitam, vt motum hunc in nobis tanto facilius ciere poſſit (*). Ex quo conſequitur, ut paſſiones aliae ſint IN NOSTRA POTESTATE, aliae NON SINT.

(*) Omnia haec exemplis luculentiſſimis facile poſſunt illuſtrari. Calefieri eſt paſſio. Ei aliquando reſiſtere non poſſumus, ſi aere admodum calido iter facimus: aliquando poſſumus, ſi hieme procul a foco recedamus: aliquando illam veluti adjovamus, quoties nempe propius accedimus ad ignem, ut tanto magis incaleſcamus. Calefieri ergo aliquando eſt in poteſtate noſtra, aliquando non eſt.

An & hae ſubſint directioni noſtrae?

§. XXVII. Quum ergo jus naturae circa actiones hominum liberas verſetur: (§. IV.) conſequens eſt, 1. ut illud non dirigat paſſiones, quae non ſunt in poteſtate noſtra: 2. ut, quamvis illud quaedam ſancire poſſit de paſſionibus, quatenus in poteſtate noſtra ſunt, non tamen tunc dirigat paſſiones, ſed actiones liberas, quibus reſiſtere vel ſubvenire poſſemus his paſſionibus, oſtendatque, quid nimirum ſit officii noſtri circa paſſiones illas vel impediendas, vel adjuvandas (*).

(*) Ita ſane irae, qua adficimur, leges praeſcribi non poſſunt: at actiones noſtras dirigere lex poteſt, ut ne irae fraena laxemus, ut reſiſtamus principiis, ne illam ad impetum pervenire patiamur, ut actionem, fervente hac animi perturbatione, ſuſpendamus, cetera. Haec omittentem quis neget adverſus legem peccare? Recte ergo, ſi quidquam aliud, obſervavit Cicero *Tuſc. Quaeſt.* I. 3. *animorum omnes morbos & perturbationes ex adſpernatione rationis evenire*, id eſt ex omiſſione eorum, quae agenda ſuadet recta ratio, ne vehementioribus illis animi commotionibus ſuccumbamus.

An circa illas verſetur jus naturae?

§. XXVIII. Itaque ſolas ACTIONES noſtras dirigit jus naturae. Quamvis vero hae omnes cauſſam ſufficientem in ipſo homine habeant: (§. XXV.) eadem tamen experientia docet, aliarum actionum nos nobis ſemper conſcios, easque in poteſtate ac arbitrio noſtro ſitas, alias ita eſſe comparatas, ut ex diſpoſitione quadam mechanica oriantur, ac proinde nec earum nobis conſcii ſemper ſimus, nec easdem in poteſtate noſtra habeamus (*):

(*) Sic *in poteſtate noſtra eſt*, ſtare, ſedere, an ambulare; loqui, an tacere; dare aliquid, an nobis retinere malimus. Et harum omnium actionum, dum eas edimus, *nobis conſcii* ſumus. Contra per nos non ſtat, quo minus cor per *συστολὴν καὶ διαστολὴν*, inteſtina motu periſtaltico, ſanguis per circulum moveantur. Quos motus ſaepe nec ſentimus, nec eos in nobis fieri, novimus. Paullo aliter hanc diſtinctionem accipiunt Stoici, quando *τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν εἶναι*, *quaedam* IN POTESTATE *noſtra* ESSE, quaedam NON ESSE, docent. Ad priora enim referunt opinionem, adpetitionem, deſiderium, averſationem, uno verbo, quaslibet noſtras actiones: ad poſteriora corpus, poſſeſſionem, gloriam, principatum, quaecumque denique noſtra opera non ſunt. Epictet. *Enchirid. Cap.* I. Ac proinde rerum haec eſt diviſio, ſeu *τῶν ὄντων*, non actionum tantum.

Actiones vel humanae, vel naturales. Eas an dirigat jus naturae?

§. XXIX. Actiones, quarum nobis conſcii ſemper ſumus, quaeque in poteſtate noſtra ac arbitrio ſunt, HUMANAE vel MORALES; quarum nec conſcii noſtri ſumus, nec arbitri, PHYSICAE, vel NATURALES adpellantur. Quare illas LIBERAS, has NECESSARIAS eſſe, facile patet: atque inde merito infertur, 3. humanas vel morales tantum actiones a jure naturali dirigi, (§. IV.) 4. non naturales, niſi quatenus, ut has vel adjuvemus, vel turbemus ac impediamus, in noſtra poteſtate poſitum ſit (*).

(*) Quamvis enim, ut paullo ante diximus, in circulum ſanguinis, motumque cordis & inteſtinorum in ſe nihil nobis ſit arbitrii: experientia tamen docet, poſſe nos illos motus non modo medicamentis & temperantia adjuvare, verum etiam eosdem, vel turbare ingluvie, vel ferro, venenis, aliisque modis plane ſiſtere. Quis ergo dubitet, quin jus naturae prohibere poſſit, quidquid motus illos naturales, unaque ipſam vitam, turbat vel abrumpit? Animadverterunt hoc ipſi veteres philoſophi. Etſi enim plerique neſcio quid laudabile facere exiſtimabant eos, qui ultro ſibi manus inferrent violentas: eleganter tamen Democritus apud Plutarch. *de ſanit. tuenda p.* 135. *Εἰ τὸ σῶμα δικάσαιτο τῇ ψυχῇ κακώσεως, οὐκ ἂν αὐτὴν ἀποφυγεῖν. Si corpus animam damni injuria ante accuſaret, hanc, quin condemnetur, effugere non poſſe.*

§. XXX.

Digitized by Google

§. XXX. Quum itaque actiones humanae, morales, liberae, ſint in poteſtate noſtra atque arbitrio, (§. XXIX.) in poteſtate autem noſtra ſit, quidquid a voluntate noſtra dirigitur; conſequens eſt, 5. ut actiones humanae, vel morales, ac liberae a *voluntate* noſtra dirigantur. Quumque nihil decernat voluntas, niſi ab intellectu ad adpetendum averſandumque excitata: (*) merito inde colligimus, 6. *intellectum* quoque ad edendas actiones humanas liberaſque concurrere, ac proinde 7. duo eſſe actionum humanarum ac liberarum principia, INTELLECTUM & VOLUNTATEM. **Principia actionum humanarum, intellectus & voluntas.**

(*) Voluntas enim eſt facultas boniformis, adeoque ſemper adpetit bonum, malumque adverſatur. (*Elem. phil. mor.* §. *XXIX.*) Hinc nihil poteſt velle, niſi quod intellectus illi tamquam bonum, juſtum, utile, repraeſentavit; nihil nolle, niſi quod idem intellectus illi tamquam malum, injuſtum, noxium, oſtendit. Recte Simplicius *ad Epict. Enchir. Cap. I. p.* 8. Δῆλον δὲ, ὅτι προηγεῖται μὲν ἡ ὑπόληψις, καὶ λογική τις οὖσα γνῶσις, καὶ ἀνθρώπῳ πρέπουσα. ὅταν δὲ περὶ κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ ὑπάρχοντος ὄντος ἢ δοκοῦντος ἡ ὑπόληψις ᾖ, ἀνακινεῖται πάντως ἔκκλισις ἢ ὄρεξις, ἐπακολουθεῖ δὲ ἡ ὁρμή. ὀρεχθῆναι γὰρ δεῖ πρῶτον ἢ ἀπαρεσθῆναι, καὶ οὕτως ὁρμῆσαι προσελθεῖν τῷ ὀρεκτῷ, ἢ ἀποστραφῆναι τὸ ἐκκλιτὸν, ὅπερ ἐναντίον ἐστὶ τῷ ὀρεκτῷ. *Conſtat autem*, OPINIONEM, *quae eſt cognitio quaedam, a ratione gubernata, dignaque homine, antecedere. Quae quum in eorum aliquo verſatur, quod nobis bonum malumve eſt; aut eſſe videtur, omnino* PROPENSIO *aut* AVERSATIO *commovetur*, ADPETITIO *ſequitur. Prius enim quam adpetas rem deſideratam, & amplectaris, aut eam declines, quae eſt rei deſideratae contraria, vel adverſeris, animo propendeas aut abhorreas, oportet.*

§. XXXI. INTELLECTUS eſt facultas mentis, res diſtincte percipiendi, dijudicandi, de iiſque recte ratiocinandi. Quae facultas quando IMAGINATIONIS nomen adſumat, jam alibi, quantum ſatis eſt, diximus. (*Elem. phil. rat.* §. *XII. & XIII.*) **Quid intellectus?**

§. XXXII. Quum ergo voluntas nihil poſſit adpetere vel averſari, niſi ab intellectu excitata: (§. XXX.) conſequens eſt; 8. ut nec actionem tamquam juſtam edere, vel tamquam injuſtam averſari poſſit, niſi intellectus, eam cum lege comparando, id eſt, ratiocinando, diſtincte perceperit, illam juſtam injuſtamve eſſe, utque adeo 9. circa actiones morales opus ſit ratiocinatione, qua earum juſtitiam injuſtitiamque diſtincte percipiamus (*). **Sine ejus concurſu actio non eſt moralis.**

(*) Hinc ſatis patet, jus naturae non dirigere actiones infantum, quos ipſe Deus negat diſcernere poſſe dextrum & ſiniſtrum, *Jon. IV*, 11. bonum & malum, eligenda & rejicienda: *Jeſ. VII.* 16. multoque minus actiones furioſorum, mente captorum, morbo inſanientium, qui de juſtitia injuſtitiaque actionum ratiocinari non poſſunt. Recte ergo Ariſtot. *magn. moral. I.* 34. *Quorum quis non eſt cauſſa, ſed ignorantia, ut delinquat: ob ea neutiquam injuſtus eſt. Eſt enimvero ejuſmodi ignorantia naturalis, veluti quum neſcii infantes patres caedunt. Haec nimirum naturalis inſcitia non facit, ut ab actione infantes dicantur injuſti. Ipſa ſiquidem haec faciendi cauſſa eſt inſcitiae, ideo ne injuſti quidem dicuntur.*

§. XXXIII. Ratiocinatio illa, vel facultas de juſtitia injuſtitiaque actionum noſtrarum ratiocinandi vocatur CONSCIENTIA, cujus naturam variaſque ſpecies jam alibi explicavimus. (*Elem. philoſop. mor.* §. *XVIII. ſequ.*) Attamen & hic quaedam vel repetere, vel tamquam ſupplementa addere, noſtra vel maxime intereſt. **Inde conſcientia.**

§. XXXIV. Quia ergo de juſtitia injuſtitiaque actionum noſtrarum ratiocinatur conſcientia, (§. XXXIII.) juſtae autem actiones vocantur contemplatione obligationis externae, ex lege ortae: (§. VII.) 10. conſcientiam **Quae vera eſt ratiocinatio vel ſyllogiſmus.**

Digitized by Google

tiam comparare inter ſe oportet *legem* & *factum*, id eſt, duas propoſitiones, ex iiſque elicere tertiam. Quod quum fieri non poſſit, niſi per ſyllogiſmum: (*Elem. phil. rat.* §. *LXXVIII.*) conſequens eſt, 11. ut omnis conſcientiae ratiocinatio ſit ſyllogiſmus, eumque 12. ſemper abſolvant LEX, ACTIO propria, & SENTENTIA, tamquam tres hujus ſyllogiſmi propoſitiones (*).

(*) Ita comparata erat ratiocinatio Judae τὰ παραδιδόντος: *Quisquis innocentem prodit ſanguinem, male agit. Id ego feci. Male ergo egi. Matth. XXVII.* 4. Ubi prima propoſitio manifeſto LEGEM; altera ipſam Judae ACTIONEM, tertia SENTENTIAM complectitur. Nec aliud deprehendimus in mente noſtra, quoties ratiocinantem in nobis perſentiſcimus conſcientiam: ut adeo contra conſcientiam philoſophari videantur, qui conſcientiam pro vano ſacerdotum terriculamento cum Tolando venditant.

Ejus diviſio in bonam & malam.

§. XXXV. Quum ergo conſcientiae ſyllogiſmus pro concluſione ſemper habeat ſententiam, (§. XVXIV.) ſententia autem omnis vel abſolvat, vel condemnet, prout actio legi vel convenit, vel aduerſatur: 13. conſcientiam, a qua quis abſoluitur, BONAM; a qua condemnatur, MALAM vocamus (*). Quarum *illa* ſemper cum *fiducia* quadam, haec, quum tuta omniam timeat, cum *ſuſpicione* conjuncta eſt.

(*) Hinc Paullus Apoſtolus *Rom. II.* 15. actus conſcientiae vocat λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων, *cogitationes vel ratiocinationes* ACCUSANTES *vel* EXCUSANTES, itemque Joanni Apoſtolo, 1. *Epiſt. III.* 21. integri vitae ſceleriſque puri ſunt ὧν ἡ καρδία αὐτῶν μὴ καταγινώσκει, *quos cor ſuum non condemnat*, contra flagitiorum ſibi conſcii. *v.* 20. ὧν ἡ καρδία αὐτῶν καταγινώσκει, *quos cor ſuum condemnat*. Quin & poetae ita philoſophantur, e quorum numero Juvenalis *Sat. XIII. v.* 2. *ſequ.*

Prima haec eſt ultio, quod, ſe
JUDICE, *nemo nocens* ABSOLVITUR:
improba quamvis
Gratia fallaci Praetoris vicerit urna.

In antecedentem & conſequentem.

§. XXXVI. Ratiocinari porro poſſumus 14. de actionibus tum FUTURIS, tum PRAETERITIS, etiam perpetratis: ac proinde conſcientia de nondum edita vel futura actione ratiocinans, ANTECEDENS; de praeterita & jam perpetrata, CONSEQUENS adpellatur.

In quibuſnam utraque reperiatur?

§. XXXVII. Utroque caſu conſcientia actionem cum lege contendit. Quumque actionem futuram ad legem vel voluntatem Dei componere non ſtudeat, niſi cui eſt *incoctum generoſo pectus honeſto*, ſeu qui animum vera virtute praemunivit: *Elem. phil. mor.* §. *CCXVII.*) 15. conſcientia *antecedens* non niſi in iis, qui verae virtuti ſtudent, (*) 16. *conſequens* etiam in ſceleratiſſimis hominibus ſeſe exſerit. Sero enim ſapiunt & Phryges.

(*) Virtus ſemper conjuncta eſt cum ſtudio indefeſſo inquirendi in voluntatem DEI. (*Elem. phil. mor.* §. *CCXVIII.* 2) Quo magis ergo quiſque profecit in virtute, eo illud ſtudium eſt ardentius. Atque inde fit, ut virtute ornati ſuper iis quoque actionibus futuris, quae aliis vel indifferentes, vel levioris videntur momenti, ſecum ratiocinentur, ac proinde iis tribuatur CONSCIENTIA TENERA, quae & tuta quaevis metuere aliquando videtur, haud abſimilis oculo, qui ne atomum quidem incidentem ſine ſenſu & dolore excipit. Eleganter Plutarch. *de profectu virt. ſent. p.* 85. Ἔτι τοίνυν πρόσελθε τοῖς εἰρημένοις σημεῖον οὐ μικρὸν, εἰ βούλει, τὸ μηδὲν ἔτι μικρὸν ἡγεῖσθαι τῶν ἁμαρτανομένων, ἀλλ' ἐξευλαβεῖσθαι καὶ προσέχειν ἅπασιν. *Id quoque, ſi lubet, ad praedicta adjunge ſignum non exiguum, quod recte proficiens nullum jam peccatum* EXIGUUM *putat, ſed omnia ſtudioſe vitat & cavet.*

§. XXXVIII.

Eſt ea vel inſtigans, vel revocans, vel admonens.

§. XXXVIII. Praeterea 16. quoties futuram actionem contendimus cum lege, toties eam vel *praeceptam* a Deo, vel *prohibitam*, vel *permiſſam* eſſe, deprehendimus. 17. Primo caſu conſcientia nos ad agendum extimulat: 18. altero a peccando revocat: 19. tertio prudenter, & adhibita in conſilium ratione, agendum eſſe, monet. Hinc 20. conſcientiam in INSTIGANTEM, REVOCANTEM & ADMONENTEM recte diviſeris (*).

(*) Ita Moſen & Zipporam conſcientia INSTIGABAT ad circumcidendum filium, quia iis in memoriam revocabat praeceptum divinum de circumciſione, *Exod. IV.* 24. Eadem conſcientia Davidem REVOCABAT a caede Nabalis, cujus jam ceperat conſilium, quia eum admonebat legis proibitivae: *ne occidito.* 1. *Sam. XXV.* 32. *ſequ.* Denique conſcientia Paullum Apoſtolum ADMONEBAT, ne carne, quam Diis immolatam ſciret, veſceretur, & ut idem conſilium daret Corinthiis. Quamvis enim non ignoraret, Chriſtianos haud pollui cibo & potu: prudenter tamen agendum eſſe, monebat conſcientia, ne forte alii exemplo offenderentur. 1. *Cor. X.* 28. *ſequ.* Et huc pertinent aurea verba v. 23: *Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει· πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. Omnia mihi licent, at non omnia proſunt: Omnia mihi licent, at non omnia aedificant.*

Conſcientia porro vel recta, vel erronea.

§. XXXIX. Quia porro conſcientia eſt ratiocinatio: (§. XXXIII.) 21. eadem, quae in ſyllogiſmum, etiam in conſcientiam cadunt. Hinc, 22. quemadmodum ratiocinatio, ita & conſcientia vel RECTA, vel ERRONEA eſt: & 23. ſicuti omnis ratiocinatio falſa vel in FORMA, vel in MATERIA, peccat: ita & conſcientia errat, ſive falſa lex, falſaeve actionis circumſtantiae praemittantur, ſive ipſae ratiocinandi regulae non obſerventur.

(*) Ut & hoc exemplis illuſtremus, in MATERIA errabant Judaei, dum ſe parentibus beneficia, ſalva religione, ſubtrahere poſſe exiſtimabant, modo, quae illis debebantur, Deo dicarent. Loco enim majoris propoſitionis praemittebant falſam legem, *Ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ, ἢ τῇ μητρί, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Qui dicit patri aut matri, Donum eſt, quocumque a me juvari poſſes,* eum inſontem fore. *Matth. XV.* 5. *Marc. VII.* 11. In materia quoque errabat Abimelechus, dum ſe Saram, ſalva religione, in torum recepturum, ſperabat. Falſam enim ponebat facti *προσχημα*, ſe cum innupta rem habiturum. *Geneſ. XX.* 2. Denique errorem in FORMA errabant Phariſaei, dum ex lege de ſabbatho eliciebant falſam concluſionem, quod omne opus, etiam quod vel imperioſa neceſſitas, vel caritas, & humanitas exigeret, eo die ſit intermittendum. *Matth. XII.* 10. *ſequ.*

Itemque vel certa, vel probabilis.

§. XL. Porro cum in aliis ratiocinationibus, tum maxime in conſcientia, contingit, ut modo ex certo aliquo principio, modo ex hypotheſi, probabili illa quidem, at hypotheſi tamen, ducatur argumentum. (*Elem. log.* §. *CXXX.*) Hinc 24. & conſcientia modo CERTA eſt, quoties nimirum ex certa atque indubia lege; modo PROBABILIS, quoties ex probabili aliorum ſententia ratiocinatur (*). Ex quo denuo conſequitur, 25. ut, quemadmodum plures ſunt gradus probabilitatis, (*Elem. log.* §. *CXXXVI. ſequ.*) ita et conſcientia modo magis, modo minus dici poſſit probabilis.

(*) Non ergo conſcientia PROBABILIS opponenda eſt RECTAE, quia & probabilis aliquando recta eſſe poteſt. At poteſt tamen eadem falſa eſſe, quia quum ratiocinando decipi aliquando poſſimus ſub ſpecie certitudinis per paralogiſmos, id multo magis fieri poteſt ſub ſpecie probabilitatis per ſophiſma. (*El. log.* §. *C. & CI.*) Ex quo conſequitur, ut lubricum admodum ſit dogma illud novorum caſuiſtarum de probabiliſmo, ſeu conſcientia probabili, a peccato excuſante, de

quo

quo Lud. Montalt. *Litt. ad provincial. Epiſt. V.* & Sam. Rachel *Diſſ. de probabiliſmo*. Niſi enim pro norma actionum adſumere velis regulam Lesbiam; fieri non poteſt, ut ſatisfeciſſe tibi videaris officio, ſi agas ſecundum conſcientiam probabilem, quae nec *recta* ſemper, nec *certa*, nec *conſtans* eſt, (§. V.) maxime quum doctores illi probabilitatem ex aliorum opinionibus aeſtiment, Apoſtolus vero nos aliorum ſententia in re tanti momenti ſtare prohibeat, dum inculcat praeceptum: ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. *Unusquisque in ſuo ſenſu plane certus eſto. Rom. XIV*, 5.

Quid conſcientia dubia & ſcrupuloſa.

§. XLI. Quia vero, quod probabile eſt, aeque falſum, ac verum eſſe poteſt, (§. XL.) (*) evenit aliquando, 26. ut animo noſtro ſeſe in utramque partem objiciant argumenta probabilia, ac proinde de re nondum liquida amplius deliberandum eſſe cenſeamus. Ea conſcientia DUBIA; vel, ſi cura illa, *quae nos coquit, verſatque in pectore fixa*, paullo levioris momenti aliis videatur, SCRUPULOSA dici ſolet (*).

(*) Non male quidem ipſam dubitationem, quae veluti in diverſa trahit animum, SCRUPULUM vocat celeberrimus Wolffius *Eth. §. LXXVI.*: at vocabuli tamen notioni magis convenire videtur definitio noſtra. Eſt enim SCRUPULUS lappillus, minimae ille quidem molis, ſed qui, incidens in calceum, pedem miſere adfligit. Servius *ad Aen. VI. v.* 236. SCRUPUS *proprie eſt lapillus brevis, qui preſſus ſollicitudinem creat, unde etiam* SCRUPULUS *dictus*. Apuleius *ſcrupulum* opponit graviori ſollicitudini, quam *lanceam* vocare ſolet. Vid. Scip. Gentil. *ad Apuleii Apolog. p.* 150.

Quid libera, & minus libera?

§. XLII. Praeterea contingere poteſt, 27. ut mens, pravis cupiditatibus in tranſverſum acta, ac veluti ſervitute oppreſſa, de actionibus vix libere ratiocinetur, ſed potius propenſionibus ſuis ſuffragari cogatur. (*Elem. phil. moral. §. XXIX.*) Quo fit, 28. ut in hoc ſervili ſtatu ratiocinans conſcientia MINUS LIBERA; ea contra, quae ſe ex triſti illa ſervitute in libertatem vindicavit, LIBERA adpelletur. (*) Quam diſtinctionem accuratius explicavit Wolffius *Ethic. §. LXXXIV.*

(*) Hinc παράδοξον Stoicorum: ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος, *ſolum ſapientem liberum, & omnem ſtultum ſervum eſſe*. Cicero *Parad. V.* Qui ſe per virtutem in libertatem vindicavit, is ſpernit calcatque vitia, magnoque animo clamat: *Non ſum imperata facturus, jugum non recipio: immo, quod majore virtute faciendum eſt, excutio. Non eſt molliendus animus. Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum paupertati. Idem ſibi juris in me eſſe volet & ambitio & ira*. Seneca *Epiſt. LI.* Ad quae verba Lipſius *Manuduct. ad philoſ. Stoic. Lib. III. Diſſ. XII*: *Ecce*, inquit, *quot dominos ille iam effugit? adde libidinem, avaritiam, alia vitia: turbam habebis, ut vero nomine dicam, tyrannorum. Miſerum mancipium, qui his ſubjicitur! erectum & liberum, qui evaſit!* Quid vero libertatis ſupereſſe dixeris conſcientiae, cui tot vitia pravaeque cupiditates veluti nervos ac compedes injiciunt?

Quid dormitans, expergefacta, cauterio uſta?

§. XLIII. Nec minus ipſa experientia docemur, homines aliquando ſuis vitiis ita veluti indormiſcere, ut nullo miſeriae ſuae ſenſu adficiantur, neque amplius de juſtitia injuſtitiaque actionum ratiocinetur conſcientia. Quemadmodum itaque 29. illam tunc DORMITARE, vel, 30. ſi diuturna peccandi conſuetudine occaluit, quaſi CAUTERIO USTAM eſſe dicimus: (*) ita 31. eadem veluti EXPERGEFIERI videtur, ſi quando homo calamitatibus vel periculo aliquo excitatus, actiones ſuas expendit paullo accuratius, & de earum juſtitia injuſtitiaque incipit ratiocinari.

(*) Lo-

(*) Loquutio Paullina 1. *Tim. IV.* 2. eaque *ἐκαυτηριασμένων*. Quemadmodum enim caro, uſti cauterio, omnem amittit ſenſum: ita mens, adſueta criminibus, non ſentit miſeriam, quam alii non ſine horrore contemplantur. Sic idem Apoſtolus *Epheſ.* IV, 19. homines hujuſmodi vocat *ἀπηλγηκότας*, quaſi *qui dedoluerint*; ubi notatu digniſſima ſunt, quae adnotavit Theod. Beza.

§. XLIV. Sua quemque conſcientia aut condemnari aut abſolvi, jam ſupra nos dicere meminimus. (§. XXXV.) Quum vero abſolutio non poſſit cum ſumma animi voluptate; condemnatio cum maxima aegritudine atque acerbiſſimo dolore non eſſe conjuncta: conſequens eſt, 31. ut conſcientia bona, eaque certa, plerumque ſit TRANQUILLA; 32. mala REMORDENS, quam lanienam veteres Furiarum facibus aequiparare ſoliti ſunt: (*) ut denique 33. conſcientia dubia plerumque ſimul ſit IRREQUIETA & ANXIA, ut neſciat homo, quo ſe vertat. Enimvero illas adfectiones ad effectus potius conſcientiae, qui ſe in voluntate exſerunt, quam ad ipſam pertinere conſcientiam, facile unuſquiſque animadvertit.

Quid tranquilla, remordens, irrequieta vel anxia?

(*) Ita Cicero *pro Sex. Roſc. Amer.* XXIV. Ceterum ipſi hi conſcientiae morſus argumento ſunt luculentiſſimo, rationem fugere eos, qui cum Tolando lanienam iſtam ex metu ſupplicii, a republica imminentis, oriri exiſtimant. Primo enim non privati tantum hiſce Furiis dies noctesque agitati ſunt, ſed & iis, quos vel naſcendi ſors, vel, faſtigium imperii omni ſupplicio exemerat, veluti Nero apud Sueton. *Cap.* XXXIV. Deinde ſi credere malis, hunc quoque ſibi timuiſſe a populo; non deſunt exempla eorum, qui morti proximi, quamvis nullo futuri metu angerentur, ſe tamen ob delicta quaedam occulta, neminique mortalium nota, vix ferre dolores conſcientiae, conquesti ſunt: veluti Chilo Lacedaemonius, qui apud Gell. *Noct. Att. l.* 3. *Ego quidem certe*, inquit, *in hoc tempore non fallo me, nihil quidquam eſſe commiſſum a me, cujus memoria mihi aliquid pariat aegritudinis, niſi profecto illud unum*. Sed & Titi Caeſaris, jam animam agentis, dictum haud abſimile exſtat apud Sueton. *Tit. Cap. X.*

§. XLV. Ex quo facile intelligas, 34. quid de eorum ſententia ſentiendum ſit, qui, pro interna actionum humanarum norma ac regula habendam eſſe conſcientiam, exiſtimant. Si enim norma, niſi ſit recta, certa & conſtans, ſuum perdit officium: (§. V.) quis pro norma adſumeret ratiocinationem, quae aliquando *erronea:* (§. XXXIX.) aliquando *probabilis* tantum; (§. XL.) aliquando *dubia;* (§ XLI.) quin ſaepe pravis cupiditatibus oppreſſa eſt? (§. XLII.) Hinc 35. quamvis peccet omnino, qui agit contra certam vel probabilem conſcientiam: non tamen 36. ideo recte ſtatim & juſte agere dicendus eſt, qui ſe egiſſe contendit ſecundum conſcientiam (*).

An pro actionum humanarum norma ſit conſcientia?

(*) Non ipſa conſcientia norma eſt, ſed normam adplicat factis & ſpeciebus obvenientibus. Hinc tutius actio omittitur, cujus de pravitate nos convictos arbitramur, quam aliquid agitur, quod juſtum & bonum eſſe nobis ſine certa lege perſuadet conſcientia. Qui ergo conſcientiam erroneam ſequitur, eo ipſo, quod hanc potius, quam legiſlatoris voluntatem, ſequitur, peccat, aliquanto quidem excuſatius, quam qui agit contra conſcientiam, at peccat tamen. Quare ego quidem ſuffragari nolim ſententiae Limborchii, qui *Theol. Chriſt. Lib. V. Cap. II. § VIII. ſequ* etiam erroneam conſcientiam ſequendam eſſe contendit.

§. XLVI. Ex quo porro colligimus, 37. dubia adhuc, & inter contrarias ſententias miſere fluctuante conſcientia, ſuſpendendam eſſe actionem tantiſper, dum res ad liquidum perducta ſit. Quod 38. merito defendimus con-

Conſcientia adhuc dubia actus cur ſuſpendendus? n-

contra Ger. Gottl. Titium *Obſervat. XIX. ad Pufend. de offic. hom. & civ. Lib. I. Cap. I. §. VI.* quod ſumma haec eſt hominis protervia, ſi tam obfirmato animo aliquid agat, ut parum laboret de exploranda voluntate divina, idem omnino acturus, ſi vel maxime, id ſibi a Deo interdictum eſſe, noverit (*).

(*) Adpoſite Cicero *de Offic. I, 9. Quocirca bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum ſit, an inıquum. Aequitas enim lucet ipſa per ſe, dubitatio cogitationem ſignificat injuriae.* Id eſt, qui dubitans de aequitate actionis tamen agit, eo ipſo prodit animum injuriam faciendi Deo. Unde & Apoſtolus: *ὁ δὲ διακρινόμενος ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως. Qui ambigit, ſi ederit, condemnatus eſt, quia non edit ex fide. Rom. XIV, 23.*

Imbecillitates intellectus ignorantia & error.

§. XLVII. Itaque ex his, quae hactenus diximus, patet, 39. in adplicatione legis ad factum conſcientiae luminibus quam maxime officere IGNORANTIAM & ERROREM. Et per illam quidem ſimplicem cognitionis privationem; per hunc ſive ideam, ſive judicium, ſive ratiocinationem, a rei natura diſcrepantem, intelligimus. IGNORARE enim aliquis rem dicitur, cujus nulla omnino idea animo obverſatur; ERRARE, qui rei ideam concepit, ſed vel ab objecto diſcrepantem, vel obſcuram, confuſam atque inadaequatam. Et tunc fieri nequit, quin error, in ideis admiſſus, in judicia, atque inde in ipſas ratiocinationes ſeſe diffundat.

An omnis error & ignorantia culpari mereatur.

§. XLVIII. At quum nec omnibus hominibus impoſita ſit obligatio veritates abſtruſiores, ac veluti in Arceſilai puteo demerſas, inveſtigandi, & rerum quarumdam ignoratio cum utilitate potius, quam detrimento, conjuncta, eſſe videatur, (*) immo ſaepe ignorantes *imprudenteſque plus boni uno die faciant, quam ſcientes antea umquam*: Terent. *Hecyr. V, 4. v. 39. ſequ.* merito inde colligimus, 40. non omnem vel IGNORANTIAM, vel ERROREM, malum eſſe ac vituperabilem.

(*) Exemplo eſſe poteſt certorum ſcelerum, de quibus ne fari quidem licet, ignorantia, ſi tunc ignotorum nulla cupido eſt. Quis enim eam non pluribus exoptet, quum animum turpiſſimis cupiditatibus occludat, praeſtetque impervium? Sic ſane Scythas eo nomine laudat Juſtinus *Hiſtor. II. 2. quod in iis tanto plus profecerit* VITIORUM IGNORATIO, *quam in Graecis cognitio virtutis*. Nec minus majores noſtros miratur Quinctilianus *Declam. IV.* ubi de impuriſſimo agens flagitio: NIL *tale*, inquit, NOVERE *Germani, & ſanctius apud Oceanum vivitur*.

Quae ignorantia, ac quis error culpabilis ſit?

§. XLIX. At quum nihil decernat voluntas, niſi ab intellectu ad adpetendum averſandumque excitata, ac proinde intellectus quoque ad edendas actiones humanas liberaſque concurrat: (§. XXX, 6.) conſequens ſane eſt, 41. ut non abſint a reprehenſione, qui in principiorum boni ac mali, juſti injuſtique, quorum ſibi cognitionem facile comparare potuiſſent, turpiſſima ignoratione verſantur, vel circa illa errant, circa quae errorem, ſi intendiſſent nervos, facile potuiſſent evitare.

Ignorantia, vel vincibilis, vel invincibilis, vel voluntaria, vel involuntaria, vel efficax,

§. L. Hinc variae ignorantiae atque erroris diviſiones. Quatenus enim primo ignorantiam evitare in noſtra poteſtate eſt, vel non eſt: eatenus vel VINCIBILIS, vel INVINCIBILIS adpellatur (*). Quatenus quis illius cauſſa eſt, vel non eſt: eatenus vel VOLUNTARIA eſt, vel INVOLUNTARIA. Denique, ſi quis aliquid egit, quod non fuiſſet acturus, niſi ignorantia menti caliginem offudiſſet: ignorantia illa EFFICAX vocari ſolet: CON-

CONCOMITANS vero, ſi quid factum eſt, quod factum fuiſſet, ſi vel maxime abfuiſſet ignorantia. Quamobrem prioris argumentum eſt poenitentia, poſterioris facti illius, etiam ex ignorantia admiſſi, adprobatio. Quae omnia ad errorem non minus, quam ignorantiam, pertinere, nemo non intelligit. vel concomitans.

(*) Ignorantiam atque errorem INVINCIBILEM eſſe aiunt vel IN SE, *at non in ſua cauſſa*, vel IN SE ET SUA CAUSSA SIMUL. Sic enim ignorantia hominis temulenti *in ſe* quidem *invincibilis* eſt, quamdiu durat ſuavis illa inſania: *at non in ſua cauſſa*, quia homini licuiſſet non inſanire. Contra peccata furioſorum ex ignorantia *in ſe & ſua cauſſa invincibili* proficiſcuntur, quum nec ſciunt emota mente, quid agant, nec per eos omnino ſteterit, quo minus furerent. Vera ſunt haec omnina, nec uſu ſuo in doctrina de imputatione deſtituuntur: at prior tamen vix dici poteſt INVINCIBILIS, quum potuiſſet evitari, ſi mens non laeva fuiſſet. Rem optime explicat Ariſtoteles *Nicomacheor. III*, 7. dum legem memorans Pittaci, quae ebriis peccantibus duplicem poenam irrogari juſſerat, ſtatim ſubjicit: *Τοῖς μεθύουσι διπλᾶ τὰ ἐπιτίμια· ἡ γὰρ ἀρχὴ ἐν αὐτοῖς. κύριος γὰρ τοῦ μὴ μεθυσθῆναι. τοῦτο δ' αἴτιον τῆς ἀγνοίας. In ebrios duplex poena conſtituta eſt: principium enim in ipſis eſt. Nam ſitum in iis erat, ne ebrii fierent. Ebrietas autem cauſſa inſcientiae eſt*. De ipſa Pittaci lege videndi Diog. *Laert. I. 67.* & Plutarch. *in Conviv. ſept. ſap. p.* 155.

§. LI. Progredimur ad alterum actionum humanarum liberarumque principium, VOLUNTATEM, (§. XXX.) quae eſt, illa mentis noſtrae facultas, qua adpetimus bonum, malumque averſamur. Ut adeo veriſſimum ſit, intellectum circa verum & falſum; voluntatem circa bonum & malum occupari. Nam & veritatis non ob aliam cauſſam cupida eſt voluntas, quam quatenus bona eſt, nec falſum, quia falſum, ſed quia ſimul malum eſt, averſatur (*). Quid voluntas?

(*) Sic nemo ſanus praeſcire cupit calamitates ſibi imminentes, quia ſi vel maxime vera eſſet haec ſcientia, mentem tamen illa ante tempus vehementer excruciaret, & ſic bona videri non poſſet. Contra fabularum cupidiſſimi ſunt pueri, quamvis eas fictas eſſe ſubolfaciant, quia eas vel ad componendos mores, vel ad animum ſaltim oblectandum comparatas eſſe, intelligunt, eaſque proinde bonas eſſe exiſtimant.

§. LII. Ex ea ergo definitione colligimus, 42. non poſſe voluntatem quidquam adpetere, niſi quod ei tamquam bonum ab intellectu ſiſtitur: nec 43. averſari, niſi quod ei tamquam malum ab eodem repraeſentatur. 44. Quo magis quodque nobis bonum malumve videatur: eo vehementius nos illud adpetere vel averſari, ac proinde 45. contingere poſſe, ut minoris boni adpetitio vel minoris mali averſatio, propoſito majore malo bonove, cohibeatur. 46. Averſationem non in ſola adpetitionis privatione conſiſtere, ſed conjunctam eſſe cum aliquo poſitivo, (*) quod NOLUNTATEM vel RECLINATIONEM vocat V. C. Henr. Koehler. *Exerc. jur. nat.* §. *CLXVII. ſequ.* Ejus actus & natura.

*) Quemadmodum JCti accurate diſtinguunt *non nolle* & *velle: l. 3. D. de reg. jur.* ita non minus diſcerni debent *non velle* vel *non adpetere*, & *nolle*, ſeu *averſari*. Multa ſane non vult ſapiens, a quibus tamen non omnino abhorret. Non adpetit immortalitatem, quam natura: non imperium, quod naſcendi ſors negavit: nec tamen res illas adverſatur ſed magnas ac praeclaras eſſe judicat. Non vult, quod non capit ejus conditio, quamvis ab eo non abhorreret, ſi caperet. Ita quamquam regnum nec voluit, nec adſectavit intentus operi diurno hortulumque ſterilibus herbis repurgans Abdolominus, illud tamen nec noluit, nec adſpernatus eſt, quum ſe regem ſalutari, regiaeque veſtis inſignibus exornari, animadverteret. Curt. *de geſt. Alex. VI*, 1.

Ejuſdem ſpontaneitas & libertas.

§. LIII. Nec minus ex ea definitione patet, 47. hominem, quod ad voluntatem attinet, non modo SPONTE, ſed & LIBERE agere. Quum enim SPONTANEITAS ſit facultas ſe ipſum dirigendi ad certum & antea cognitum finem, LIBERTAS vero facultas, ex duobus poſſibilibus alterutrum, prout e re videatur, eligendi: utramque facultatem menti noſtrae ineſſe, vel ab ipſa experientia docemur. Neque 48. obſtat, hominem, quem virtus nondum in veram libertatem vindicavit, ſuis adfectibus cupiditatibuſque adhuc ſervire. Eſſe enim haec obſtacula ita comparata, ut majore menti propoſito bono malove removeri ſuperarique poſſint, jam ſupra monuimus (*). (§. LII, 45.)

*) Sic quantacumque in ſure ſit contrectandae rei alienae cupiditas, ei tamen ille non ſuccumberet, ſi ſibi tanti criminis effecta, veluti ſqualłorem carceris, ergaſtulum, flagra, equuleum, ipſam denique furcam, poneret ob oculos. Nec minus, qui voluptatibus atque otio magnopere delectantur, ad honeſtiora ſtudia ac diligentiam ſeſe illico inflammari ſentirent, ſi, adhibita in conſilium ratione, paullo expenderent accuratius, quanta ſit doctrinae ac ſapientiae praeſtantia, quanta utilitas quam incredibilis ſuavitas, & quam irreparabile contra damnum cum inertia atque ignorantia conjunctum ſit. Rem omnem breviter exprimit Epictetus apud Arrian. I. 17. Τίς ὁρμὴν κωλῦσαι δύναται; ἢ ἄλλη ὁρμή. Τίς δ' ὄρεξιν καὶ ἔκκλισιν; ἢ ἄλλη ὄρεξις καὶ ἔκκλισις. *Ecquisnam adpetitionem vincere poteſt? Alia adpetitio. Ecquidnam inclinationem ac propenſionem? Profecto alia inclinatio ac propenſio.* Id quod eundem, quo nos uſi ſumus, furis exemplo illuſtrat Simplic. *ad Epictet. Enchir. Cap. I. p.* 22.

An eam impediat temperamentum.

§. LIV. Hinc 49. illi voluntatis humanae libertati non officit conſtitutio corporis, quam TEMPERAMENTUM vocant philoſophi. (*Elem. phil. mor. §. LI. ſequ.*) Quamvis enim mens a corpore diverſimode adficiatur, (*ibid. §. XLV.*) & ad certa vitia reddatur proclivior: iſta tamen determinatio non magis in coactione conſiſtit, quam homo cogitur ad prodeambulandum, dum eum ſudum coelumque ſerenius invitat. Quis enim negaverit, voluntatem omnia integra habere, illaſque verni ſolis blanditias non impedire, quo minus e duabus cauſſis, quarum una deambulationem ſuadet, altera diſſuadet, praegnantiori adſentiatur?

An adfectus & mores?

§. LV. Idem porro 50. dicendum videtur de ADFECTIBUS, id eſt, commotionibus voluntatis ex repraeſentatione boni malique ortis. Quamvis enim mens, quod ad primum motum attinet, paſſive ſe habeat: reliqua tamen in ejus poteſtate ſunt, puta, ut obſtet principiis, ne motum illum adprobet, nec primam animi incitationem ad impetum pervenire patiatur. Quod 51. & de MORIBUS, id eſt, propenſionibus, diuturna conſuetudine firmatis, repetendum videtur. Tametſi enim & hi paullatim veluti in naturam abeunt, *quam ſi expellas furca, tamen uſque recurret*: Horat. *Epiſt. I.* 10. *v.* 24. non tamen vel emendari non poſſunt, (*) vel non vinci faltim, ſi quis libertate ſua uti velit.

(*) Mores ſunt propenſiones & adfectus, diuturna conſuetudine firmati. (*Elem. philoſ. moral. §. LXIX.*) Quod diuturna conſuetudine adſcivimus, id procul dubio deſuetudine paullatim inumbrari atque aboleri poteſt, ſi ea in re tantum adhibere diligentiae velimus, quantam adhibuimus, dum illam primum contraximus. Quo pertinet elegans, quam jam Hertius ad Puſendorffium laudavit, ſententia Ariſtophanis in *Veſpis*.

Τὸ γὰρ ἀποστῆναι χαλεπὸν
Φύσεως, ἣ ἔχει τις ἀεί.
Καί τοι πολλοὶ ταῦτ' ἔπαθον
Ξυνόντες γνώμαις ἑτέρων
Μετεβάλλοντο τοὺς τρόπους.
Uſus quo fueris diu,
Mutare ingenium grave eſt.
Multos invenias tamen,
Qui mores moniti ſuos
Mutarunt melioribus.

§. LVI.

Digitized by Google

An vis externa?

§. LVI. Denique 52. EXTERNA VIS tantum abeſt, ut libertate ſua privet voluntatem humanam, ut illa vel maxime argumento ſit, eam eſſe liberam. Quamvis enim fieri poſſit, ut aliquis vi prohibitus, quod vult, non agat: nulla tamen vi impediri poterit, quo minus, quod vult, velit, vel compelli, ut quod non vult, velit (*). Immo ſi intellectus bonum, quod actionem ſequitur, tamquam majus malo imminente, repraeſentet: nulla vis externa hominem ab eo, quod ſemel animo concepit, abſterrebit, eumque *nec civium ardor prava jubentium, nec vultus inſtantis tyranni mente quatiet ſolida*. Vid. illuſt. Wolfius *Metaphyſ.* §. *DXXII.*

(*) Id quoque obſervavit Epictetus apud *Arrian. I*, 17. Poſtquam enim adpetitionem non niſi alia adpetitione vinci poſſe docuit: ſtatim ſubjicit: Ἄν μοι, φησὶ, προσάγῃ θανάτου φόβον, ἀναγκάζει με· οὐ τὸ προσαγόμενον, ἀλλ᾽ ὅτι δοκεῖ σοι κρεῖττον εἶναι ποιῆσαί τι τούτων, ἢ ἀποθανεῖν. Πάλιν οὖν τὸ σὸν δόγμα σε ἠνάγκασε, τουτέστι προαίρεσιν προαίρεσις. *At, inquiat quis, qui mihi mortis proponit metum, me cogit. Profecto non, quod imminet, in cauſſa eſt, ſed quia tibi ſatis videtur, aliquid eorum facere, quam mortem oppetere. Quare tua te opinio coegit, id eſt, voluntas vicit voluntatem.*

Voluntas vel antecedens vel conſequens.

§. LVII. Ex quo colligimus, 53. non rejiciendam eſſe diſtinctionem voluntatis ANTECEDENTIS & CONSEQUENTIS, quarum illa ſine contemplatione περιστάσεων, quae ſeſe tempore actionis exſerere poſſunt, decernit: haec actionem circumſtantiis, quae ſeſe tunc exſerunt, attemperare ſtatuit. Quare 54. voluntas conſequens ab antecedente diverſiſſima videtur, quum tamen utraque ſibi invicem non refragetur. Ita verum eſt, & pacem velle Deum, & eumdem bellum, certis poſitis circumſtantiis, non improbare.

Actiones ſpontaneae, invitae, ultroneae, coactae, mixtae.

§. LVIII. Praeterea inde intelligitur, 55. SPONTANEAS eſſe actiones, quae proficiſcuntur ex mente, ſe ipſam ad certum finem, antea cognitum, determinante: 56. INVITAS, quae a mente ſe ipſam determinante non proveniunt. (§. LIII.) Porro 57. ſpontanearum alias ULTRONEAS eſſe, ad quas parandas nulla hominem neceſſitas extrinſecus impulit, alias 58. COACTAS, quas quis, tali urgente neceſſitate, patravit: (§. LVI.) nihil autem 59. cauſſae eſſe, cur addamus MIXTAS, quippe quae quum itidem, neceſſitate extrinſecus urgente, fiant, *coactis* quam commodiſſime accenſentur (*).

(*) MIXTAS actiones vocant, quas quidem patrare vult homo, ſed ita, ut eas omittere mallet, niſi urgeret neceſſitas. Tale quid animadvertimus in iis, qui jactum faciunt imminente naufragio, de quibus Lucret. *de rer. nat. Lib. II. v.* 277.

Jamne vides igitur, quamquam vis extima multos
Pellit, & invitos cogit procedere ſaepe,
Praecipiteſque rapit, tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare obſtareque poſſit?

Enimvero idem in omni actione coacta contingit. Nulla enim vis externa tanta eſſe poteſt, ut nos adigat ad volendum, quod nolumus, vel quod volumus, averſandum: (§. LVI.) adeoque omnis actio coacta mixta omniſque mixta coacta eſt. Quis vero probaret diviſionem, cujus membra adeo non disjuncta ſunt, ut potius unum de altero praedicetur? (*Elem. log.* §. *XLVII*, 2.)

Actiones invitae involuntariae, coactae voluntariae ſunt.

§. LIX. Hinc 60. verum quidem eſt, nullam actionem *invitam* eſſe voluntariam: (§. LVIII, 56.) at 61. negari nequit, voluntarias eſſe actiones *coactas*, quia, quamvis non agere mallemus, niſi nobis repraeſentaretur malum atrocius, voluntas, tamen hanc actionem vere decernit. Ex quo porro conſequitur, 62. ut non male philoſophati ſint veteres jureconſulti, dum, COACTUM etiam VELLE, ſtatuerunt. *l.* 21. §. 5. *D. quod met. cauſſ.*

Digitized by Google

CAPUT III.

DE NORMA ACTIONUM HUMANARUM, VEROQUE JURIS NATURALIS PRINCIPIO.

§. LX.

Qualem eſſe oporteat actionum humanarum normam?

NOn ita comparatam eſſe naturam hominis, ut actionum liberarum norma ac regula carere poſſit, jam ſupra a nobis demonſtratum eſt. (§. III. ſequ.) Ibidem vero oſtendimus, illam normam eſſe deſituram, neque functuram officio ſuo, niſi & *recta*, *certa* ac *conſtans*, & cum *obligatione*, eaque non interna, ſed *externa*, conjuncta ſit. In talem vero normam, in quam hae virtutes omnes manifeſto cadant, jam paullo accuratius erit a nobis inquirendum (*).

(*) Nolim vero confundas NORMAM actionum humanarum, & PRINCIPIUM JURIS NATURALIS. Illa enim eſt principium, quod *eſſendi* vocant philoſophi, quodque nobis *principium obligationis* eſt. Per hoc intelligimus *cognoſcendi principium*, id eſt, propoſitionem quamdam, ex qua, ad quid obligati ſimus, illico adpareat. Sunt haec & in rebuspulicis diverſa. Nam *principium obligationis*, quae civibus reipublicae omnibus incumbit, eſt voluntas ſummae in qualibet republica poteſtatis, eaque ſimul *norma* eſt, ad quam omnes & ſinguli actiones ſuas componere tenentur. At ſi quaeras, unde cognoſci atque intelligi poſſit illa ſummae poteſtatis voluntas? ad leges te omnes remittent, eaque adeo unum & adequatum erunt *cognoſcendi principium*.

Ea non in nobis, ſed extra nos quaerenda eſt.

§. LXI. Normam illam vel *in nobis* ipſis, vel *extra nos*, exſiſtere oportet. In nobis ſi reperiretur, illa non alia eſſe poſſet, quam vel intellectus ac conſcientia, vel ipſa voluntas noſtra. At neutra mentis facultas ſemper recta, neutra certa, neutra conſtans atque immutabilis eſt. Ergo nec alterutra, nec utraque, normae actionum humanarum officio recte fungetur. Ex quo ſane conſequitur, 1. ut norma illa actionum noſtrarum non in nobis, ſed extra nos, omnino quaerenda ſit.

Et quidem in voluntate Dei.

§. LXII. Extra nos cum aliae res creatae exſiſtunt, tum ipſe rerum omnium auctor DEUS. Quum vero quaeramus actionum humanarum normam cum obligatione externa conjunctam, (§. IX.) & per rectam rationem univerſo generi humano promulgatam, (§. XI.) obligatio vero externa in entis cujuſdam, cujus imperium agnoſcimus, voluntate conſiſtat, (§. IX. 10.) denique nullum ſit ens, cujus imperium magis agnoſcere teneamur, quam DEUS optimus maximus, (§. X.) iſque ſolus etiam per rectam rationem, cujus ipſe auctor eſt, aliquid promulgare poſſit: conſequens eſt, 2. ut ſola VOLUNTAS DEI ſit norma actionum humanarum, omniſque naturalis obligationis, quin & omnis juſtitiae principium (*).

(*) Incidimus itaque in ſententiam viri illuſtriſſimi, jam ſupra a nobis laudati, SAMUELIS A COCCEIIS, qui in laudatis diſſertationibus (§. X. *) hoc principium non ſolum ſolidiſſimis rationibus demonſtravit, ſed & ab adverſariorum ſtricturis erudite vindicavit, in primis *Diſſert. I. quaeſt. II. §. VI. ſequ.* ubi *§. XXXIV. p. 31. ſequ.* etiam veterum, idem ſentientium, teſtimonia quamplurima accumulat, quorum maxime notabilia ſunt Xenophontis, Sophoclis & Ciceronis, quae, quum diſſertationes illae doctiſſimae omnium manibus terantur, hic non repetimus.

§. LXIII.

Digitized by Google

Voluntas Dei norma eſt recta, certa, conſtans, & obligatoria.

§. LXIII. Neque dubitari poteſt, 3. quin haec norma RECTA ſit, quum nihil velle poſſit ens infinite bonum ac ſapiens, niſi quod vere bonum eſt: 4. quin eadem ſit CERTISSIMA, quum omnibus per rationem innoteſcat: 5. quin ſit CONSTANS, quia non magis mutari poteſt voluntas Dei, quam ipſe Deus, &, per quam illam promulgavit, recta ratio. Denique 6. quin ſit OBLIGATORIA, quum & Deo juſtiſſimae cauſſae ſint, obſequium a nobis exigendi, & nullae ſint hominibus rationes, cur ſe illius imperio ſubtrahere vel velint, vel poſſint. (§. X.) Ex quo ſimul patet, 7. non omnem Dei voluntatem, ſed obligatoriam tantum, pro norma actionum humanarum eſſe habendam (*).

(*) Quam late pateat DEI VOLUNTAS, accuratius ab iis, qui theologiam naturalem tradunt, explicatur, inprimis a Ruardo Andala *Theol. nat. part. II. Cap. VIII. §. VI. ſequ.* & celeb. Wolffio *Theol. nat. Part. I. tot. Cap. III.* Sane quum voluntatis divinae objectum ſit primum ipſe Deus, dum perfectiones ſuas amat, adprobat, in iis adquieſcit, deinde univerſus mundus, quem vult eſſe, certis legibus moveri, conſervari, tum omnia reliqua contingentia, praeterita & futura: hic tantum intelligimus *voluntatem Dei circa actiones rerum creatarum intelligentium, vel edendas, vel omittendas*, eamque vocamus OBLIGATORIAM.

Eadem & lex dici poteſt rationę hominum.

§. LXIV. Quum vero VOLUNTAS DEI OBLIGATORIA, quam unicam actionum humanarum normam eſſe oſtendimus, ſit voluntas Dei circa actiones rerum creatarum intelligentium, vel edendas, vel omittendas: (§. LXIII. *) conſequens eſt, 8. ut ea contemplatione hominis recte etiam vocetur LEX DIVINA, quippe quae nihil aliud eſt, quam voluntas entis ſupremi, ſub comminatione poenae, vel propoſito praemio, certas actiones vel praecipientis, vel prohibentis. (§. IX. 11.) 9. Ut, quum & aliae leges divinae, per revelationem hominibus promulgatae, dentur, quas POSITIVAS vocant, hae, quia natura homini innoteſcunt, merito NATURALES adpellentur, & prout aliquid praecipiunt, vel prohibent, vel permittunt, in ADFIRMATIVAS, NEGATIVAS & PERMISSIVAS recte diſpeſcantur.

Ex voluntate Dei etiam divina juſtitia recte poteſt explicari?

§. LXV. Quumque haec divina voluntas, ſeu lex divina naturalis, omnis juſtitiae ſit fons & principium: (§. LXIII. 2.) ſequitur, 10. ut omnis actio, non modo humana, ſed & divina, huic voluntati divinae attemperata JUSTA ſit, ac proinde 11. male huic doctrinae opponatur, nullam fore Dei juſtitiam, ſi non aliud ſtatuatur juris naturae principium, quam Dei VOLUNTAS (*).

(*) Exprobrare hoc viro illuſtriſſimo, SAM. DE COCCEIIS, non dubitavit auctor *Obſervationum Hannoveranarum Obſ. VIII. Periculoſa etiam alia ex his dogmatibus conſequuntur, qualia a quibuſdam minus circumſpecte jam dudum ſunt jactata, veluti nullam eſſe ipſius Dei juſtitiam. Nam ſi jus eſt nihil aliud quam juſſum creatoris, vel ejus, qui potentia ſua cogere poteſt: manifeſtum eſt, in ipſo Deo juſtitiae rationes ceſſare quum cogi nequeat, & poſſe eum jure damnare innocentem, beare ſceleratum. Quibus admiſſis, in juſtitiae conſideratione reſtabit timor Dei, amor ceſſabit.* Enimvero quum Deus nihil velit, niſi quod aequum & juſtum eſt: quidni ex voluntate Dei explicari poſſet etiam divina juſtitia? Ceſſat quidem circa Deum ratio juſſus & coactionis, adeoque obligatio externa: ſed eadem & in ſummis imperantibus ceſſat, quod attinet ad leges ſuas. Quamvis enim illis obſtrictus non ſit princeps, cui ἀνυπεύθυνον eſt imperium: tamen eum dicimus JUSTUM, ſi ſuum cuique ſecundum leges ſuas tribuit. Quidni ergo & Deum ideo dicamus JUSTUM, quod hominibus jus ſuum ſecundum VOLUNTATEM, ſeu LEGEM SUAM tribuat? Homo ergo dicitur JUSTUS, qui VOLUNTATI DEI, per mo-

dum

dum legis promulgatae, obſequium praeſtat. Deus vero JUSTUS eſt, quia ſecundum VOLUNTATEM SUAM ſine coactione & lege ſuum cuique tribuit. Nec periculum eſt, ne Deus damnet innocentem, ſceleratum beet. Ita enim non ageret ſecundum voluntatem ſuam, qua nihil vult, niſi quod juſtum, aequum, & perfectione ſua dignum eſt.

Differentia normae juſtitiae divinae & humanae.

§. LXVI. In eo tamen 12. maximum diſcrimen inter DIVINAM & HUMANAM intercedit juſtitiam, quod quum in illa legis & coactionis ratio omnis ceſſet, (§. LXV.*) haec involvat rationem legis & coactionis, (§. LXIV. 8.) ac proinde 13. voluntas divina, quatenus hominibus pro actionum norma eſt, conjuncta ſit cum comminatione poenae, ſeu mali cujuſdam, iis a Deo repraeſentandi, qui voluntati ſuae non praeſtent obſequium. Quamvis 14. ea poena etiam poſitiva, (*) non, ut in legibus humanis, certa & definita, ſed plerumque indefinita ſit, Deuſque eam ſuae ſapientiae ac juſtitiae reſervarit.

(*) Qui omne malum paſſionis, quod malam ſequitur actionem, & cum hac connectitur, POENAM adpellitant, hi illam recte dividunt in NATURALEM & POSITIVAM. Clariſſ. Kochler. *Exercit. jur. natur.* §. *CCCLXII. ſequ.* Sed ſi per poenam intelligas malum paſſionis, quod ipſa lex divina peccantibus comminatur: poena poſitiva tantum poenae nomine *κυρίως* veniet. *Naturalem* & athei agnoſcunt: *poſitivam* non niſi ii, qui & exſiſtere Deum, & rerum humanarum curam gerere, ſtatuunt. Jam quamvis poena poſitiva definita non ſit, vel ipſa tamen recta ratio ſatis nos convincit, Deum non poſſe non humanibus & poenas, & praemia rependere, prout actiones voluntati ejus vel non attemperent, vel attemperent. Id enim *ἀμέσως* ex idea juſtitiae divinae fluit, & admiſſum eſt ab omnibus, qui in dubium non vocarunt divinam providentiam. Xenophon. Memorab. *Socr. l.* 4. 16. Οἴει δ' ἂν τοὺς θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις δόξαν ἐμφῦσαι, ὡς ἱκανοί εἰσιν εὖ καὶ κακῶς ποιεῖν, εἰ μὴ δυνατοὶ ἦσαν; καὶ ἀνθρώπους ἐξαπατωμένους τὸν πάντα χρόνον οὐδέποτ' ἂν αἰσθέσθαι; *Num arbitraris, Deos hominibus opinionem indituros fuiſſe, quod & beneficiis & poenis adficere poſſint, ſi non revera id poſſent? & homines, perpetuo deceptos, horum nihil umquam ſenſiſſe?*

Ut normam illam rite adplicemus, opus eſt certo jus naturae cognoſcendi principio.

§. LXVII. At quum dubitari vix poſſit, quin norma actionum humanarum non alia eſſe poſſit, quam voluntas, vel lex Dei: (§. LXIII.) jam porro merito quaeritur, quo pacto illam quam facillime cognoſcamus? Et ſane dum eam per rectam rationem univerſo humano generi promulgatam eſſe, omnes fatentur, (§. XI. 16.) recta vero ratio nobis eſt facultas ratiocinandi, veritateſque aliis per neceſſariam concludendi rationem eliciendi: (§. XV.) facile patet, 15. dari aliquam veritatem vel propoſitionem, ex qua per neceſſariam concludendi rationem, quid voluntati Dei conſentaneum, adeoque juſtum ſit, elici poſſit, adeoque 16. eſſe oportere commune aliquod ac generale jus naturae COGNOSCENDI PRINCIPIUM (*).

(*) Id quomodo ab ipſa norma differat, jam ſupra (§. LX. *) oſtendimus. Quum vero principii vocabulum latius acceperit illuſtriſſimus SAM. DE COCCEIIS, in *λογομαχίαν* abit, quidquid ei obvertit clariſſimus Jac. Frid. Ludovici. Quomodo enim illa voluntas Dei nobis innoteſcat ipſe vir illuſtriſſimus *Diſſ. I. quaeſt. III.* oſtendere conatus eſt, adeoque manifeſto diſtinxit *voluntatem Dei*, tamquam normam & principium eſſendi, quod vocant, juris naturae, *a mediis intelligendi & probandi voluntatem Dei*, adeoque a principio cognoſcendi.

Idque verum, evidens, atque adaequatum eſſe oportet.

§. LXVIII. Quumque omne cognoſcendi principium ita comparatum eſſe oporteat, ut ſit VERUM, EVIDENS atque ADAEQUATUM: conſequens eſt, 17. ut & juris naturae principium debeat eſſe VERUM, ne ſi illud vel fal-

Digitized by Google

falſum ſit, vel in nuda fictione conſiſtat, tales etiam concluſiones ex illo eliciantur. 18. Ut idem EVIDENS eſſe oporteat, & 19. ita quidem, ut non modo a docto aliquo, ſed & a quolibet plebeo, quippe qui aeque, ac ille, ad obſequium juri naturali praeſtandum obſtrictus eſt, perſpici atque intelligi poſſit (*). Denique 19. ut eſſe debeat ADAEQUATUM, omniaque officia tum hominum, tum civium, non modo Chriſtianorum, ſed & a Chriſtiana pietate alienorum, inde prono alveo fluant.

(*) Quemadmodum ergo ſuſpectae ſunt juſto ſubtiliores exſiſtentiae DEI demonſtrationes, quia illa veritas ita comparata eſſe dicitur, ut & plebejus quiſque ad eam animo concipiendam obſtrictus ſit, ac proinde Apoſtolus eam palpando inveniri poſſe docet, quippe ὀ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα, *non longe abſentem ab unoquoque noſtrum: Act. XVII. 27.* ita vix ſuſpicione caret ſubtile nimis juris naturalis principium, quum ἀναπολόγητοι ſint omnes, etiam indocti, & ſubtiliori philoſophiae non adſueti, ſi contra jus naturae peccaverint.

§. LXIX. Itaque 20. juris naturalis principium quaerere non poſſumus in convenientia actionum noſtrarum cum ſanctitate Dei: quia, ſi vel maxime largiamur, veram eſſe hanc propoſitionem, ea tamen nec evidens eſt, nec ita comparata, ut omnia officia vel hominum, vel civium, inde elici probarique poſſint (*). Unde hoc principium non eſt in ſanctitate Dei quaerendum.

(*) Quam obſcura enim ſit ſanctitatis divinae idea, ſive eam in ſenſu theologico, ſive in juridico, accipias, jam oſtenderunt Sam. Puſendorff. *Specim. Controv. IV.* 4. Thomaſ. *Fundam. jur. nat. & gent. I. 6. 11. ſequ.* Et quam multa ſunt officia, quorum ἀρχέτυπον in Deo non reperimus? e. g. gratus animus erga benefactores, reverentia erga ſuperiores, redditio crediti, ſimilia.

§. LXX. Nec magis 21. ſufficit propoſitio, id, quod ſua natura juſtum eſt, eſſe faciendum, quod ſua natura injuſtum, fugiendum. Quamvis enim jam ſupra a nobis conceſſum ſit, actiones quaſdam in ſe ſuaque natura bonas, vel malas, & ad illas amplectendas, has fugiendas, hominem intrinſecus obligari: (§. VIII.) falſum tamen eſt, actionem illam intrinſecus & antecedenter ad legem juſtam eſſe (*) (§. VII.). Ut jam non dicamus, nec evidens eſſe hoc cognoſcendi principium, nec omnia hominis ac civis officia inde poſſe derivari. Nec in ipſa actionum humanarum juſtitia vel injuſtitia.

(*) Ad actiones enim JUSTAS obligatione externa impellimur. (§. VII.) Obligatio externa conſiſtit in entis, cujus imperium agnoſcimus, quodque actiones quaſdam ſub comminatione poenae prohibeat praecipiatque, voluntate. (§. VIII.) 10. Quum vero talis voluntas ſit LEX: (§. IX. 11.) nulla actio juſta injuſtaque eſſe poteſt ſine lege, adeoque non datur actio, intrinſecus & antecedenter ad legem juſta, ſed, quia legi convenit, ideo juſta habetur, quemadmodum, ideo injuſta eſt actio, quod legi refragatur, & hinc omne peccatum ἀνομία, ſeu *legis tranſgreſſio*, vocatur. *1. Epiſt. Joann. III. 4.*

§. LXXI. Nemo porro 22. temere ſuffragabitur viris doctis, a quibus gentium vel omnium, vel humaniorum, conſenſus pro principio juris naturalis habitus eſt. Nam nec *verum* eſt, id, in quo gentibus inter ſe convenit, etiam voluntati divinae convenire: (*) nec omnibus *evidens* eſt ille gentium conſenſus, quippe ex multis veterum & recentiorum ſcriptorum teſtimoniis colligendus, nec tam *adaequata* haec videri poteſt propoſitio, ut omnia hominum civiumque officia inde prono alveo fluant. Nec in conſenſu omnium gentium.

(*) Ita

Digitized by Google

(*) Ita jus gentium voluntarium, quod vocat, probandum jam olim cenſuit Cic. *Tuſc. Diſp. I.* 13. *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturae putanda eſt.* Eidem principio poſtea permultum tribuit Grot. *de jure belli & pac. prolegom.* §. *XL.* ubi de modo probandi jus naturae & gentium ex inſtituto differens: *Uſus ſum*, inquit, *ad juris hujus probationem teſtimoniis philoſophorum, hiſtoricorum, poetarum, poſtremo & oratorum, non quod illis indiſcrete credendum ſit, (ſolent enim ſectae argumento cauſſae ſervire:) ſed quod, ubi multi, diverſis temporibus & locis, idem pro certo adfirmant, id ad cauſſam univerſalem referri debeat: quae in noſtris quaeſtionibus alia eſſe non poteſt, quam aut recta illatio, ex naturae principiis procedens, aut communis aliquis conſenſus. Illa jus naturae indicat, hic jus gentium.* Enimvero in multis mirum gentium paene omnium conſenſum deprehendimus, quae nemo juris naturae vel gentium eſſe dixerit, veluti in πολυθεότητι, idololatria, ſacrificiis, latrociniis, extra cujuſque rempublicam licitis. κ. τ. λ. Deinde difficillime hic gentium conſenſus oſtenditur, ipſo fatente Grotio I. 1. 15. *Latius autem patens eſt jus gentium, id eſt, quod gentium omnium, aut multarum, voluntate vim obligandi accepit. Multarum addidi, quia vix ullum jus reperitur, extra jus naturale, quod ipſum quoque gentium dici ſolet, omnibus gentibus commune. Immo ſaepe in una parte orbis terrarum eſt jus gentium, quod alibi non eſt, ut de captivitate ac poſtliminio ſuo loco dicemus.* Quam multa ergo ſunt officia quae ex conſenſu gentium demonſtrari a nemine poſſunt?

Nec in ſeptem Noachi praeceptis.

§. LXXII. Quemadmodum vero, qui jus naturae vel gentium ex illa gentium conſenſione derivandum exiſtimant, non modo principium minus verum, inevidens ac inadaequatum adſumunt, ſed & ſimul μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committunt, dum jus naturae non ex ipſa natura, ſed ex gentium traditione, derivare conantur: ita 23. iiſdem vitiis laborare jus naturae & gentium Hebraeorum, quod ex praeceptis Noachi vel promanare, vel probari poſſe exiſtimant, jam ſupra, quantum ſatis eſt, oſtendimus. (§. XVI.)

Nec in jure omnium in omnia, vel ſtudio pacis externae.

§. LXXIII. Quid porro 24. dicamus de tota illa Tho. Hobbeſii philoſophia, quam tum in libello de Cive, tum in Leviathane, quem vocat, propoſuit? Dum enim vir ille doctus in ſtatuto naturali jus omnium in omnes eſſe docuit, nec *veram* poſuit propoſitionem, nec *evidentem*, nec *adaequatam*, quum officia erga Deum & ſeipſum inde deduci nullo modo poſſint. Immo hoc ipſo, dum ſe jus naturae hoc modo explicaturum promittit, illud plane ſuſtulit evertitque, ceu oſtendit celeb. Henr. Coccei. *Diſſ. de jure omn. in omnes.* Ex quo ſimul patet, 25. quid ſtatuendum ſit de altero principio, quaerendam eſſe pacem externam, ſi haberi poſſit, ſin id minus fieri poſſit, belli circumſpicienda eſſe auxilia. Nam & hic, veluti ſub ſipario, latitare Hobbeſium, nemo nou intelligit (*).

(*) In primis vel maxime inevidens eſt hoc principium. Quid enim ſibi vult illa limitatio: *Si haberi poſſit?* Quam facile ea, quocumque modo explicata, abutentur homines litigioſi, ſeque pace, invito altero, frui non potuiſſe conquerentur? exemplo lupi, qui ſibi turbatam ab agno aquam, cauſſabatur. Phaedr. *Fab. I.* 1. Vere neſcio quis cecinit:

Sic nocet innocuo nocuus, cauſſamque nocendi
Invenit. Heu regnant qualibet arte lupi.

Obſervavit hoc illius principii vitium jam celeberrimus Thomaſ. in *Fundam. jur. nat. & gent. I.* 6. 18.

Nec in ſtatu integritatis.

§. LXXIV. Magna *veritatis* pietatiſque ſpecie blanditur 26. principium VAL. ALBERTI, theologi & philoſophi Lipſienſis, de ſtatu integritatis: quamvis ne id quidem *verum* eſſe, jam alii oſtenderint. Puſend. *Specim. controv. IV.* 12. & Thomaſ. *Juriſpr. divin. IV.* 40. *ſequ.* Sed ſi vel maxime

Digitized by Google

me largiamur, vere juris naturae eſſe, quae ſtatui illi primaevae integritatis conveniunt: quam *inevidens* non modo paganis, ſed & ipſis Chriſtianis, hoc ſit principium, nemo non intelligit. Denique quum ex illo principio explicari nequeat, quae ſint jura civitatis, belli, contractuum, ſimiliaque plurima, quibus fortaſſis in ſtatu illo feliciſſimo vix locus fuiſſet: quis *adaequatum* eſſe hoc principium dixerit?

(*) Quam pauca enim ſint, quae ſacrae litterae de imagine Dei ſtatuque integritatis inculcant, res ipſa docet. De iis quoque, quae nobis de eo ſtatu revelata ſunt, ipſi Chriſtiani, ex quo in ſectas diſceſſerunt, quam maxime inter ſe diſſentiunt. Quid dicamus de Judaeis? quid de paganis ipſis priſcis ac hodiernis? Servarunt illi fabulam de ſaeculo aureo, quam quidam ex traditione de ſtatu paradiſiaco natam exiſtimant. Hi aliis commentis, quae doctrinae Chriſtianae de imagine Dei quodammodo ſimilia ſunt, delectantur: de quibus erudite ſuo more diſſerit Petr. Dan. Huet. *Quaeſt. Alnetan. II. 11. p. 172.* Sed quum haec omnia non parum inter ſe diſcrepent, ſane nec Chriſtianus Judaeo vel pagano, nec hi Chriſtiano ulli perſuadebunt, eſſe hoc vel illud juris naturae, quod ipſi ex traditionibus vel revelationibus ſuis de ſtatu integritatis vel paradiſiaco derivarunt. Opus ergo eſt principio Chriſtianis cum Judaeis & paganis communi, quod non aliud profecto eſſe poteſt, quam qua omnes mortales praeditos eſſe novimus, recta ratio.

§. LXXV. Mirifice non modo GROTIO & PUFENDORFFIO, ſed & veteribus pleriſque, (*) placuit principium ſocialitatis. Nec negari poteſt, quod infra ex inſtituto demonſtrabimus, homines jam ita eſſe comparatos, ut eos vivere oporteat ſocialiter. At 27. falſum tamen eſt, eſſe hoc totius juris naturae principium, *verum*, *evidens* atque *adaequatum*. Qua in re demonſtranda quum otium nobis jam fecerit vir illuſtriſſimus atque excellentiſſimus, SAM. DE COCCEIIS *de princ. iur. nat. diſſ. I. quaeſt. II. §. IX. ſequ.* id unum addimus, officia erga Deum & nos ipſos pleraque locum eſſe habitura, ſi vel maxime homo ſolus, & extra omnem ſocietatem humanam, in hoc terrarum orbe viveret. Nec in ſocialitate.

(*) Societatis cuſtodiam, tamquam verum juſtitiae fontem, jurisque naturalis principium jam olim laudarunt Cicero *de Legib. I. 5. de Offic. I. 16. ſequ.* Seneca *de Benefic. IV.* 18. Jamblich. *in Protrept. Cap. XX.* & alii, quorum teſtimonia accumularunt Pufend. *de jure nat. & gent. II.* 3. 15. & Jo. Henr. Boecler. *in Grot. prolegom. pag.* 48. *ſequ.* Quamvis vero in hoc principium & olim & noſtra memoria plures conſenſerint: inter eos tamen parum convenire animadvertimus de ratione, cur ad ſocietatis cuſtodiam obſtricti ſint homines, aliis homines natura duce ad illam ferri, aliis juſſu Dei O. M. illam colendam eſſe, aliis denique ipſam neceſſitatem homines ad vitam ſocialem compellere, ſtatuentibus.

§. LXXVI. Sunt & alia, quae alii jactant, juris naturalis principia, veluti 28. ordo naturalis, quem creator in condendo hoc terrarum orbe intendit, 29. utilitas humani generis, 30. theocratia moralis, & ſimilia (*). Sed ne illa quidem vel evidentia, vel adaequata eſſe, inter omnes conſtat. Quin in his quaedam, non niſi adhibita cautione, tamquam vera admitti poſſe, nemo temere negaverit. Nec in ordine naturae, ſimilibuſque hypotheſibus.

(*) Ordinem illum naturae poſt Sfort. Pallavicinium verum ac genuinum juris naturalis principium eſſe docuit Henr. Bodin. *in Diſſ. de jure mundi*, edita primum Rinthel. anno MDCXC. recuſa Halae MDCXCVIII. ſed ex inſtituto refutata a cel. Thomaſio *de fundam. definiendi cauſſ. matr. bact. recepr. inſufficient. § XVIII. ſequ.* Utilitatem humani generis pro juris naturae principio habuerunt tum celeberrimus Leibnitius, tum omnes, qui cum laudatiſſimo Thomaſio commenda-

rant propoſitionem fundamentalem : Facienda eſſe omnia , quae vitam hominis reddant & maxime diuturnam , & feliciſſimam , & evitanda ea , quae vitam reddant infelicem , & mortem accelerent. Thomaſ. *Fund. jur. nat. & gent.* I. 6, 21. Theocratiam quamdam moralem ſingulari diſſertatione, Ultraj. MDCXCII edita, pro fundamento juris naturae habuit Jo. Shute, Anglus, ex qua diſſertatione, ſatis ingenioſa, quaedam excerpſit illuſtriſſimus SAM. DE COCCEI. *de princip. jur. nat. & gent. diſſ.* I. *quaeſt.* III. §. VIII.

Dei voluntas felicitatem noſtram intendit.

§. LXXVII. Ut ergo , quid nobis , rem omnem paullo accuratius expendentibus , in mentem venerit , perſpicue oſtendamus : primo omnium obſervamus , 31. Deum , tamquam ens infinitae ſapientiae ac bonitatis, nihil aliud velle , quam ut homines , quos condidit , vere felices ſint ac beatiſſimi . Quum enim ipſe tamquam ens perfectiſſimum nulla re indigeat : homines , qui ſoli ex rebus creatis , nobis notis ; felicitatis capaces ſunt , non ſuae felicitatis cauſſa condidit , ſed , ut eos verae felicitatis participes redderet (*).

(*) Non quidem excludimus finem primarium , gloriam ipſius creatoris , ſuarumque perfectionum , quae ex tot rebus quam ſapientiſſime conditis clariſſime elucerent , manifeſtationem. Sed iſte quidem finis eſt generalis , & ad totum hoc univerſum pertinet. Cel. Wolf. *von den Abſichten der Dinge. Cap.* I. §. II. *Cap.* II. §. I. Speciatim hominem ad quem finem condiderit Deus , ex partibus eſſentialibus , quas ei dedit , eſt judicandum . Quemadmodum ergo *intellectum* accepit , ut Deum, naturam, omneque verum bonum cognoſceret , *voluntatem* , ut Deo veroque bono frueretur , *corpus* , ut varias actiones, quae ad acquirendam conſervandamque veram felicitatem pertinent, ederet : ita exinde manifeſto patet , hominem ideo condidiſse Deum , ut veram cum eo felicitatem communicaret.

Ad eamque nos lege naturali obligat.

§. LXXVIII. Quum ergo haec Dei voluntas ſit , ut homines , quos condidit , vere felices ac beatiſſimi ſint , (§. LXXVII.) voluntas vero Dei ſit norma actionum humanarum liberarum, adeoque fons juris naturae ac juſtitiae : (§. LXII.) conſequens eſt , 32. ut quum humani legislatores, tamque variarum rerum indigi, in ferendis legibus, non minus ſuam, quam civium ſuorum , utilitatem ob oculos habeant : Deus contra leges naturae hominum cauſſa condiderit, nec 33. iis quidquam intenderit aliud, quam ut homines vera felicitate perfruerentur (*).

(*) Non vero ideo cum Carneade aliiſque (§. LXXVI.) *ſolam utilitatem juſti prope matrem & aequi eſſe* contendimus. Ita enim jus naturae , ex ſola utilitate natum, non eſſet obligatorium , quippe cui unuſquiſque , vel ſaltim totum humanum genus , jure renunciaret , ceu praeclare docuit vir laudatiſſimus Sam. de Cocceiis *diſſ.* I. *quaeſt.* II. §. IX. *ſequ.* Sed quidquid verae noſtrae felicitatis cauſſa ſecundum jus naturae agimus , id omne agimus volente ac jubente Deo , adeoque ex obligatione, non modo interna , ſed & externa , ac proinde tantum abeſt, ut renunciare quiſquam ſuae utilitati poſſit , ut potius non minus poenam mereamur, qui legem ſuo bono conditam violat, quam qui in republica contra legem omnium ſingulorumque civium bono latum, vel in ejus fraudem aliquid facit.

Illa felicitas in fruitione boni per amorem poſita eſt : adeoque principium I. N. eſt amor.

§. LXXIX. Si ergo veram hominis felicitatem intendit Dei voluntas , ad eamque conſervandam jus naturae comparatum eſt, (§. LXXVIII.) vera vero felicitas in fruitione boni , malique abſentia conſiſtit : (*Elem. philoſ. mor.* §. CXXXVIII.) conſequens eſt , 34. ut & lege naturae id intendat ſummum numen , ut vero bono perfruamur, malumque evitemus. Quandoquidem vero bono perfrui non poſſumus, niſi per AMOREM : (*Philoſ.*

loſ. mor. §. *CXCVII.*) inde porro inferimus, 35. Deum nos obligare ad AMOREM, eumque 36. & principium juris naturae, & 37. ejuſdem veluti compendium eſſe (*).

(* En mirificum legis divinae revelatae ac naturalis concentum (§. XVI. 29.) Illius ſummam Servator his paucis comprehendit: *Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente & cogitatione tua: & proximum tuum ſicut teipſum*, Matth XXII. 37. Luc. X. 27. additque: ἐν ταυταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος κρέμαται. *Ab iſtis duobus praeceptis tota lex pendet*. Quemadmodum & Apoſtoli amorem alibi vocant ἀνακεφαλαίωσιν τοῦ νόμου, *ſummam legis*, nec non πλήρωμα νόμου, *legis impletionem*, Rom. XIII. 9 10. alibi σύνδεσμον τῆς τελειότητος, *vinculum perfectionis*, Col. III. 14. alibi τὸ τέλος τῆς παραγγελίας, *finem praecepti*. 1. Tim. I. 5. Idem ergo vero ratio docet, non aliud inculcans juris naturae principium, quam amorem, quippe quo ſolo medio felicitate ſeu vero bono, quod Deus lege ſua intendit, perfruimur. Unde & Leibnit. *praef. Tom. I. Cod. jur. gent. dipl. praemiſſa P. X. ſi numeres*, juſtitiam *caritatem ſapientis* definit.

§. LXXX. AMOR nobis eſt appetitio boni, cum percepta ex ejus perfectione & felicitate delectatione conjuncta: ODIUM averſatio mali, cum percepta ex ejus infelicitate voluptate conjuncta. Itaque, 38. quod amamus, ex ejus praeſtantia & felicitate voluptatem capimus, eamque, quantum in nobis eſt, amplificare vel conſervare connitimur. 39. Quod contra odio proſequimur, id infeliciſſimum potius, quam felix ac beatum, eſſe cupimus. Quid amor & odium?

§. LXXXI. Quum ergo quod amamus, ex ejus praeſtantia felicitateque voluptatem capiamus, (§. LXXX. 38.) per ſe patet, 40. amantem nihil aegre facere velle ei, quod amat: immo potius 41. dolorem inde concipere, ſi quis alius tale quid audeat. Quia enim qui aegre alicui facit, vel id fieri aequo animo patitur, voluptatem ex alterius infelicitate capit; voluptatem vero ex alterius infelicitate capere idem eſt, ac odiſſe, (§. LXXX.) denique ſimul amare, ſimul odiſſe, contradictionem involvunt, adeoque una conſiſtere non poſſunt: *Elem. philoſ. rat.* §. *LXXI.*) conſequens eſt, ut & conſiſtere non poſſint amare aliquid, & eidem aegre facere, vel ut id fiat, aequo animo pati. Amor alteri aegre non facit.

§. LXXXII. Aegre alteri fit dupliciter, vel aliquid, quod eum infeliciorem, quam natura eſt, reddit, faciendo: vel felicitatem, quam jam habet, eidem intervertendo. Jam quum facientes aliquid, quod alterum reddit infeliciorem, quam natura eſt, fit LAEDERE; intervertere alteri aliquid, quod jam ſibi juſte adquiſivit, & ad ejus felicitatem pertinet, SUUM ALICUI AUFERRE vel DENEGARE: ſequitur, 42. ut is quam maxime contra legem amoris peccet, qui alterum laedit, quodque ejus eſt, aufert, intervertit, ac denegat, 43. ut contra infimus ſit amoris gradus neminem laedere, & ſuum cuique vel tribuere, quod debetur, vel quod jam habet, relinquere: quem (*) amoris gradum nos quidem vocamus AMOREM JUSTITIAE. Inde amoris primus gradus, quem juſtitiae amorem vocamus.

(*) Animadvertit hoc Seneca, dum *Epiſt. XCV.* ait: *Quantulum eſt, ei* NON NOCERE, *cui debeas prodeſſe?* Qui alteri non nocet, tantum non ſceleratus eſt, nondum autem eo juſtitiae genere legi amoris ſatisfacit, quae, ut & proſimus alius, jubet, adeoque de virtute gloriari non poteſt. Unde & illuſtris Leibnit. *in praef. Cod. jur. gent. diplom. p.* VII tres ſtatuit juris naturae gradus: *jus ſtr* [illegible]

 quod

quod neminem laedere, *aequitatem*, vel *caritatem*, quae ſuum cuique tribuere, & *pietatem*, quae omnem honeſtatem ſervare jubeat. At in gradu ſecundo ab eo diſceſſionem facimus, quia & is ſuum cuique tribuit, qui alteri, quod jure ſtricto debetur, tribuit, adeoque illud *ſuum cuique tribuere* non ad ſolam juſtitiam diſtributivam referendum videtur.

A quo differt alter gradus, quem amorem humanitatis & beneficentiae vocamus.

§. LXXXIII. Deinde ex eo, quod amans ex alterius felicitate voluptatem capit, (§. LXXX.) conſequitur, 44. ut ei, quem amat, & illud libenter tribuat, quod jure ſtricto non debet, & tamen ad ejus felicitatem pertinere animadvertit, iſque multo ſublimior ſit amoris gradus, quem nos AMOREM HUMANITATIS & BENEFICENTIAE adpellamus (*). Quum vero facultatem, diſcernendi ea, quae ad noſtram aliorumque felicitatem pertinent, SAPIENTIAM vocemus: facile patet, 45. hunc amorem humanitatis ac beneficentiae directricem veluti habere debere ſapientiam.

(*) Et ita quidem differunt HUMANITAS & BENEFICENTIA, quod ex illa aliquid ſine detrimento noſtro tribuamus alteri, quod ei profuturum animadvertimus; haec nos ſubigat, ut ne noſtris quidem rebus parcamus, ut utilitatem adferamus alteri, adeoque & cum detrimento noſtro alteri prodeſſe ſtudeamus. De priori Cicero *de offic. l. 16. Omnia communia hominum videntur ea, quae ſunt generis ejus, quod, ab Ennio poſitum in una re, transferri in multas poteſt:*

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipſi luceat, quum illi accenderit.

Una ex re ſatis praecipit, ut, quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: pati ab igne ignem capere, ſi qui velit: conſilium fidele deliberanti dare: quae ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta. De poſteriore Seneca totum librum compoſuit, quem *de beneficiis* inſcripſit.

Utriuſque amoris differentia ratione obligationis.

§. LXXXIV. Ceterum quum, qui AMOREM JUSTITIAE alteri negat, ſit ſceleratus, contra, qui negat amorem HUMANITATIS & BENEFICENTIAE, tantum virtutes non praeſtet, (§. LXXXII.) ad virtutem vero cogi nemo poſſit, quum contra ſcelera poenis coerceri omnino oporteat: (§. IX.) facile patet, 46. ad AMOREM JUSTITIAE homines cogi poſſe, non autem 47. ad AMOREM HUMANITATIS ac BENEFICENTIAE. Quandoquidem vero obligatio, cum coactione conjuncta, PERFECTA; coactionis expers IMPERFECTA vocetur: (§. IX.) merito inde colligas, 48. ad *amorem juſtitiae perfecte;* ad amorem *humanitatis* & *beneficentiae imperfecte* tantum nos eſſe obligatos.

(*) Qui obligationi perfectae ſatisfaciunt, *ad legem boni eſſe* dicuntur Senecae. Id vero exiguum quid eſſe docet alibi: a ſapiente vero multo plus exigi, nempe ut amorem beneficentiae oſtendat, etiam ubi ſeſe nihil jure ſtricto debere noverit. *Multa*, inquit, *legem non habent, nec actionem, ad quae conſuetudo vitae humanae, lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex jubet amicorum ſecreta non eloqui: nulla lex fidem etiam inimico praeſtare. Quae lex ad id praeſtandum nos, quod alicui promiſimus, alligat? Querar tamen cum eo, qui arcanum ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſervatam, indignabor.* Sen. *de benef. V*, 21.

Amor quomodo ratione obiecti differat?

§. LXXXV. Quum porro AMOR ſemper adpetat bonum, (§. LXXX.) id vero, quod tamquam bonum amplectimur, vel ſit ens *perfectius*, vel *nobis aequale*, vel denique *inferius* ac minus praeſtans: primi generis amorem DEVOTIONIS vel OBEDIENTIAE, ſecundi AMICITIAE, tertii BENEVOLENTIAE vocamus. (*Elem. philoſ. moral.* §. CC.)

Quid amor devotionis,

§. LXXXVI. Amor DEVOTIONIS vel OBEDIENTIAE eſt amor entis praeſtan-

Digitized by Google

vel obedientiae, amicitiae & benevolentiae.

ſtantioris perfectiorisque, cujus praeſtantia ac felicitate ita delectamur, ut illud ideo omni veneratione atque obſequio proſequendum cenſeamus. Amor AMICITIAE amor entis nobis aequalis, cujus felicitate aeque ac noſtra delectamur. Amor denique BENEVOLENTIAE amor entis inferioris atque imperfectioris, cujus felicitate ita delectamur, ut illam ſervare, & quantum in ens iſtud cadit, amplificare ſtudeamus.

Amoris devotionis & obedientiae indoles.

§. LXXXVII. Ex quibus definitionibus colligimus, 49. non poſſe nos aliquid amore devotionis vel obedientiae proſequi, niſi cujus de majore perfectione & ſuperioritate convicti ſimus. 50. Nec amorem hunc locum habiturum, niſi ens, quod illo amplectimur, ita comparatum ſit, ut amari a nobis velit. 51. Eum amorem ſemper cum ea veneratione atque obedientia, quae ente illo ejuſque perfectionibus digna ſit, conjunctum eſſe debere (*).

(*) Eſt enim VENERATIO vel HONOR juſta perfectionum, quae alteri inſunt, aeſtimatio; OBEDIENTIA, proclivitas mentis ad ea omnia, quae alter tamquam ſuperior a nobis jure exigere poteſt, facienda, & quae fieri vetat, omittenda. Quum ergo & perfectionum & ſuperioritatis gradus quam plurimi ſint; etiam venerationis atque obedientiae totidem gradus eſſe, &, quo major eſt entis perfectio ac ſublimitas, eo majorem ei venerationem ac obedientiam exhiberi oportere, facile patet.

Item que amoris amicitiae.

§. LXXXVIII. Praeterea inde patet, 52. amorem amicitiae ex aequalitate naſci. Aequalitas eſt vel NATURAE, vel PERFECTIONUM. Hinc, illa quidem poſita, 53. aequalia etiam amoris officia debentur: ac proinde 54. inter omnes natura aequales obtinere debent regulae incomparabiles, *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*: nec non 55. *Quod vis tibi ab alio fieri, id alii feceris, Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. Tob. IV, 16.* quorum prior amoris juſtitiae, poſterior humanitatis ac beneficentiae verum ac genuinum fundamentum eſt. Quia tamen, ſi vel maxime aequalis ſubiecti amantis & amati natura ſit, alterutrum tamen vel perfectius, vel imperfectius eſſe ſolet: 56. fieri poteſt, ut hominem, tamquam nobis natura aequalem, *amore amicitiae*, ſimulque, tamquam perfectiorem imperfectioremve, *amore* vel *devotionis & obedientiae*, vel *benevolentiae* proſequi teneamur (*).

(*) Sic quamvis princeps, tamquam ſuperior, venerationem atque obedientiam a nobis jure exigat; id tamen non prohibet, quo minus nobis officia, quae ex aequalitate naturae promanant, debeat, e. g. ut ne quem noſtrum injuria occidat, nec illi damnum det injuria, nec contumelia nihil tale meritum adficiat, denique ut id praeſtet, quod in Traiano laudat Plin. *Paneg. Cap. II. ut non minus hominem ſe, quam hominibus praeeſſe, meminerit.*

Nec non amoris benevolentiae.

§. LXXXIX. Denique quum amor benevolentiae entis imperfectioris felicitatem, quanta in illud cadit, ſervare atque amplificare ſtudeat: (§. LXXXVI.) conſequens eſt, 57. ut nec ens inferius, illumve, cui in illud jus eſt, laedere, aut jus ei denegare debeamus: 58. Ut illi benefacere teneamur, ſed adhibita prudentia: adeoque 59. profuſio, & quidquid potius, quam liberalitas & beneficentia, exiſtimanda ſit, cui ratio non conſtat.

Quot ſint huius amoris obiecta?

§. XC. Jam ſi entia, quae nos circumſtant, omnia paullo accuratius conſideremus: non niſi tria reperimus, quibus amoris quaedam officia praeſtare

Digitized by Google

ſtare poſſimus, DEUM, rerum omnium conditorem, NOS IPSOS, qui nobis ſane ſumus proximi, ac denique ALIOS HOMINES, quos nobis natura aequales eſſe, animadvertimus. Quod enim ad ſpiritus, veluti angelos, attinet, eorum naturam ratio ſola non ita perſpectam habet, ut iis certa a nobis officia deberi, intelligat. Brutis vero cum hominibus nulla eſt juris communio, (* adeoque ipſis nihil officii; ſed Deo tantum, eorum conditori, id debemus, ne rebus ab eo creatis perverſe utamur. Puſend. *de Jure nat. & gent. IV*, 3. 6.

(*) Illam enim iuris communionem, ceu infra patebit, ex pacto eſſe oporteret. At obligationis ex pacto tum activae, tum paſſivae, bruta prorſus incapacia ſunt. Nec ſuffragari poſſumus Pythagoreis & Porphyrio in libris *περὶ ἀποχῆς*, qui non ſolum ſenſum & memoriam, ſed & mentem ratione praeditam brutis tribuebant. Quatenus tamen homines affectum quemdam in brutis animadvertunt, eatenus illis amorem quemdam benevolentiae reddunt, ut nec facultate ſua in illis occidendis abutantur, & commodiore eorum vita delectentur, ceu exemplo catellorum domeſticorum deprehendimus. Eleganter Plutarch. *in Catone mai. p. 130.* *Καίτοι χρηστότητα τῆς δικαιοσύνης πλατύτερον τόπον ὁρῶμεν ἐπιλαμβάνουσαν. Νόμῳ μὲν γὰρ καὶ τῷ δικαίῳ πρὸς ἀνθρώπους μόνον χρῆσθαι πεφύκαμεν. πρὸς εὐεργεσίας δὲ καὶ χάριτας ἔστιν ὅτε καὶ μέχρι τῶν ἀλόγων ζώων. ὥσπερ γὰρ ἐκ πηγῆς πλουσίας ἀπορρεῖ τῆς ἡμερότητος καὶ γὰρ ἵππων ἀπειρηκότων ὑπὸ πόνου, τροφαί, καὶ κυνῶν οὐ σκυλακεῖαι μόνον, ἀλλὰ καὶ γηροκομίαι τῷ χρηστῷ προσήκουσιν. Atqui benignitati videmus, quam juſtitiae, latiorem patere campum. Lege enim & juſtitia uti erga ſolos homines valemus: beneficentiam & merita porrigimus nonnumquam & ad bruta animantia, quippe emanante, velut ex largo fonte, manſuetudine. Pertinent namque, equorum labore confectorum alimenta & canum non incunabula modo, ſed & ſenectutis cura ad mitem hominem.*

Axioma primum de amore erga Deum.

§. XCI. Quum vero DEUM optimum maximum aliter concipere non poſſimus, quam tamquam ens perfectiſſimum, a quo omnis noſtra pendet & exiſtentia & conſervatio, cujuſque de perfectione & ſuperioritate, immo & de voluntate, ut a nobis ametur, convicti ſumus: (§. LXXXVII.) ſequitur 60. ut ei debeamus amorem DEVOTIONIS & OBEDIENTIAE: qui quum dignus ente perfectiſſimo eſſe debeat, 61. primum ſe nobis ſua ſponte offert axioma: DEUS TAMQUAM ENS PERFECTISSIMUM, ET A QUO TOTI PENDEMUS, OMNIBUS ANIMI VIRIBUS, (*) COLENDUS, EIQUE PERFECTISSIMUM AC INTERNUM QUOQUE OBSEQUIUM PRAESTANDUM EST.

(*) Quum enim venerationem, qua ens ſuperius proſequimur, dignam illo eſſe oporteat: (§. LXXXVII.) non poſſumus non colligere, enti perfectiſſimo deberi venerationem ſummam. Quumque Deus non modo actiones externas, ſed & ipſum animum noſtrum, perſpectiſſimum habeat: ei nos non externa tantum venerationis ſigna, verum etiam animum venerabundum, praeſtare debere, ſatis patet. Et hic quidem eſt cultus ille vel amor, quem ſacrae litterae exigunt, *ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ ὑμῶν, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ ὑμῶν, ex toto corde noſtro, ex tota anima noſtra, & ex tota mente noſtra*, *Math.* XXII, 37. vel, quod *Luc* X. 27. additur, *ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος ὑμῶν, ex omnibus viribus noſtris*.

Axioma ſecundum de amore erga nos ipſos.

§. XCII. NOSTRUM IPSORUM amor non poteſt aliter eſſe comparatus, quam ut perfectione ac felicitate noſtra delectemur. (§. LXXX.) Hinc ergo 62. ad perfectionem felicitatemque conſequendam, & pro virili conſervandam amplificandamque, obligamur. At quum quo ens eſt perfectius, eo majorem illi honorem atque obedientiam debeamus: (§. LXXXVII. *)

63. ca-

Digitized by Google

63. cavendum eſt, ne nos ipſos magis, quam Deum, amemus, atque ita in φιλαυτίαν pravam degeneret amor iſte noſtri immodicus. Ex quo 64. alterum fluit axioma: HOMO NIHIL EORUM, QUAE AD PERFECTIONEM FELICITATEMQUE ADSEQUENDAM, CONSERVANDAM, AMPLIFICANDAMQUE PERTINENT, PRAETERMITTERE TENETUR, (*) DUM ID SINE AMORIS DIVINI VIOLATIONE FIERI POSSIT.

(*) Nam Deus hominem obligat ad boni fruitionem: (§. LXXIX.) adeoque ad felicitatem adipiſcendam, conſervandam, amplificandamque. Quum vero aliquando plura et bona repraeſentantur, quorum unum altero praeſtantius eſt; (*Elem. phil. mor.* §. CXLIX. *ſequ.*) bonumque minus, quod nos fruitione maioris boni privat, pro malo habendum ſit; (*Ibid.* §. CLII, 12.) nemo non videt, Deum nos obligaſſe ad id, quod ex bonis pluribus ſit optimum eligendum.

§. XCIII. Quandoquidem porro homines omnes nobis natura aequales ſunt, illa vero naturae aequalitas aequalia etiam amoris officia exigit: (§. LXXXVIII, 53.) conſequens eſt, 65. ut alterius felicitate non minus quidem, at non magis, quam noſtra, delectari, adeoque 66. eum perinde, ac nos ipſos; 67. non ipſos vero non minus, quam proximum, amare teneamur. Unde 68. tertium axioma: HOMO HOMINEM NON MINUS, QUAM SEIPSUM TENETUR AMARE, NEC ALTERI, QUOD SIBI FIERI NON VULT, FACERE, CONTRA ILLI FACERE OMNIA, QUAE SIBI AB ALTERO FIERI CUPIT. Axioma tertium de amore erga alios.

§. XCIV. Ceterum genuinum hoc eſſe iuris naturalis principium, comparatis, quae ſupra praemiſimus, principii cognoſcendi requiſitis, facile praeſtabimus. Nihil enim illo poteſt eſſe *verius*, quum ex ipſa voluntatis divinae, naturaeque humanae indole fluat, &, quo ego magnopere delector, in ipſis ſacris litteris praeſidium reperiat. Nihil *evidentius*, quum omnes, quae illud ingrediuntur, notiones ita ſint comparatae, ut ex ſola recta ratione etiam ab homine litterarum rudi, immo & a pagano cognoſci faciliime poſſint. Nihil denique magis *adaequatum*, quum reipſa nos paullo poſt demonſtraturos putemus, nullum eſſe vel hominis, vel civis, officium, quod non ex his principiis, tanquam ex uberrimo limpidiſſimoque fonte, promanet. Principium hoc verum, evidens ac adaequatum eſt.

CAPUT IV.

DE ADPLICATIONE HUJUS NORMAE AD ACTIONES, ET EMERGENTE INDE HARUM DIFFERENTIA.

§. CXV.

VIſa jam actionum humanarum liberarum indole, viſa itidem norma, ad quam illae exigendae ſint: proximum eſt, ut de ADPLICATIONE HUJUS NORMAE AD ACTIONES humanas & liberas quaedam adjiciamus. Adplicatio legis ad factum dicitur IMPUTATIO, ac proinde de imputatione potiſſimum hoc capite erit diſſerendum. Connexio.

§. XCVI.

Imputatio fit per comparationem legis & facti, adeoque per ratiocinationem.

§. XCVI. Quum ergo IMPUTATIO ſit adplicatio legis ad factum; (§. LXXXV.) ea vero non aliter fieri poſſit, quam lege & facto, id eſt, duabus propoſitionibus, per ſyllogiſmum, inter ſe & cum tertia comparatis: conſequens eſt, 1. ut IMPUTATIO ſit ſyllogiſmus vel ratiocinatio, cujus majorem propoſitionem LEX, minorem ACTIO, concluſionem SENTENTIA abſolvit (*).

(*) IMPUTARE proprie eſt aliquid in alterius rationes, vel expenſis tabulas referre. Sen. *Epiſt.* VIII. *Hoc non imputo in ſumtum de tuo tibi.* Quemadmodum ergo hoc fit, comparatis inter ſe acceptis, & in rem alicuius expenſis: ita poſtea commodiſſimum viſum eſt hoc vocabulum ad exprimendam illam legis ad facta adplicationem, quae itidem fit, inſtituta huiuſmodi comparatione. Sic quum apud Livium I, 26. ſororem occidiſſet Horatius, & quaeſtio oriretur, an lex de perduellione, ut eius rei colligatis manibus velatoque capite vel intra pomoerium vel extra pomoerium verberati, ex arbore infelici ſuſpenderentur, ad atrocius illud ferocis iuvenis factum ſit adplicanda? Duumviri iudicandae perduellioni a Tullio Hoſtilio rege conſtituti, legem illam ad factum Horatii pertinere iudicabant. Unde alter ex his: *P. Horati*, inquit, *tibi perduellionem iudico. I, lictor, colliga manus.* Provocante vero Horatio, eiuſque patrocinium ipſo patre ſuſcipiente populus reum abſolvit. Duumviri itaque ita ratiocinabantur, *Qui hominem ſciens dolo malo obtruncat, is, tamquam perduellis colligatis manibus, velatoque capite verberandus & ex arbore infelice ſuſpendendus eſt.* En LEGEM! *P. Horatius, ſororem gladio transfigens, hominem ſciens, dolo malo, obtruncavit.* En FACTUM! *Eſt ergo tamquam perduellis, colligatis manibus, velato capite verberandus, & ex arbore infelice ſuſpendendus.* En SENTENTIAM! At aliter rationes ſubducebat populus. Is enim, quum ſororem illam, Curiatii ſponſi caedem flebiliter lugentem, hoſtilem animum erga patriam oſtendiſſe exiſtimaret: abſolvens Horatium ita ratiocinabatur: *Qui hoſtem patriae occidit, ab eo, tamquam a perduelle, non eſt ſumendum ſupplicium.* En LEGEM! *P. Horatius ſororem occidens, hoſtem patriae occidit.* En FACTUM! *Ab eo ergo, tamquam a perduelle ſupplicium non eſt ſumendum.* En SENTENTIAM, & eam quidem abſolutoriam! Duumviri ergo factum illud *imputabant* P. Horatio; populus non *imputabat*.

Quomodo differat a conſcientia?

§. XCVII. Quandoquidem vero idem ſupra de CONSCIENTIA hominis obſervavimus, (§. XXXIV.) nec tamen haec eadem cum IMPUTATIONE eſt: 2. merito notamus diſcrimen, quod inter CONSCIENTIAM & IMPUTATIONEM intercedit. Quemadmodum enim illa eſt ratiocinatio de juſtitia vel injuſtitia actionum *propriarum*: ita haec de *alienis* ratiocinatur, legemque cum illis contendit. Priore caſu 3. ipſe ſibi quiſque judex eſt; poſteriore alius de actionibus noſtris judicat, eaſque cum lege contendit (*).

(*) Quum vero nec omnibus id officium incumbat, ut de aliorum actionibus judicent, & ea tamen ſit naturae humanae labes, ut plerique ſibi facile ignoſcant, nec de exploranda propria conſcientia admodum laborent, de aliorum vero naevis etiam leviſſimis illico urnam moveant: non mirum eſt, iſtud tamquam iniquum & improbum reprehendi non modo a Servatore *Matth.* VII. 1. *Luc* VI. 37. eiuſque Apoſtolo, *Rom.* II 1. XIV. 4. 1. *Cor.* IV. 5. verum etiam ab ipſis ſcriptoribus profanis, qui ſolam rectam rationem ducem ſequuntur. Hinc lepida illa fabula de duabus peris, quarum altera, propriis repleta vitiis, homini poſt tergum; altera, alienis gravis, ante pectus ſuſpenſa ſit, cui hanc interpretationem ſubiunxit Phaedrus *Fab.* IV, 9. *v.* 4.

Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

Similia veterum loca quamplurima Iſaac. Caſaub. *ad Perſ. p.* 320. & viri docti ad phaedri illam fabellam collegerunt, quorum ſcrinia expilare nolumus.

Imputatur aliquid in

§. XCVIII. Quemadmodum vero quaelibet legis ad factum alienum adplicatio IMPUTATIONIS nomine venit: (§. XCVII.) ita 4. perinde eſt, ſive

Digitized by Google

ſive actio noſtra cum lege divina, ſive cum humana comparetur, itemque 5. ſive ipſe Deus, ſive homines, quorum ad officium id pertinet, legem facto adplicent. Priorem imputationem vocabulo, moraliſtis recepto, vocamus IMPUTATIONEM IN FORO DIVINO, poſteriorem IMPUTATIONEM IN FORO HUMANO. Inter utramque vero 6. permagnum illud diſcrimen intercedit, quod quum in hoc cogitationis poenam nemo patiatur, *l.* 18. *D. de poen.* Deus tamquam ens omniſcium, & quod obſequium etiam internum jure ſuo exigit, (§. XCI.) & cogitationes legi adverſas homini jure imputet.

foro vel divino, vel humano.

(*) Viderunt hoc & veteres philoſophi, qui Deum non modo facta omnia hominum, ſed & cuiuſvis cogitationes perſpicere docebant, veluti Thales Mileſius, Socrates, Platonici, Pythagoraei, & quicumque paullo ſublimius de Deo philoſophabantur. Eorum teſtimonia collegit Huet. *in Quaeſt. Alnetan.* II. 2. 16. *p.* 111. *ſequ.* Hinc facile patet, quam ipſi rectae rationi conſentanea ſit interpretatio legis Moſaicae, quam dedit Servator noſter *Matth. V.* 22. 28.

§. XCIX. Quum porro lex, quae factis hominum adplicatur, vel ſub comminatione poenae, vel propoſito praemio, aliquid praecipiat vel prohibeat: (§. LXIV.) inde merito colligimus, 7. IMPUTARE idem eſſe, ac declarare effectum, quem lex actioni adſignat, huic actioni competere. Effectus vero ille vocatur MERITUM, & POENA quidem, ſi effectus ille actioni a lege propoſitus malus: PRAEMIUM, ſi bonus ſit (*).

Et tunc declaratur, hominem vel praemium, vel poenam meruiſſe.

(*) *Praemia* vero cum non debeat legislator, facile patet, actiones etiam iuſtas in ſe non eſſe meritorias. Et huc pertinet inſignis Chriſti ſententia: *Omnia ſi feceritis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quia quod facere debuimus, fecimus. Luc.* XVII, 10. Si tamen praemia promittit legislator, quod fecit Deus, dum leges naturae non ſui, ſed hominum cauſa, praeſcipſit, eoſque quam feliciſſimos eſſe voluit: (§. LXXVIII. 32. 33.) tunc quidem meritum dici poſſunt praemia ratione imputationis, non ratione legislatoris, qui ex mera gratia illa propoſuit.

§. C. Itaque IMPUTATIO eſt ratiocinatio, qua factum alienum omneſque ejus circumſtantiae cum lege ſive divina, ſive humana, comparantur, actionemque illam effectum, a lege propoſitum, ſive bonum, ſive malum, mereri, vel non mereri, declaratur. Ex qua definitione porro colligimus, 8. non poſſe ad liquidum perduci, ſitne actio aliqua imputanda, nec ne, niſi & LEGEM, & ipſius FACTI CIRCUMSTANTIAS omnes, perſpectas habeamus, adeoque 9. unam ſaepe περίςασιν totam rem mutare.

Definitio imputationis, de eaque axiomata.

§. CI. Quum ergo LEGEM perſpectam eſſe oporteat ei, qui de actionum imputatione recte judicare vel ratiocinari cupit: (§. C. 8.) conſequens eſt, 10. ut & certum eum eſſe oporteat, legem aliquam exſtare, & 11. totam illam legem recte intelligere, adeoque 12. ſi verbis brevioribus vel obſcurioribus concepta ſit, (*) eam rite INTERPRETARI, id eſt, mentem legislatoris ex ejus verbis aliiſque ſignis diſtincte repraeſentare debeat.

Ea ſupponit notitiam & interpretationem legis.

(*) Itaque interpretatio ad jus naturae proprie non pertinet, ſed ad leges poſitivas, ſive divinas, ſive humanas. Quum enim interpretatio iuridica ſit diſtincta mentis legislatoris ex eius verbis aliiſque ſignis repraeſentatio, (§. CI. 12.) ius naturae vero non verbis conceptum, ſed per ipſam rectam rationem promulgatum ſit: (§. XI. 26.) ſequitur ſane, ut ex verbis aliiſque ſignis mens ſumma legislatoris erui non poſſit, adeoque nec interpretationem illud ius admittat. Ipſa ſe ſine interprete ſatis intelligit recta ratio. Arrian. *Diſſ. Epict.* I. 1. *p.* 4. Ἡ δύναμις ἡ λο-

γικὴ μόνη αὐτὴ καὶ αὐτὴν κατανοήσουσα παρείληπται, τίς τέ ἐστι, καὶ τί δύναται, καὶ πόσης ἀξία φέρουσα ἐκείνους καὶ τὰς ἄλλας ἁπάσας. *Sola facultas ratiocinatrix, ipſa ſemet ipſam intelligens, adprehendit, quid ipſa ſit, & quid poſſit, & quanti ſit pretii, ſi ſe ceteris facultatibus adplicarit.*

Ejus fundamenta.

§. CII. Quandoquidem vero INTERPRES mentem legislatoris ex ejus verbis, aliiſque ſignis, diſtincte repraeſentat: conſequens eſt, 13. ut & ad propriam, & translatam verborum ſignificationem, & 14. ad eorumdem *συναφὴν* ſeu nexum cum iis, quae antecedunt vel conſequuntur, & 15. ad ipſius rei naturam atque indolem, & denique vel maxime 16. ad legislatoris finem ac rationem, quae illum ad ferendam legem impulit, attendendum ſit, adeoque 17. illi & ſapiant omnino, & mecum faciant; & Jove judicent aequo, qui rationem legis ejuſdem animam eſſe profitentur. (*) Vid. *praeſ. noſtra ad Elem. Pandect.*

(*) Exemplum inſigne, quo incredibilis huius regulae utilitas oſtendi poteſt, ipſe Servator noſter dedit, dum reprehenſus a Judaeorum magiſtris, quod die ſabbathi opera caritatis neceſſitatiſque non intermittenda putaret, verum oſtendit fontem interpretandi legem de ſabbatho, & hinc dixit: Τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον. *Sabbatum hominis cauſſa factum, non homo ſabbati cauſſa. Marc.* II. 27. Ex qua ſane ratione legis manifeſto ac prono veluti alveo fluit, omnia, opera, quae hominis veram tranquillitatem pietatemque eo die turbant, non autem quae ad eius felicitatem ac conſervationem pertinent, eſſe prohibita. Tolle hanc legis rationem, unam atque adaequatam, & certiſſimum erit, in ipſis legis verbis nihil eſſe, ex quibus incomparabilem illam Chriſti doctrinam colligere potuiſſes.

Et variae ſpecies.

§. CIII. Quum porro ratio legis ejuſdem veluti anima ſit: (§. CII. 17.) conſequens eſt, 18. ut unica legis ratione prorſus & in univerſum ceſſante, etiam ipſam legem ceſſare oporteat: 19. Ut ſi ad certum caſum illa non quadret, ob rationem legis iſte a lege eximendus, idque fundamentum ſit INTERPRETATIONIS RESTRICTIVAE; ad quam & AEQUITATEM, id eſt, facultatem correctricem ejus, in quo lex propter univerſalitatem deficit, recte retuleris. Grot. *de Aequit. indulg & facilit. Cap. I. n* 3. 20. Ut, ſi in caſum aliquem verba non quadrant, ratio tamen legis illi adplicari omnino poſſit, inde emergat INTERPRETATIO EXTENSIVA: denique, ut, legis verbis ac ratione pari paſſu ambulantibus, INTERPRETATIONI tantum DECLARATIVAE locus ſit (*).

(*) Ita *reſtrictive* Chriſtus interpretatur legem de ſabbatho: extenſive legem de adulterio & homicidio. *Matth. V.* Quod quum non facerent Phariſaei, male de imputatione actionum ratiocinabantur. Hinc Apoſtolis, ſpicas ſabbatho vellentibus, & ipſi Servatori ſabbatho ſananti, exprobrabant irreligioſum animum, eos vero, qui traditionibus Rabbinorum ſatisfaciebant, iuſtos reputabant, ſi e. g. pocula diligenter eluerent, decimas penderent, ſtipem elargirentur pauperibus, inediam ſaepius ferrent, quamvis & aliis multo gravioribus peccatis ſeſe polluerent, & id ipſum faſtus cauſſa facerent.

Interpretationis authenticae, uſualis & doctrinalis differentia.

§. CIV. Praeterea prout legem interpretatur vel ipſe *legislator*, vel *judex*, aliuſque, cujus ad officium pertinet, legem facto adplicare, vel *juriſperitus*: 21. eatenus illa interpretatio vel AUTHENTICA, vel USUALIS, vel DOCTRINALIS adpellatur, ubi primae fundamentum eſt *voluntas legislatoris*, alterius *uſus forenſis*, poſtremae adplicatio regularum interpretationis, quales paullo ante (§. CII.) expoſuimus (*).

(*) Hu-

Digitized by Google

(*) Huius quoque triplicis interpretationis exempla ipſae ſacrae litterae ſuppeditant. Sic quum Deus *Num.* XXVII. 7. legem condidiſſet, ut non ſuperſtite agnato, bona paterna ad filium ἐπίκληρον devolverentur, ipſe ſummus ille legislator legi ſuae hoc poſtea adſtruxit interpretando, ut filia iſta ἐπίκληρος tribu ſua non enuberet. *Num.* XXXVI. 5. 6. Quod eſt exemplum interpretationis, *authenticae*, quae ſaepe pro nova lege eſt. *Uſualis* exemplum habemus *Ruth.* IV. 7. ubi detractio calcei eiuſque proiectio, quamvis initio tantum ad leviratum pertineret, *Deut.* XXV. 7. uſu forenſi & ad repudiationem hereditatis prolata dicitur, ubi erudita ſunt, quae de hoc uſu forenſi monuit Ant. Bynaeus *de Calc. Hebr. Lib.* II. *Cap.* VII. Denique *doctrinalis* interpretationis exemplum dedit Eſdras, de quo *Nehem.* VIII. 13.

§. CV. Quumque et facti circumſtantias omnes perſpectas habere deceat eum, qui de facti imputatione Jove aequo judicare velit, (§. C. 8.) praecipua vero circumſtantia ſit ipſa perſona agens: merito inde colligimus, 22. ei, qui actionis alicujus auctor vel cauſſa eſt, eam actionem jure imputari, contra 23. ceſſare imputationem, ſi quid factum, cujus ipſe faciens nec cauſſa, nec auctor eſt, praeterquam 24. quod aliquando & aliorum merita aliis imputantur: quam imputationem 25. vulgo EX GRATIA vocare, alteri que EX MERITO vel DEBITO opponere ſolent (*). Puſendorff. *de jure nat. & gent.* I. 9. 2.

Imputatur actio ejus auctori vel cauſſae.

(*) Et haec *nobilitatis* gentilitiae, immo & aliquando *regnorum hereditariorum*, origo eſt. Sic apud Germanos *inſignis nobilitas, aut magna patrum merita Principes dignationem etiam adoleſcentulis adſignabant.* Tacit. *de morb Germ.* Cap XIII. Et de regnis hereditariis Polyb. *Hiſtor.* VI. 5. Αὕτη βασιλείας ἀληθινῆς ἀρχὴ καὶ γένεσις. οὐ γὰρ μόνον αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐκ τούτων, ἐπὶ πολὺ διαφυλάττουσι τὰς ἀρχάς, πεπεισμένοι, τοὺς ἐκ τοιούτων γεγονότας καὶ τραφέντας ὑπὸ τοιούτοις παραπλησίως ἕξειν καὶ τὰς προαιρέσεις. *Haec veri regni origo, hinc ortus. Non ſolum enim ipſis, ſed & ſoboli, per longum tempus imperium ſubditi conſervant, perſuaſi, talibus viris prognatos, & a talibus educatos, animis quoque & voluntatibus pares eis futuros.*

§. CVI. Si ergo actio nulli imputatur, niſi ei, qui ejus cauſſa vel auctor eſt, (§. CV. 22.) homo vero cauſſa ullius actionis dici nequit, quae non humana eſt, id eſt, quae non praelucente intellectu decernenteque voluntate editur, (§. XXX. 7.) facile patet, 26. nec paſſiones actionesque naturales, nec 27. eventus a ſola providentia divina profectos, nec 28. vitia corporis animique, nec 29. facta vel in furore atque inſania, vel 30. in ſomno, vel 31. in ebrietate perpetrata, cuiquam imputari, niſi quatenus per agentem ſtetit, quo minus hujuſmodi quid contingeret. (*) (§. XXVI. ſequ. XXIX. XLIX. ſequ.)

An imputentur paſſiones, actiones naturales, eventus fortuiti, facta in furore, ſomno, ebrietate perpetrata?

(*) Sic homini imputatur impudentia, ſi quis circa actiones naturales decori ſit negligens. Sic imputatur navarchae naufragium, ſi malé gubernando navem, in cauſſa ſit, ut ea pereat, quum alioquin verum omnino ſit illud Taciti *Annal.* XIV. 3. *Quis adeo iniquus, ut ſceleri adſignet, quod venti & fluctus deliquerunt?* Sic & deformitas imputatur homini, qui malum Veneri obtulit, quum alias vere & φιλοσοφικῶς Phaedrus *Fab.* III. 11. v. 6.

Sed quid fortunae, ſtulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

Multo magis ergo homini, cui a puero proficiendi fuit occaſio, ignorantia imputatur, quae non imputatur homini agreſti. Immo & ſomnia imputantur, quae quis diurnis actionibus ac cogitationibus vigilans veluti provocavit. De quibus ſomniis, quae veteres ἐνύπνια, teſte Macrobio *in ſomn. Scip.* I. 13. vocabant, recte Claudian. *in ſextum conſul. Honorii Aug. praefat.* v. 1.

Omnia, quae ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito, reddit amica quies.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,

Et vigil elapſas quaerit avarus opes. Quibus gemina plura teſtimonia ſuo more collegit Caſp. Barth. *in Notis p. 714. ſequ.* Denique & ebrietatem voluntariam, actionesque in illo ſtatu perpetratas, imputari poſſe homini, adeo extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ut vel verbum addere nolim.

An quae ex ignorantia & errore patrata?

§. CVII. Quod ſpeciatim ad ignorantiam & errorem attinet, quum utraque intellectus imbecillitas vel INCULPABILIS ſit, vel CULPABILIS, (§. XLVIII. XLIX.) haec vel INVINCIBILIS, vel VINCIBILIS, itemque vel VOLUNTARIA, vel INVOLUNTARIA: (§. L.) ex eodem axiomate facile intelligitur, 32. ignorantiam *inculpabilem*, *invincibilem* & *involuntariam* nemini jure imputari: recte autem 33. imputari actionem ex ignorantia *culpabili*, *vincibili* & *voluntaria* ſuſceptam; idemque 34. & de errore eſſe tenendum: multoque minus 35. ſuam cuiquam ignorantiam vel errorem praeſidio eſſe poſſe, ſi actio ipſa illicita, vel non in loco temporeque, vel modo illicito, patrata ſit, quia tunc non modo per agentem ſtetit, quo minus in ignoratione verſaretur, vel ei error obreperet, verum etiam ille ad omittendam actionem omnino fuit obligatus (*).

(*) Non ergo Judae, ineunti Thamarem, nurum, praeſidio eſſe potuit ignorantia, quia in re illicita verſabatur. *Geneſ.* XXXVIII. 15. 16. Nec excuſatur, qui loco ac tempore non licito iaculis ludens, hominem ex ignorantia ferit, quia actio, nec loco, nec tempore, quo par erat, ſuſcepta, in ſe illicita eſt. §. 4. *Inſt. de lege Aquil.* Nec denique iniuria fit arborem iuxta viam publicam vel vicinalem putanti, ſi ei caedes hominis imputetur, quam proclamando evitare potuiſſet. §. 5. *Inſt. eod.* Hinc tale quid facientes apud Romanos olim proclamare ſolitos: CAVE; apud Athenienſes, ΦΥΛΑΞΑΙ, oſtendit Theod. Marcil. *ad* §. 5. *Inſt. eod.* Parum ergo aequa eſt ſententia Areopagitarum apud Ariſtot. *Magn. moral.* I. 17. abſolventium feminam, quae adoleſcentem, oblato philtro, occiderat: *διότι οὐκ ἐκ προνοίας. ἔδωκε μὲν γὰρ φιλίᾳ, διήμαρτε δὲ τούτου, quod non conſulto & cogitato id feciſſet; amoris enim cauſſa dediſſe, verum a propoſito aberraſſe*. Quaſi non in ſe illicitum eſſet, philtrum conciliandi amoris cauſſa offerre. Quanto rectius vero Paullus noſter, *l. 38. §. 5. D. de poen. Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur: quod ſi eo mulier aut homo perierit, ſummo ſupplicio adficiuntur?*

Speciatim ex errore juris & facti?

§. CVIII. Porro vel in *iure* erratur, quem errorem JURIS vocant, vel in *facto*, qui FACTI error dicitur. Ad hunc 36. pertinent regulae paullo ante expoſitae, (§. CVII.) quia facti circumſtantia & prudentiſſimos fugere, ac proinde error hujuſmodi *inculpabilis*, *invincibilis*, *involuntarius* eſſe poteſt. (§. CVII. 32.) Ille vero, 37. in *jure naturali* admiſſus, non excuſat, quia hoc jus unicuique per rectam rationem eſt promulgatum, niſi forte aetas, ſtupiditas, ipſiuſque juris illius ratio paullo ſubtilior, mitiorem ſententiam ſuadeat (*). Quod vero 38. ad *jus civile* attinet, illius ignorantia eatenus merito imputatur, quatenus illud & promulgatum eſt, & ita comparatum, ut in hominem hunc cadat ejus ſcientia.

(*) Quis enim iuris naturae peritiam accuratiorem amarius exigat ab infantibus, infantiae proximis, ſurdis ac mutis, ſtupidis, inter bruta animantia educatis? Praeterea, quamvis ius naturae mentibus hominum veluti inſcriptum inſculptumque ſit: illud tamen non aliter cognoſcitur, quam per ratiocinationem de iuſto iniuſtoque. (§. XV. 24.) Jam quum quaedam iuris naturalis praecepta ex principiis rectae rationis *ἀμέσως* fluant; alia plurium propoſitionum nexum, ac integram argumentorum veluti catenam exigant: nemo dubitaverit, prioris generis praecepta facile a quovis homine non plane ſtupido; poſterioris difficilius, nec niſi ab inge-

ingenio exercitatiore, intelligi. Hinc quamvis Romani inceſtum aliquem juris gentium eſſe faterentur: *l.* 38. §. 2. *D. ad L. Jul. de adult. l.* 68. *D. de rit. nupt.* aliquando tamen in feminis maſculiſque eum mitius cenſuerunt puniendum, veluti ſi poſt divortium privignus cum noverca coiiſſet. *l.* 38. §. 5. *D. ad L. Jul. de adult.* Cuius quidem rei non alia reddi poteſt ratio, quam quod non [illegible], ſed operoſiore ſaltim ratiocinatione, inceſtus prohibitio ex iuris naturae principiis derivatur.

An actiones invitae & coactae?

§. CIX. Quum vero & VOLUNTATEM hominis liberam ad actionem, cujus ipſe auctor & cauſſa dicendus ſit, concurrere oporteat, (§. XXX. 7.) INVITAE vero actiones ita comparatae ſint, ut a mente ſe ipſam determinante non proveniant: (§. LVIII. 56.) conſequens eſt, 39. ut nemini id, quod invitus fecit, poſſit imputari; 40. Ut imputari contra poſſit, quod quis, *ſponte*, multoque magis, 41. quod *ultro* fecit, immo & 42. quod quis *coactus* fecit, ſi jure ſuo uſus ſit is, qui illum coegit, non vero 43. ſi cui nullum jus cogendi fuerit, nec coacto, vi nondum adhibita, incubuerit obligatio aliquid faciendi (*).

(*) Quamvis enim & coactus velit: (§. LIX. 62.) tamen, quia correlata ſunt *jus* & *obligatio*, quae ſe mutuo ponunt & tollunt, (§. VII.) ac proinde deficiente *jure*, deficere etiam *obligationem* oportet: conſequens eſt, ut, ſi uni non ſit jus cogendi, nec alteri incumbat obligatio id praeſtandi, ad quod iniuria coactus eſt. Hinc ratum eſt promiſſum debitoris moroſi, a magiſtratu, quamvis commінatione exſequutionis, extortum, quia magiſtratus, dum debitores moroſos ſolvere cogit, iure ſuo utitur: at ſi latro cogit viatorem, ut certam pecuniae ſummam promittat: quia latroni nullum cogendi ius eſt, in viatore quoque nulla poteſt eſſe obligatio id praeſtandi, quod quis coactus promiſit. Huc pertinet notiſſimum epigramma Martialis *Epigr. XI.* 59. *v.* 5.

Quid ſi me tonſor, dum curva novacula ſupra eſt,
Tunc libertatem divitiaſque roget?
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat: res eſt imperioſa timor.
Sed fuerit curva quum tuta novacula theca:
Frangam tonſori crura, manuſque ſimul.

An quae urgente temperamento, adfectu, conſuetudine, patrantur,

§. CX. At quum voluntaris libertatem nec temperamentum, nec adfectus, nec mores diuturna adſuetudine firmati, nec ipſa vis externa impediant: (§. LIV. ſequ.) facile patet, 44. nec corporis conſtitutionem, quam fere propenſio animi ſequitur, nec 45. animi perturbationes, quantumvis vehementiores, nec 46. conſuetudinem, quae fere in alteram naturam degeneravit, impedire, quo minus actio, inde orta, poſſit agenti imputari: quamvis 47. aliquando in foro humano commiſeratione dignus cenſeatur, is, quem triſtior adfectus, juſtuſque dolor, in tranſverſum egit (*).

(*) Facilius enim, ceu aliquoties recte obſervavit Ariſtoteles, voluptati ac libidini, quam triſtiori adfectui, reſiſtit homo. Vid. *Nichomacheior.* III. 12. III. 15. VII. 7. *Magn. moral.* II. 6. Idem obſervavit M. Antonin. *εἰς ἑαυτὸν* II. 10. ut mireris, eundem Ariſtotelem, veluti ſui oblitum, *Lib.* II. *ad Nicom. Cap.* II. & a ſe ipſo diſſentientem, ſcribere: *χαλεπώτερον εἶναι ἡδονῇ μάχεσθαι ἢ θυμῷ. Difficilius eſſe voluptati repugnare, quam irae:* quum tamen voluptate carere ſit malum tantum *privativum*, & id quidem plerumque adparens tantum, dolorem ſentire malum *poſitivum*, & ſaepe quidem verum. Quis non magis parricidium imputandum putet Neroni, quem nullus triſtior adfectus, ſed ſola protervia, animique vaecordia ad tantum ſcelus impulit, quam Oreſtae, qui cauſſam dicens cur Clytaemneſtram occiderit *νῦν μὲν γάρ*, inquit, *ἣ προὔδωκε λέκτρ' ἐμοῦ πατρός, τέθνηκεν. Nunc enim, quae, prodidit lectum mei patris, eſt interfecta.* Euripid. *Oreſt.* v. 937.

§. CXI.

An vi externa extortae.

§. CXI. Ex quo porro non difficile intellectu fuerit, 48. quando excuſatione aliqua dignus ſit, qui fractus vi externa, cui & conſtantiſſimus animus facile cederet, aliquid commiſit, quod legi aduerſatur? Si enim factum ita comparatum eſt, ut nullus favori neceſſitatis locus ſit: fruſtra praetenditur neceſſitas (*). Quibus vero caſibus omnis neceſſitatis favor ceſſet, paullo poſt accuratius diſquirere licebit.

(*) Sane ſi quid contra religionem & iuſtitiam viro bono iniungitur, tunc non cedendum eſſe cuicumque vi ac dolori, non modo ſacrae litterae docent, ſed & ipſi, quod miteris, ſcriptores pagani agnoſcunt, ex quibus Juvenalis *Sat.* VIII. v. 80.

Ambiguae ſi quando citabere teſtis,
Incertaeque rei: Phalaris licet imperat, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas, animam praeferre dolori.
Et propter vitam vivendi perdere cauſſas.

An & quomodo actio imputetur cauſſae morali?

§. CXII. Quoties intellectus & voluntas, & ipſe motus corporis phyſicus ad actionem concurrunt, toties is, qui illam patravit, vocatur CAUSSA actionis PHYSICA. Sin ſola mens, ſine motu corporis phyſico: CAUSSA MORALIS adpellatur. Quumque non alia ſint actionum humanarum principia, quam intellectus & voluntas: (§. XXX.) inde colligimus, 49. *cauſſae morali* actionem non minus imputari, quam *phyſicae*, ſi par utriuſque ad actionem concurſus ſit, 50. immo magis, quam phyſicae, ſi quis jubendo cogendoque alterum, cui in obſequio gloria relicta eſt, ad agendum induxerit, denique 51. minus, quam phyſicae, ſi quis conſilio tantum vel adprobatione concurrerit (*).

(*) Hinc omnino utiliſſima eſt diſtinctio V. C. Henr. Koehleri *Exerc. jur. nat.* §. DVIII. *ſeq.* inter voluntatem *efficacem*, ubi conatus ad producendum ſuſpendendumve actum ſufficit, & *inefficacem*, ubi conatus ille non ſufficit. Quare ſi voluntas cauſſae moralis fuit efficax, actio merito imputatur, & quo magis minuſque efficax fuit, eo magis minuſve imputatur. Quis enim e. g. dubitet, quin patri iubenti filium furari, hoc furtum magis imputetur: quam extraneo, vel iubenti, vel ſuadenti?

Perſonae agentis conditio, an quid faciat ad imputationem?

§. CXIII. Ad circumſtantiam perſonae, cujus in imputatione habetur ratio, (§. CV,) & qualitas, dignitas & conditio ejuſdem pertinet, ac proinde nemo dubitaverit, 52. quin, pluribus perſonis ad eamdem actionem concurrentibus, actio juſta minus, injuſta magis imputetur illi, quem cognatio, prudentia, officium, aetas, dignitas, (*) vel ad bene agendum inſtigare, vel a male agendo revocare debuiſſent, quam 53. homini extraneo, ſtupido, nullo ſpeciali vinculo obſtricto, puero, vel adoleſcenti, denique in nulla dignitate conſtituto.

(*) Sic quidquid boni fit cognato, id veteres vocabant *officium*; quod extraneo, *beneficium*. Seneca *de Benefic.* III. 18. Magis ergo hoc, quam illud, imputatur. Contra procul dubio patri illata iniuria magis imputanda eſt filio, quem ipſa pietas ab iſto facinore revocare debebat, quam extraneo. Quis porro culpam quamcumque non magis imputet viro prudenti, & eius rei perito, quam ſtupido & inexercitato; ſeni vel iuſtae ſaltem aetatis viro, quam adoleſcentulo; theologo, quam rerum ſacrarum rudi; viro nobili, vel in eminentiore dignitate conſtituto; quam terrae filio, vel inhoneſtiori? Hieronym. *in Ezech.* II. *Grandis dignitas ſacerdotum: ſed major ruina, ſi peccant.* Salvian. *Lib.* IV. *de gubern. Dei p.* 118. *Criminoſior culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus: Si honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoque major invidia. Furtum in omni quidem eſt homine malum facinus, ſed damnabi-*

nobilius abſque dubio ſenator furatur, quam infima perſona. Et paucis interiectis: *Atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Ubi ſublimior eſt praerogativa, maior eſt culpa.* Et cui, quaeſo ignotum illud Juvenalis *Sat.* VIII. *v.* 140.
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe Crimen habet, quanto, qui peccat, major habetur.

Deficiente occaſione, omiſſio actionis non imputatur.

§. CXIV. Quum vero in imputatione non modo perſonae, ſed & reliquarum circumſtantiarum habenda ſit ratio: (§. C. 8.) iſte vero concurſus circumſtantiarum objecti, loci, temporis, viriumque ſufficientium, OCCASIO vocetur, ſine qua aliquid fieri a nemine poteſt: conſequens eſt, 54. ut non excuſetur quidem, quem ad peccandum invitat occaſio: (*) nec 55. qui occaſionem bene agendi ſocordia ſua amittit: at 56. nemini tamen imputanda ſit omiſſio actionis, ſi agendi occaſio defuerit.

(*) Nam & vitanda peccandi occaſio, & pugnandum colluctandumque erat cum vitiorum blandimentis. (*Elem. Phil. mor.* §. CCXCI. & CCXCIII.) Id qui non facit, in culpa eſt, ſi cupiditatibus ſuccubuerit. Eſt ergo actionis iſtius auctor & cauſſa, ac proinde illa ei jure imputatur. Miſera ergo excuſatio illa Chaereae apud Terent. *Eunuch.* III. 5. *v.* 56. *An ego occaſionem mihi oſtentatam, tantam, tam brevem, tam optatam, tam inſperatam, amitterem?* Occaſione enim ſe invitari ad peccandum paſſus fuerat. Contra quanta ſit culpa occaſioni bene agendi manum non injicere, elegante parabola de ſervis collybiſtis oſtendit Servator ſapientiſſimus *Matth.* XXV, 14. *ſequ.*

Omiſſio impoſſibilium an & quando imputetur?

§. CXV. Multo minus itaque 57. omiſſio earum actionum, quae per rerum naturam, vel 58. per leges, bonoſque mores patrari non poſſunt, vel ſaltim, 59. ad quas edendas agens viribus deſtituitur, cuiquam recte imputantur: niſi 60. quatenus quis vel vires, quibus pollebat, ſua culpa detriverit, vel 61. ea, quae fieri non poſſe praeſciverat, temere vel ſciens dolo malo promiſerit (*).

(*) Hinc facile patet, cur obaeratum, qui bona abligurivit, non excuſet indigentia, quia nimirum ſua culpa vires detrivit, & cur, qui alchymiſtarum ſapientiam jactans, viris principibus aureos montes promiſit, poſtea ubi fumum vendidiſſe deprehenditur, ſtellionatus damnetur, aeque ac ille, qui dolo malo theſauros promiſit, quale exemplum Ceſellii Baſſi eſt apud Tacit. *Annal.* XVI. 1.

Quae actiones bonae & malae?

§. CXVI. Ceterum actiones, ita comparatae cum norma, varias adſumunt denominationes. Si enim ſecundum omnes *περιστάσεις* rectae rationi non cogenti, ſeu obligationi internae (§. VII.) conformes ſunt, BONAE; ſin vel in una alterave circumſtantia a recta ratione in unam alteramve partem deflectunt, MALAE adpellantur, ex iiſque definitionibus conſequitur, 62. ut actionem & *materialiter*, & *formaliter*, ceu loquuntur philoſophi, bonam eſſe oporteat, niſi *malis* debeat accenſeri (*).

(*) Hinc Phariſaeorum largitiones, ieiunia, totaque vitae auſteritas non erant actiones bonae, quamvis materialiter rectae rationi conformes viderentur, quoniam non ex propoſito rectae rationi obſequendi, ſed ex faſtu & opinione meriti, tamquam ex fonte, promanabant. (*Elem. phil. mor.* §. CCXXI. 7.) Nimirum non bona tantum agenda ſunt, ſed & bene agendum, quidquid agas. Recte Philemon apud Stobaeum *Serm.* IX. iuſtum vocat,

Οὐδ' ἄν γε ταῦτα πάντα διαπράττῃ μόνον,
Ἀλλ' ὅς, τις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος, κ' ἂ δοκεῖν εἶναι θέλει.
Non, quisquis illa quolibet praeſtat modô,
Sed qui, doloſi neſcius fuci, integra
Probitate juſtus eſſe, non credi, ſtudet.

§. CXVII.

Quae juſtae & injuſtae? §. CXVII. Deinde, ſi actiones cum lege contendas: eae, quae legi per omnia conueniunt, JUSTAE; quae vel in una, vel altera circumſtantia, a lege diſcrepant, INJUSTAE, itemque PECCATA vocantur. Unde facile intelligis, *63*. cur omne peccatum in *ἀνομίᾳ* conſiſtere, doceat Joannes *1. Epiſt. III.* 4.

Diſcrimen inter actiones juſtas & honeſtas, injuſtas & juſtas & inhoneſtas. §. CXVIII. Denique, quum lex, vel divina voluntas, nos ad *amorem* obſtringat, (§. LXXIX. 35.) *amor* vero alius ſit *juſtitiae*, alius *humanitatis* & *beneficentiae*: (§. LXXXII. ſequ.) *64*. actio, amori Juſtitiae per omnia conveniens, JUSTA; ab eodem vel minimum diſcrepans, INJUSTA; *65*. quae ex amore humanitatis & beneficentiae proficiſcitur, HONESTA; quae eidem adverſatur, INHONESTA, TURPIS, itemque INHUMANA adpellatur. Ex quo etiam, *66*. quid interſit inter JUSTITIAM EXPLETRICEM, & ATTRIBUTRICEM, facile intelligitur.

CAPUT V.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM.

§. CXIX.

Tranſitio ad doctrinam de ipſis officiis. QUae adhuc praemittenda duximus, ea ad principia diſciplinae pulcherrimae pertinent. Proximum eſt, ut ad ipſa, quae JUS NATURAE univerſo generi humano ſinguliſque praeſcribit, OFFICIA progrediamur. Quod enim Graeci philoſophi *τὸ δέον*, & Stoici *τὸ καθῆκον* vocabant: id poſtea Tullius, hanc ſapientiae partem Latinis litteris illuſtraturus, non ſine delectu, adhibitoque amicorum conſilio, primus OFFICIUM adpellaſſe videtur (*).

(*) Stoicos *officium* vocaſſe *τὸ καθῆκον*, eamque doctrinam apud illos non poſtremam philoſophiae moralis partem conſtituiſſe, auctor eſt Diogenes Laertius, qui non modo Stoicorum de officiis dogmata praecipua breviter & luculenter expoſuit *Lib.* VII. *ſegm.* 108. *ſequ.* verum paſſim laudavit eorum libros *περὶ τοῦ καθήκοντος*, veluti Zenonis, *Lib.* VII. 4. Cleanthis, *Cap.* VII. 175. Sphaeri, *Lib.* VII. 178. quemadmodum & Chryſippi librum eiuſdem argumenti memorat Plutarc. *de repugn. Stoic. p.* 1045. Panaetii Cicero *de offic.* III. 2. Poſidonii idem *ad Attic.* XVI. 11. Quorum exemplo quum & Cicero ſimilem librum Latine ſcripſiſſet: de Latina ſollicitus inſcriptione, ſubductis rationibus omnibus, non aliud vocabulum invenit commodius, quo *τὸ καθῆκον* Stoicorum exprimeret, quam OFFICIUM. ita enim ille *Ad attic.* XVI. *6. Quod de inſcriptione quaeris, non dubito, quin καθῆκον officium ſit, niſi quid tu aliud. Sed inſcriptio plenior* DE OFFICIIS.

Officii definitio. §. CXX. Per OFFICIUM vero intelligimus actionem, ex obligatione ſive perfecta, ſive imperfecta, legibus conformandam. Nec per omnia probare poſſumus definitionem Stoicam, quod officium ſit *ὃ πραχθὲν εὔλογόν τε ἴσχει ἀπολογισμὸν, quod cur factum ſit, probabilis ratio reddi poſſit*, vel *ὅσον λόγος αἱρεῖ ποιεῖν, quae ratio facienda ſuaſerit*. (*) Laert. *VII*, 107. 108. Cic. *de Fin. III*, 17.

(*) Quum enim nihil temere fiat, cuius non probabilis reddi poſſit ratio: quidquid fiat, non modo ab hominibus, ſed & a brutis animantibus, id ad officium pertinebit. Et ita ſane rem intellexerunt ipſi Stoici, de quibus Laert. VII. 107.

107. τὸ καθῆκον φαϭὶν καὶ ἐπὶ τὰ φυτὰ, καὶ ζῶα διατείνει ὁρᾶϭθαι γὰρ κἀπὶ τούτων καθήκοντα. *Officium autem pertingere aiunt ad plantas etiam & animantes. Notari namque & in his officia.* Itaque verum quidem eſt, rationem habere oportere officium, ſed eam, quae hominem impellat ad agendum, vel omittendum, non bruta, id eſt, obligationem (§. VI.)

Ejuſdem indoles.

§. CXXI. Quum ergo officium ſit actio, legi conformanda: (§. CXX.) facile patet, 1. officium concipi non poſſe ſine lege, nec 2. officium facere, qui ſibi ipſe, quod nulla lex praecipit, imperat: 3. ceſſare aliquid eſſe officii, ſublata, quae illud antea praecipiebat, lege, ejuſque ratione: 4. ſi quando lex certis tantum perſonis praeſcripta ſit, ſaepe contingere, ut duorum, qui faciunt idem, alter officio ſatisfeciſſe, alter contra officium egiſſe, dicatur (*).

(*) Operae pretium fuerit, has propoſitiones exemplis illuſtrare. Nemo dixerit, officium feciſſe Origenem, dum ipſe ſibi virilia ademit, ſive ferro in ſe ſaevierit, ut refert Hieronym. *Epiſt.* LXV. ſive, quod alii tradiderunt apud Epiphan. *Haer.* LXIV. 3. medicamentis ſeſe eviravit. Neque enim ulla lex divina eam in rem exſtat, ipſeque poſtea faſſus eſt Origenes, ſe male interpretatum eſſe locum *Matth.* XIX. 12. Vid. Huet. *Origeniana* I. 1. 13. *p.* 8. Nemo deinde negaverit, contra officium facturum Chriſtianum, qui vel circumciſionis legem accipere, vel Deum ſacrificiis propitiare velit, quamvis utrumque olim ad fidelium officium pertineret. *Gal.* III. 23. 25. IV. 3. 4. 5. V. 2. *Col.* II. 20. *Hebr.* IX. 9. 10. Denique ſi quis occupet officium iudicis, quem ſacro munere fungi oportebat, praeter officium agit, & ἀλλοτριοεπιϭκοπίας reus eſt, quum idem faciens iudex quod officii eſt, faciat, 1. *Petr.* IV. 15.

Diviſio in perfectum, & imperfectum.

§. CXXII. Quumque obligatio, ex qua quiſque, quod officii eſt, facit, vel perfecta, vel imperfecta ſit: (§. CXX.) 5. OFFICIUM quoque aliud PERFECTUM, aliud IMPERFECTUM eſſe oportet, quorum illud ex obligatione perfecta, ſeu lege; hoc ex imperfecta, ſeu virtute proficiſcitur. (*) (§. IX, 10.)

(*) Sic officia PERFECTA ſunt, neminem laedere, ſervare pacta, damna data reſarcire, & ſimilia. IMPERFECTA, opis noſtrae indigis ſubvenire, ſtipem elargiri pauperibus, errantibus comiter monſtrare viam, rerum ſuarum incertis conſilium dare, & quae ſunt huius generis alia. Vid. Cicero *de offic.* III. 12. *ſequ.*

In naturale Chriſtianum, & civile.

§. CXXIII. Deinde quum norma officiorum ſit lex, (§. CXXI. 1. 2.) lex vero vel *divina* vel *humana* ſit, divina denique in *naturalem* & *poſitivam* diſpeſci poſſit: 6. totuplicia etiam erunt officia, quorum 7. illa, quae ad legis divinae naturalis normam componuntur, NATURALIA; 8. quae legi divinae poſitivae attemperantur, CHRISTIANA; 9. quae denique ex legis humanae praeſcripto praeſtantur, CIVILIA adpellare licebit (*).

(*) E. g. NATURALIA officia ſunt, Deum religioſe colere, parentibus parere, vim atque iniuriam a ſe propulſare, *l.* 2. *l.* 3. *D. de iuſt. & iure*. Officia CHRISTIANA, ſe ipſum abnegare, crucem ferre, Chriſtum imitari. CIVILIA, tributa pendere, contra priſtinam formam non aedificare, ſollemnitates, quas leges in ſingulis actibus exigunt, adhibere, tempora fatalia in lite forenſi obſervare, cetera.

In officium erga Deum, nos ipſos, & alios homines.

§. CXXIV. Denique praecipua officiorum diviſio ab ipſo objecto proficiſcitur. Quemadmodum enim tria ſunt, quibus certa officia debemus, entia, DEUS, NOS IPSI, & ALII HOMINES: (§. XC.) 10. ita totidem ſunt officiorum genera, quorum alia DEO O. M.; alia NOBIS IPSIS; alia ALIIS

HOMINIBUS praeſtanda ſunt, de quibus jam ſuo ordine erit agendum.

Fundamentum officiorum erga Deum.

§. CXXV. Quod ad officia ERGA DEUM attinet, ea ex Dei perfectionibus infinitis eruenda eſſe, jam ſupra monuimus, (§. LXXXVII, 51.) atque inde collegimus, eum non alio amore, quam DEVOTIONIS ac OBEDIENTIAE proſequendum, ac proinde, tamquam ens perfectiſſimum, a quo toti pendemus, omnibus animi viribus colendum, eique perfectiſſimum ac internum obſequium praeſtandum eſſe. (§. XCI, 61.)

Obligatio ad agnitionem Dei.

§. CXXVI. Quum ergo omnia, quae DEO O. M. debemus, officia ex infinitis ejus perfectionibus eruenda ſint: (§. CXXV.) conſequens eſt, 11. ut obſtrictus ſit homo ad notitiam Dei ejuſque perfectionum vivam non modo adquirendam, ſed & 12. quotidie magis magiſque amplificandam, & 13. ad majorem certitudinis atque evidentiae gradum evehendam. Quod quum fieri poſſit tum meditatione adſidua earum veritatum, quas ipſa recta ratio ſuggerit, tum rerum creatarum contemplatione, tum inſignium, quae quotidie animadvertere poſſumus, ſapientiae providentiaeque divinae argumentorum conſideratione adcuratiore: nemo non videt, 14 ad omnia haec nos eſſe omnino obligatos, 15. eoſque, qui haec cuivis obvia Deum inveſtigandi media negligunt, ſi ſanam mentem nacti ſint, in ignoratione; & ſi Deo ullam imperfectionem tribuant, in errore inexcuſabili, verſari. (*) (§. CVII, 33.)

(*) Hinc & Apoſtolus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, id eſt, *quod de Deo cognoſci poteſt*, ipſis paganis manifeſtum eſſe teſtatur, quia τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ſeu *inviſibilia Dei* iam inde a mundi primordiis ex rebus creatis innumeriſque ſempiternae potentiae ac divinitatis argumentis intelligi ac pervideri potuerint, atque inde colligit, εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, *eſſe illos* inexcuſabiles. *Rom.* I. 20. Et unde quaeſo ille gentium omnium de Deo eiuſque perfectionibus conſenſus, quem urgent Cicero *Quaeſt. Tuſc.* I. 13. *de nat. Deor.* II. 2. Maxim Tyr. *Diſſ. Platon.* XXXVIII. Aelian. *Var. Hiſtor.* 31. Seneca *Epiſt.* CXVII? Quamvis enim conſentiens illa gentium opinio non ſit argumentum ἀποδεικτικὸν, Deum exiſtere (§. LXXI. *) inde tamen luculenter demonſtratur, quod ſcripſerat Apoſtolus, φανερὸν εἶναι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ. Unde Cicero *de Nat. Deor* II. 2. *ſi quis dubitet, an ſit Deus, ſe haud ſane intelligere*, ait, *cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitet*.

Et rectas de eo ejuſque perfectionibus ſententias.

§. CXXVII. Ex eodem patet, 16. ad officium noſtrum pertinere, ut rectas de DEO ſententias habeamus, (*) eumque 17. & exſiſtere, & 18. rerum omnium auctorem ac conditorem eſſe, & 19. omnia ſua providentia regere ac conſervare, 20. rerum praecipue humanarum curam gerere, denique 21. eumdem eſſe ens SIMPLEX, AETERNUM, INDEPENDENS, INCOMPREHENSIBILE, OMNIPRAESENS, UNUM, INTELLIGENS, SAPIENTISSIMUM, PRAESCIUM, OMNISCIUM, LIBERRIME VOLENS, OMNIPOTENS, VERAX, JUSTUM ac OPTIMUM, (*Elem. philoſ. mor.* §. *CLXXXII. ſequ.*) non modo perſuaſi, ſed & certo convicti ſimus.

(*) Recte Epictet. *Enchirid. Cap.* XXXVII. Τῆς περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείας ἴσθι, ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκεῖνό ἐστιν, ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν, ὡς ὄντων, καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως. *Religionis erga Deos immortales praecipuum illud eſſe ſcito: rectas de iis habere opiniones, ut ſentias, & eſſe eos, & bene juſteque adminiſtrare univerſa*. Et ſane mirifice falluntur, qui ſolam probitatem vitaeque integritatem totam religionem abſolvere ſibi perſuadent, & perinde eſſe exiſtimant, quid quiſque de Deo & rebus divinis ſentiat. Quum enim omnia erga Deum officia ex eius perfectionibus eruenda ſint: (§. CXXV.) qui fieri poteſt, ut quis Deum ea, qua par

eſt

eſt, veneratione proſequatur, eique per omnia parendum eſſe, ſtatuat, qui vel ignorat eius perfectiones, vel de iis perverſiſſimas ſententias imbibit? [§. XXX.]

Omnis impietas & blaſphemia inexcuſabilis.

§. CXXVIII. Qui Deum, ejuſque perfectiones, praefracte negat, IMPIUS; qui ei imperfectiones, a natura Dei abhorrentes, tribuit, vocabulo e ſacris litteris depromto, BLASPHEMUS adpellatur. Quum ergo & qui perfectiones Dei non agnoſcunt, quas cognoſcere poterant, in ignoratione; & qui ei ullam imperfectionem tribuunt, in errore inexcuſabili verſentur: nemo dubitabit, 22. quin omnis IMPIETAS & BLASPHEMIA ſit inexcuſabilis: & 23. quin IMPII ſint, ac ἀνατολέγοντοι, qui Numen eſſe, vel illud uniuerſum hoc curare, obſtinato animo negant; 24. BLASPHEMI autem, quicumque paganorum cum Homero, aliiſque poetis, plures Deos, eoſque inter ſe litigantes, adulteros, inceſtuoſos, quin & deformes, claudicantes, vulneribus confoſſos, & muliebriter ejulantes, finxerunt, & 25. tam abſurdas de Diis ſententias non modo verbis profeſſi ſunt, ſed & 26. ſimulacris horrendis, & 27. caerimoniis nefandis ac turpiſſimis, hominum oculis exponere non dubitarunt (*).

[*] Acriter merito hanc impietatem ac blaſphemiam paganis exprobrarunt ſcriptores Chriſtiani, apologiarum auctores, veluti Juſtinus Martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Hermias, Tertullianus, Cyprianus, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius, Euſebius, Iulius Firmicus Maternus, & alii. Quin, quod magis mireris, & ipſi pagani prudentiores hanc ſuorum hominum inſaniam exagitarunt. Ne plura Luciani aliorumque veterum philoſophorum teſtimonia hic adcumulem, unum adſcribere iuvabit locum Sophoclis, quem nobis ſervarunt Iuſtinus Martyr *Paraeneſ. ad Graec. p.* 17. & *de monarchia Dei p.* 104. Euſeb. *Praepar. euang. p.* 248. & alii:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακράν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι,
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὰς
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκέων,
Ἠχρυσοτεύκτων, ἐλεφαντίνων τύπους.
Θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.
Unum profecto Numen, unus eſt Deus,
Qui condidit coelum, & ſolum terrae patens,
Mariſque fluctus vimque ventorum gravem.
Pleriqne noſtrum mente ſed capti, Deum
Simulacra nobis, ceu mali ſolatium,
Cum ſaxea atque aerna conſecravimus,
Tum & aureas eburneaſque imagines.
Has victimis placamus: His feſtos dies
Agimus: pios hoc eſſe nos rati modo.

Quis non miretur Sophoclem, idem ſuis exprobrantem, quod iiſdem poſtea exprobravit Apoſtolus *Rom.* I. 21. 22. 23.

Obligatio ad gloriam Dei provehendam.

§. CXXIX. Qui vivam perfectionum entis alicujus notitiam ſibi peperit, is non poteſt non iiſdem unice ac mirifice delectari. Quumque qui entis cujuſdam perfectionibus ipſi delectantur, nihil faciant reliqui, ut alii omnes illud eadem veneratione proſequantur, ad officium ſane noſtrum pertinet, 28. ut & alii, Dei ejuſque perfectionum ignari, tam praeclara doctrina imbuantur, & 29. errantes reducantur in viam, & 30. impii, quoad ejus fieri poteſt, ad concipiendam ſummi Numinis reverentiam ſolidis demonſtrationibus ac cohortationibus excitentur (*). Quod qui faciunt, ii 31. GLORIAM DEI, quantum in ipſis eſt, PROVEHERE vere dicuntur.

[*] *Demonſtrationibus* dicimus & *cohortationibus*, non poenis & ſuppliciis. Quum enim ignorantia & error ſint vitia non voluntatis, ſed intellectus: iis vero non alia medicina parata ſit, quam ut mens convincatur de veritate, ad eamque admittendam argumentis inflammetur: facile patet, eos nec ignorantibus prodeſſe, nec errantes in viam reducere, qui lege agi, ferrumque & flammas expediri

iubent

jubent adverſus atheos, maxime quum iam inde ab antiquiſſimis temporibus plerumque atheorum vocabulo diffamati ſint σωφρόνως βεβιωκότες, καὶ καθεωρακότες ὀξύτερόν τι τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἀμφὶ τοὺς θεοὺς πλάνην, *viri temperanter & modeſte viventes, & reliquis hominibus ad pervidendam vulgarem circa Deos impoſturam acutiores*, uti loquitur Clemens Alex. *in Protrept.* pluribuſque exemplis docuerunt viri docti, ut Aelian. *Var. Hiſt. II*, 31.

Itemque ad amorem Dei.

§. CXXX. Quia, cui perſpectae ſunt infinitae Dei perfectiones, is illis non poteſt non magnopere delectari, (§. CXXIX.) adpetitio vero boni, cum percepta ex ejus perfectione & felicitate delectatione conjuncta, AMOR vocatur: (§. LXXX.) conſequens eſt, 32. ut Deus ſit amandus. Et quum, quo major eſt entis perfectio vel ſublimitas, eo majorem illi amorem ac venerationem debeamus: (§. LXXXVII.*) 33. Deus amandus erit amore perfectiſſimo, id eſt, uti ſcriptura monet, *ex toto corde*, *ex tota anima*, *& ex omnibus viribus*, *Matth. XXII*, 37. *Luc. X*, 27. Quia denique & bonitas Dei inter ejus perfectiones, (§. CXXVII, 21.) Deus vero *& in ſe*, & *ratione hominis* bonus eſt: (*Elem. phil. mor.* §. *CLXXXIX.*) merito dixeris, 34. Deum ob utramque cauſſam amandum eſſe (*).

[*] Notum eſt, quid de amore Dei puro olim philoſophati ſint Epicurei & Sadducaei, & noſtra memoria quidam myſticae theologiae paullo ſtudioſiores, & in primis Franc. Salighac de Fenelon, Archiepiſcopus Cameracenſis, cuius libellus, inſcriptus *Explication des maximes des Saints ſur la vie interieure*, occaſionem dedit controverſiae, cuius hiſtoriam iam alibi veluti in nucleo exhibuimus (*Elem. phil. mor.* §. *CXCIX.* *) Sed quis Deum aliter concipiat, quam tamquam ens aliis quoque rebus creatis bonum? Quam inanis ergo ſit illa de puro amore quaeſtio, immo quam periculoſa, iam oſtenderunt Leibnitius *in praef. prodromi & mantiſſae Codicis jur. gent. diplom. &* Wolff. *in den vernunfftigen gedancken vom thun und laſſen des menſchen* §. *DCLXXXVIII.*

Nec non ad obſequium & timorem Dei.

§. CXXXI. Inter perfectiones Dei etiam ſunt omnipraeſentia, & omniſcientia. (§. CXXVII.) Has ſibi ob oculos ponere non poteſt homo, 35. quin excitetur ad ſtudium indefeſſum, omnia, quae Deo placeant, agendi, omniaque, quae eidem diſplіceant, omittendi, quod ſtudium vocamus OBSEQUIUM erga Deum. Et quum ſimul Deum non poſſit ſibi non tamquam ens juſtiſſimum repraeſentare: 36. quam maxime ſollicitus erit, ne eum ulla re offendat, aut quidquam dicat faciatve, quod conjunctum ſit cum ejus ignominia, quove ejus indignationem adverſus ſe provocet. Quam ſollicitudinem vocamus TIMOREM DEI, & illum quidem FILIALEM, quia cum flagrantiſſimo amore eſt conjunctus. (*) (§. CXXX.)

[*] Itaque TIMOR FILIALIS cum amore; SERVILIS cum odio conjunctus, aut ſaltim ab amore ſeiunctus eſt. Quum ergo ad hominis officium pertineat non ſolum timere Deum, verum etiam eumdem flagrantiſſimo amore proſequi: (§. CXXX.) conſequens eſt, ut jus naturae exigat timorem FILIALEM, non SERVILEM, qui & in homines ſceleratiſſimos, quin & in malos genios, cadere poteſt.

§. CXXXII. Qui ſervili timore Deum metuit, is a timore Dei ſejungit amorem ejuſdem. (§. CXXXI.*) Quum vero amor in eo conſiſtat, quod Dei perfectionibus unice delectemur: (§. CXXX.) 37. is, qui Deum, cujus perfectiones non perſpicit, metuit, SUPERSTITIOSUS vocatur: (*) ex eoque conſequitur, 38. ut omnis ſuperſtitio, quippe quae ex timore ſervili proficiſcitur, (§. CXXXI.) viro probo ſit fugienda.

(*) Eſt

Digitized by Google

(*) Eſt ergo SUPERSTITIO timor Dei, qui non ex perfectionum divinarum contemplatione, ſed ex falſis de Deo conceptibus, proficiſcitur. Idemque voluit Theophraſtus *Charact. p.* 47. dum ſuperſtitionem vocat, δειλίαν πρὸς τὸ δαιμόνιον, *meticuloſum erga Numen affectum*. Per δειλίαν enim, teſte Caſaubono *in Not.* intelligit *metum alium ab eo, qui pios decet: per τὸ δαιμόνιον & deos, & daemones, & quidquid divinitatis eſſe particeps, male ſana putavit antiquitas*. Quum vero metus tam abſurdus tum in interno adfectu conſiſtere, tum actionibus externis ſeſe prodere poſſit: priorem INTERNAM; poſteriorem EXTERNAM, ſeu CULTUM SUPERSTIOSUM vocamus.

§. CXXXIII. Quum ergo omnis ſuperſtitio tum interna, tum externa, viro probo cane pejus & angue ſit fugienda: (§. CXXXII.) 39. merito vir pius abhorret ab omni meticuloſo adfectu erga res creatas, itemque 40. ab erroribus, quibus quis ſibi Deum, tamquam ens avarum & donis facile placabile, ſiſtit, praeterea 41. a magia & divinationibus, 42. & cultibus fictitiis, denique 43. ab abſurda opinione, Deum ſolo cultu externo, quamvis ab omni amore ac timore ſejuncto, poſſe propitiari (*). Ejuſque effectus.

(*) Sunt haec praecipua capita, in quibus ſeſe exſerit ſuperſtitio, quippe ad quae reliqua ſuperſtitionis effecta omnia referri poſſunt. Vid. Budd. *de atheiſmo & ſuperſtit. Cap. VIII. & IX.* Unde facile patet, quam inanis ſit comparatio atheiſmi & ſuperſtitionis, quum utraque verae pietati erga Deum aeque adverſetur, ut idem vir doctiſſimus adverſus Petri Baelii ſententiam pluribus oſtendit *ibidem Cap. IV. §. V. p. 345. ſequ.* Nemo tamen negaverit, ex ſuperſtitione plurima maximaque incommoda redundare in rempublicam, ut non poſſis non mirari,
Quantum religio potuit ſuaſiſſe malorum,
ſi per religionem intelligas timorem Dei ab omni recta ratione ſejunctum, id eſt, ſuperſtitionem. Quo in primis pertinet lectu digniſſima Juvenalis *Satyra XV.* Nam ſaepe contigit, quod ibi refert poeta *v. 33. ſequ.*

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. Summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit.

§. CXXXIV. Praeterea, quum nemo de infinitis Dei perfectionibus poſſit cogitare, quin ejus omniſcientiam, ſapientiam, potentiam & bonitatem ſimul ſibi repraeſentet: (§. CXXVII.) fieri etiam non poteſt, 44. quin homo omnem fiduciam in Deo collocet, & 45 in ejus providentia unice adquieſcat, quin & 46. quaecumque Deus de ſe ſtatuerit, forti ac intrepido animo ferat, denique 47. nec, ſi bonis mala, vel malis bona eveniant, offendatur aut animum deſpondeat, ſed 48. & mala iſta ſibi aliiſque eſſe profutura, certo perſuaſus convictuſque ſit. Et ad fiduciam in Deo collocandam.

§. CXXXV. Et in his quidem ſimilibuſque officiis cultus Dei INTERNUS conſiſtit, per quem intelligimus amorem, timorem ac fiduciam, quibus Deum pura mente proſequimur. Quandoquidem vero ita natura comparatum eſt, ut adfectus in actiones externas erumpat: vix ſincerus videretur cultus ille interior, niſi inde naſceretur EXTERNUS (*), qui in actionibus externis, ex amore, timore ac fiducia erga Deum profectis, conſiſtit. Cultus Dei internus & externus.

(*) Equidem neceſſitatem cultus iſtius externi ex ratione poſſe demonſtrari, quidam negarunt, partim quod hoc cultu non indigeat Deus, ceu recte viderit Demonax, philoſophus apud Lucian. *in Demonacte p. 861. Tomo I.* dum accuſatus impietatis, quod nullum umquam ſacrificium Minervae obtulerit: reſponderit: οὐδὲ γὰρ δεῖσθαι αὐτὴν τῶν παρ' ἐμοῦ θυσιῶν ὑπελάμβανον. *Neque enim illam oblatis a me ſacrificiis*

ficiis indingere, putabam: partim quod ſocietas humana vitaeque tranquillitas, omiſſo cultu externo, non laedatur. Thomaſ. *Juriſpr. div.* II. 1. 11. *ſequ.* & *introd. in Ethic.* III. 37. *ſequ.* Sed nec cultu interno indiget Deus, quem tamen neceſſarium eſſe, nemo negaverit. Alterum vero argumentum facile corruit, ſi deſtruxeris πρῶτον illud ψεῦδος, quaſi nihil, niſi quod ex ſocialitate conſequitur, juris naturae ſit. (§. LXXV.) Conferri tamen meretur Hochſtetter. *Colleg. Pufendorff. Exerc.* III. 38.

Externus fluere debet ex amore Dei.

§. CXXXVI. Quum ergo cultus Dei externus in actionibus externis ex amore, timore, ac fiducia erga Deum profectis conſiſtat, (§. CXXXV.) amor vero non poſſit non efficere, ut cujus perfectione & felicitate unice delectamur, eum quoque verbis celebremus: officii noſtri erit, 49. de Deo ſemper honorifice, & cum reverentia loqui, 50. alios ſermonibus & actionibus noſtris ad eumdem amorem accendere, 51. Deo hymnos canere, 52. nec ejus nomen temere jurando pejerandove, vel ſermonibus quibuſcumque futilibus, ignominia adficere.

Nec non ex timore Dei.

§. CXXXVII. Ex timore Dei, obſequioque, quod enti illi perfectiſſimo debemus, (§. CXXXI.) merito colligimus, 53. praeceptis ejus actiones noſtras etiam externas attemperandas, & 54. ſemper cogitandum eſſe, ubique praeſentem adeſſe Deum, ac ipſas cogitationes noſtras, nedum actiones externas, perſpicere (*). Ex quo prono alveo fluet praeceptum pulcherrimum, 55. cavendam eſſe omnem ſimulationem pietatis, quippe cum ſumma divini Numinis injuria ac contemtu conjunctam.

*) Profeſſus eſt ſublimem illam doctrinam etiam Thales Mileſius, qui interrogatus a non nemine, εἰ λάθοι θεὸν ἄνθρωπος ἀδικῶν, *num lateat Deum homo injuſte agens?* reſpondit: ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος. *Immo ne cogitans quidem*. Clem. Alex. *Strom. V. p.* 594. Quis vero Deum praeſentem & ſpectantem omnia non reformidet? Eleganter Epictetus apud Arrian. I. 14. Ὡς δ' ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐςὲ οὐδὲ ἐςέ, ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐςι. *Quamobrem, clauſis januis ac valvis, quum in tenebris conſederitis, nolite dicere, vos ſolos eſſe. Non enim eſtis. Non certe eſtis, ſed Deus intus eſt*. Magna ergo nobis incumbit neceſſitas pietatis, quippe degentibus ſub oculis Dei omnia cernentis.

Denique ex fiducia in Deo collocanda.

§. CXXXVIII. Denique qui fiduciam in Deo collocat, (§. CXXXIV.) numquam intermittet 56. caſtas preces fundere, nihilque 57. faciet libentius, quam ut, ſi occaſio fuerit, publice privatimque cum Deo, & de Deo, loquatur. Ea enim ſunt, quae de cultu Dei externo percipit recta ratio. Ad ritus vero quod attinet, quamvis 58. & ratio intelligat, non poſſe cultum publicum commode explicari, niſi certa loca, temporaque illi deſtinentur, & 59. tanti momenti negotium omnino exigat, ut omnia decore fiant: 60. ipſas tamen caerimonias illa nec praeſcribit, nec 61. improbat, ſi ita ſint comparatae, ut nobis in memoriam revocent ea, de quibus in cultu divino ſit cogitandum. Cel. Wolff. *vernunfft. gedancken vom thun und laſſen des menſch.* §. *CLXXVI. ſequ.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM.

§. CXXXIX.

Homo obligatus eſt ad amandum ſeipſum.

PRaeter Deum optimum maximum nihil homini ſeipſo propius eſt, quippe cui ipſa natura tam tenerum ſui amorem impreſſit, ut iſtum emotae mentis eſſe exiſtimemus, qui adverſus ſeipſum odium concipit, ſibive male, quam bene, eſſe mavult. Nec injuſtus eſt ille SUI IPSIUS AMOR, dummodo ordinem non turbet. Eſt enim adfectus, quo quis perfectionibus ſuis ac felicitate delectatur, eaque bona conſervare, & magis magiſque quotidie amplificare ſtudet. Quum vero Deus voluerit, ut exiſteremus, multaſque nobis perfectiones eximias dederit, quin & media ad veram felicitatem perveniendi nobis in promtu eſſe voluerit: voluit etiam procul dubio, ut conſervemur, noſtraſque perfectiones tueamur & amplificemus, veraque felicitate potiri ſtudeamus, eaque delectemur, id eſt, ut nos amemus. (§. XCII.)

Qualis iſte ſui ipſius amor?

§. CXL. Ex quo jam ſupra collegimus, (§. XCII. 64.) hominem nihil eorum, quae ad perfectionem, felicitatemque adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, praetermittere teneri, dum id ſine amoris divini violatione fieri poſſit (*).

(*) Itaque haec officia nobis non praeſtamus tantum, ut felices ſimus: (iam ſupra enim oſtendimus, falli eos, quibus *ſola eſt utilitas juſti probe mater & aequi*,) ſed quia id Dei a nobis exigit voluntas, ut perfectionibus & felicitati noſtrae ſtudeamus. (§. LXXVII. *ſequ.*) Itaque ipſum, quod nobis debemus, officium conſiſtit in ſtudio perfectionis ac felicitatis noſtrae: non autem ſtudium illud eſt cauſſa, quae nos ad hoc officium impellit.

Quot ejus objecta?

§. CXLI. Quum ergo ex Dei O. M. voluntate homo obſtrictus ſit ad ea omnia, quae ad perfectionem felicitatemque adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, (§. CXL.) & homo non ex ſola mente, ſed & ex corpore conſtet, & utraque ſubſtantia ejus eſſentiam abſolvat: (*Elem. phil mor.* §. *XI.*) conſequens eſt. 1. ut homo & MENTEM & CORPUS [*] perficere, & 2. quia duae ſunt mentis facultates, INTELLECTUS & VOLUNTAS, (*Elm. phil. mor.* §. *XV.*) de utriuſque perfectionibus adſequendis, conſervandis, amplificandiſque ſollicitus eſſe debeat, adeoque 3. officia hominis erga ſeipſum partim ad totum HOMINEM perficiendum conſervandumque, partim ad INTELLECTUM, partim ad VOLUNTATEM, partim denique ad CORPUS, STATUMQUE HOMINIS EXTERNUM pertineant.

(*) Obſervandum hoc contra Socratis aliorumque veterum principia, qui corpus non partem eſſe hominis, ſed eius inſtrumentum tantum, res externas vero plane nihil ad hominem pertinere, exiſtimabant. Sic Simplicius *in prooem. comment. ad Epictet. p.6.* Εἰ οὖν ὁ μὲν ἄνθρωπος ἄρχει τοῦ σώματος, τὸ δὲ σῶμα ἑαυτοῦ οὐκ ἄρχει, δῆλον, ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος σῶμα, ἀλλ' οὐδὲ τὸ συναμφότερον, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. *Quod ſi homo corpori imperat, ipſum vero corpus ſibi non imperat, hominem corpus non eſſe, conſtat ac ne utrumque quidem ſimul, eadem de cauſſa.* Et quibuſdam interiectis: Ὁ τοῦ σώματος ἐπιμελούμενος οὐκ ἀνθρώπου, οὐδὲ τοῦ ὄντως ἡμῶν ἐπιμελ-

λεῖται, ἀλλὰ τῶ ὀργάνω. ὁ δὲ περὶ χρήματα καὶ τὰ τοιαῦτα σπουδάζων, οὔτε ἀνθρώπου ἐπιμελεῖται, οὔτε ἀνθρώπου ὀργάνου, ἀλλὰ τῶν τῶ ὀργάνω. *Qui corpus curat, non hominem, nec ea, quae ſunt hominis, curat, ſed inſtrumentum: qui vero pecunias & id genus aliis rebus ſtudet, nec hominem curat, nec hominis inſtrumentum, ſed ea, quae ipſi inſtrumento ſerviunt.* Non ſine ſtrepitu talia iactabant veteres, quum ſint dogmata non modo falſa & ſtolida, ſed & peſtilentiſſima.

Officia erga ſeipſum non ſunt ſejungenda vel ſeparanda.

§. CXLII. Ex quibus porro colligimus, 4. non ſejungenda eſſe haec officia, adeoque 5. nec mentem, nec corpus negligi oportere: 6. ſi tamen contingat, ut utrique ſatisfieri non poſſit, ex pluribus bonis vel perfectionibus, quas ſimul adſequi non poſſumus, nos praeſtantiſſimam ac ſumme neceſſariam eligere, (§. XCIV. *) ac proinde, 7. quum mens corpore ſit multo praeſtantior, *Elem. philoſ. mor.* §. *XIII.*) perficiendae menti noſtrae tunc magis, quam corpori, ſtudere, at 8. neutram tamen noſtri partem plane negligere debere (*).

(* Itaque contra officium faciunt, qui ita curant corpus, ut mentem obruere ſcelere peccantur. Sed ii non magis intisfaciunt officio, qui doctrinae atque intellectus perficiendi ſtudio ita immorantur libris, ut iis immoriantur. Neutrum ergo officium negligendum, quamvis ſi quis e. g. ſtudio theologico conſecratus, non tantum ſibi vel otii, vel ſumtuum ſupereſſe videat, ut ſtudia quaedam, quae theologum alioquin ornant, nec tamen abſolute ſunt neceſſaria, cum theologia coniungat, is omnino recte & ordine facere videatur, ſi id, quod praeſtantius eſt, minus praeſtanti, neceſſarium minus neceſſario praeferendum exiſtimet. Rem ſolide explicavit Cel. Wolff. *ibid.* §. CCXXV. *ſequ.*

Homo vitam ſervare ac mortem evitare tenetur.

§. CXLIII. Quod ad TOTUM HOMINEM attinet, ejus perfectio & felicitas in eo conſiſtit, ut unio mentis & corporis maneat ſalva, quia divulſis iſtis partibus, mens quidem, tamquam immortalis, ſuperſtes eſt. (*Elem. phil. mor.* §. *XIII.*) non autem homo. Quandoquidem vero homo VIVERE dicitur tantiſper, dum unio illa mentis & corporis ſalva eſt; MORI vero, ſimul ac partes illae eſſentiales a ſe invicem divelluntur: conſequens eſt, 9. ut homo ad vitam conſervandam, ac 10. proinde ad evitandam mortem, ac deſtructionem, omnino ſit obligatus, niſi 11. mens, de praeſtantiore bono per mortem conſequendo certa, mortem non quidem ultro eligat, ſed imminentem ſibi animo forti ac intrepido obeat. (*) (§. XCIV. *)

(*) Itaque infaniiſſe dixeris Hegeſiam πεισιθάνατον, qui hominem ad conſciſcendam ſibi mortem obligatum eſſe, exiſtimabat, idque tanto argumentorum adparatu perſuadebat hominibus non magis ſanis, ut catervatim ſe in mare proiicerent. Cic. *Tuſc. Quaeſt.* I. 34. *Valer. Max.* VIII. 9. Quum enim eum emotae mentis eſſe, merito iudicemus, qui ſui ipſius concipit odium: (§. CXXXIX.) ea, quae ſomniavit fecitque ille Hegeſias,

Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes,

maxime quem omnia referret ad voluptatem, nec futurae alicuius felicitatis ſpes atque expectatio vitam hanc illi acerbiorem mortemque ſuaviorem redderet. Contra nihil praeter officium optabat Apoſtolus, dum cupiebat diſſolvi, non martyres eo nomine erant reprehendendi, qui certa ſpe futurae gloriae freti, nullos cruciatus, nullumque ſupplicium pertimeſcebant, quia, quod malum minus nos maiori malo ſubducit, bonique praeſtantioris reddit participes, potius bonum, quam malum eſt. *Elem. phil. mor.* §. CLII. 12. iuncto §. CLI. 8.)

Ac proinde mors voluntaria injuſta eſt.

§. CXLIV. Inde porro colligimus, 11. contra officium agere, qui ipſi ſibi violentas manus inferunt. Quod & aliis modis facile poteſt demonſtrari; veluti quod hujuſmodi actio naturae amoris & boni indoli repugnat; adeo-

adeoque contradictionem involvit: (*Elem. philoſ. mor.* §. *CLIII.* *) quod mors hujuſmodi voluntaria non poteſt conſiſtere cum illa fiducia in Deo collocanda, mentiſque adquieſcentia in voluntate Dei, quas ſupra inter officia hominis erga Deum eſſe probavimus. (§. CXXXIV.) Sed adjicere jam juvabit hoc unum argumentum: Homo tenetur hominem amare, tamquam ſeipſum, ac proinde ſeipſum, tamquam alios homines. (§. XCIII. 65. 66.) Atqui amor juſtitiae non patitur, ut hominem occidamus. Idem ergo non patitur, ut nos ipſos occidamus (*).

(*) Aſt ita philoſophandum cum iis, qui ſcientes & prudentes in ſeipſos ſaeviunt: non cum iis, qui ex furore vel inſania ſibi inferunt manus. His actio, tam triſtis ne imputari quidem poteſt: (§. CVI. 29.) illis quum ſine cauſa tale quid feciſſe videri nequeant, vel conſcientia criminis, vel calamitatum, quibus excruciantur, magnitudo, vel metus dirae atque ignominioſae mortis conſilium tam truculentum extorquet. Quarum cauſſarum prima manifeſto non excuſat, quum ſuperſit medium, cum conſcientia redeundi in gratiam. Reliquae non deſtituuntur colore, quia ex duobus malis phyſicis merito minus videtur eligendum. (*Elem. phil. mor.* §. CLII. * 2.) Sed quum nec malum phyſicum ſit mors voluntaria, ſed morale, quod eligi non poteſt, & calamitas dolorque concipi vix poſſit, quem non adquieſcentia in voluntate Dei lenire poſſit ac debeat: quin & plerumque furor non poſtremus ſit, ne moriare, mori: Martial. *Epigr.* II. 80. ne his quidem caſibus dici poteſt, ſuae quemque vitae mortiſque eſſe arbitrum. Wolff. *philoſ. moral.* §. CCCXL. *ſeqq.*

§. CXLV. Ex iiſdem axiomatibus, paullo ante (§. CXLIII.) explicatis, patet, 12. non minus contra officium facere, qui immodicis laboribus, vel 13. luxu & libidine, ſibi mortem accelerant, vel 14. valetudinem parum curant: quique 15. nec neceſſitate, nec officio urgente, pericula ultro adeunt, eaque ratione ipſi ſibi ſuo jumento malum arceſſunt (*). Nec non vitae & valetudinis neglectus.

(*) Quiſquis enim actionis alicuius auctor vel cauſſa eſt, ei actio illa iure imputatur. (§. CV. 22.) Quis vero dubitet, quin mortis ſuae cauſſa ſit, qui ſe intolerabili labore excruciat? qui luxu & libidine vires corporis animique deterit proſternitque, qui valetudinis nullam habet rationem, periculis manifeſtiſſimis ſeſe praeter neceſſitatem obiicit? Quum ergo vel in foro humano ex lege Cornelia ſicarius habeatur, non ſolum qui dolo malo occidit hominem, ſed & qui neci cauſſam praebuit: *l.* 16. §. 8. *D. de poen. l.* 1. *D. ad L. Cornel. de ſicar.* quis dubitet, quin multo magis in foro divino reus propricidii futurus ſit, qui ſibi ipſe mortis cauſſam praebuit?

§. CXLVI. Intellectus humani perfectio procul dubio in cognitione veri & boni conſiſtit. (*Hiſt. philoſ.* §. *I*) Ad quam adſequendam, conſervandam, amplificandam, quum homo ſit obſtrictus: (§. CXL.) conſequens eſt. 16. ut unumquemque oporteat de adquirenda ſibi mentis perſpicacitate, facultateque verum & falſum, bonumque & malum diſcernendi laborare, 17. nullamque occaſionem ſive ex aliorum inſtitutione, ſive ex libris, ſive per experientiam, veritates utiles, praeceptaque de bono & malo (*), addiſcendi praetermittere, & 18. ſi forte ejus ſit conditionis, ut omnia, quae utilia eſſent, addiſcere non poſſit, eum vel ſaltim id, quod optimum maximeque neceſſarium eſt, tanto accuratius veluti in numerato habere debere. (§. CXLII, 6.) Officia hominis ratione intellectus. Cultura ejus omnibus communis.

(*) Haec cognitio omnibus peraeque neceſſaria eſt, partim quod voluntas non poteſt adpetere, niſi quod intellectus ſibi, tamquam bonum, repraeſentavit, nec aver-

Digitized by Google

averſari, niſi quod illa tamquam malum agnovit. [§ XXX. 5.] partim quod imputantur actiones, etiam ex ignorantia admiſſae, quatenus legem & potuit & debuit homo perſpectam habere. [§. CVIII. 37. 38.] Recte ergo Sophocles *in Antigone v. 1311.* πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει. *Sapere ad beatitudinem praecipuum eſt.*

Et ſingulis propria.

§. CXLVII. Ex qua poſtrema propoſitione, (§. CXLVI.) 18. porro conſequitur, 19. ut, quemadmodum ad officia, adhuc recenſita, omnes peraeque obligati ſunt: ita 20. ſpeciatim quiſque ad eam intellectus culturam ſit obſtrictus, quae ejus indoli ingeniique viribus, nec non fini & vitae conditioni conveniat, ac proinde 21. ſuam quiſque indolem ſuaſque vires accurate exploratas habere debeat; 22. vix quippe excuſandus, ſi quod vitae genus, cui minus idoneus ſit, temere atque invita Minerva, vel ipſe eligere, vel 23. aliis in poteſtate ſua conſtitutis vel diſciplinae ſuae creditis, obtrudere non dubitarit (*).

(*) Itaque cultura, ad quam obligati ſumus, intellectus alia GENERALIS eſt, ad quam omnes homines peraeque obligati ſunt, de qua §. CXLVI. alia SPECIALIS, ad quam ſinguli tenentur, de qua hoc §. CXLVII. Illius fundamentum eſt ratio, quam cum omnibus hominibus communem habemus, quamque pro virili perficere tenemur omnes: huius vero cuiuſque indoles, id eſt, vires iudicii, intellectus & memoriae, quae quum non apud omnes eadem, nec eodem gradu ſint: non omnes homines ad idem vitae genus idoneos eſſe, facile patet. Hinc porro colligimus, VOCATIONEM DIVINAM SPECIALEM, [ſi ab inſtinctu divino atque extraordinario diſcedamus,] nihil aliud eſſe, quam voluntatem Dei de certo vitae genere ab homine eligendo, per dotes animi ac corporis ei conceſſas declaratam. De qua Perſius *Sat.* III. *v. 71.*

Quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re,
Diſce.

Officia ratione voluntatis.

§. CXLVIII. VOLUNTATIS perfectio conſiſtit in adpetitione & fruitione boni, malique averſatione. Quumque bonum non adpetamus, niſi cujus praeſtantiam intellectu praelucente perſpeximus, nec averſemur, niſi quod tamquam malum cognovimus: (§. XXX, 5.) ex eo quoque merito colligimus 22. non adquieſcendum nobis eſſe in qualicumque boni malique cognitione, ſed operam dandam, ut ea viva ſit, & efficax: 23. Non modo bonum qualecumque eſſe adpetendum, ſed ex pluribus bonis praeſtantius magiſque neceſſarium; 24. immo ne malum quidem averſandum eſſe, quod nos majoris boni participes reddere poſſit: denique, 25. bonum ſummum prae aliis adpetendum, & reliquis bonis omnibus aequo animo carendum eſſe, ſi illo ſine his potiri non poſſimus (*).

(*) Hinc iam alibi oſtendimus, falli eos, qui ſummam felicitatem, ad quam in hac vita connitimur, in fruitione omnium bonorum conſiſtere exiſtimant: veluti Platonem apud Ciceronem *Quaeſt. Acad.* I. 6. Id enim cum non cadat in hominem, nec in huius vitae conditionem: conſequens eſt, ut ſaltim ad adſequendum bonum ſummum ac praeſtantiſſimum, quod τὴν ἀγαθὴν μερίδα eleganter vocat Servator, *Luc.* X. 42. omne ſtudium conferre teneamur. [*Elem. phil. mor.* §. CXXXIX. *ſequ.*]

Voluntatis emendatio maxime neceſſaria.

§. CXLIX. Praeterea, quum is, qui obligatus eſt ad finem is & ad media ſit obligatus: conſequens eſt, 26. ut nihil eorum, quae recta ratio praeſcribit, ad ſummam felicitatem contendentibus, & quae alibi (*Elem. phil. mor.* §. CCXLIX. *ſequ.*) explicavimus pluribus, praetermittendum, ſed

Digitized by Google

ſed 27. de emendanda mente, 28. adfectibus ratione regendis, (*) 29. vitiis denique magis magiſque animo evellendis, dies noctesque ſerio cogitandum ſit.

(*) Saepe enim ſoli illi animi impetus hominem ita in tranſverſum agunt, ut fine ſuo excidat, & vel vera felicitate careat, vel triſtem eiuſdem faciat iacturam. Praeterea generatim non faciet umquam officium, quisquis adfectus non habet in poteſtate, quippe qui ita pervertunt diſtorquentque animi iudicium, ut nihil recte & ordine fiat. [*Elem. phil. mor.* §. XXXV.] Papin. Stat. *Thebaid. Lib.* X. *v.* 626.

Ne fraenos animo permittere calenti:
Da ſpatium, tenuemque moram, male cuncta miniſtrat
Impetus.

Nimium *ratio ipſa, cui fraeno traduntur, tamdiu potens eſt, quamdiu diducta eſt ab adfectibus. Si miſcuit ſe illis, & inquinavit, non poteſt continere, quos ſubmovere potuiſſet. Commota enim ſemel, & concuſſa mens ei ſervit, a quo impellitur* Seneca *de ira* I. 7.

§. CL. Supereſt CORPUS, cujus perfectio quum in eo conſiſtat, ut omnes ejus partes ad motus neceſſarios idoneae ſint: ex hoc quoque conſequitur, 30 ut obligati ſimus ad tuendam ſanitatem, ac proinde 31. & in cibo potuque capiendo, & 32. in laboribus, & 33. in exercendo corpore omnia ad tuendam valetudinem, agilitatemque, & vires tanto majores adquirendas, referre, (*) contra ea 34. omnem corporis deſtructionem & mutilationem membrorum a nobis, quantum fieri poteſt, amoliri teneamur.

Obligatio ad corpus perficiendum conſervandumque.

[*] Sed hic quoque ſtatus quiſque ſui & conditionis rationem habere tenetur. Aliud enim robur, aliam agilitatem, dexteritatemque requirimus in pugile, quam in fabro: alia omnia in fabro, quam in milite, alia in milite, quam in viro docto. Ex quo patet, exercitationes quoque corporis non in omnes eaſdem cadere, adeoque prudentia hic opus eſſe, ut & finem quiſque ſuum ob oculos habeat, & media ſe digna eligat. Quin & aetas diſcrimen facit. Senex, ſi ſapit, *non vires deſideras adoleſcentis, non plus, quam adoleſcens tauri aut elephanti.* ait Cicero *Cat. maj. Cap.* IX. Ac proinde & ſenis alia erit exercitatio, quam iuvenis, Id. *ibid. Cap.* XI. *Pugnandum tamquam contra morbum, ſic contra ſenectutem. Habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* cetera.

§. CLI. At fruſtra haec omnia urgentur, ſi quis ea paupertate prematur, ut ſibi nec ſalubrem victus rationem imperare, nec laboris modum ſuo arbitrio ſtatuere poſſit. Ac proinde 35. facile intelligitur, carere hominem non poſſe adparatu rerum, ad vitam ſtatumque ſuum decore tuendum neceſſariarum. Qui adparatus quum FACULTATUM vel, ſi adfluentior ſit, OPUM vel DIVITIARUM nomine veniat: conſequens eſt, 36. ut unuſquiſque obligatus ſit ad tantas facultates, quantas juſtis mediis parandi occaſio eſt, adquirendas, 37. juſteque adquiſitas conſervandas, & 38. prudenter diſpenſandas (*).

Quatenus homo teneatur ad facultates quaerendas?

[*] Non ergo ideo probamus AVARITIAM, vitiorum omnium peſtilentiſſimum pariter ac turpiſſimum. Avarus enim opes opum cauſſa quaerit, homo ſeipſum prudenter amans vitae decore agendae cauſſa. Illi nullum lucrum ſordet, nec medium ullum contrahendae pecuniae tam turpe ac iniuſtum eſt, quo non utendum exiſtimet Euclio, cui ſemper, ſi non in ore, at in mente, eſt illud πολυθρύλλητον.

O cives, cives, quaerenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos.

Hic non corradit opes, ſed occaſioni illas iuſte adquirendi inicit manum. Denique quum avarus ſemper quaerat, & inventis miſer abſtineat, & timeat uti: multo aliter rationes componit vir ſapiens, cuius vox eſt illa Horatii *Epod.* I. *v.* 31.

Haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terra premam,

Digitized by Google

Diſcinctus aut perdam ut nepos. Prudenter ergo diſpenſat facultates, ne cogatur aliena quadra vivere, vel alios pecunia turpiter emungere, ne inimicis ſit ludibrio, ne creditores & improbi foeneratores limina ſua dies noctesque obſideant, ne deſit, quo amicos & indigos iuvet, ne denique iam mortuus a liberis, ſua culpa mendicantibus, iure accuſetur. Quis vero haec ad boni viri officium pertinere neget?

Adeoque ad laborem & induſtriam.

§. CLII. Ex quo facile patet, 39. quum finis ſine mediis obtineri nequeat, nullum autem ſit medium, facultates neceſſarias ſibi parandi juſtius labore ac induſtria, unumquemque ad labores in eo, quod ſemel elegit, vitae genere forti animo obeundos, omnemque adhibendam diligentiam, eſſe obligatum, ac proinde 40. contra officium facere eum, qui ideo, quod vitam ocio tranſigit, cum ſumma inopia ac ignominioſa paupertate conflictatur, quum contra 41. nemini imputari poſſit paupertas, qui, quamvis nihil, quod ſuarum partium ſit, praetermittat, publica tamen vel privata calamitate fortunis evolvitur, (§. CVI. 27.) vel 42. cui citra ſuam culpam nulla rem faciendi occaſio eſt. (*) (§. CXIV. 56.)

(*) Utrumque ergo ad boni viri pertinet officium, & occaſionem aliquid adquirendi non dimittere e manibus, & honeſtam paupertatem aequo animo ferre. Utrumque praeſtitit Jobus, qui & opes honeſtis mediis quaerere, & paupertatem ferre didicerat. Jungit utrumque officium & Horat. *Carm.* III. 29. *v.* 53. qui de fortuna volubili ſuo more conqueſtus:

Laudo, inquit, *manentem. Si celeres quatit*
Pennas: reſigno, quae dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quaero.

Itemque ad tuendam & amplificandam exiſtimationem.

§. CLIII. Quum porro homo nihil eorum, quae ad adſequendam, conſervandam, amplificandamque felicitatem pertinent, praetermittere teneatur: (§. CXL.) nemo ſane dubitabit, 43. quin ad felicitatem adſequendam, conſervandam, amplificandamque vel maxime pertineat EXISTIMATIO, quae in benigno aliorum de virtute ac perfectionibus noſtris judicio conſiſtit. Cujus enim de virtute & perfectione omnes bene ſentiunt: eum dignum felicitate judicant, ac proinde nihil eorum, quae ad illam adſequendam, conſervandam, amplificandamque pertinent, praetermittunt. Itaque *exiſtimatio* medium erit adſequendae, conſervandae, amplificandaeque felicitatis, ex eoque ſequitur, 44. ut uniuſcujuſque ſit, ſervire famae atque exiſtimationi, (*) & 45. publicis privatiſque in rebus, quae ratio praeſcribit, praeſtare, denique 46. eam non modo praeclaris actionibus tueri, ſed &, 47. ſi fieri poſſit, quotidie amplificare.

(*) Quum vero hoc & eorum ſit officium, qui nulla umquam turpi actione vel enormi facinore aliorum de ſe opinionem vel deminuerunt vel exſtinxerunt: quanto magis ad id obligatos dixeris eos, quorum fortaſſis adoleſcentia vituperatione & odio non caruit, ut hanc labem eluant virtute, ac proinde famae ſerviant? Exemplo eſſe poteſt Themiſtocles, de quo Cornelius Nep. *Cap.* I. *Quae contumelia non fregit eum, ſed erexit. Nam quum judicaſſet, ſine ſumma induſtria non poſſe eam exſtingui: totum ſe dedidit reipublicae, diligentius amicis* FAMAE*que* SERVIENS.-- *Quo factum eſt, ut brevi tempore illuſtraretur.* Sic Titum quoque Caeſarem, cujus animus in prima adoleſcetia veluti a ſeipſo exerraverat, pudore ignominiaeque metu a vitiis retractum eſſe, obſervat Sueton. *Tit. Cap.* VII. Alia exempla dabit Valer. Maxim. VI. 9. Macrob. *Saturn.* II. 9.

Et refellendas calumnias.

§. CLIV. Quumque uniuſcujuſque ad officium pertineant, famam atque exiſtimationem tueri, (§. CLIII. 46.) eam vero ſaepe deminuant aliorum

CA-

Digitized by Google

CALUMNIAE, id eſt, mendaces de vitiis ac imperfectionibus noſtris ſermones: conſequens eſt, 48. ut nihil, quod ad calumnias reipſa & verbis refellendas pertinet, omittendum ſit, 49. niſi forte illae tam putidae videantur, (*) 50. vel auctor tam levis ſit, ut eas generoſo contemtu vindicare praeſtet.

(*) Vocantur hae MANIFESTAE CALUMNIAE, quas qui verbis operoſe refellendas exiſtimat, nae is magno conatu maximas nugas agere velle videtur. Non magis illae virum bonum terrent, quam latratus catellorum. Et qui eas effutit, is non alterius, ſed ſuam, exiſtimationem turpiter evertit: Simplicius *Comment. ad Epictet. Cap.* LXIV. *Ὥσπερ, εἰ τὸ, ἡμέρα ἐστιν, ἥλιος ὑπὲρ γῆς ἐστιν, ψευδεῖ τις ὑπολάβοι, οὐ τὸ συμπεπλεγμένον βέβλαπται. αὐτὸ γὰρ ἔχει τὴν ἑαυτοῦ ἀλήθειαν. ἀλλ' ὁ ἀπατηθεὶς περὶ ἑαυτοῦ οὕτω καὶ ὁ παρὰ τὸ καλῶς ἔχον λοιδορῶν σε ἢ κακοποιῶν, αὐτός ἐστιν ὁ βεβλαμμένος, σὺ δὲ οὐδὲ βέβλαψαι, οὐδὲ πέπονθάς τι κακόν. Veluti: Si dies eſt, ſol ſuper terram verſatur. Hoc ſi quis falſum putet, non ipſum connexum damnum facit, cui ſua conſtat veritas, ſed is, qui falſum de eo ſentit. Sic etiam qui ſecus, ac decet, ei conviciatur: aut male facit, ipſe eſt, cui nocetur, tibi vero ne nocitum quidem eſt, neque mali quidquam datum.* Aliud tamen dicendum de CALUMNIA SPECIOSA, id eſt, ea, quae cum aliqua probabilitate coniuncta eſt, & hinc non modo incautos, ſed & prudentiores, fallere poteſt. Hanc enim qui iuſtis modis non reprimit, nec pudorem purgat, is diffidere cauſſae ſuae videbitur, ac proinde non ſatisfacit officio, quod exiſtimationem & famam, quae cum vita pari paſſu ambulat, pro virili tueri iubet.

§. CLV. Quamvis vero iuſtiſſimus hic ſui ipſius amor: nullum tamen dubium eſt, quin incidat in vitium, ſimul ac quis turbato amoris ordine, in ſeipſum vehementiore amore, quam in ens perfectiſſimum, puta DEUM, fertur. (§. XCII, 63.) Atque inde collegimus jam ſupra, (§. CXL.) tum demum iuſtam rationem habere omnia haec officia erga nos ipſos, ſi ea cum amoris divini violatione non ſint coniuncta. Ex quo facile patet, 51. non ſemper verum eſſe, quod vulgo jactant, *neceſſitatem non habere legem*. (*)

An officia erga nos ipſos ob neceſſitatem praeferenda officiis erga Deum?

(*) Ea regula nihil frequentius in ore hominum eſt, eaque ita vulgo utuntur, ac ſi ex tripode audita eſſet, & quaſi nihil ſit turpe & nefarium, quod excuſet neceſſitas. Euripid. *in fragm. ex Hippolyt. obtect.*

Ἐγὼ γέ φημι, καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
Ἐν τοῖσι δεινοῖς, τῶν ἀναγκαίων πλέον:
Quoties periclum eſt, ex mea ſententia
Neceſſitati debet & lex cedere.

Claudian. *in Eutrop. Lib.* II. *v.* 595.

Summa pericula ſemper
Dant veniam culpae.

Atqui ſi hoc abſciſſe verum eſſet: adverſus ſe ipſos graviter peccaſſent martyres, qui, inſuper habito illo neceſſitatis favore, nullo cruciatuum genere adduci ſe paſſi ſunt, ut aliquantulum turis flammae iniicerent: nec minus ſtolide egiſſet Joſephus, qui vitae libertatiſque adire periculum, quam haerae libidini ſervire maluit. Quin nemo ſanus vitio verteret militi fugam, ſi, imminente hoſte, cui ſe reſiſtere non poſſe animadvertit, ſtationem deſerere non dubitet. Plura exempla jam addere ſupervacuum eſſet, quum vel haec ſatis oſtendant, non uſquequaque veram ac ſolidam eſſe hanc regulam.

§. CLVI. Quum ergo regula haec non ſemper, at aliquando tamen, officio ſuo fungatur: (§. CLV, 51.) conſequens eſt, 52. ut diverſi caſus diſtinguendi ſint, quumque in hujuſmodi actione, quam nobis imperioſa neceſſitas extorſit, nulla circumſtantia alia rem variare poſſit, quam vel NECESSITAS ipſa, vel LEGIS natura, vel OFFICII, quod praetermittendum eſt, indoles: facile patet, 53. haec tria paullo accuratius ac diſtinctius eſſe conſideranda, ſi, quatenus neceſſitas habeat legem, vel non habeat, explorare velimus.

Favor neceſſitatis quod habeat fundamentum.

§. CLVII.

Digitized by Google

Neceſſitas quid & quotuplex?

§. CLVII. Per NECESSITATEM hic intelligimus ſtatum hominis, in quo legi ſine periculo ſuo parere non poteſt. Quod periculum, quoties ad ipſam vitam pertinet: neceſſitas erit EXTREMA, quoties ipſi vitae non imminet, pro magnitudine periculi MAJOR MINORVE adpellabitur. Ita & ABSOLUTA eſt neceſſitas, quae evitari nullo alio modo poteſt, quam violata lege: RESPECTIVA, quam alius quidem, at non hic homo, qui jam in illa verſatur, evitare poſſet.

(*) Ita NECESSITAS EXTREMA imminebat martyribus, quibus aut diriſſimum ſubeundum ſupplicium, aut Chriſto maledicendum erat. Non vero extrema erat neceſſitas, qua Chriſtianos ad defectionem impellere conabatur Julianus ὁ παραβάτης, dum eos abs litterarum ſtudiis, honoribus, militia repellebat. ABSOLUTA erat neceſſitas, in qua verſabatur Daniel, beſtiis obiiciendus, niſi preces miſiſſet: RESPECTIVA, quacum conflictabatur Davides, dum ei aut fame pereundum, aut panibus ſacris veſcendum erat. Alius enim, qui ſine praecipiti fuga iter feciſſet, facile procul dubio alium reperiſſet panem, quo expugnaſſet inediam.

Quae neceſſitas favorem mereatur?

§. CLVIII. Jam facile quiſque animadvertet, 54. in cenſum hic non modo venire neceſſitatem EXTREMAM, ſed & eam aliquando, in qua vita non periclitatur. Quum enim quaedam ſint calamitates ipſa morte acerbiores: quis dubitet, quin viro etiam conſtantiſſimo terrorem injicere poſſint dolores intolerabiles, orbitas oculorum, & ſimiles aerumnae? Praeterea quum, ubi effugium patet aliud, ex duobus malis phyſicis minimum eligendum ſit: (*Elem. phil. mor.* §. CLII, *) conſequens eſt, 55. ut abſoluta quidem neceſſitas favorem mereatur, (§. CLVII.) 56. reſpectiva tum demum, ſi quis non ſuo ſibi jumento hoc malum invenerit. (*)

(*) Si quis ſe ultro periculo offert, cauſſa eſt illius neceſſitatis, in qua verſatur, ac proinde ipſi eventus poteſt imputari. (§. CV. 22.) Cui actio imputatur, eum nihil excuſat, adeoque nec excuſabit neceſſitas, ſi per eum ſteterit, quo minus illa urgeretur. Hinc vix favorem meruit neceſſitas, in quam ſe coniecerat quidam: qui propoſitum adverſus Chriſtianos edictum diripuit conſciditque, ſtatimque productus non modo tortus, ſed & legitime coctus eſt, teſte Lactantio *de mort. perſequut. Cap. XIII.* Si ergo in his conſtitutus anguſtiis aliquid egiſſet adverſus honeſtatem & juſtitiam, tantum ut mortem & cruciatus ſubterfugeret, quis negaverit, eum male egiſſe? Exemplo eſſe poteſt Quintus quidam, cuius in Epiſtola de martyrio Polycarpi meminit eccleſia Smyrnenſis, qui, quum ſponte ſe obtuliſſet martyrio, & alios ad idem faciendum perpuliſſet, viſis beſtiis, per genium Caeſaris juravit, nefandoque ſeſe polluit ſacrificio. Quare Smyrnaei graviter monent: *Διὰ τοῦτο οὖν, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς, ἐπειδὴ οὐχ οὕτως διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον. Nos itaque, fratres, non probamus eos, qui ultro accedunt, ac ſemet ipſos produnt, quum aliter praecipiatur in evangelio.* Similia habes apud Origenem *ad Jo.* XI. 35. *Tom.* XXXI.

Leges humanae & divinae adfirmativae admittunt exceptionem neceſſitatis.

§. CLIX. Lex porro quum vel DIVINA ſit, vel HUMANA, eaque vel AIENS, vel NEGANS, (§. LXIV, 9.) homo vero, etſi ſummus imperans, neminem obligare poſſit ad mortem gratis ſubeundam: conſequens eſt, 57. ut leges HUMANAE regulariter intelligendae ſint cum exceptione neceſſitatis (*). Idemque 58. dicendum videatur de DIVINIS AIENTIBUS vel ADFIRMATIVIS, quia nemini imputari poteſt omiſſio actionis, ſi agendi deſit occaſio, (§. CXIV, 56.) niſi forte, 59. actionis intermiſſio ita ſit comparata, ut tendat in ſummi numinis injuriam, ſiquidem tunc lex ſimul concurrit negativa, quod nihil faciendum ſit in Dei ignominiam. (§. CXXXI, 38.) Quo referimus factum Danielis. *Dan. VI*, 10.

(*) Omnia

Digitized by Google

(*) Omnia haec liquida videntur. Homines dum ſe imperio civili ſubjecerunt, in imperantem contulerunt omnia, ſine quibus finis civitatum obtineri non poſſet. Hinc & ius vitae & necis ei conceſſerunt, at non promiſcue, quia id fini civitatis refragaretur, ſed tantum, ſi id exigat ſalus populi vel reipublicae. Itaque nec cives legibus ſuis obligare poteſt ad mortem gratis ſubeundam, ſed eo tantum caſu, ſi id exigat ſalus populi & reipublicae: adeoque eius leges regulariter intelligendae ſunt cum exceptione neceſſitatis. Hinc eleganter Grotius *de jure belli & pac. l. 4. 7. n. 2. Ferri ab hominibus leges ſolent & debent cum ſenſu humanae imbecillitatis.*

§. CLX. Contra ea quod ad leges divinas NEGANTES attinet, illae ad officia vel erga *ipſum Deum*, vel erga *nos ipſos*, vel erga *alios homines* nos obſtringunt. (§. XC. CXXIV.) Quae ad officia erga ipſum Deum pertinent, in ſe ita ſunt comparata, ut ſine ignominia Dei numquam intermitti poſſint. Quum vero ad ea omnia, quae cum ignominia ſummi Numinis conjuncta ſunt, omittenda ſimus obſtricti: (§. CXXXI, 36.) conſequens eſt, 60. ut nullus ſit tantus neceſſitatis favor, qui hominem, leges divinas negativas de officiis erga Deum violaturum, poſſet excuſare (*). Contra 61. ſi duo colliduntur officia erga non ipſos, nihil tutius eſt, quam ut ex duobus malis phyſicis, quod minimum eſt, eligamus.

Non autem leges divinae negantes, quae ad officia erga Deum & nos ipſos pertinent.

(*) Hinc factum ſuum excuſare non poteſt, qui quacumque neceſſitate adductus ſe paſſus eſt, ut in Deum eſſet blaſphemus, idolis ſacrificaret, periuriove ſe pollueret. Quod & ipſi non negarunt ſcriptores profani, veluti Juvenalis, *Sat. VIII.*

Ambiguae ſi quando citabere teſtis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet ut ſis
Falſus, & admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas, animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſſas.

Quamvis vero excuſare ſe nequeunt, qui quid tale admiſerunt, neceſſitati ſuccumbentes: non tamen permittit humanae imbellitatis ſenſus, ut eorum vicem non doleamus, quos a conſtante propoſito dimovit imperioſa hujuſmodi neceſſitas, quum noverimus, ipſi Petro, Chriſtum Servatorem neganti, datum eſſe veniam, quando eum facti poenituit, *Matth. XXVI. 75.*

§. CLXI. 62. Quae ad officia erga alios homines pertinent, leges aientes, favorem neceſſitatis non reſpuere certiſſimum eſt, partim quod omiſſio actionis imputari non poteſt, ſi deeſt agendi occaſio, (§. CXIV, 56.) partim quod amoris leges nos non obligant, ut alterius felicitate magis, quam noſtra, delectemur, adeoque illum vehementius, quam nos ipſos, amemus. (§. XCIV, 65.) Et eatenus 63. verum eſt illud: *Proximus egomet ſum mihi.* (*)

Leges divinae aientes de officiis erga alios admittunt favorem neceſſitatis.

(*) Sic e. g. lex divina non obligat quemquam, ut alium ſervet, ipſeque pereat, vel ut ipſe eſuriens, quod ſupereſt, panis fruſtulum alteri det. Id ne ipſa quidem ſanctiſſima lex amoris, quam ſacrae litterae Chriſtianis inculcant, exigit. 2. *Cor. VIII.* 13. Quare recte Seneca *de Benef. II.* 15. *Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam: ſuccurram perituro, ſed ut ipſe non peream.* Nec aliud in animo habuere ſcholaſtici doctores, dum finxerunt regulam: *Ordinata caritas incipit a ſe ipſa.*

§. CLXII. Porro NEGANTES leges de officiis erga alios objecta a Deo neceſſitate, vel cum officiis de conſervatione noſtri ipſius, vel de perfectione noſtra ac felicitate tuenda amplificandaque, colliduntur. Priore caſu, quum alterum non magis, quam nos, amare teneamus. (§. XCIV, 6.) 64. procul dubio, incumbente nobis neceſſitate, quaelibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem, dumne per nos ſteterit, quo minus durum illud neceſſitatis

Aut & negantes, ſi neceſſitas fit a Deo?

Digitized by Google

ſitates telum declinaremus, vel par ſit omnium conditio, quia aequalis adverſus aequalem nullo favore vtitur: (§. CLVIII, *56.*) poſteriore *65.* ſatius eſt, nos perfectione aliqua vel felicitate carere, quam alterum perire, ut nos majore perfectione vel felicitate potiamur, (*).

(*) Nam perfectione aliqua vel felicitate carere malum eſt phyſicum, ſi per nos non ſtetit, ut illa potiremur. At perdere alterum, malum eſt morale, quod ſemper majus malo phyſico habendum eſt. Quum vero ex duobus malis phyſicis eligendum ſit minus, ac proinde ex concurrentibus malis phyſico & morali phyſicum: (*Elem. phil. mor.* §. *CLII.* *) non ſane peccabit, qui eo caſu cum aliquo detrimento ſuo alium conſervare periculumque ab eo amoliri cupiat. Hinc quamvis non reprehendendus ſit, qui in naufragio inhaerens tabulae, alterum eamdem, utrique non ſuffecturam, adprehenſurum depellit: inexcuſabilis tamen omnino videretur, qui ſpe maioris felicitatis, amicum proderet, quem ſalva religione prodere non poterat.

Si eadem ſit a malitia hominum?

§. CLXIII. Et haec juſtam habent rationem, ſi ipſius Dei O. M. providentia *ἀμέσως* contingat, ut in ea neceſſitate verſemur. (§. CLXII.) Nam ſi a malitia hominum eſt illa calamitas: aut id illi agunt, ut pereamus, aut ut neceſſitatem peccandi nobis imponant. Priore caſu, quum alium, nedum pravum, hominem vehementius, quam nos, amare non teneamur, (§. XCIV, *65.*) *66.* merito erit excuſandus, qui alium, quam ſe perire malit. Poſteriore *67.* dira quaevis potius erunt ferenda, quam ut quidquam, quod cum ignominia Dei conjunctum ſit, admittamus. (*) (§. CXXXI, *6.*)

(*) Hinc ſi vita noſtra incidat in inſidias telaque latronum: qualibet honeſta ratio eſt expediendi ſalutem, quia nulla nos obligat ratio, ut latrones potius, quam nos ipſos, ſervemus. At male ſibi conſuluiſſet Joſephus, ſi vincula magis timuiſſet, quam adulterium, ad quod eum pellicere cupiebat uxor Potipharis. Latrones enim id agunt, ut pereamus: Potipharis uxor Joſepho neceſſitatem peccandi imponere cupiebat.

Monitum de adplicatione harum regularum ad caſus ſpeciales.

§. CLXIV. His obſervatis regulis, quarum pleraſque jam alii acute invenerunt, (*) non difficile erit, de variis ſpeciebus, quas PUDENDORFFIUS & alii proponunt, judicare, quamvis, ſi recte ponas calculum, multi fingantur caſus, qui rariſſime contingunt: plures, ubi omnia uno temporis momento tranſiguntur, intra quod vix de juſtitia injuſtitiaque actionis ſuſcipiendae intermittendaeve quidquam, adhibita in conſilium ratione, ſtatuere liceat. Nimirum cuivis, qui extra teli jactum eſt, quid factu opus ſit, expenſis in utramque partem rationibus, judicare non adeo difficile eſt, quum illi, qui in praeſentiſſimo periculo verſatur, in arena capiendum ſit conſilium. Ut non male de hujuſmodi caſibus uſurpare poſſis illud poetae:

Facile omnes, quum valemus, recta conſilia aegrotis damus,
Tu, ſi hic eſſes, aliter ſentires.

Terent. *Andr. I. 1. v. 9.* Ergo hic multa Dei potius judicio ac miſericordiae relinquere, quam ad vivum omnia reſecare, praeſtiterit.

(*) Propoſuit jam has regulas, ſaltim pleraſque, Thomaſ. *Juriſpr. div.* II. 2. 143. *ſequ.* non ex iiſdem tamen, quibus nos hic utimur, principiis derivatas. At poſtea idem eas ſequeſtratas e iure naturae, & regulam unam revocatam voluit: omnes leges habere tacitam exceptionem neceſſitatis. *Fundam. jur. nat. & gent.* II. 1. 29. †. Nobis nulla videtur ratio ſuadere, ut omittamus vel ſequeſtremus exceptiones, quas ex ipſa recta ratione fluere, ea, quae diximus, abunde oſtendunt.

§.CLXV.

§. CLXV. Sic nemo dubitaverit, 68. quin neceſſitas excuſatura ſit hominem, quem in eo articulo fortuna deprehendit, ut ei aut pereundum, aut membro aliquo carendum ſit, ſi enſe recidendum putet membrum, ne pars ſincera trahatur. Quum enim utrumque officium de ſervanda vita integritateque membrorum nobis ipſis debeamus, in his vero tutiſſimum ſit, ex duobus malis phyſicis id, quod minimum eſt, eligere, (§. CLX, 61.) denique minus omnino malum ſit, membro, quam vita, carere: quis neget, medium iſtud, vitam jactura membri alicujus redimendi, eſſe iuſtiſſimum? (*)

An liceat abſcindere membrum vitae ſervandae cauſa?

(*) At difficilior eſt quaeſtio, an haec ſit lex naturae praeceptiva, & is contra officium faciat, qui in ancipite iſto periculo conſtitutus mori malit, quam dolores, quibus ferendis ſe imparem exiſtimat, perſentiſcere? maxime quum non adeo certa ſpes ſit, quae de ſectione illa concipitur, & non minus multi, qui hos cruciatus mira conſtantia pertulerunt, perire, quam ſervari, ſoleant? Sane ſenectus, imbecillitas corporis, morbi indoles, medicorum diſſenſus, ipſiuſque chirurgi in hac encheireſi imperitia & ruditas, in tantillo temporis momento, facile ſubigent animum, medicinam illam ipſa morte acerbiorem putet, & ſine tam exquiſitis doloribus mori, quam incertam ſalutem intolerabili cruciatu redimere, malit. Quare hic moniti paullo ante dati (§. CLXIV.) memores, ἐπέχειν, & rem Dei iudicio & miſericordiae committere, quam de hominis in tanta neceſſitate conſtituti conſcientia temere iudicare malumus.

§. CLXVI. Nullum quoque dubium eſt, 69. quin, qui in extrema fame cibo quocumque, etiam carne mortuorum hominum, vitam miſere tolerarunt, excuſandi ſint: quum & hic collidantur bina officia, quae nobis ipſis debemus, ac proinde ex duobus malis phyſicis, morte, & alimentis, alioquin deteſtabilibus, minimum omnino eligendum videatur. (§. CLX, 61.) At 70. non excuſandus, qui alterum obtruncat, ut ejus carne paſtus miſeram vitam extendat: quia, quantacumque ſit longae inediae imperioſa neceſſitas, ea tamen jus non dat in vitam alterius, nec fas eſt, alteri eam eripere, ut ipſi conſervemur, quia par hic eſt utriuſque conditio ac neceſſitas. (*) (§. CLXII, 64.)

An carne humana veſci fas ſit in extrema fame?

(*) At quid ſi omnes, pari neceſſitate preſſi, in unius mactationem conſentientes rem ſorti committant? Quo pertinet caſus triſtiſſimus de ſeptem Britannis, quem ex Tulpii *Obſerv. medic. I. 43.* refert Caſp. Ziegler. *ad Grot. de jure belli & pac. II. 1. 3.* Nihil vero hic mutandum. Nemini enim in alterius vitam ius eſt. Et qui conſentit in caedem ſui ipſius, aeque peccat, ac qui ſe aliumve occidit. *Nec debuit quiſquam vitam ſuam tam vilipendere, ut ejus jactura alterius famem expleret. Nec reliqui etiam ideo in ſocium ſuum ſaevire debuerunt, ut ſtomacho ſuo conſulerent:* recte iudicat Ziegler. *ibid. p. 189. ſequ.* Quibus non uſquequaque ſatisfeciſſe videtur Puſendorff. *de jure nat. & gent. II. 6. 3.*

§. CLXVII. Aliud dicendum, 71. ſi quis naufragus apprehenſa tabula, uni tantum ſuffectura, alterum, manus eidem injicientem, vi repellat, vel 72. aliqui in ſcapham inſilientes, reliquos, quos ſcapha ferre non poteſt, praecipitent. Utroque enim caſu non eſt par utriuſque conditio, quia qui tabulam adprehendit, quive jam ſcapham prius occuparunt, in poſſeſſione ſunt, ac proinde jure ſuo ab aliis, quamvis cum eodem periculo luctantibus, privari nequeunt. Et quis non minus eſſe malum animadvertit, aliquos perire, quam omnes, majus bonum paucos, quam nullum ſervari? (*)

An naufragis alios, tabula ſemel adprehenſa, vel ſcapha ſemel occupata, dejicere liceat?

(*) Ex quibus fundamentis & alter decidi poterit caſus de militibus, in caſtrum vel urbem munitam confugientibus, alioſque, paullo tardiores, excludentibus, ne hoſtes una irrumpant. Quale eſt factum Pandari, de quo Virgil. *Aen. LX. v. 712. ſeq.* aliorumque, de quibus Freishem. *ad Curt. IV. 16. 8.* Ubi tamen propc diſpiciendum fuerit, extremane & abſoluta ſit neceſſitas, (§. CLVIII. 55.) an remotius adhuc periculum, & quod alia ratione, e. g. paucis oſtibus admiſſis, & reliquis dimiſſo clathro ſubmotis, evitari poſſit. Inde merito collaudanda Darii, Alexandrum fugientis, humanitas, qui, ſuadentibus aliis, ut pontem Lyci fluminis reſcinderet, *malle ſe*, ait, *inſequentibus iter dare, quam auferre fugientibus*. Curt. *IV. 16.*

An carnificem excuſet neceſſitas, propoſita morte innocentem occidere juſſum?

§. CLXVIII. Nec 73. magis excuſarim carnificem, vel alium quemcunque, qui hominem innocentem, propoſito mortis ſupplicio, occidere juſſus, parendum exiſtimat, & imminentis ſupplicii periculum ad juſtam ſibi excuſationem ſufficere credit. A malitia enim hominis eſt illa calamitas, qui id agit, ut neceſſitatem peccandi imponat carnifici. Quo caſu dira quaevis potius ferenda, quam quidquam, quod cum ignominia Dei conjunctum ſit, admittendum. (*) (§. CLXIII, 67.)

(*) Accedit, quod nihil agendum ſit contra certam conſcientiam: (§. XLV. 35.) hic vero ponatur ſpecies, quod carnifex certo ſciat, ſaeviendum ſibi eſſe in innoxium caput. Quis ergo eum admiſſi criminis abſolveret? Nec rem conficit diſtinctio Pufendorffii, utrum ſpiculatori haec caedes imputetur tamquam actio propria an mera alieni facti exſequutio. Quamvis enim ille poſteriore caſu caedem carnifici illi non magis imputari poſſe exiſtimet, quam gladio aut ſecuri: *Jur. nat. & gent. I. 5. 9. VIII. 1. 5. 6.* multum tamen intereſſe arbitramur inter gladium vel ſecurem, tamquam res inanimatas, & hominem ratione praeditum, cui tam iniuſtam exſequuturo ſententiam, ipſa conſcientia reclamat.

An fugienti obſtantem proterere liceat?

§. CLXIX. Contra ea 74. recte quis, imminente innocenti morte, fuga ſibi conſulturus, alium ſibi obſtantem ſubmovet, quamvis ſe ei damnum illaturum ſuſpicetur. Sive enim alter ex malitia iter fugiendi intercludat: neceſſitas eſt a malitia hominis, iſque id agit, ut fugiens pereat. Sive non nocendi conſilio obſtet: ab ipſius Dei providentia haec neceſſitas fugienti objicitur. Utroque vero caſu quaelibet honeſta ratio eſt expediendae ſalutis. (*) (§. CLXIII, *66.* CLXII, *64.*)

(*) Nihil ergo moramur diſſenſum Alberti, *Comp. Jur. Nat. orthod. conform. Cap. III. §. XVII. ſequ.* Argumentum enim, quo fretus in alia omnia ſibi eundum exiſtimat, quod in ſtatu integritatis occidere innocentem nefas fuerit, plane eſt ἀπροσδιόνυσον, quia nec principium iuris naturalis in ſtatu integritatis quaerendum eſt, (§. LXXIV.) nec in eo ſtatu ullum concipi poteſt periculum, quod hac triſti fuga fuiſſet evitandum.

An in extrema neceſſitate res alienas contrectare vel perdere?

§. CLXX. Idem dicendum videtur de caſibus 75. ſi quis res alienas in extrema neceſſitate, famis vel frigoris expellendi cauſſa, contrectet: (*) 76. vel ſi homines in extremo naufragii periculo jactum alienarum mercium faciant. Quemadmodum enim priore caſu neceſſitas eſt a malitia hominum, id agentium, ut famelicus, vel frigore obrigeſcens, omni humana ope deſtitutus pereat: (§. CLXIII. 66.) ita poſteriore inter duo mala phyſica eligitur minus, dum homines, imminente naufragio, vident, aut ſibi cum rebus pereundum, aut mercium alienarum, a ſe jactandarum, aeſtimationem eſſe praeſtandam. (§. CLX. 61.)

(*) Qui hic diſſentiunt, iis furti vocabulum imponit, quod tam grave exiſtimant eſſe peccatum, ut nulla neceſſitate urgente quis ad illud compelli debeat.

Sed

Sed quum ne homicidſum quidem in caſu neceſſitatis, puta in moderamine inculpatae tutelae, pro crimine imputent: cur magis imputarent furtum? Praeterea quis furtum ſine dolo malo, immo ſine animo lucrum faciendi concipit? Denique quum paucarum rerum alienarum, quas ſurripere iuſſit imperioſa longae inediae neceſſitas, aeſtimatio facile praeſtari poſſit ab hominibus, etiam mendicis, ubi ſe periculo expedierint: quis vitio illis vertat, quod non perire, quam rem aeſtumabilem animo reſtituendi, domino intervertere maluerint. Add. *cap. 3. X. de furt.*

Concluſio capitis.

§. CLXXI. Sed talia innumera vel fingi, vel in ipſis rerum argumentis occurrere poſſunt, ex quibus quaedam vere ſunt *ἄπορα*, & de quibus facile in utramque partem diſputari poſſit. Sed ne obliti videamur ejus, quam ipſi paullo ante dedimus, admonitionis, (§. CLXIV.) plura addere jam nolumus, iis hanc curam relinquentes, qui ſibi in ipſam hominum conſcientiam ſumunt imperium.

C A P U T VII.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLUTIS, ET PERFECTIS,

SPECIATIM

DE NEMINE LAEDENDO.

§. CLXXII.

Officiorum erga alios fundamentum.

PRogredimur jam ad OFFICIA ERGA ALIOS HOMINES, quorum fundamentum jam ſupra in eo poſitum eſſe animadvertimus, quod homo homini natura AEQUALIS, ac proinde eatenus amore amicitiae ſit proſequendus. (§. LXXXV. & LXXXVIII.) Quumque aequalitas naturae aequalia etiam officia exigat: inde collegimus, HOMINEM HOMINEM NON MINUS, QUAM SEIPSUM TENERI AMARE. (§. XCIII.)

Ea vel perfecta, vel imperfecta.

§. CLXXIII. Deinde amoris hujus duos eſſe gradus, oſtendimus, quorum alterum JUSTITIAE, alterum HUMANITATIS & BENEFICENTIAE adpellavimus. (§. LXXXII. ſequ.) Quum vero prior in eo conſiſtat, ut nihil, quod infeliciorem alium faciat, agamus, ac proinde neminem laedamus, & cuique, quod ſuum eſt, tribuamus; poſterior, ut alterius perfectionem & felicitatem pro virili provehere atque amplificare ſtudeamus, illique tribuamus & ea, quae jure ſtricto & perfecto non debemus: (§. cit.) conſequens eſt, 1. ut & officia, quae alteri debemus, alia ſint *juſtitiae*, quae PERFECTA; alia *humanitatis & beneficentiae*, quae IMPERFECTA vocamus.

Eorum definitiones.

§. CLXXIV. Itaque OFFICIA PERFECTA ſunt, ad quae homo perfecte, & per modum coactionis, obligatus eſt, puta ut neminem laedat, & cuique, quod ſuum eſt, tribuat. IMPERFECTA, ad quae imperfecte ſine coactione, & ex ipſa virtute, obligamur, puta, ut alterius perfectionem ac felicitatem aeque, ac noſtram, pro virili amplificare ſtudeamus. (*) (§. LXXXIV.)

 (*) Ita-

(*) Itaque officia PERFECTA nobis neceſſitatem imponunt, ne alterum imperfectiorem infelicioremque reddamus: IMPERFECTA monent, nos nondum verae virtutis laudem adſequutos, niſi & alios perfectiores ac feliciores reddere, pro virili annitamur. Ea officia iam veteres iureconſulti accurate diſtinxerunt, veluti Paullus, dum *quaedam voluntatis, & officii magis, quam neceſſitatis, eſſe*, ſcripſit, *l.* 17. §. 3. *D. commodati*. Adde locum Senecae, quem attulimus ſupra §. LXXXIV. *

Alia item abſoluta, alia hypothetica.

§. CLXXV. Quandoquidem igitur, quod ad OFFICIA PERFECTA attinet, illa in eo poſita ſunt, ut NEMINEM LAEDAMUS, & CUIQUE, QUOD SUUM EST, TRIBUAMUS, (§. CLXXIV.) laedere autem eſt alterum infeliciorem, quam natura eſt, reddere, (§. LXXXII.) SUUM denique aliquis dicere poteſt, quod juſte adquiſivit: (§. cit.) ſequitur ſane, 2. ut obligatio ad neminem laedendum ſit *connata*; ad ſuum cuique tribuendum, *adquiſita* Unde prius officium ABSOLUTUM; poſterius, quod ſuum cuique tribui jubet, HYPOTHETICUM vocamus. (*)

(*) Itaque ABSOLUTUM officium nobis eſt, quod homo ab homine exigere poteſt nullo poſito iure, quod per factum aliquod adquiſiverit: HYPOTHETICUM, quod, demum poſito aliquo iure per factum adquiſito, exigitur. Sic homo ab homine iure exigit, ne occidatur, nullumque ideo ponit factum, quo ſibi hoc jus adquiſiverit. At non poſſet quiſquam iure conqueri de rebus ſibi ab altero praereptis, niſi ius aliquod circa illa res, veluti dominium, facto adquiſiviſſet. Itaque *neminem occide* eſt officium abſolutum; *furari noli* officium hypotheticum. Quod diſcrimen ſi non neglexiſſet ὁ πάνυ Salmaſius, *de uſur. Cap. IX.* facile intellexiſſet, non fugiſſe rationem iureconſultos, qui *furtum admittere naturali jure prohibitum eſſe*, contendunt. *l.* 1. §. 3. *D. de furt.* §. 1. *Inſt. de obl. quae ex delict.*

Quo ordine de his agendum?

§. CLXXVI. Quumque porro jus, quod circa rem aliquam adquiſivimus, vel ex DOMINIO, vel ex PACTO ſeu CONVENTIONE proficiſcatur: conſequens eſt, 3. ut omnia officia HYPOTHETICA, vel ex DOMINIO, vel ex PACTO naſcantur, adeoque 4. is commodiſſimus futurus ſit tractationis noſtrae ordo, ut primum de officiis PERFECTIS ABSOLUTIS, deinde de IMPERFECTIS, tum porro de HYPOTHETICIS, quae ex DOMINIO, ac denique de iis, quae ex PACTO oriuntur, paullo accuratius agamus. *Imperfecta* enim *hypotheticis* ideo praemittenda putavimus, quia homines, frigeſcente demum atque oblangueſcente humanitate, invecto dominio, pactiſque interpoſitis, conſulere ſibi coeperunt.

Homo hominem, ut ſibi aequalem, tractare debet.

§. CLXXVII. Primo ergo omnium ponendum eſt, hominem homini eſſe natura aequalem, [§. CLXXII.] iiſdem quippe cum altero partibus eſſentialibus conſtantem. Et quamvis alteri prae altero perfectio aliqua veluti ſortito obtigerit: diverſos tamen perfectionis gradus nihil mutare circa hominis eſſentiam, ſed unum aeque eſſe hominem, ac alterum. Ex quo ſequitur, 5. ut alter alterum, tamquam aeque hominem tractare, nec in rebus, quae pluribus jure perfecto competunt, prae aliis praerogativam ſine juſta cauſſa adfectare, adeoque 6. quod ſibi fieri non vult, nec alteri facere teneatur. (*) [§. LXXXVIII. 54.]

(*) Haec regula tam eſt rectae rationi conſentanea, ut eam nec pagani ignorarint. Saltim eam ſententiam in deliciis fuiſſe Alexandro Severo Imp. auctor eſt Ael. Lampridius, *Cap. LI. Clamabatque ſaepius, quod a quibuſdam, ſive Judaeis, ſive Chriſtianis audierat & tenebat, idque per praeconem, quum aliquem emendaret, dici iubebat:* QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. *Quam ſententiam uſque adeo dilexit, & in palatio, & in publicis operibus, praeſcribi iuberet.* Probabile eſt, quod obſervavit Lampridius, Alexandrum hanc ſententiam a Chri-

Chriſtianis accepiſſe. In ſenſu enim aiente totidem verbis habetur *Matth. VII. 17. Luc. VI. 31.* At inde non ſequitur, ut non &' ratio eam veritatem perſpicere potuerit. Similia enim ſunt apud Simplicium *ad Epictet. Enchirid. Cap. XXXVII.*

§. CLXXVIII. Quum ergo quod nobis fieri nolumus, nec alteri facere debeamus, (§. CLXXVII, *6.*) nemo vero noſtrum perfectione ac felicitate ſua, quam in natura habet, vel juſte adquiſivit, ab alio privari, vel res ſuas deteriores reddi, id eſt, LAEDI velit: (§. LXXXII.) conſequens eſt, 7. ut & nos neminem imperfectiorem vel infeliciorem reddere, adeoque 8. & neminem laedere debeamus. Et quia ad felicitatem noſtram ac perfectionem non modo CORPUS, ſed & MENS praecipue, pertinet: 9. ad utramque hominis partem pertinere hoc praeceptum, quin 10. laeſionem mentis tanto eſſe corporis laeſione graviorem, quanto mens ipſa corpore praeſtantior eſt, *Elem. phil. mor.* §. *XIV.*) facile intelligitur. (*) Ac proinde nemo laedendus.

(*) Hinc graviter Epictetus invehitur in eos, qui id tantum damnum reputant, quo corpori rebuſve ſuis aliquid decedit, non illud, quo mens redditur deterior. Ὅπου τι, inquit, σωματικὸν ἐλάττωμα εἰς κλῆσιν, ἐκεῖ ἡ βλάβη· ὅπου εἰς τὴν προαίρεσιν, οὐδεμία βλάβη· οὔτε γὰρ τὴν κεφαλὴν ἀλγεῖ ὁ ἐξαπατηθεὶς ἢ ἀδικήσας, οὔτε τὸν ὀφθαλμὸν, οὔτε τὸν ἰσχίον, οὔτε τὸν ἀγρὸν ἀπολλύει· ἡμεῖς δ' ἄλλο οὐδὲν θέλομεν, ἢ ταῦτα. τὴν προαίρεσιν δὲ πότερον αἰδήμονα καὶ πιστὴν ἕξομεν, ἢ ἀναίσχυντον, καὶ ἄπιστον οὐδ' ἐγγὺς διαφερόμεθα. *Ubicumque in his, quae ad corpus pertinent, poſſeſſionibus aliquid damni acceperimus, illico iacturam nos feciſſe arbitramur: ſed in voluntatis propoſito quum detrimenta nobis eveniunt, nihilominus tamen, damnum nos accepiſſe nullum, cenſemus: quandoquidem et, qui corrumpit alterum, aut corrumpitur, nec caput dolet, nec oculus, nec coxa, ſed nec fundum amittit, atqui aliud nihil volumus, quam iſta. Inter nos vero diſceptatio nulla eſt, ne mediocris quidem, utrum ſatius ſit, voluntatem habere pudicam, & fidelem, an vero impudicam, & infidelem.* Arrian. *Diſſ. Epict.* II. 10.

§. CLXXIX. Totius hominis perfectio ac felicitas conſiſtit in VITA, id eſt, in unione mentis & corporis, (§. CXLIII.) quae quidem perfectio inter eas, quas a natura accepit, praeſtantiſſima, & reliquarum veluti fulcrum ac fundamentum eſt. Quum ergo alterum perfectione ac felicitate, quam a natura accepit, privare nefas ſit, (§. CLXXVIII, 7.) nec nos ab altero vita privari velimus: per ſe patet, (§. CLXXVIII, *6.*) 11. officii noſtri eſſe, nec alium occidere, vel 12. ejus ſanitati detrimentum inferre, vel 13. mortis aut morbi cauſſam dare, vel 14. eum citra jus, aut occidendi animo, periculo exponere: (*) Nemo occidendus, nullius ſanitati ac corpori damnum inferendum.

(*) Neque enim magis peccat, qui hominem, in quem ſibi nihil imperii eſt, periculis obiicit, quam qui iure atque imperio ſuo ita abutitur, ut alterum, quem perire cupit, eo conſilio exponat periculo. Sunt talia exempla apud Polyb. I. 9. Diod. Sic. *Bibl. XIV.* 73. *XIX.* 48. Juſtin. *Hiſt. XII.* 5. Curt. VII. 2. immo in ipſis ſacris litteris, 2. *Sam. XI.* 15. ubi & ſequente *Cap. XII.* 9. ideo homicidium Davidi exprobratur a Nathane, quod Uriam eo animo, ut periret, in periculoſiſſima ſtatione collocari iuſſiſſet. Add. Puſend. *de iure nat. & gent. VIII.* 2. 4.

§. CLXXX. Attamen, quum nemo teneatur alterum magis, quam ſeipſum, amare, (§. XCIV, *65.*) & ſaepe contingat, ut aut alicui ipſi, aut alteri, pereundum ſit: conſequens eſt, 15. ut eo caſu, ſi quis nos adgrediatur, in ancipiti illo periculo quaelibet ſit honeſta ratio expediendae ſalutis, (§. CLXIII, *66.*) adeoque 16. & cum caede repellere adgreſſorem liceat, dumne quis 17. limites juſtae defenſionis excedat. Niſi neceſſitas ipſa uti nos cogat moderamine inculpatae tutelae.

§. CLXXXI.

Ejus limites.

§. CLXXXI. Quinam vero ſint juſtae defenſionis limites, nemini erit obſcurum, qui abſolutam praecipue neceſſitatem, id eſt, nullo alio modo evitabilem, (§. CLVIII.) favorem mereri, meminerit. Ex hoc enim conſequitur, 18. ut tum demum moderamini inculpatae tutelae ſit locus, ſi quis in abſoluta neceſſitate, vel reſpectiva quidem, ſed in quam ſua culpa non inciderit, verſetur. (§. CLVIII. 55. 56.) 19. Ut defunctus omni periculo, nullo amplius defenſionis jure gaudeat. 20. Ut qui vel ſine adgreſſoris laeſione, vel leviore malo adgreſſori repraeſentato, periculum evitare poteſt, ei jus non ſit, ad caedem temere provolandi, (*) quum ex duobus malis phyſicis id, quod minimum eſt, malum eligendum eſſe, vel ipſa recta ratio nos doceat. *Elem. philoſ. mor.* §. *CVII.* *)

(*) Homo obligatus ſemper eſt, ad eligendum id, quod eſt optimum. (§. XCII. *) Optimum ergo quum ſit medium, quo facillime ac tutiſſime finem noſtrum obtinemus: obligatos nos eſſe oportet ad medium facillimum tutiſſimumque expediendae ſalutis, adeoque ad evitandam alterius caedem, ſi aliud ſuperſit periculo nos expediendi medium. Recte Theocrit. *Eidill. XXIII.* Ὀλίγῳ τοι ἔοικε κακῷ μέγα νεῖκος ὑπαιρεῖν. *Par eſt, exiguo malo magnam litem tollere.*

Adverſus quos eo uti poſſimus?

§. CLXXXII. His vero obſervatis principiis evidentiſſimis, nihil facilius eſt, quam ad quaeſtiones omnes, quae de hoc moderamine inculpatae tutelae incidere poſſunt, reſpondere. Si enim quaeras, adverſus quos eo uti liceat? recte reſpondebis, 21. adverſus omnes, per quos in periculum illud ſine tua culpa adductus ſis: (§. LXXXI, 18.) adeoque 22. & adverſus furioſos, mente captos, itemque 23. eos, qui alium invadere parantes, te per errorem invaſerint. Uti enim praeclare obſervavit Grotius *de jure belli & pac. II.* 1. 3. jus defenſionis hic non naſcitur ex peccato atque injuſtitia ejus, a quo intentatur periculum, ſed a jure noſtro periculum nobis intentatum propulſandi quovis modo, nec alterius vitam eo caſu propriae ſaluti anteponendi. (*)

(*) Et huc pertinet fabula Oedipi, qui patrem ſe adgredientem invadentemque tuendi ſui cauſſa ignarus occiderat, quod factum ita purgat apud Sophoclem *in Oedipo Colon. v.* 1032.

Ἓν γάρ μ' ἄμειψαι μοῦνον, ὧν σ' ἀνιστορῶ.
Εἴ τις σὲ τὸν δίκαιον αὐτίκ' ἐνθάδε
Κτείνοι παραστὰς, πότερα πυνθάνοι' ἂν εἰ
Πατήρ σ' ὁ καίνων, ἢ τίνοι' ἂν εὐθέως;
Δοκῶ μὲν, εἴπερ ζῆν φιλεῖς, τὸν αἴτιον
Τίνοι' ἂν οὐδὲ τοὔνδικον περιβλέποις.
Τοιαῦτα μέντοι κ'αὐτὸς εἰσέβην κακά.
Θεῶν ἀγόντων, ὥς ἐγὼ οὐδὲ τὴν πατρὸς
Ψυχὴν ἂν οἶμαι ζῶσαν ἀντειπεῖν ἐμοί.

Unum enim reſponde mihi, quod te interrogo.
Si quis te, virum juſtum, ſtatim hic
Opprimens occidere vellet: quaereresne,
Utrum pater is eſſet, qui te occideret, an vero ſtatim ulciſcereris?
Exiſtimo, ſiquidem vitam amares, auctorem caedis
Ulciſcereris, neque, quid juſtum, circumſpiceres.
In talia mala & ego incidi,
Diis impellentibus, de quibus ne quidem patris
Anima, ſi reviviſcat, mihi contradictura eſſet.

Spatium ejus in libertate naturali.

§. CLXXXIII. Nec minus inde diſces, quamdiu illud jus ſeſe adverſus invaſorem defendendi duret? Recte enim hic diſtinguunt doctores inter eos, qui in ſtatu naturali nulli magiſtratui, a quo defendi poſſent, ſubjecti vivunt, & qui cum aliis in civitatem coaluerunt. Quum enim in libertate illa naturali nemo ſit, a quo nobis de injuria caveri poſſit: 24. defendendi jus non poteſt non incipere ab eo tempore, quo in periculo eſſe coepimus,

pimus, & durare tamdiu, quoad extra periculi aleam ſimus conſtituti. (§. CLXXXI, 18. 19.) Quandoquidem vero periculum noſtrum incipit a tempore, quo alter hoſtilem animum adverſus nos oſtendit, & tantiſper durat, dum illum animum hoſtilem nondum depoſuit: 25. tamdiu etiam durare jus defendendi, manifeſtum eſt. (*)

(*) Atque hoc eſt fundamentum, quo univerſum jus belli nititur; ut alteri, qui hoſtilem adverſus nos animum manifeſto prodit, omnesque aequas pacis conditiones pertinaciter reſpuit, mala intentare tamdiu poſſimus, donec depoſito hoſtili animo nobiſcum redierit in gratiam. Qua de re infra ſuo loco plura erunt dicenda [a].

(a) Non quodcumque periculum ſed proximum, non quocunque tempore, ſed imminenti, non quacunque via, ſed unica cum ſupereſt, violentae defenſioni locum praebet: in alio vero periculorum genere, in aliis temporum vicibus, aliisque paratis ad evitandam aggreſſionem viis non violenta defenſione, ſed prudenti oeconomia ſibi quis conſulere & potis eſt & debet: nec caedere umquam licet, cum ſine caede cogere ad abſtinendum a caede, & ad cavendum in poſterum ſatis eſt. Falſum etiam omnino eſt, aggreſſo in privato conflictu ea licere quae in juſto bello licent: Neque enim par eſt ratio ſalutis populi totius ac privatae perſonae.

§. CLXXXIV. Quum contra in ſtatu civili, civis, qui hoſtilem animum adverſus civem prodit, minas ſpargit, inſidiasve alteri ſtruit, a magiſtratu poſſit coerceri: conſequens eſt, 26. ut civis nec inſidiantem ſibi alterum opprimere, nec 27. periculo defunctus, vindictam, quam a ſuperiore ſperare poteſt, vi & armis petere poſſit, adeoque 28. tempus inculpatae defenſionis expediendae anguſtis admodum finibus circumſcriptum, cum ipſo periculo incipiat, nec duret diutius, quam ipſum periculum. (*) Et in ſtatu civili.

(*) Et ita recte iureconſulti violentam defenſionem quidem permittunt, ſed non niſi in continenti. Ulpianus *l. 3. §. 9. D. de vi & vi arm. Eum igitur, qui cum armis venit, poſſumus armis repellere, ſed hoc confeſtim, non* EX INTERVALLO. Et alibi expreſſioribus verbis concedit Paullus, ut, qui lapidem, quum aliter ſe tueri non poſſet, in irruentem proieciſſet: non teneretur lege Aquilia, *dum id tuendi dumtaxat, non etiam* ULCISCENDI *cauſſa factum ſit. l. 45. §. 4. D. ad leg. Aquill.*

§. CLXXXV. Praeterea ex his principiis (§. CLXXXI, 20.) facile intelliges, 29. non licere ei defenſionem ad caedem uſque adgreſſoris porrigere, qui de ejus impetu praemonitus, aut eumdem in tempore conſpicatus, domi ſe continere, aut 30. in tutiorem locum ſeſe recipere, aut 31. vulnere, vel mutilatione aliqua ejuſdem impetum cohibere poteſt, (*) quamvis 32. ad fugam, ipſo jam fervente conflictu, capeſſendam, ob anceps illius periculum, nemo omnino obſtrictus videatur, niſi forte tutum ipſi pateat perfugium. Puſendorff. *de jure nat. & gent. II. 5. 13.* Ubi tamen denuo monendum, 33. quum in ſtatu civili tam breve ſit defenſionis tempus, ut in tanta animi perturbatione omnes evadendi vias circumſpicere non liceat, merito non omnia tam amare exigenda, ac veluti ad vivum reſecanda eſſe. Modus violentae defenſionis.

(*) Multo minus ergo quis ad vim & caedem iure provolat, ſi alter ab adgreſſione deſiſtit, oſtenditque, ſe cum adverſario in gratiam redire velle. Unde recte Ariſtides *in Leuctric. I.* obſervat, *Thebanis ad aequa omnia paratis, Lacedaemoniis vero ultro tendentibus, bonam cauſſam ab his ad illos tranſiiſſe*. Vid. Grot. *de J. B. & P. II. 1. 18.* Puſend. *de jur. nat. & gent. II. 5. 19.*

§. CLXXXVI.

Pro quibus rebus ſit licita?

§. CLXXXVI. Denique inde non minus intelligi poſſe videtur, pro quibus rebus quis ad violentam illam defenſionem ſeſe accingere poſſit? Quum enim quaedam ſint calamitates, quae homini aliquando ipſa morte videntur acerbiores, nec extrema tantum neceſſitas, ſed & ea, quam ſalva vita ferre poſſumus, favorem mereatur: (§. CLVIII, 54.) conſequens eſt, 34. ut, quae pro vita, eadem pro ſanitate, nec non 35. pro integritate corporis, immo & 36. pro pudicitia tuenda, (*) nec non 37. pro magiſtratuum, parentum, liberorum, amicorum, ſed & omnium aliorum, quos in periculo conſtitutos eſſe animadvertimus, defenſione ſint permiſſa.

(*) At hic multi diſſentiunt, veluti Auguſtinus *de libero arbitrio L. 5.* Thomaſ. *Juriſp. div. II. 2. 114.* Buddeus *Theol. moral. Part. II. Cap. III. Sect. III. §. XX.* * ex ea ratione, quod pudicitia, tamquam virtus animi, eripi aut vi extorqueri nemini poſſit. Sed quamvis pudicitia mentis ſatis in tuto ſit: attamen honeſtae virgini ac matronae non atrocior ulla videri poteſt iniuria, quam ſtuprum violentum, maxime quum alteri prolem ex ſe excitare cogatur, & caſtitatis etiam externae iactura ſit irreparabilis. Quare recte Quinctilian. *Declam.* CCCXLIX. *Puellam uſque in eam iniuriam traxiſti, qua nihil gravius bella habent.* Quis ergo vitio vertat honeſtae feminae, ſi tam atrocem & intolerabilem iniuriam etiam cum ſtupratoris interitu a ſe amoliri conetur?

An & pro honore & exiſtimatione tuenda?

§. CLXXXVII. Paullo difficilior quaeſtio eſt, an & is, qui pro honore atque exiſtimatione tuenda, e. g. pro amolienda alapa, ad caedem provolavit, moderamine inculpatae tutelae uſus eſſe videatur? At quamvis nihil, ſi a vita diſceſſeris, exiſtimatione ſit praeſtabilius, & hinc ſint, qui hic quoque locum eſſe violentae defenſioni, exiſtiment: (vid. Grot. *de jure belli & pac. II*, 1. 10.) tamen, quia ſolum periculum vitam aliaque, quae cum vita pari paſſu ambulant, amittendi jus nobis det utendi inculpatae tutelae moderamine, (§. CLXXXVI.) exiſtimatio vero & honor propter injuriam non amittitur, immo potius in ſtatu civili non deſunt legitima injuriam vindicandi media: non poſſumus non 38. eorum ſuffragari ſententiae, qui hic ceſſare jus violentae defenſionis prudenter cenſent.

Nemo laedendus ratione intellectus.

§. CLXXXVIII. Quum porro officium erga alios abſolutum de nemine laedendo ad MENTEM non minus, quam ad corpus, pertineat, (§. CLXXVIII, 9.) & mentis facultates ſint INTELLECTUS & VOLUNTAS: quod ad priorem attinet, nemo temere negaverit, 39. eum graviter laedere alterum, qui juvenem, vel alium minus acutum, mendaciis ac ſophiſmatibus in errorem inducit, 40. eumdem a veritate avertit, 41. praejudicatiſque opinionibus imbuit, immo & is, 42. qui vel taedioſa docendi ratione, vel affectata ſeveritate efficit, ut ſuae diſciplinae traditus ab omni veritatis ac ſapientiae ſtudio abhorreat [*].

(*) Ita graviter omnino Maximilianum I. Imp. laeſit Petrus, poſtea Novae civitatis antiſtes, de quo Culpinian. *p.602.* *Uti vero habilis per aetatem ad litteras addiſcendas fuit Maximilianus, magiſtro Petro traditus, aliquot annis cum nobilium quorundam filiis contubernalibus* Latinas *didicit litteras. Sed quum eius praeceptor, ſolis dialecticis argutiis doctus, ſophiſmata illi inculcare vellet, ad quae capeſſenda aptus non erat: ſaepius atrociter verberatus ab eo, magis ipſe verberandus, quum verbera ſervos deceant, non liberos, tandem effecit, ut litteras magis odio haberet quam diligeret.* Manſit etiam alta mente repoſtum, quantum detrimenti hoc ipſo ceperit. Idem enim auctor eſt Cuſpinianus, identidem de hoc fato ſuo graviter conqueſtum eſſe Maximilianum, & aliquando inter prandendum, multis adſtantibus, dixiſſe: *Si hodie praeceptor meus viveret Petrus, quamquam multa praeceptoribus debeamus, efficerem, ut ſe inſtituiſſe me poeniteret.* Add. Ger. a Roo *Lib. VIII. p.288.*

§. CLXXXIX.

§. CLXXXIX. Quumque non minus gravis ſit laeſio VOLUNTATIS, quae CORRUPTIONIS nomine venit: conſequens eſt, 43. ut contra officium faciant, qui alterum corrumpunt, 44. ad voluptates, libidines, aliaque vitia pelliciunt, 45. & vel verbis minus honeſtis, vel 46. exemplis turpibus, animum deteriorem reddunt, vel denique, 47. quum eum a vitiis prohibere, & in viam reducere poſſint debeantque, id vel plane non, vel non ea, qua par eſt, animi contentione faciunt, ſed, 48. quantum in ipſis eſt, peccantem adjuvare ſtudent (*). *Nec ratione voluntatis.*

(*) Quam gravis & haec ſit laeſio, ſatis intellexit Dionyſius, tyrannus Siculus, qui quum aegere facere cuperet Dioni, quem in Peloponneſo malum comparare, ſibique bellum facere conari, audiverat, *filium eius ſic educari iuſſit, ut indulgendo turpiſſimis imbueretur cupiditatibus. Quamobrem puero, priusquam pubes eſſet, ſcorta adducebantur, vino epuliſque obruebatur, neque ullum tempus ſobrio relinquebatur. Is deinde uſque eo vitae ſtatum commutatum ferre non potuit, poſtquam in patriam rediit pater, (namque adpoſiti erant cuſtodes, qui eum a priſtino victu deducerent) ut ſe de ſuperiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit.* Corn. Nep. *Dion. Cap.* IV. Non ignota eadem ars Romanis adverſus hoſtes ſuos, aut dubiae fidei amicos, ceu docent exempla apud Tacit. *Hiſtor.* IV. 64. *Agric.* XXI. 1. Immo arcanum hoc tyrannicum eſſe, obſervat Forſtner. *in Taciti Annal. Lib.* I. Utinam inde demum hunc fructum caperet aetas cerea in vitium flecti, monitoribus aſpera, nullos ſe habere hoſtes magis infenſos, quam eos, a quibus a veris virtutibus abducta ad mollem & luxurioſam vitam pellicitur: quin ſe tyrannis ſervire, dum ſe ab illis corrumpi patitur?

§. CXC. CORPUS porro alterius quum non magis, quam mentem, laedere deceat: (§. CLXXVIII. 9.) nefas ſane eſt, 49. alterum verberibus, plagis, aliiſque injuriis adficere, 50. vulnera infligere, 51. membris eorumve parte quem mutilare, 52. corpus alterius inedia, vinculis, tormentis, injuria excruciare, res, quibus ei ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam opus eſt, eripere, intervertere, deterioreſque reddere, & ſi qua alia ſunt, quibus uſus corporis, quod ſanum & integrum aliquis a natura acceperat, alterius dolo vel culpa redditur deterior. Quum enim ab his omnibus nos natura adeo abhorreamus, ut mors nobis minus, quam hae injuriae, acerbâ videri ſoleat: ſane, quod fieri nobis nolumus, nec aliis faciendum eſſe, ſatis unuſquiſque intelligit (*). *Nec ratione corporis.*

(*) Et hinc eſſe videtur, quod pleraeque antiquae leges poenam talionis iis proponerent, qui membrum alterius rupiſſent. Vid. *Exod.* XXI. 25. *Lev.* XXIV. 50. Gell. *Noct. Att.* XX. 3. Diod. Sic. *Bibl.* XII. 17. Quamvis enim vix probabile ſit, vel apud Hebraeos, vel apud Romanos, iuſti illi talionis κατὰ τὸ ῥητὸν locum fuiſſe: Joſeph. *Antiq. Jud.* IV. 7. Gell. *ibid.* eo ipſo tamen, iuſtiſſimum eſſe, oſtenderunt legiſlatores ſapientiſſimi, illi, quod nolit, fieri, qui alteri, quod ſibi fieri noluiſſet, fecerit.

§. CXCI. Quod ad ſtatum hominis attinet, ad hoc caput praecipue pertinet primo EXISTIMATIO, tum SIMPLEX, qua quis pro non malo habetur, tum INTENSIVA, qua ob merita prae aliis gaudet. De opibus enim & facultatibus, quia ſine dominis concipi non poſſunt, infra demum erit dicendi locus. Quum vero, quod ad famam atque exiſtimationem attinet, aliquis laedi non poſſit niſi per CALUMNIAS, (§. CLIV.) & dicta factaque, ad contumeliam & ignominiam alicujus comparata, quae INJURIAS vocamus: 53. ab utriſque abſtinendum eſſe, eo minus obſcurum eſt, quo aegrius eas ferre ſolemus, ab aliis illatas (*). *Nec ratione exiſtimationis.*

(*) Hinc recte Simplicius ad Epicteti Enchirid. *Cap. XXXVIII. p.* 247. iniurias & contumelias vocat *παρὰ φύσιν ὥσπερ διαθέσεις τῆς ψυχῆς, καὶ νόσους καὶ αἴσχη καὶ κακίαν τῆς ψυχῆς, adfectiones animae, naturæ contrarias, quin morbos, probra, & vitium animarum*. Quod vero naturae mentis contrarium & in ſe malum eſt: illud conſentaneum eſſe non poteſt iuri naturae, quod nos ad bonum obligat. (§. LXXVIII.)

Nec ratione pudicitiae.

§. CXCII. Deinde & ratione PUDICITIAE laedi poteſt hominis ſtatus, quia, illa ſive blanditiis ſollicitata, ſive vi proſtrata, & exiſtimatio detrimentum capit, & ipſae turbantur familiae. Quum ergo nemo laedendus ſit: (§. CLXXVIII. 8.) facile patet, 54. nullius pudicitiae ſtruendas eſſe inſidias, 55. omniaque ſtupra, tum violenta, tum 56. voluntaria, (*) multoque magis 57. adulteria, & 58. reliquas nefandas ac intolerabiles injurias juri naturae omnino repugnare.

(*) Quamvis enim hic ceſſare videtur axioma: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, quum uterque conſentiat, adeoque id, quod fit, ſibi fieri velit: primo tamen generatim nemo ſibi quidquam vult fieri, quo fiat infelicior. Infelicior vero fit, qui ad voluptates, libidines, aliaque vitia pellicitur, adeoque ratione voluntatis laeditur. (§. *CLXXXIX.*) Deinde plerumque laeduntur & alii, veluti parentes, ſponſi, cognati, ac ſaltim, quod ad hos attinet, manifeſto ſtuprator violat axioma illud iuris naturae praecipuum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Denique qui ſtuprum feminae perſuadet, is eam corrumpit. Quum vero nos, ſi ſapimus, corrumpi nolimus: nec feminam illam corrumpere licet. Tantum ergo abeſt, ut excuſanda ſit illa alienae pudicitiae ſollicitatio, ut eam quidam legislatores gravius puniendam exiſtimarint, quam ſtuprum violentum, *quod eos, qui vim faciunt, odio haberi conſuerunt, ab illis, quibus vis illata eſt: quum qui ſe inſinuando perſuadent, adeo animos pervertant, ut aliorum uxores ſibi reddant benevolentiores, quam maritis, & univerſam domum ſuae faciant poteſtatis, liberosque reddant incertos, maritorumne ſint, an adulterorum*. Lyſias *Orat.* I.

Laedi aliquis poteſt cogitando, geſtibus, verbis & factis.

§. CXCIII. Ex his vero, quae adhuc diximus, ſatis intelligitur, 59. laedi aliquem poſſe actionibus tum *internis*, puta COGITATIONIBUS, ad alterius laeſionem comparatis, tum *externis*, veluti GESTIBUS, VERBIS, & FACTIS. (§. XVIII. 36.) Hinc ſatis patet, 60. etiam odium, contemtum, invidiam, aliaque animi vitia juri naturae adverſari (*). 61. Abſtinendum quoque eſſe a geſtibus, ex quibus odium, contemtus, invidia elucent, quique alterius animum perturbare poſſunt. 62. Multo graviſſimam in foro humano eſſe laeſionem, quae in verbis factiſque conſiſtit.

(*) Quia auctor juris naturæ eſt Deus *καρδιογνώστης*, ſane non minus ejus voluntatem violat, qui quid contra legis ſuae praeſcriptum cogitat, quam qui illam verbis factiſque tranſgreditur: ac proinde iam ſupra ius naturae ad actiones internas non minus, quam ad externas, pertinere obſervavimus. (§. XVIII. 36.) Deinde quum iuris naturae genuinum principium ſit AMOR. (§. LXXIX. 37.) is vero non primario in actione externa, ſed in adpetitione boni, cum percepta ex alterius perfectione & felicitate delectatione coniuncta, conſiſtat: (§ LXXX.) non poteſt non iuri naturae repugnare etiam odium alterius, adeoque averſatio cum percepta ex alterius infelicitate atque imperfectione delectatione conjuncta, quamvis illa interna ſit, & in ſola cogitatione conſiſtat. Hinc Servator noſter, optimus legis divinae, tum naturalis, tum poſitivae, interpres, & actiones internas legi adverſas damnat. *Matt. V.* 22. 28. Et haec iis opponenda duximus, qui ius naturae & gentium tantum ad actiones externas pertinere exiſtimant.

Sermonem homo prae brutis peculiarem habet.

§. CXCIV. Quum vero & VERBIS, ſeu SERMONE, laedi alter poſſit: (§. CXCIII. 62.) operae pretium fuerit, de officiis circa SERMONEM agere paullo accuratius. Tanta nimirum erga nos eſt providi numinis clemen-

Digitized by Google

mentia, ut non modo mentem nobis dederit, quae percipere, judicare, ratiocinari, adpetere item & averſari poſſit, ſuarumque cogitationum ſibi ſit conſcia, ſed & facultatem cum aliis communicandi animi ſenſa, ut & hi, quid cogitemus, velimus, nolimus, non ignorent. Quamvis vero & bruta animantia hinnitu, rugitu, murmure, boatu, latratu, ſimilive ſono incondito animi ſenſa & adfectus obſcure & confuſe prodere videamus: (*) homini tamen id praeterea divinitus datum eſt, ut, quid cogitet, clare & diſtincte eloqui, de eoque alterum certiorem reddere poſſit.

(*) Sic canis alio ſono iram, alio dolorem, alio φιλανθρωπίαν, alio alios adfectus prodit: at quid ſpeciatim cogitet, nec clare diſtincteque exprimit, nec ullo ſono exprimere poteſt, quum tamen & canes, & pleraque animalia perfectiora iiſdem paene organis loquendi, quibus homo gaudet, inſtructa ſint. Quin quo imperfectius eſt animal, eo minus ullum ſonum, quo animi ſenſa indicet, edit, veluti piſces, cochleae, oſtreae. Unde non potuiſſet Pythagoras magis cordatioribus omnibus debere ludibrium, quam dum ſe brutorum ſermonem non modo intelligere, verum etiam cum iiſdem colloqui poſſe, iactavit, ſeque hoc ipſo vel fanatici ingenii hominem, vel inſignem impoſtorem eſſe, oſtendit. Vid. Jamblich. *vit. Pythag. Cap. XIII.*

§. CXCV. Quandoquidem ergo id, quod circa ſermonem prae brutis peculiare habemus, in clara & diſtincta cogitationum noſtrarum communicatione cum aliis conſiſtit: (§. CXCIII.) experientia porro docet, id nos conſequi per ſonos articulatos, id (*) eſt, per ſonos, per organa loquelae tam diverſimode modificatos, ut diverſae inde voces, quibus res omnes, earumque modos, ſtatum, actiones & paſſiones denominare placuit, emergant. Quare SERMO eſt ſonus articulatus, quo animi noſtri ſenſa cum aliis clare & diſtincte communicamus. Quid ſermo?

(*) At ingenium humanum in eo non adquievit, quod rebus omnibus certa ac diſtincta nomina impoſuit, ſed & alia invenit ſigna, quibus loco ſermonis uteremur, ſi non eſſet eo utendi occaſio. Sic enim invenimus modum, & cum abſentibus animi noſtri ſenſa per figuras litterarum, ita diſtincte communicandi, ut verba noſtra non audiant, ſed viſu percipiant. Quod ſane tam ſtupendum eſt εὕρημα, ut quidam id ipſi Deo tribuere non dubitent. Eſt & modus veluti colloquendi per digitos, quem in Turcia ab elinguibus inventum, magnatibus ibi admodum familiarem eſſe, refert Ricaut *tableau de l'Empire Ottomanique Cap. VII. p. 12.* Ut iam non dicam de *oculiloquio* & *pediloquio*, de quibus ſingulares exſtant Molleri Altorffenſis *diſſertationes*. Haec omnia quamvis SERMONIS nomen non mereantur, tamen ſunt loco ſermonis, ac proinde, quod circa ſermonem, idem & circa haec ſigna, iuſtum eſt.

§. CXCVI. Ex qua definitione ſatis patet, *63.* ſermonem nobis nec Quomodo Dei, nec brutorum, *64.* ſed noſtri aliorumque hominum cauſſa datum eſ- eo utendum ſe, ac proinde *65.* Deum velle, ut eo animi ſenſa, quatenus id amor, ſit? quem nobis imperavit, exigit, cum aliis communicemus, (*) adeoque *66.* ut ne ſermone quidem noſtro alios laedamus, ſed *67.* noſtri aliorumque commodis etiam ſermone noſtro pro virili ſerviamus.

(*) Recte nimirum ratiocinamur, ſermonem non Dei cauſſa nobis datum eſſe, quia Deus omnes cogitationes noſtras, & ſine ullo ſermone noſtro intelligat; nec brutorum cauſſa, quae ſermonem noſtrum non tamquam ſermonem, ſed tamquam alia, quibus adſueta ſunt, ſigna percipiunt: adeoque nihil ſupereſſe, quam ut nos ſermocinandi facultatem noſtri aliorumque hominum cauſſa primario accepiſſe ſtatuamus. Noſtri cauſſa, non ut nobiſcum cogitationes noſtras communicemus, quippe quarum iam tum nobis ſumus conſcii, ſed ut alios reddamus certio-

tiores, quid nobis fieri vellimus, & qua in re alios nobis utiles eſſe velimus. Aliorum cauſſa, ut & his, quae ſcire eorum intereſt, &, quid illis utile futurum ſit, indicare poſſimus. Quum ergo alii amandi ſint aeque ac nos ipſi, & quod nobis fieri nolumus, id nec aliis faciendum ſit: conſequens ſine eſt, ut neminem ſermone noſtro laedere, aliis vero pro virili prodeſſe teneamur.

Verborum notione recepta utendum.

§. CXCVII. Quum ergo ad animi ſenſa cum aliis communicanda comparatus ſit ſermo, (§. CXCVI. *65.*) idque fiat per ſonos articulatos, quibus res omnes, earumque modos, ſtatum, actiones, paſſioneſque denominare placuit: (§. CXCV.) conſequens eſt, *68.* ut colloquuturi verbis non aliam, quam quae ſemel placuit, notionem tribuere, vel *69.* ſi verbo inſolito, aut notione minus vulgari utantur, mentem ſuam accurate explicare teneantur, nec 70. aegre ferre poſſint, ſi ceteroquin verba eo ſenſu, qui ſemel inter linguae peritos obtinet, vel hoc tempore receptus eſt, accipiantur, ſi id verborum *συναφη* aliaeque circumſtantiae ferant.

Nemo ſermone laedendus.

§. CXCVIII. Quumque Deus velit, ut ſermone animi ſenſa, quatenus id amor exigit, cum aliis communicemus, (§ CXCVI. *65.*) amor vero hic non patiatur, ut alterum ſermone noſtro laedamus, (ib. *66.*) denique laedere ſit, aliquid perfectionis felicitatiſve alteri detrahere: (§. LXXXII.) ſequitur ſane, 71. ut nihil, cujus notitiam jure perfecto imperfectove (*) a nobis exigere alter poteſt, tacere: 72. nihil, quod falſum eſt, eo caſu eloqui, neque 73. quemquam ſermone id errorem inducere, vel ei ullum detrimentum adferre debeamus.

(*) *Jus perfectum* eſt correlatum obligationis perfectae, *imperfectum* imperfectae. Prius exigit, ut neminem laedamus, ſuumque cuivis tribuamus: (§. CLXXIV.) adeoque toties veritatem iure perfecto a nobis exigere quis poteſt, quoties, illa diſſimulata, vel converſa in mendacium, vel adulterata ſaltim, a nobis laederetur: vel quoties ex pacto, ipſiuſve negotii, quod nobis cum illo intercedit, natura id illi debemus, ut veritatem eloquamur. Quumque poſterius nos ex virtute obliget ad alterius perfectionem ac felicitatem, aeque, ac noſtram, pro viriſi amplificandam: facile patet, toties nos teneri ad veritatem aperte & ſine diſſimulatione eloquendam, quoties alterius perfectionem felicitatemque ſermone noſtro amplificare licet. Jus ergo alterius perfectum laedit, qui ſciens, alteri inſidias a percuſſore ſtrui, id diſſimulat, vel illi plane perſuadet, percuſſorem, tamquam amicum, ſalutandi cauſſa acceſſurum, itemque, qui ſuſcepta rerum alienarum cuſtodia, fures adeſſe ſciens diſſimulat, vel eos tamquam viatores apud ſe divertere, mentitur. Jus imperfectum alteri intervertit, qui errante altero, negat, ſibi rectam viam notam eſſe, vel ei plane viam aliam monſtrat.

Laedere poſſumus alterum diſſimulatione, mendacio, deceptione.

§. CXCIX. Qui tacet id, cujus notitiam alter jure perfecto vel imperfecto ab eo exigere poteſt, is DISSIMULAT. Qui eo caſu eloquitur aliquid, quod falſum eſt, ut alteri detrimentum inferat, is MENTITUR. Qui denique alterum, cui mali quid facere cupit, in errorem inducit, eum DECIPERE alterum dicimus. Ex quibus definitionibus, cum ſuperiore paragrapho comparatis, liquido patet, 74. tum diſſimulationem, qualem deſcripſimus, tum 75. mendacium omne, tum 76. deceptionem, jure naturae ac gentium repugnare.

Quando vel tacere, vel falſum dicere, vel ambigue loqui liceat?

§. CC. Attamen quum ita comparatus ſit, quem aliis debemus, amor, ut hos non majore, quam nos ipſos, ſed pari amore proſequi teneamur: (§. XCIV. *65.*) conſequens eſt, 77. ut tacere liceat, ſi ſermo noſter alteri non profuturus, nobis vero aliiſve detrimentum aliquod adlaturus ſit. 78. Ut & falſi quid dicere, & 79. ſermone ambiguo uti non ſit nefas, 80. ſi al-

ſi alteri nullum jus ſit, veritatem a nobis exigendi, (§. CXCVIII.) 81. vel nos ſermone aperto ei, cui honeſte non poſſumus non reſpondere, nihil commodi, nobis vero aliiſve multum detrimenti eſſemus adlaturi, vel ſi denique 82. hujuſmodi ſermone ad alterum non modo nihil detrimenti, ſed & haud parum utilitatis, ſit redundaturum (*).

(*) Sic ſane nemo vitio verterit mercatori, ſi a curioſo interrogatus, quam dives ſit, taceat, vel alio ſermonem inflectat, *per n.* 77. Nec magis reprehenſione videbitur dignus imperator, qui hoſtem vel ſparſo falſo rumore vel fama ambigua, decepit, quia hoſti nullum neque perfectum, neque imperfectum ius eſt, veritatem ab hoſte, tamquam hoſte, exigendi, *per n.* 78. 79. 80. Porro Athanaſii potius prudentiam laudaveris, quam accuſes dolum, quod ſe fugientem perſequentes ambiguo ſermone ita detinuit, ut cum Athanaſio ſe colloqui non intelligerent. Theodorit. *Hiſt. eccl.* III, 8. Sine periculo enim tacere non poterat, & ſermo apertus perſequentibus nihil utilitatis; Athanaſio multum detrimenti attuliſſet, *per nn.* 81. Denique nemo dubitat, non agere contra officium, qui, ſi id vel docentis conditio, vel captus auditoris exigere videatur, fabulis, fictionibus, parabolis, ſymbolis & aenigmatibus alios meliores reddere & veritatem ſub hoc vehiculo aliis ingerere ſtudent, quum his proſint, nemini vero eo ipſo noceant *per nn.* 82.

§. CCI. Ex quo colligimus merito, 83. injuſtam eſſe omnem DISSIMULATIONEM, (§. CXCIX. 74.) non omnem TACITURNITATEM, per quam intelligimus reticentiam ejus, ad quod aperiendum alteri, nec perfecte nec imperfecte obligamur. (§. CC. 77.) 84 Injuſtum eſſe omne MENDACIUM, (§. CXCIX. 75.) non omne FALSILOQUIUM. (§. CC. 78. ſequ.) 85. Injuſtam eſſe DECEPTIONEM alterius, (§. CXCIX. 76.) non autem SERMONEM ACUTUM & FICTUM, (§. CC. 79. ſequ.) adeoque 86. haec omnia, niſi judicio noſtro decipi velimus, accurate eſſe diſtinguenda. (*). Quid taciturnitas, falſiloquium, fictio?

(*) Apud Graecos quodammodo ambiguum eſt vocabulum ψεῦδος, quod & *mendacium* & *falſiloquium* ſignificare poteſt. Pro mendacio enim accepit Demoſthenes, dicere ſolitus, *οὐδὲν εἶναι, ὅ, τι μεῖζον ἂν ἀδικήσειέ τις, ἢ ψευδῆ λέγων, nullam eſſe rem, quam gravius quis laedere poſſit, quam dicendis mendaciis*. Pro falſiloquio Chariclea, cujus fertur apophthegma: *καλόν ποτε εἶναι τὸ ψεῦδος, ὅταν ὠφελοῦν τοὺς λέγοντας, μηδὲν καταβλάπτῃ τοὺς ἀκούοντας. Bonum eſſe aliquando falſiloquium, quum videlicet, ita juvet eo utentes, ut interim audientes non laedat*. Heliodor. *Aethiop. Lib. I. Cap. III. p.* 52. At non ita *ἐκ τῶν μέσων* eſt vocabulum mendacium, quod, quum ſemper turpe atque deteſtabile vitium notet, a falſiloquio merito diſtinguitur. Quod & de reliquis, quae hic conjunximus, vocabulis eſt obſervandum (*a*).

(a) Falſiloquium qui licitum putant, ii ſane ab inſtitutione verborum ſive jure naturae, ſive Gentium quam longe deflectant, omnino non vident. Eſt haec veluti Generis Humani conventio, & pactum, quo nempe verborum receptae ſignificationi ſtent mutuo, & vinculum veluti communis cognationis, quo ſibi communicant homines, reciproca fide adſervent. Natura ipſa, quae et communionem & fraternitatem hujuſmodi ſtatuit, ne quis ulla in ſpecie aberret, apprime prohibuit. Falſiloquium ſane ſi noceat, ſi impediat, injuſtum eſt, non illicitum tantum, at etiamſi neminem laedat, neminem ſuo jure impediat, non proinde a labe immune eſt; ut ut veniale, nunquam & nuſquam licet; neque enim aut linguam a mente, aut mentem a veritate diſſentire Natura, ratio, jus populi umquam aut uſquam ſinit. Nihil huc faciunt ſive militares artes, ſive civiles parabolae: Nam illae occaſionem non cauſam errori praebent; hae vero aliud intendere ipſa rerum obtentarum ſpecie oſtendunt; ſi arrepta occaſione vel ſpecie in errorem quis incidat, ſibi imputet, qui ab occaſione & ſpecie oblata ſibi non conſulit. Amphibologiae uſum recte reprehendunt cordatiores Ethicae Profeſſores, cum falſi ſpecies ſit ipſa confeſſione utentium; excuſant tamen, cum rerum

Digitized by Google

rerum *περιστάσεις* verborum ſignificatum ambigüum ad verum determinanr ; nec tamen promiſcuus uſus eſt, niſi & in his rerum circumſtantiis, quae ſermonis defectum ſupplent, juſta ſubſit cauſſa.

Quid veritas & veracitas?

§. CCII. Idem obſervandum de VERITATE & VERACITAE. Quum enim is VERAX dicatur, qui veritatem ſine diſſimulatione eloquitur, quoties alteri eam ex nobis intelligendi perfectum imperfectumve jus eſt: conſequens eſt, 87. ut VERACITAS ſemper in laude ponenda ſit; contra 88. indifferens videatur, & mala non minus, ac bona eſſe poſſit VERITAS, quippe quae in convenientia verborum ſignorumque externorum cum cogitationibus mentis conſiſtit, (*Elem. philoſ. ration.* §. *XCIV.*) ſiquidem 89. is non ſemper facit officium, qui omnes cogitationes ſuas aperit (*).

(*) Notum illud Syracidis, *ſapienti os in corde, ſtulto cor in ore eſſe*. Vera ergo dicit dives, qui theſauros ſuos furi prodit, nec tamen ideo ejus virtutem & veracitatem quiſquam laudaverit: quum contra illi mendacium exprobrari non poſſit, ſi expiſcante fure, tacuerit, aut ſermonem alio inflexerit. (§. CC. *) Hinc illa Simonidis: *μηδέποτε μὲν αὐτῷ μεταμελῆσαι σιγήσαντι, φθεγξαμένῳ δὲ πολλάκις, numquam ſe poenituiſſe ſilentii, ſermonis ſaepenumero*. Nec non hoc Thaletis: *Οὐ τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀποφαίνεσθαι δόξαν, non multa verba prudentis animi indicium eſſe*. Et quae ſunt his ſimilia.

Quid adſeveratio, juſjurandum, benedictio, maledictio, exſecratio?

§. CCIII. Sermo, quo nos veritatem eloqui, vel falſi nihil dicere, ſerio confirmamus, dicitur ADSEVERATIO. Adſeverationem, quae fit invocato Deo, tamquam vindice, JUSJURANDUM vocamus. Denique ſermo, quo alteri fauſta quaevis a Deo precamur, BENEDICTIO, quo dira quaevis adprecamur, MALEDICTIO, quo quis, exaeſtuante ira, capiti ſuo diras imprecatur, EXSECRATIO ſolet adpellari.

Quando uti liceat adſeverationibus?

§. CCIV. Quum ergo, qui aliquid adſeverat, ſerio confirmet, ſe verum eloqui, nec falſum dicere, (§. CCIII.) id vero nemo ſanus faciat, niſi qui ſuſpicatur, pellucere mendacium, qualis ſuſpicio conſcientiae malae indicium eſt: (§. XXXV.) 90. nemo prudens adſeverationibus temere & praeter neceſſitatem, ſed 91. tum demum utetur, ſi quis alter ſine cauſſa in dubium vocat ea, quae dicit, & 92. nec aliter eum convincere poteſt, & 93. ejus tamen intereſt, ſibi fidem haberi. Ex quo porro colligimus, 94. tanto magis eum agere contra officium, qui multis graviſſimiſque adſeverationibus ad laedendum decipiendumque alterum utitur (*).

(*) Quum enim alterum circumvenire & decipere, in ſe turpe ac contra officium ſit: (§. CXCIX, *96.*) quid turpius atque injuſtius poſſet excogitari, quam decipere per adſeverationes? Et huc pertinet Romanorum formula: UTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, UTI NE PROPTER TE FIDEMVE TUAM CAPTUS FRAUDATUSVE SIEM. Cic. *de offic. III*, 16. Turpe enim eſt alterum capere & defraudare, & multo turpiſſimum *capere & fraudare per fidem ſuam*. Unde & famoſum fuiſſe judicium fiduciae, obſervat V. C. Franc. Car. Conradi *de pacto fiduc. Exerc. II. §. IV.*

Quando benedictionibus? An & maledictionibus & exſecrationibus?

§. CCV. Quumque, cujus perfectione & felicitate delectamur, ei fauſta quaevis non minus, ac nobis ipſis, contingere velimus: 95. non iniquum ſane erit, alteri bene dicere, eique fauſta quaevis adprecari, dum id fiat ſerio, & ex amore, non ex conſuetudine, & veluti dicis tantum cauſſa (*). Contra ea 96. quum odium ſpirent maledictiones, eas eſſe injuſtiſſimas, niſi cum miſericordia quis alteri denunciet, quae ejus furfuris hominibus

Digitized by Google

nibus ipſe Deus jam interminatus ſit. Denique 97. exſecrationes, quippe & amori ſui ipſius adverſas, & ex deſperatione & ira immodica, profectas, numquam eſſe excuſandas: neque hic, dum ex recta ratione rem aeſtimamus, in cenſum venire debere exempla quaedam heroica, quorum conſideratio ad aliam cathedram videtur pertinere.

(*) Itaque pleraeque fauſtae acclamationes, quae ex variis cauſſis occini ſolent illuſtribus ac potentioribus viris, in adulationes abeunt. Immo aliquando ſunt tamquam venenum, melle conditum, quoties eum, cui bene precantur, periiſſe mallent, vel vitae ejus ac fortunae ſtruunt inſidias. Haec omnia quum non ex amore, ſed odio, proficiſcantur, contra jus naturae eſſe, nemo negaverit.

Jurisjurandi quis ſit uſus?

CCVI. Quod ad JUSJURANDUM attinet, quum per illud intelligatur adſeveratio, Deo, tamquam vindice invocato, facta, (§. CCIII.) & ne ipſa quidem ſimplice adſeveratione temere & promiſcue utatur vir bonus: (§. CCIV.) 98. multo minus temere & ſine neceſſitate utetur jurejurando, ſed 99. tum demum, quando id vel a ſuperiore, veluti judice, vel ab alio deferatur, ſiquidem tunc vel ipſe amor exigit, ut alterum de veritate reddamus certiorem, eique ſuſpicionem metumque falſitatis eximamus. Id vero 100. locum habet in omni jurejurando, adeoque 101. ne opus quidem eſt tot diviſionibus in jusjurandum PROMISSORIUM, & ADSERTORIUM, & hujus in TESTIMONIALE & LITIS DECISORIUM, (*) quum eaedem ubique regulae obtineant.

(*) Accedit, quod ſi rem expendamus paullo accuratius, omne iusiurandum ſit *promiſſorium*. Quiſquis enim iurat, ſive ſuperiore, ſive adverſario deferente, ille promittit, ſe veritatem eloquuturum bona fide. Ceterum id intereſſe aiunt inter PROMISSORIUM & ADSERTORIUM, quod illud ſuper facto futuro; hoc ſuper praeterito praeſtetur, quod poſterius, ſiquidem de facto alieno iuratur, TESTIMONIALE; ſi de proprio, LITIS DECISORIUM, & quidem, ſi a iudice defertur, ſuper facto ipſo, vel SUPPLETORIUM vel PURGATORIUM; utrumque vero NECESSARIUM, ſi ſuper quantitate obligationis, JUSJURANDUM IN LITEM; ſi ſuper conſcientia litigatoris, JUSJURANDUM MALITIAE vel CALUMNIAE, denique ſi pars parti iusiurandum extra iudicium defert, VOLUNTARIUM, ſin in iudicio, JUDICIALE vocari ſolet. Enimvero haec ex iuriſprudentia magis Romana, quam ex naturali eſſe, vel inde patet, quod aliae gentes, veluti Hebraei & Graeci, eas diviſiones non agnoverunt. Vid. Codex Talmudicus משנה *Tom. IV. edit. Surenhuſ.* Maimonid. *de jurejurando*, editus a Diethmaro *Lugd. Bat.* MDCCVI. Selden. *de Synedr. Hebr.* II. 11. Jac. Lydius *de juramento*. Quibus addi poſſunt, quae Petitus aliique antiquitatum ſcriptores, de uſu forenſi iurisiurandi apud Graecos paſſim commentati ſunt.

Qui & quomodo jurare debeant?

§. CCVII. Quumque a jurantibus Deus, tamquam vindex, invocetur: (§. CCIII.) conſequens eſt, 102. ut in ludibrium abeat jusjurandum athei, nec leviter peccet, qui homini ejus commatis jusjurandum deſert. 103. Ut jusjurandum tum quod ad formulas, tum quod ad ritus attinet, cujuſvis religioni ſit attemperandum. (*) adeoque ne jurisjurandi quidem nomen mereatur adſeveratio per res, quarum nulla mentem vincit religio. 104. Ut perjurii merito det poenas, qui per falſos Deos pejeravit, immo 105. & atheus, qui, diſſimulato atheiſmo, per Deum pejeravit, tamquam qui alios decepit, jure puniatur.

(*) Modo formula huiuſmodi non ſimul tendat in ignominiam veri Dei, quippe quum actiones huiuſmodi ne neceſſitas quidem extrema excuſet. (§. CLX 60.)

Hinc

Hinc experientia docet, iusiurandum, Judaeo delatum, eius religioni attemperari, quia formula illa nihil complectitur, quod in Dei veritatiſve Chriſtianae ignominiam vergat. Contra dubitarim ego, an excuſandus ſit iudex Chriſtianus qui Mahumedanum apud ſe iurare iubeat *per Mahumedem, maximum unius Dei prophetam*, maxime, quum non ſit talis Mahumedanorum religio, ut praeſtito per verum Deum, caeli terraeque conditorem, iureiurando non aeque ad eloquendam veritatem adſtringantur, ac ſi ſimul impoſtoris illius faciant mentionem.

Cujus eſt mente interpretandum ſit jusjurandum?

§. CCVIII. Ex eo porro, quod non ultro & temere, ſed, deferente altero, jurandum eſt, (§. CCVI. 99.) colligimus, 106. jusjurandum praeſtari in gratiam non jurantis, ſed deferentis, adeoque 107. illud ex ejus, non ex jurantis, mente atque intentione eſſe explicandum, ac proinde 108. abſurdiſſimas eſſe cavillationes illas, vel reſervationes mentales, quas vocant, quibus homines improbi jurisjurandi vim eludere conantur: 109. abſurdiſſimas etiam interpretationes eorum, qui turpia vel abſona poſtulant ab iis, qui ultro jurarunt, alterum repulſam a ſe non laturum. (*)

(*) Quamvis multipliciter peccet, qui ſe tali iureiurando obſtringit, primo quod ultro ac praeter neceſſitatem, & nemine deferente, iurat: (§. CCVI. 98. 99.) deinde, quod in anteceſſum promittit, alterum non laturum repulſam, quum nondum praeſcire poſſit, qualia petiturus ſit alter: denique quod hoc ipſo ſe ſine neceſſitate vel periurii, vel temerarii iurisiurandi periculo exponit: non tamen huiuſmodi iureiurando quiſquam obſtringitur; ad id, quod iuratus promiſit, praeſtandum, ſi quid alter, quod factu impoſſibile, turpe, atque iniquum ſit, petat. Quum enim ſibi ipſe detulerit iusiurandum; illud procul dubio ex eius tantum mente ac conſilio erit interpretandum. (§. CCVIII. 107.) Nemo vero, cui ſana mens eſt, ſeſe ad ea, quae vel per naturam, vel per legem fieri non poſſunt, obſtringere velle creditur. Peccavit ergo Herodes *Matth.* XIV. dum filiae ſaltatrici iureiurando temerario promiſit, ſe, quidquid eſſet petitura, daturum; at multo graviore ſe ſcelere obſtrinxit, dum ei petenti Joannis caput indulgere non dubitavit.

Effectus ejus & nata inde obligatio.

§. CCIX. Ceterum quum jusjurandum ſit adſeveratio, cum invocatione Dei, tamquam vindicis, conjuncta: (§ CCIII.) conſequens eſt. (§. CXXXI. 36.) 110. ut quiſque obligatus ſit ad jusjurandum religioſe ſervandum. 111. Ut cavillationibus jurijurando non ſatisfiat (*). Ut tamen 112. legi cedere debeat obligatio jurisjurandi, adeoque 113. illud nullam obligationem producat, ſi quis ſe eo ad rem turpem, legibuſve prohibitam, devinxerit, quamvis, 114. ſi legibus directe non refragetur jurata promiſſio, omnino quis teneatur, niſi dolo alterius malo deceptus, vel vi injuſta adactus, jurarit. (§. CVII. & CVIII. 43.) Ex quo denique patet, 115. quid ſtatuendum ſit de canoniſtarum axiomate; *omne jusjurandum eſſe ſervandum, quod ſine ſempiternae beatitudinis detrimento ſervari poſſit*.

(*) Eſt vero *ſatisfactio per* CAVILLATIONEM, ſi quis verbis, non menti deferentis ſatisfacit. Quod quam impium ſit, facile patet. Qui per cavillationem ſatisfecit jurijurando, is alterum decipit. Decipere alterum in ſe iniuſtum eſt, (§. CXCIX. 76.) & multo quidem iniuſtius, ſi quis invocato ſummo numine, tamquam vindice, decipiat. Hinc vere periurium admiſit Hatto, archiepiſcopus Moguntinus, dum Alberto Bambergenſi pollicitus, ſe eum ſalvum reducturum in caſtellum, ſimulata fame, reduxit ad capiendum ientaculum, exſolutum ſe eo ipſo ratus iurisiurandi religione. Otto Friſing. *Chron.* VI. 15. Marian. Scot. *ad ann.* DCCCCVIII. Miratur hanc *Archipraeſulis verſutiam* Ditmarus Merſeb. *Lib. I. ineunte*, & recte miratur, quum ne Romani quidem ſine cenſora ac nota dimiſerint captivum, qui ſimili iureiurando aſtutue hoſtes deceperat. Gell. *N. A.* VII. 18. De eo recte Cic. *de offic.* III. 32. *Liberatum ſe eſſe iureiurando interpretabatur*.

tur. Non recte. Fraus enim adſtringit, non diſſolvit periurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.

Qui laeſit, tenetur ad ſatisfactionem.

§. CCX. Sic ſatis demonſtraſſe nobis videmur, neminem nec verbis, nec factis, nec ipſa cogitatione, eſſe laedendum. Quum vero, quicumque alterum infeliciorem reddit, LAEDERE dicatur: is vero vel maxime alterum reddat infelicem, qui, quod ei intulit, damnum non reſarcit: conſequens eſt, 116. ut, qui damnum dedit, ad illud reſarciendum ſatisfaciendumque omnino ſit obligatus. 117. Ut, qui ſatisfactionem illam alteri denegat, novam illi injuriam inferre, ac denuo illum laedere recte dicatur (*). 118. Ut ſi plures damnum dederint, circa ſatisfactionem idem obſervandum ſit, quod ſupra de imputatione actionis a pluribus perpetratae diximus. (§. CXII. ſequ.)

(*) Obligationem hanc ad ſatisfactionem Ariſtoteles *Ethic. ad Nicom. V.* 2. ex contracto involuntario; Puſendorffius *de iure nat. & gent.* III. 1. 2. ex eo derivat, quod fruſtranea futura eſſet lex de nemine laedendo, niſi ſimul vellet legislator, ut damnum reſarciretur. At nos ex ipſo LAESIONIS conceptu id officium elicimus. Non enim magis imperfectiores nos atque infeliciores reddit, qui quid nobis, quod noſtrum eſt, intercipit & aufert, quam qui, quod intercepit & abſtulit, non reſtituit, vel alio modo non ſatisfacit. Quum ergo nemo ſit laedendus: nec reparatio damni vel ſatisfactio erit deneganda.

Quid ſatisfactio & quotuplex?

§. CCXI. Per SATISFACTIONEM hic intelligimus praeſtationem ejus, quod lex a laedente exigit. Duo autem lex quaevis perfecta exigit, I. ut, quia facto ſuo quis alteri damnum dedit, id reſarciatur (*). II. Ut, quia & ipſe legislator per denegatum obſequium laeſus eſt, malum aliquod paſſionis ferat, quiſquis alteri contra legem damnum intulit. Quamobrem 119. *ſatisfactio* ſemper & poenam, & reparationem damni, ſuo ambitu complectitur. Grot. *de jure belli & pac. II.* 17. 22. & 120. una alteram vel ideo non tollit, quod vitioſitas actus, ob quam poena irrogatur, & damnum, quod reſarciendum eſt, in omni delicto, ſemper conjuncta ſunt. Sed de POENA alibi erit dicendi locus.

(*) Si damnum nullius facto illatum eſt, nemo etiam ad ſatisfactionem eſt obligatus, neque caſus, a ſola providentia divina profectus, ulli mortalium poteſt imputari (§. CVI. 27.) Et inde ſequitur, ut ſi quis in rebus ſuis tale damnum paſſus ſit, eum dominus ferre teneatur. Quod enim nemini imputare poſſumus: id ipſi ferre cogimur. Caſum ergo, qui nemini imputari poteſt, ipſe dominus ferre cogitur.

Quomodo praeſtanda?

§. CCXII. DAMNUM porro datum aut ita comparatum eſt, ut res omnis in priſtinum locum reſtitui poſſit, aut ut factum infectum fieri nequeat. Priore ergo caſu 121. res ipſa exigit, ut res omnino in priorem ſtatum reſtituatur, ſimulque 122. damnum, quod laeſus hoc ipſo, quod eum re ſua carere oportuit, & 123. quod pro recuperanda illa impenſas facere coactus eſt, ſenſit, reſarciatur. Poſteriore, 124. ut aequa aeſtimatione in tantum, quantum fieri poteſt, laeſo praeſtetur indemnitas, & 125. ea in re non modo veri pretii, ſed & adfectionis ratio merito habeatur. Quod exemplis homicidii, vulnerationis, mutilationis, adulterii, ſtupri, ſimiliumque criminum illuſtrat Puſendorffius *de jure nat. & gent. III.* 1. 7. *ſequ.*

CAPVT VIII.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS IMPERFECTIS.

§. CCXIII.

Connexionis ratio.

ITa ſatis nobis demonſtraſſe videmur, neminem eſſe laedendum: quia & oſtendiſſe, in quo conſiſtat alterius laeſio. Jam ergo proximum eſſet, ut, quomodo ſuum cuique tribuendum ſit, eadem induſtria explicaremus, (§. CLXXV.) niſi haec officia HYPOTHETICA ita eſſent comparata, ut ſine imperfectorum natura & indole intelligi nequeant. (§. CLXXVI.) Quare conſultiſſimum fuerit, tractationem hanc praemittere, attamen id iterum iterumque monere, ne ὕστερον πρότερον, i. e. crimen, aevi noſtri Rhadamanthis capitale, ſcientes dolo malo perpetraſſe videamur.

Officiorum imperfectorum fundamentum & diviſio.

§. CCXIV. Fons horum officiorum omnium eſt AMOR HUMANITATIS vel BENEFICENTIAE, (§. LXXXIV.) quo ei, quem amamus, & id libenter tribuimus, quod ei non debemus jure ſtricto, & quod tamen ad ejus felicitatem pertinere animadvertimus. Quum vero HUMANITAS nos ſine detrimento; BENEFICENTIA & cum detrimento aliis prodeſſe jubeat: (§. LXXXIII. *) 1. OFFICIA etiam IMPERFECTA duorum generum eſſe, & in officia HUMANITATIS vel INNOXIAE UTILITATIS & BENEFICENTIAE, recte diſpeſci, patet. Utraque 2. ob multarum rerum neceſſariarum indigentiam, tam ſunt neceſſaria, ut homines ſine iis vitam ſuaviter & commode traducere non poſſint.

De iis axiomata.

§. CCXV. Quum ergo & horum officiorum non alia eſſe poſſit norma, quam noſtri ipſius amor, adeoque alios amare teneamur, tamquam nos ipſos: (§. XCIII. 66.) conſequens eſt, 3. ut quod nobis fieri ab aliis volumus, id & aliis facere teneamur. (§. LXXXVIII. 55.) Unde & ſupra, dum certum principium, ad quod omnia, quae aliis hominibus praeſtanda ſint, officia referri poſſint, praemiſimus, invenimus regulam: HOMO HOMINEM NON MINUS, QUAM SEIPSUM, TENETUR AMARE, NEC ALTERI, QUOD SIBI NON VULT, FACERE; (unde officia perfecta deduximus,) CONTRA ILLA FACERE OMNIA, QUAE SIBI AB ALTERO FIERI CUPIT. (§. XCIII. 68.) Unde officia omnia *imperfecta*, tum *humanitatis*, tum *beneficentiae* prono alveo fluere, res ipſa docebit.

Obligatio ad officia, quae ſine detrimento praeſtantur.

§. CCXVI. Primo itaque nemo ſibi vult ea denegari, quae alter ſine detrimento ſuo praeſtare poteſt. Ergo & alteri quiſque talia liberaliter praeſtare tenetur. Inhumaniſſimum ergo dixeris merito, 4. qui alterum, quum poſſit, ope & conſilio non juvat, vel ejus res non ſervat pro virili, 5. errantem non revocat in viam, 6. ſitienti aquam profluentem, 7. algenti ignem; aeſtu languenti umbram, negat, vel 8. aliquid ab altero cum ejus incommodo exigit, quod facilius & ſine ſuo alteriuſque detrimento conſequi poſſet. Quin 9. adeo levis ac tralatitia eſt haec benignitas, ut ſaepe per leges vel conſuetudines officia haec imperfecta in perfecta tranſire videamus (*).

(*) Sic legibus cautum fuerat apud Athenienſes, ut diris devoveretur, quiſquis erranti non monſtraſſet viam. Hinc ſententia Diphili: ἀγνοεῖς, ἐν ταῖς ἀραῖς ἔστι

ὅτι ἐστιν, εἴ τις μὴ φράσαι τὴν ὀρθὴν ὁδόν; An neſcis, quod in exſecrationibus quoque ſit, ſi quis rectam viam non oſtenderit? Sic legibus quoque Romani caverant, ut quis alterum actione compellere poſſet ad rem exhibendam, qui ſibi nec ex pacto ullo, nec ex delicto, eſſet obligatus. Ad conſuetudinem vero provocat Latona apud Ovid. *Metamorph. VI. v. 349.*

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt.

Et Seneca *Controv. I. 1. Iniquum eſt, collapſis manum non porrigere. Commune hoc ius generis humani eſt.* Commune ius, id eſt, conſuëtudo, communi omnium gentium conſenſu recepta.

§. CCXVII. Ejuſdem prope innoxiae utilitatis eſt 10. praeſtatio rerum, quarum tanta nobis adfluentia eſt, ut eas ſine notabili aliquo detrimento cum aliis poſſimus communicare, itemque 11. earum rerum, quae alioquin apud nos eſſent periturae, in aliorum utilitatem diſpenſatio: ut adeo 12. & illi valde inhumani ſint, qui res tales corrumpunt, flammis abſumunt, in mare proiiciunt, in terra clam defodiunt, tantum ut nemo aliorum inde aliquid capiat utilitatis (*).

Nec non ad ea, quibus abundamus.

(*) Eſt & haec ſatis tralatitia humanitas, & veluti alter eius gradus. Quemadmodum vero, qui cuiquam haec officia denegant, valde inhumani ſunt: ita inīqui actionum ſuarum aeſtimatores videntur, qui ideo maximas ſibi gratias deberi exiſtimant. Terent. *Andr. II. 1. v. 31. Neutiquam officium liberi eſſe hominis puto, quum is nihil promereat, poſtulare, id gratiae adponi ſibi.* Quis vero magnam rem praeſtitiſſe hoſpiti dixerit Calabrum, de quo Horat. *Epiſt. I. 7. v. 14.*

Quo more piris veſci Calaber iubet hoſpes.
Tu me feciſti locupletem. Veſcere ſodes.
Jam ſatis eſt. At tu quantumvis tolle. Benigne.
Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.
Tam teneor dono, quam ſi dimittor onuſtus.
Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus & ſtultus donat, quae ſpernit & odit.

Perquam inhumanus eſt, qui talia aliis indigentibus negat: non multo plus quam inhumanus, qui dum ea offert, tam beneficus ſibi videtur, ut ideo alterum ſibi perpetuo obſtrictum habere debeat.

§. CCXVIII. At quum talia aliis praeſtare teneamur ex amore, quo nos alios proſequi jubet Deus O. M. (§. CCXV.) nemo vero alterum ſe ipſo magis amare teneatur: (§. XCIII. 65.) conſequens eſt, 13. ut, ſi his officiis nobis ipſis, vel amicis, nos obfuturos eſſe, praevideamus, ea jure aliis denegemus. Quod quum vel maxime contingere poſſit in ſtatu naturali, ubi nullus nos tutos praeſtat magiſtratus, ſi hoſtibus manifeſtis prodeſſe hoc modo non dubitemus: facile reddi poteſt ratio; 14. cur in ſtatu naturali hoſti, quatenus hoſtili erga nos animo eſt, etiam innoxiae utilitatis officia jure denegemus, 15. contra in ſtatu civili eo obtentu nemo temere ſine reprehenſione utatur (*).

Quid ſi noxia nobis futura ſit humanitas?

(*) Sic in bello hoſtes iure prohibemus aquatione, iure item corrumpimus commeatum, ne illis, nos invaſuris, utilitatem praeſtet. Sed haec omnia eatenus iure fiunt, quatenus hoſtilli in nos ſunt animo. Alioquin enim, ſi nobis obeſſe non poſſunt, omnino humanitatis inſignem ferunt laudem, qui & hoſtes, e. g. captivos, vel morbo decumbentes, ſine inſigni detrimento ſuo iuvant. Quumque in ſtatu civili non temere nobis nocere poſſit hoſtis, quem ſaltim magiſtratus auctoritas in ordinem cogere poteſt: inhumanus omnino eſt, qui & hoſti, immo & ſcelerato homini, has innoxiae utilitatis res ſubtrahit, quum hic miſereri oporteat οὐ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον, εἰ μὴ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἀνθρώπινον, *non mores, ſed hominem vel ſi non hominem, at ſaltim humanitatem*, uti recte vidit Ariſtoteles *apud* Diogen. *Laert. V.* 21. Quare vix excuſanda eſt inhumanitas Atheniensium, qui Socratis accuſatores ita averſati ſunt, ut nec ignem iis accenderent, nec interrogantibus reſponderent, neque in balneo aqua uterentur eadem, donec illi odii impatientia ſeſe ſuſpenderent. Plutarch. *de invid. & od. p.* 538.

Humanitas & inimicis debetur.

§. CCXIX. Immo potius, quum amor, ex quo haec officia proficiſcuntur, non ob alterius merita, ſed ob aequalitatem naturae, debeatur: (§. LXXXVIII.) facile patet, 16. & inimicis, non denegandas eſſe res, quibus abundamus, & quae ſine detrimento noſtro praeſtari poſſunt, quin 17. tanto ſplendidiorem fore hanc humanitatem, quanto minus illa cum ſpe aliqua inſignem gratiam ab hoſtibus ineundi conjuncta eſt (*).

(*) Novimus haec Chriſtianis inculcari *Matth. V.* 45. *Luc. VI.* 35. iiſdemque ob oculos poni exemplum ipſius Patris coeleſtis, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*. At eiuſdem veritatis ipſam rectam rationem, conſiderata humanae naturae aequalitate, non eſſe ignaram vel inde patet, quod Socrates ex inſtituto profligavit vulgarem ſententiam, *amicis bene faciendum, male inimicis*: recte Themiſtio *Orat. ad Valent. de bello victis*. Et quid excellentius ab homine, experte ſacrarum litterarum, ſcribi potuit, quam illud Hieroclis *in aur. Pythag. carm. p.69.* Διὸ καὶ λέγεται ὀρθῶς, ὡς οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ σπουδαίῳ· καὶ μόνος ὁ ἀγαθὸς αὐτῷ φίλος. ὁ μὲν γὰρ τὸν ἀγαθὸν φιλεῖ, οὐδὲ τὸν κακὸν ἐχθρὸν τίθεται. εἰ δὲ τὸν ἀρετῇ κεκοσμημένον ζητεῖ πρὸς κοινωνίαν, τὸν ἀγαθὸν ἐκ πάντων ἐκλέγεται, μιμούμενος καὶ ἐν τοῖς φιλίας μέτροις τὸν θεόν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸν δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀσπάζεται. *Unde fit etiam, ut recte dicatur, virum bonum odiſſe neminem, ſolumque bonum & amicum exſiſtere. Quum enim bonum diligit, non eum, qui malus ſit, putat inimicum. Sin autem virtute praeditum quaerit ad ſocietatem, ex omnibus eum deligit, qui probus ſit, atque in amicitiae legimus Deum ipſum imitatur, qui nullum quidem ſolet odiſſe, ſed eum potiſſimum, qui bonus eſt, amplecti & diligere.*

Obſervandi tamen gradus neceſſitudinis.

§. CCXX. At quum tamen amor ille humanitatis, ex quo haec officia, tamquam ex fonte limpidiſſimo, promanant, directricem veluti habeat ſapientiam, (§. LXXXIII. 45.) ſapientia vero ſit facultas ea, quae ad noſtram aliorumque felicitatem pertinent, diſcernendi: (§. eod.) inde colligimus, 18. non ſolum perſonarum, ſed & neceſſitatis, qua alter premitur, habendam eſſe rationem, adeoque 19. in pari cauſſa, ſi omnibus non poſſit ſatisfieri, plus humanitatis deberi viro bono, quam ſcelerato, 20. plus amico, quam inimico, 21. plus cognato & neceſſario, quam extraneo; (*) 22. plus denique ei, qui magis, quam qui minus opis noſtrae indiget. Et eatenus recte illuſtris LEIBNITIUS, juſtitiam *amorem ſapientis* eſſe, ſtatuit.

(*) Hinc & Pythagoras certos amoris huius gradus diſtinxit *in aureo carm. v. 4. ſequ.*

Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ' ἄγχιστ' ἐκγεγαῶτας.
Τῶν δ' ἄλλων ἀρετῇ ποιεῦ φίλον, ὅστις ἄριστος.

Inde parentis bonos ſequitor: tum ſanguinis ordo:
Poſt alii ſunto, virtus ut maxima, amici.

Quam Pythagorae ſententiam praeclare, uti ſolet, interpretatur Hierocles *p. 49. ſequ.*

Obligatio ad beneficentiam.

§. CCXXI. Sublimior eſt amoris gradus, quem ſupra BENEFICENTIAE vocavimus, (§. CCXIV.) quia amor ille ita comparatus eſt, ut nos & cum aliquo detrimento aliis pro virili prodeſſe jubeat. Quum enim, quae nobis fieri cupimus, ea & aliis facere teneamur, (§. LXXXVIII. 55.) & ſaepenumero incidant caſus, ut infeliciſſimi nobis videremur, niſi alii nobis, quae deſunt, liberaliter elargirentur, tunc vero nemo temere ſit, quin illa ſibi praeſtari cupiat: conſequens eſt, 23. ut his caſibus aliis & cum detrimento ea, quae illis deeſſe animadvertimus, liberaliter elargiamur (*).

(*) ELARGIRI vero dicimur, non quod commodamus, vel pro certa mercede concedimus, ſed quod alteri ſine ſpe vel reſtitutionis, vel retributionis, damus,

damus. Itaque ſi rem do, ut recipiam, vel, ut ſaltim mercedem feram: actus hic incidit in contractum. Sin do ſine ſpe reſtitutionis vel retributionis: vera haec beneficentia vel largitas eſt. Seneca *de Benef. VI. 14. Illos ex toto praetereo, quorum mercenarium beneficium eſt, quod qui dat, non computat, cui, ſed quanti daturus ſit, quod undique in ſe converſum eſt. Vendit mihi aliquis frumentum, vivere non poſſum, niſi emero: ſed non debeo vitam, quia emi. Nec quam neceſſarium fuerit, aeſtimo, ſine quo victurus non fui: ſed quam gratuitum, quod non habuiſſem, niſi emiſſem, in quo mercator non cogitavit, quantum auxilii adlaturus eſſet mihi, ſed quantum lucrum ſibi. Quod emi, non debeo.* Quamvis vero hamata non eſſe oporteat beneficia: nemo tamen benefacit alteri, quin hunc ſibi ad amorem mutuum devincire velit. Ac proinde alter, qui beneficia accipit, eo ipſo ſe tacite ad mutuum amorem omnino obſtringit.

§. CCXXII. Itaque BENEFICIUM eſt, res vel actio, alteri profutura, quam ei ſine ſpe reſtitutionis aut retributionis praeſtamus. Studium vero alteri talia praeſtandi BENEFICENTIAM vocamus: quemadmodum ſtudium & promtitudinem, alteri ea cum obligatione reſtitutionis vel compenſationis praeſtandi, quae ipſi proſunt, OFFICIOSITATEM adpellavit. Sidon. Apollin. *Carm. XXIII. v.* 478. Quamvis vero ea, quae ita praeſtantur, *beneficiorum* nomine non veniant: magni tamen fieri omnino debent, & grato animo accipienda ſunt, ſi vel majoris ſint, quam ut mercedem admittant, vel ab eo, quem ad id praeſtandum non obligat officii ratio, praeſtentur (*). Quid beneficentia? quid officioſitas?

(*) Vidit & hoc Seneca *ibid. Cap. XV. Iſto modo*, inquit, *ne medico quidquam debere te, niſi mercedulam, dices: nec praeceptori, quia aliquid numeraveris. Atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia eſt. Adverſus hoc reſpondetur, quaedam pluris eſſe, quam emuntur. Emis a medico rem inaeſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium praeceptore ſtudia liberalia, & animi cultum. Itaque his non rei pretium, ſed operae, ſolvitur, quod deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati nobis vacant. Mercedem non meriti, ſed occupationis ſuae ferunt.* Poſtea tamen & aliam rationem, cur & iis, qui talia praeſtant, gratum animum debeamus, reddit, dum *Cap.* XVI. iſta ſubiungit. *Quid ergo? quare medico & praeceptori plus quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex medico & praeceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte quam vendunt obligant, ſed benigna & familiari voluntate.*

§. CCXXIII. Quum ergo beneficentia ſit ſtudium ea, quae alteri profutura animadvertimus, praeſtandi, (§. CCXXII.) nemo non videt, 24. ejus virtutis laudem ſibi fruſtra adrogare eos, qui, ut ille ſervulus Terentianus, *Hecyr. V*, 4. *v.* 39. plus ſaepe boni ignorantes imprudenteſque faciunt, quam ſcientes antea umquam: (§. XLVIII.) vel 25. qui conſilio nocendi alteri benefaciunt, vel 26. non alia ratione ad benefaciendum excitantur, quam quod id beneficium ſibi magis, quam aliis, profuturum exiſtiment. Ex quo porro patet, 27. in dijudicandis beneficiis animum magis & conſilium benefactoris, quam ipſum actum atque effectum, eſſe aeſtimandum (*). Beneficentia proficiſci debet ex voluntate aliis utilitatem adferendi.

(*) Ut exemplis illuſtremus has concluſiones: nemo dixerit, beneficio adfici alterum, cui rei ignari litteras, boni quid nunciantes, tradidimus: nec quem quis commendat, tantum ut alio loco ſit, ipſeque vacua dominetur in aula, nec qui arbores ſuae voluptatis cauſſa plantavit, ſi umbra earum & vicinus, praeter eius animi ſententiam fruatur. Huc pertinet elegans *fabella* Phaedri I. 22. de muſtela, ab homine prehenſa, quae, quum inſtantem effugere cupiens necem, rogaret, ut ſibi parceretur, quum moleſtis muribus purget domum, triſte hoc tulerit reſponſum.

Faceres, ſi cauſſa mei:
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici,

Nunc

Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quae ſint roſuri, ſimul & ipſos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.

Hoc enim, ipſo interpretante Phaedro, in *ſe dictum debent illi agnoſcere, quorum privata ſervit utilitas ſibi, meritum inane iactant imprudentibus.*

Beneficia tamen ſapienter diſpenſanda.

§. CCXXIV. Quumque ex amore haec beneficia proficiſci debeant, iſque ſemper conjunctus ſit cum ſapientia: (§. LXXXIII. 45.) facile patet, 28. profuſionem, & quidvis potius, quam liberalitatem, eſſe, cui ratio non conſtat: nec 29. beneficiorum vocabulo digna videri, quaecumque ex ambitione magis & jactantia, quam ex amore, vel 30. non indigis, ſed opulentioribus, (*) immo 31. indignis potius, quam viris bonis, vel quae denique, 32. turbato illo neceſſitudinum ordine, de quo ſupra quaedam monuimus, (§. CCXX.) praeſtantur.

(*) Praeterquam enim quod haec beneficia praeripiuntur indigis: plerumque etiam ſunt hamata & captatoria, ac proinde eo quoque nomine merito indigna ſunt beneficiorum vocabulo. *Matth.V.* 46. 47. *Luc. VI.* 32. *ſequ.* Praeterea apud opulentiores, quidquid iis beneficii praeſtiteris, nec gratum eſt, nec beneficii rationem habet. Hinc riſiſſe Alexandrum M. novimus beneficium, quum illi ius civitatis offerrent Corinthii, quamvis ſe id, praeter Herculem & Alexandrum, nemini, dediſſe gloriarentur. Seneca *de Benef. I.* 13. Fieri tamen poteſt, ut huiuſmodi beneficia excuſent officium, beneficiorum ab aliquo antea perceptorum memoria, immo & civitatis, in qua verſamur, mores, ac proinde Romae, nemo vitio clienti vertere potuiſſet huiuſmodi liberalitatem, quia ius illud patronatus, a Romulo inſtitutum, exigebat etiam, ut patronis benefacerent clientes. Dionyſ. Halic. *Lib. II. p.* 84. Plutarc. *Romul. p.* 24. Polyb. *Hiſt. VI. p.* 459. Nec magis Perſae, Regi ſuo offerentes dona & munera, ullius reprehenſionem iure incurrebant, quum lex exſtaret, *πάντας Βασιλεῖ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἕκαστον προσκομίζειν, ut omnes Perſae Regi, ſinguli pro ſuis facultatibus, munera offerrent.* Aelian. *Var. Hiſt. I.* 31. *ſequ.*

Et alterius neceſſitati & conditioni attemperanda.

§. CCXXV. Praeterea ex eo, quod prodeſſe alteri debeant beneficia, (§. CCXXII.) non abs re colligere nobis videmur, 33. beneficia attemperanda eſſe cujuſvis conditioni & neceſſitatibus: adeoque 34. non eſſe beneficia, quae alteri nullam adferunt utilitatem, 35. multoque minus id nomen mereri, quae cum manifeſto alterius detrimento, vel ſaltim 63. cum maximo incommodo, conjuncta ſunt (*).

(*) Hinc beneficus non eſt, qui famelico gemmam, ſitienti veſtem pretioſam, aegroto epulum offert, *per n.* 33. Nec minus id nomen meretur Beſſus, qui catenas aureas Dario iniecit. Curt. *Lib. V. Cap. XII. per nu.* 34. 35. Denique Romanus ille, ſervatus inter proſcriptos, ac deinde perpetuo circumductus ludibrioque habitus, recte exprobravit benefactori ſuo, *nihil ſe illi debere, ſi ſervaverit, ut haberet, quem oſtenderet.* Seneca *de Benef. II.* 11. *per n.* 36.

Nec minus diſtinguendi gradus neceſſitudinis.

§. CCXXVI. Quemadmodum vero amor ille humanitatis & beneficentiae, qui nos ad beneficia aliis praeſtanda inflammat, ne quidem inimicos negligi patitur: (§. CCXIX. 16.) ita facile unuſquiſque intelliget, 37. multo magis amandos eſſe, qui nobis, quantum in ipſis fuit, beneficia praeſtiterunt: adeoque 38. eos eſſe peſſimos mortalium, ipſiſque brutis ferociores, qui ſe ne beneficiis quidem ad concipiendum noſtri amorem moveri patiuntur: quin 39. eoſdem eo eſſe injuſtiores, quo minus negari poteſt, eos, acceptando beneficia, ſe ad mutuum benefactorum amorem obſtrinxiſſe. (§. CCXXI.*).

§. CCXXVII.

Digitized by Google

§. CCXXVII. Amor erga benefactores vocatur GRATUS ANIMUS, vulgo GRATITUDO. Quamobrem quum unuſquiſque ad amandum eum, a quo beneficiis ornatus eſt, obſtrictus ſit: (§. CCXXVI, 57.) conſequens eſt, 40. ut unuſquiſque etiam obſtrictus ſit ad gratum animum benefactoribus quavis ratione oſtendendum: 41. id tamen officium imperfectum eſſe, adeoque 42. nec quemquam ad illud alteri exhibendum cogi, nec 43. ingratum actione forenſi conveniri poſſe, (*) niſi leges civiles ejuſmodi actionem diſerte invexerint. Quale quid de Perſis tradidit Xenophon *Cyropaed. I, 2. 7. p. 9. edit. Oxon.* Obligatio ad gratitudinem.

(*) Equidem vulgo diſtinguunt inter ingratitudinem SIMPLICEM, cuius vitii reus eſt, qui benefactori non benefacit, & PRAEGNANTEM, ſi quis beneficia malefactis atque iniuriis penſat. Et illam quidem extra legum civilium poenas, hanc poena digniſſimam eſſe, ſtatuit Pufendorff. *de jure nat. & gent.* III. 3. 17. Sed ſi dicendum quod res eſt, hoc quoque caſu non in ingratum animadvertitur, ſed in iniurioſum, quippe poenas daturum, etiamſi homini, nullis ſibi beneficiis cognito, intuliſſet iniuriam. Quamvis facile largiamur, eo gravius merito haberi, delictum, cum turpiſſimo illo animi ingrati vitio coniunctum. Sic ſane gravius merito animadvertitur in eos, qui in parentes, educatores, patronos, quam qui in extraneos, fuere iniurii.

§. CCXXVIII. Quandoquidem vero gratitudo eſt amor erga benefactorem: (§. CCXXVII.) conſequens eſt, 44. ut, delectari unumquemque benefactoris ſui perfectione & felicitate, & 45. ejus benevolentiam verbis ornare & praedicare, quin & 46. beneficia beneficiis, non iiſdem quidem ſemper, at beneficiis tamen, & officiis, quantum fieri poteſt, plurimis penſare oporteat: ac proinde, 47. ut deſint vires, tamen & voluntatem gratum oſtendendi animum magnopere eſſe laudandam. De ea regulae.

§. CCXXIX. Denique quum & cum detrimento noſtro prodeſſe, & ſine ſpe reſtitutionis ac retributionis benefacere aliis teneamur: (§. CCXXI, 23.) conſequens eſt, 48. ut multo minus alteri denegare debeamus, quae ſibi ille, certam reſtitutionem & retributionem ſpondens, praeſtari petit, adeoque 49. unuſquiſque obligatus ſit ad ſtudium illud alteri gratificandi, quod ſupra OFFICIOSITATEM vocavimus, (§. CCXXII.) dummodo 50. non manifeſtum ſit, illam alios juvandi promtitudinem cum periculo ac detrimento noſtro non fore conjunctam. (§. XCIII. 65.) Obligatio ad officioſitatem.

CAPUT IX.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS HYPOTHETICIS, ET PRIMO QUIDEM, CIRCA DOMINII ADQUISITIONEM ORIGINARIAM.

§. CCXXX.

Quae hactenus diſſeruimus, ea partim ad amorem JUSTITIAE, partim ad eum, quem ſupra HUMANITATIS & BENEFICENTIAE amorem adpellavimus, (§. LXXXIV.) pertinent. Ex hoc officia *imperfecta*, de quibus ſuperiore capite diſſeruimus; ex illo *perfecta*, tamquam ex fonte, pro- Connexio.

promanant. *Perfecta* in eo conſiſtere diximus, ut primum neminem laedamus, (quod officium ABSOLUTUM vocavimus,) deinde, ut ſuum cuique tribuamus, quod nobis officium HYPOTHETICUM eſt. Quum igitur de illo *Cap. VII.* actum ſit, de hoc jam erit eadem cura exponendum.

Quid SUUM? dominium, poſſeſſio, proprietas, communio.

§. CCXXXI. SUUM proprie quiſque vocat, quod in DOMINIO ſuo eſt. DOMINIUM vero vocamus jus, ſeu facultatem, alios uſu rei alicujus excludendi (*). Ipſam detentionem rei, cujus uſu alios excludere ſtatuimus, POSSESSIONEM adpellare mos eſt. Ceterum jus nobis vindicamus, aut omnes praeter nos, aut exceptis quibuſdam aliis perſonis, reliquas omnes uſu alicujus rei excludendi. Priore caſu res in PROPRIETATE; poſteriore in COMMUNIONE POSITIVA eſſe dicitur, quae vel AEQUALIS eſt, quando aequale omnibus jus in re communi competit, vel INAEQUALIS, quando alter altero plus minuſve juris in illa habet. Itemque vel PERFECTA, quando omnibus in re communi jus perfectum eſt, vel IMPERFECTA, quando nemini tale jus perfectum eſt, qualis eſt inter milites exercitus, quibus certae pecuniae ſummae praemium a principe deſtinatum. Si nec uni, nec pluribus, jus animuſve eſt, alios uſu rei, nondum ab ullo poſſeſſae, excludendi: res in COMMUNIONE NEGATIVA eſt, quae ſola dominio oppoitur, quia tunc res in nullius dominio eſt conſtituta.

(*) In hac ſola facultate, uſu alicuius rei alios excludendi, dominium conſiſtere palam eſt. Omnia enim reliqua dominii effecta, quae alias in definitione dominii enumerari ſolent, ita ſeparari poſſunt a dominio, ut nihilominus quis maneat dominus. Sic e. g. *facultatem, omnem ex re utilitatem percipiendi*, conſtituto uſufructu a proprietate ſeparari, animadvertimus, ſalvo dominio. *Facultatem libere de re diſponendi* non competere pupillis, notum ac pervulgatum eſt. Et hos tamen dominos rerum ſuarum eſſe, nemo negaverit. Unde Seneca *de Benef. VII. 12. Non eſt argumentum, ideo aliquid tuum non eſſe, quia vendere non potes, quia conſumere, quia mutare in deterius, aut melius. Tuum enim eſt etiam, quod ſub certa lege tuum eſt*. Denique & *facultatem vindicandi* rem cnmmodatam vel depoſitam a tertio poſſeſſore, domino ademtam eſſe obſervamus, multis locis, ubi obtinet iuris regula: *Hand muſs band wabren*. Quum ergo definitionem id duntaxat ingredı debeat, quod ad rei eſſentiam ita pertinet, ut abeſſe nequeat, ſublata vero *facultate alios rei uſu excludendi* illico quis dominus eſſe deſinat: dubitari nequit, quin haec ſola dominii definitionem abſolvat. Idque velle exiſtimo Arrianum *diſſert. Epict. II. 2.* dum dominum definit, *τὸν τῶν ὑπ᾽ ἄλλων σπουδαζομένων ἢ ἐκκλινομένων ἔχοντα ἐξουσίαν, qui quae alii expetenda fugiendaque cenſent, in poteſtate habet.*

Jus hominum in res creatas.

§. CCXXXII. Jam quum ipſa ratio nos convincat, Deum condidiſſe homines: (§. CXXVII, 18. ſequ.) eumdem ſane voluiſſe etiam, ut exſiſterent, manifeſtum eſt. Quumque qui finem cupit, is & media velle videatur: conſequens eſt, 1. ut homines rebus omnibus, ad conſervandam eorum exſiſtentiam neceſſariis, quas haec tellus producit, uti frui voluerit. Praeterea quum Deus hominem, animal praeſtantiſſimum, inſigni prae reliquis amore proſequatur: (*Phil. mor. elem.* §. *CLXXX.*) dubitari profecto non poteſt, 2. quin & felicitate ac perfectione noſtra delectetur, (§. LXXX.) adeoque & iis nos frui velit, quae vitam noſtram reddant perfectiorem, feliciorem, ac ſuaviorem, dummodo 3. rebus creatis non abutamur. (*) (§. XC.)

(*) Dubitatum eſt a quibuſdam, an & brutis, quae ſine dolore deſtrui, uſibuſque humanis adhiberi nequeunt, uti liceat ad vitam conſervandam? Idque haud pauci nega-

negarunt, quod & iniuriam his animantibus fieri exiſtimarent, & brutorum non uſus, ſed abuſus eſſe videretur, ſi quis, ut carne eorum veſcatur, ea iugulare non dubitet: maxime quum & ſine feralibus iſtis epulis vitam conſervare poſſent homines. Addunt alii, eſum carnis & minus ſalubrem eſſe, & homines efferatos reddere, idque in primis urſiſſe novimus Pythagoram, & poſtea Porphyrium *in libris περὶ ἀποχῆς*. Vid. Scheffer. *de philoſ. Italica Cap. XIV*. Sed 1. tota illa hypotheſis, quod iniuria & brutis inferri poſſit, nititur alio errore de tranſmigratione animarum, ſeu *κοινῷ ὁπαξίῳ ψυχῆς, communi, quod nobiſcum habeant, animae generi*, uti vocavit Pythagoras apud Diog. Laert. VIII. 12. quod explicaturus Empedocles apud eumdem Laert. VIII. 77.

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ γενόμην κοῦρός τε κόρη τε,
Θάμνος τ' οἰωνός τε, καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπυρος ἰχθύς.
Nam, memini, fueram quondam puer, atque puella,
Plantaque, & ignitus piſcis, permixque volucris.

Add. Jamblich. *vit. Pythag. XXIV. num.* 108. Porphyr. *vit. Pythag. p.* 188. *ſequ.* Sed falſum eſt, ullam nobis cum brutis eſſe iuris communionem, (§. XC.) atque hinc falſum etiam brutis fieri iniuriam, 2. Non ideo abſtinendum eſt a rebus; quia iis carere poſſumus, quia Deus nos non modo eſſe, ſed ſuaviter vivere cupit. Nec is uſus abuſus eſt, qui Dei voluntati non refragatur. Denique 3. inſalubritas illa, quam urgent, nec ſatis probata eſt, & procul dubio non a moderato carnis uſu, ſed ab ingluvie, & rerum creatarum abuſu, quem & ipſi damnamus, proficiſcitur.

§. CCXXXIII. Quum ergo Deus omnia, quae ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam humanam pertinent, utenda fruendaque dederit hominibus: (§. CCXXXII.) procul dubio etiam voluit, 4. ut nullus earum uſu ab ullo excluderetur: adeoque 5. ex intentione Dei initio rerum omnia in negativa communione, adeoque 6. vere in nullius dominio fuerunt conſtituta. (*) (§. CCXXXI.) **Initio omnia in communione negativa fuerunt.**

(*) Atque ita primaevam hominum conditionem deſcribunt non modo ſacrae litterae, *Geneſ. I.* 28. 29. verum etiam poetae, qui & eo nomine laudarunt ſaeculum aureum, quod illo tempore, uti ait Virgil. *Georg. I. v.* 125.

Nulli ſubigebant arva coloni,
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant: ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.

Negant ergo, tum ullos agrorum fines, ullos limites fuiſſe, rebus adhuc in medio poſitis, ac univerſi humani generis uſibus ita relictis, ut nullus earum uſu excludi potuerit.

§. CCXXXIV. Quod ipſe Deus voluit, id voluit ſapientiſſime, ac proinde illud ſine ſumma neceſſitate mutari ab hominibus non debuit. Quum vero & leges divinae adfirmativae, qualis eſt illa, ut res omnes creatae veluti in medio poſitae omnium uſibus pateant, exceptionem ob neceſſitatem admittant, (§. CLIX, 58.) in cenſum autem hic veniat non modo extrema neceſſitas, ſed & illa, quae efficit, ut vitam ſuaviter ac commode tranſigere non poſſimus: (§. CLVIII, 54. §. CCXXXII. 2.) conſequens eſt, 6. ut, urgente neceſſitate, homines a negativa illa communione diſcedere, adeoque 7. dominium, quod communioni illi opponitur, (§. CCXXXI.) introducere omnino potuerint. **Sed ab ea diſcedere licuit, urgente neceſſitate.**

§. CCXXXV. Jam facile quidem patet, ſi intra paucos ſtetiſſet humanum genus, nulla circa primaevam illam ac negativam rerum omnium communionem mutatione opus fuiſſe futurum, ſufficiente quippe omnibus naturae ubertate, ad vitam ſi non ſuaviter, at commode ſaltim, & qualiter tolerandam. At ex quo, per univerſum terrarum orbem diſperſis, & in innumeras familias diſtractis hominibus, quaedam res non ſufficere omni- **Quae neceſſitas homines coegerit dominium introducere?**

bus coeperunt; quaedam omnino ob inſignem copiam ſufficerunt: ipſa homines impulit neceſſitas, 8. ut in ea, quae non omnibus ſufficerent, dominium aliquod inducerent: (§. CCXXXIV. 7.) 9. ſolis inexhauſti uſus rebus, quas in dominio eſſe nulla juſſit neceſſitas, nec non 10. rebus, nihil ad vitam conſervandam ſuaviterque traducendam pertinentibus, in priſtina communione negativa permanentibus (*).

(*) Et hinc huiuſmodi *res communes* eſſe iure naturali dixerunt iureconſulti, § 1. *Inſt. de rer. diviſ.* & quidem non *ita, uti publica, quae in patrimonio ſunt alicujus populi, ſed ut ea, quae primum a natura prodita ſunt, & in nullius adhuc dominium pervenerunt*, uti ait Neratius *l. 14. pr. D. de adqu. rer. dom.* Nimirum hae res omnes, quamvis optimae omnium ac pulcherrimae, tamen ob inſignem copiam in primaeva illa ac negativa communione permanſeruut. Hinc Petron. *Satyr. Cap. C. Quid non commune eſt quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata ſideribus, etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formoſius poteſt? in publico tamen manant.* Nec magis quisquam adfectat dominium in muſcas, mures, glires, vermes, aliaque, quae vel noxia humano generi, vel cum nulla ſaltim utilitate coniuncta ſunt.

Inſtitutum hoc non injuſtum eſſe.

§. CCXXXVI. Sic ergo dominium, ſublata negativa communione, invexit ipſa neceſſitas. Illud vero humani generis inſtitutum 11. cum nullius injuria fuiſſe conjunctum, vel inde patet, quod in communione negativa nulli mortalium ſit jus, alterum rerum uſu excludendi, (§. CCXXXI.) adeoque cuivis licere oporteat, rem quamvis nullius ita ſibi vindicare, ut deinceps nemini illius uſum concedere cogatur, ſed eam ſibi detinere, ſuiſque ſeponere uſibus poſſit (*).

(*) Nam in quo alteri nullum ius animuſque eſt, me uſu rei excludendi, illud eſt nullius. At nullius eſſe deſinit, ſimul ac eam uſibus meis adhibere, ac iure a Deo mihi conceſſo uti ſtatui. (§. CCXXXII.) Nam quum is me laedere dicatur, qui me imperfectiorem infelicioremque reddere conatur: (§. CLXXVIII.) procul dubio & is me laedit, qui eo, quod vitae ſervandae ſuaviterque traducendae cauſſa ſemel mihi vindicavi, me privare non dubitat. Hinc idem hic contingit, quod de theatro, quamvis poſitive communi, ait Arrianus *diſſert. Epict.* II. 4. ἄγε, τὸ δὲ θέατρον οὐκ ἔστι κοινὸν τῶν πολιτῶν; ὅτ' ἂν καθίσωσιν, ἐλθὼν, ἄν σοι φανῇ, ἔκβαλέ τινα αὐτῶν. *Age, commune nomen eſt theatrum omnium civium? In eo vero, ſi conſederint, e loco, ſi libet, aliquem eorum ejiceto.* Et Seneca *de Benef.* VII. 12. *Propterea non mentiar, ſi dicam, me habere in equeſtribus locum. Sed quum in theatrum veni, ſi plena ſunt equeſtria, & jure habeo locum illic, quia ſedere mihi licet: & non habeo, quia ab his, quibuſcum jus mihi loci commune eſt, occupatus eſt.*

Ex eo tempore res vel poſitive communes, vel propriae.

§. CCXXXVII. Quum ergo homines, coacti neceſſitate, invexerint rerum dominium: (§ CCXXXV.) hoc vero vel in *communione* poſitiva, vel in *proprietate* conſiſtat: (§. CCXXXI.) conſequens eſt, 12. ut, ex quo a communione negativa diſceſſum, omnes res vel poſitive communes pluribus, vel ſingulis propriae eſſe coeperint, & 13. communio quidem nata ſit inde, quod plures eamdem rem pro indiviſo poſſidere, omneſque alios ejus uſu excludere ſtatuerunt: (*) 14. proprietas vero vel initio ſtatim ex rerum nullius *adprehenſione* ac *poſſeſſione*, vel ex poſt facto ex *diviſione* vel *ceſſione* rerum poſitive communium traxerit originem.

(*) Id procul dubio initio ſtatim factum, quum gentes & familiae in diverſas terrarum partes ſecedere coeperunt. Tunc enim alia familia aliam regionem ſibi communiter pro indiviſo tantiſper vindicavit, donec urgente neceſſitate res com-

Digitized by Google

communes dividerent, vel ex pacto ſingulis, quantum indigerent, occupandi facultatem darent. Plurium ſane gentium, quae initio totas provincias communiter pro indiviſo poſſederint, mentionem faciunt veteres, veluti Aboriginum Iuſtin. XLIII. 1. Scytharum & Getarum. Horat. *Carm. III.* 24. Germanorum Tacit. *Germ. Cap.* XXVI. incolarum inſulae Liparae, Panchaeorum & Vaccaeorum Diodor. Sic. *Biblioth. V.* 9. & 45.

§. CCXXXVIII. Et quidem, ſi tanta eſſet generis humani felicitas, ut omnes peraeque virtutis amore flagrarent: ſane neque dominio, neque pactis ullis, indigeremus, quia & nihil habentibus nihil tamen, quod ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam pertinet, eſſet nobis defuturum. Quum enim tunc homo hominem, tamquam ſeipſum, amaturus, eique ultro facturus eſſet omnia, quae ſibi ab altero fieri cupit: quid opus eſſet dominio inter amicos, quorum omnia communia ſunt? Enimvero, quum pro praeſente rerum humanarum indole vix ſperandum ſit, aliquam multitudinem virtutis adeo ſtudioſam eſſe futuram, ut alterius utilitati non minus, quam ſuae, ſerviat: facile patet, 15. communionem poſitivam naturae hominum, qualis nunc eſt, non congruere, adeoque eos, 16. cur ab ea quoque diſcederent, cauſſas non poenitendas habuiſſe (*). **Cur a communione etiam poſitiva diſcedendum fuerit?**

(*) Quicumque ſane communionem huiuſmodi aliquando obſervatam memorant, ii ſimul homines illos fuiſſe eximia virtute praeditos, poſuerunt. Id ſane iure dixeris de eccleſia Hieroſolymitana *Act. IV.* 32. Nec credibile fore ſuſpicati ſunt poetae, quod de communione illa inter homines aurei ſaeculi retulerunt, niſi ſimul illos fingerent virtutis ac honeſtatis ſtudioſiſſimos fuiſſe, qui, uti ait Ovid. *Metamorph. I, v.* 90.

vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebant.

Porro Scymnus Chius communem huiuſmodi rerum omnium uſum tribuit Scythis nomadibus ultra Maeotin, ſed eoſdem ſimul vocat *[illegible], εὐσεβεστάτους, gentem piiſſimam*. Sed & a Pythagora inſtitutam rerum communionem ex iuſtitia, tamquam ex fonte, promanaſſe, tradit Iamblich. *vit. Pythag. ſegm.* CLXVII. Refrigeſcente itaque virtute, pietate, iuſtitia, etiam communioni non eſſe locum, facile unuſquiſque intelligit.

§. CCXXXIX. Ex quo ſimul patet, quomodo invecta ſit rerum proprietas, & quot ſint modi illam in certa re adquirendi. Res enim vel adhuc *extra dominium* eſt, vel iam *in alterius dominio* conſtituta. Si prius: tunc modos adquirendi cum Grotio vocamus ORIGINARIOS, quibus quum vel ſubſtantiam, in nullius dominio conſtitutam, adquiramus, vel quae ei quacumque ratione accedunt, incrementa: priorem adquiſitionem OCCUPATIONEM, poſteriorem ACCESSIONEM adpellamus. **Qui ſint modi adquirendi originarii?**

§. CCXL. Sin res iam in alterius dominio ſunt: tunc vel in plurium *communione* ſunt, vel in *proprietate* ſingulorum. (§. CCXXXI.) Priore caſu res communes in proprietatem rediguntur per DIVISIONEM & CESSIONEM; poſteriore per TRADITIONEM. Neque ullus eſt dominium adquirendi modus DERIVATIVUS, quin ad hos paucos quam commodiſſime referri poſſit. **Quinam derivativi?**

§. CCXLI. OCCUPATIO eſt adprehenſio poſſeſſionis rerum nullius. NULLIUS vero eſſe dicuntur res, in quibus vel nemini umquam alios uſu iſtarum excludendi ius fuit, vel de quarum ſaltim domino nihil certi conſtare poteſt, vel in quibus denique poſſeſſor ſeſe ultro iure alios uſu earum excludendi abdicavit, quae PRO DERELICTO HABITAE dicuntur. Quum ergo **Quid occupatio? quid res nullius?**

Digitized by Google

ergo in rebus nullius nulli ſit jus, alios earum uſu excludendi : (§. CCXXXI.) conſequens eſt, 17. ut quae nullius ſunt, merito cedant occupantibus, nec tamen 18. id intelligendum ſit de rebus amiſſis, furtim vel vi ſurreptis, imminente naufragio jactis, per bruta ablatis, quae neutro ſenſu res nullius dici poſſunt, quum & habuerint antea dominos, & hi dominio ſuo ſeſe ultro numquam abdicarint. (*)

(*) Hinc recte de piſcibus, a ſe in mari captis, philoſophatur Gripus piſcator apud Plautum *Rud.* IV. 3. *v.* 32. dum ſuos illos factos contendit, quod a nemine eorum uſu iure excludi poſſit:
Ecquem eſſe dices mari piſcem meum?
Quos quum capio, ſiquidem cepi, mei ſunt: habeo pro meis:
Nec MANU ADSERUNTUR, *neque illic partem quiſquam poſtulat.*
In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.
At peſſime ille ſibi ex eadem ratione vindicat vidulum, naufragio amiſſum, & a ſe mari extractum, dum ait:
In manu non eſt mea,
Ubi demiſi rete atque hamum, quidquid haeſit, extraho.
Meum, quod rete atque hami nacti ſunt, meum potiſſimum eſt.
Cui recte *v.* 42. obvertit Trachalio?
Quid ais, impudens,
Auſus etiam comparare vidulum cum piſcibus?
Eadem tandem res videtur?

Occupatio ſit animo & corpore ſimul.

§. CCXLII. Quumque occupatio ſit adprehenſio poſſeſſionis rerum nullius; (§. CCXLI.) poſſeſſio vero detentio rei, cujus uſu alios excludere ſtatuimus: (§. CCXXXI.) facile patet, 19. occupationem animo & corpore ſimul fieri, & 20. nec ſolum animum ſufficere ad rem occupandam, ſi alius ſuo jure uti velit, nec 20. ſolam adprehenſionem ſine animo alios uſu rei excludendi: ſaepe tamen 21. tacita hominum conventione pro adprehenſione haberi declarationem animi ſibi rem habendi, cum ſignis quibuſdam, in ſenſus incurrentibus, conjunctam (*).

(*) Sic adprehendiſſe videtur praedii poſſeſſionem, qui vacua poſſeſſione, non quidem ſingulas glebas circumambulaverit, *l.* 3. §. 1. *l.* 48. *D. l.* 2. *C. de adqu. vel amitt. poſſ.* ſed titulum adfixerit, feſtucam e ianua, caeſpitem ex agro, ramuſculum ex arbore exciderit, ſimulque teſtatum praeſentibus fecerit, ſe id animo praedium ſibi tamquam ſuum habendi facere. Quum vero ex conventione tacita haec ſigna effectum habeant: ea ſane non ſunt arbitraria, adeoque is, qui iaculum immiſit urbi a civibus deſertae, non magis videtur occupaſſe urbem, quam venator feram, quam iaculo petitam, nec occidit, nec vulneravit. Atque inde decidi poterit lis Andriorum & Chalcidenſium, de Acantho occupata inter ſe decertantium, illis urgentibus legati ſui ſollertiam, qui quum ſe curſu a legato Chalcidenſium ſuperari animadverteret, iaculam portae prior infixerit: his contra nitentibus, urbeſque iaculis occupari, negantibus, adeoque Acanthum ſibi vel ideo vindicantibus, quod a legato ſuo prius eſſet introita. Hiſtoriam habes apud Plutarchum *Quaeſt. Graec.* XXX.

Et quidem vel per univerſitatem, vel per fundos.

§. CCXLIII. Quum porro omnia, quae nondum in ullius dominio ſunt, poſſint occupari: (§. CCXLI, 17.) perinde profecto erit, ſive toti terrarum tractus, dominio vacui, a pluribus; ſive res ſingulares a ſingulis occupentur. Et priorem quidem occupationem PER UNIVERSITATEM; poſteriorem PER FUNDOS fieri, ait Grotius *de jure belli & pac.* II, 2. 4. Quia vero, qui totum occupavit, ſingulas quoque partes occupaſſe cenſetur: conſequens eſt, 22. ut in tractu terrae, a pluribus, veluti populo, per univerſitatem occupato, nihil omnino ſit nullius, ſed omnia, quae illius ambitu continentur, ſi a ſingulis occupata non ſit, ad populum univer-

verſum, vel ad ejus rectorem, pertinere merito dicantur (*).

(*) Hinc in aliquo terrae tractu ſinguli poſſunt res ſingulares tamquam ſibi proprias poſſidere, quum tamen totum territorium ſit populi vel reipublicae. Dio Chryſoſt. *in Rhodiaca* XXXI. *ἡ χώρα τῆς πόλεως, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον τῶν κεκτημένων ἕκαστος κύριός ἐστι τῶν ἑαυτοῦ. Territorium eſt civitatis: at nihilominus tamen poſſidentium quiſque rerum ſuarum dominus eſt.* Plura eam in rem veterum loca adcumulavit Grotius *de jure belli & pac.* II. 3. 4.

An ferae, piſces, volucres ſint res nullius.

§. CCXLIV. Hinc nemo negaverit, 23. VENATIONEM, PISCATIONEM, AUCUPIUM eſſe ſpecies occupationis, non modo in locis deſertis & dominio vacuis, verum etiam 24. in territoriis jam occupatis, ſicubi tanta ſit ferarum, piſcium aut volucrum multitudo, ut ſufficere omnibus videantur: (§. CCXXXV, 9.) at 25. non injuria tamen populum, ſi qua juſta cauſſa id ſuadere videatur, (*) haec animalia omnia, tamquam ἀδέσποτα, ſibi vindicare, (§. CCXLIII, 24.) vel 26. eadem ſummo imperanti, tamquam ἐξαίρετόν τι, adſignare: eoque facto, 27. illum adverſus amorem juſtitiae agere, qui ſibi jus venandi, jam ab alio adquiſitum, temere adrogare non dubitet.

(*) Plures huiuſmodi cauſſas, quamvis parum idoneas, adcumulavit Puſendorff. *de jure nat. & gent.* IV. 6. 6. Maximi momenti eſt illa, quod ferae, piſces & volucres non tam inexhauſti ubique uſus ſunt, ut non metuendus ſit tot ſpecierum interitus, ſi venandi jus omnibus promiſcue concederetur. (§. CCXXXV. 8.) Ex quo ſimul intelligere licet, cur nuſquam terrarum homines venari & occidere prohibeantur animalia rapacia, truculenta, & humano generi noxia, quin alicubi praemia auferant, qui, oblatis eorum unguibus vel capitibus, fidem faciant magiſtratibus, ſe huiuſmodi animalibus purgaſſe provinciam.

In quibus animalibus venationi ſit locus?

§. CCXLV. Ubicumque vero cuiquam venandi jus eſt: ipſa recta ratio ſatis unumquemque docebit, 28. venationem non pertinere ad animalia manſueta, quippe in dominio conſtituta, nec 29. ad manſuefacta, quamdiu illa dominus poſſidet, vel animo recuperandi perſequitur, vel, ſe ea derelinquere nolle, luculentis quibuſdam ſignis oſtendit (*). Immo 30. ne ad feras quidem beſtias, vivariis, piſcinis, alveariis, incluſas, ſed 31. ad eas, quae, ut eleganter ſcribit Cajus, *terra, mari, caelo capiuntur. l.* 1. §. 1. *D. de adqu. rer. dom.*

(*) Sic vix venationis obtentu excuſabitur, qui cervum, crepundiis ornatum, quantumvis fugitivum, ceperit, ſi de domino conſtet. Nec magis ferendum putem, qui dominum, perſequentem examen, area ſua excludit, ut illo ipſe potiatur, licet id iuſtum viſum fuerit Iureconſultis Romanorum. §. 14. *Inſt. de rer. diviſion.* Quamvis enim domino ſit facultas, alios uſu rei ſuae excludendi: is tamen, qui ſua repetiturus aedes noſtras ingreditur, non re noſtra utitur, ſed ſuam repetit. Et qui magis iuſtum ſit, examen ſuum perſequentem aedibus & area excludere, quam domo abigere vicinum, gallinas turbatas, & in aream noſtram avolantes, repetiturum? Itaque aequiſſima lex Platonis *Lib. IX. de legibus: Si aliena examina quis perſequitur, atque aera pulſans apes delectatione ad ſe trahit: damnum reſarciat.*

Quando animalia fiant capientium?

§. CCXLVI. Ceterum quum in occupatione praeter animum alios uſu rei excludendi, opus etiam ſit adprehenſione corporali: (§. CCXLII, 19.) conſequens eſt, 31. ut non ſufficiat ſola vulneratio ferae beſtiae, multoque minus 32. animus, illam, ex vulnere caſuram, ſibi vindicandi, ſed 33. praeterea requiratur, ut ipſa a venante, eam perſequente, vel viva capiatur

tur laqueis, canibus, aliiſque inſtrumentis venatoriis, vel jaculis conficiatur: 34. neutro autem facto, unicuique jus ſit, vulneratam ab alio capiendi occidentive, quippe in nullius adhuc proprietatem ac dominium reductam (*).

(*) Sed ea in re magna ſemper fuerunt ſententiarum divortia, & hinc leges gentium diverſiſſimae. De Trebatii aliorumque iurisconſultorum diſſenſu videnda eſt, *l.* 5. *D. de adquir. rer. dom.* Lex Salica *tit. XXXV.* §. *IV. ſequ.* ne excitatam quidem ab alterius canibus feram ab alio impune intercipi patitur. Lex Langob. *Lib. I. tit. XXII.* § *IV.* & *VI.* hac caſu capienti armum cum ſeptem coſtis, reliquam praedam vulneranti addicit. Has ſimileſque veterum leges collegit Puſend. *ibid. IV.* 6. 10.

An huc pertineat occupatio bellica? §. CCXLVII. Occupationis alteram ſpeciem vulgo dicunt OCCUPATIONEM BELLICAM, qua perſonas aeque ac res hoſtium, juſto bello captas, ipſo gentium jure capientium fieri contendunt, *l.* 1. §. 1. *D. de adqu. vel amitt. poſſ.* Enimvero quemadmodum occupationi locus eſt tantum in rebus nullius, (§. CCXLI, 17.) res vero hoſtiles non aliter, quam per fictionem; (*) perſonae vero liberae ne per fictionem quidem pro rebus nullius haberi poſſunt: (§. LXVIII, 17.) ita 34. occupationem bellicam nec ad modos adquirendi originarios, nec 35. ad occupationem pertinere, ſed 36. ex alio fonte, puta ex ipſo belli jure, derivandam eſſe, facile intelligitur.

(*) Equidem Puſend. *de jur. nat. & gent. IV.* 6. 14. hanc fictionem ita explicat: *In bello res hoſtium in ordine ad alium hoſtem redduntur, veluti dominio vacuae: non quod hoſtes per bellum ipſo jure rerum ſuarum domini eſſe deſinant, ſed quia illorum dominium non obſtat hoſti, quo minus eas res auferre, ſibique habere poſſit.* Sed ubi res redduntur veluti dominio vacuae, ibi nemini eſt ius alios earum uſu excludendi. (§. CCXXXI.) Hoſti autem ſalvum ſemper eſt ius, hoſtem uſu rerum ſuarum excludendi, nec ulli facit iniuriam, dum pro ſervandis rebus ſuis, tamquam pro aris & focis, pugnet. Quis ergo, eius res dominio vacuas eſſe, dixerit. Quae quum ita ſint: hoſtis res ſuas ab hoſte captas amittit, non quod ius ipſi deeſt excludendi hoſtem, ſed quod viribus, quibus hoſtis reprimi poſſet, deſtituitur.

Inventio rerum nullius. §. CCXLVIII. Rectius huc refertur INVENTIO, quippe quae & ipſa in adprehenſione rerum nullius conſiſtit. Itaque nullum quidem eſt dubium, 37. quin res, in nullius adhuc redactae dominium, vel pro derelictis habitae, inventori cedant, qui eas cum animo ſibi habendi primus adprehendit, ac proinde 38. juri naturali non conſentanea ſit lex Stagiritatum, Biblienſium & Athenienſium: ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀνέλῃ: *Quae non poſuiſti, ne tolle*, niſi de rebus amiſſis intelligatur. Aelian. *Var. Hiſt. III*, 45. *IV*, 1. Diog. Laert. *I*, 57. nec minus 39. errent ii, qui rem inventam inventori, eique, qui eam tolli viderit, communem eſſe exiſtimant: (*) attamen 40. id jus non producendum ſit ad res, quas populus ſibi jure occupationis, per univerſitatem factae, vindicavit, vel 41. ſummo imperanti, tamquam ἐξαίρετόν τι, ceſſit. Quod eum jure potuiſſe, ſupra jam vidimus. (§. CCXLIII, 23.)

(*) Inoleverat olim mos, id, quod ab aliquo inveniretur, in commune poſcendi: quod fiebat formula IN COMMUNE, vel apud Graecos κοινὸς Ἑρμῆς, itemque κοινὸν τῷ Ἑρμῇ. De qua formula praeter Eraſmum *in adagiis* plura monent viri docti ad Phaedr. *Fab. V.* 6. *v.* 3. Add. Plaut. *Rudent. IV.* 3. *v.* 72. *ſequ.* At quum, quae nullius ſunt, cedant occupanti, (§. CCXLI. 17.) nec in eiuſmodi rebus ulli ſit ius, alium uſu earum excludendi: (§. CCXXXI.) is denique, qui ſolis oculis rem

rem uſurpavit, nec adprehendit tamen, occupaſſe non dicatur: (§. CCXLII. 20.) hunc etiam partem praedae poſcere non poſſe, niſi id leges civiles vel mores ac conſuetudines alicuius provinciae permittant, facile adparet.

Et pro derelictis habitarum, veluti theſauri.

§. CCXLIX. Nec minus inde patet, 42. inventori cedere res, ab hominibus ſanae mentis ſuique juris animo abdicandi dominium abjectas, adeoque 43. & ſparſa miſſilia, immo & 44. THESAUROS, quorum de prioribus dominis nullo certo argumento vel indicio conſtat, caſu fortuito inventos, niſi 45. & hos ſibi vindicet populus vel ſummus princeps. (§. CCXLIII, 23.) Qua de re varias gentium leges recenſuerunt Grot. *de jure belli & pac. II*, 8. 7. Puſend. *IV*, 6. 13. & ibi Hertius. Ev. Otto *ad* §. 29. *Inſt. de rer. diviſ.* 46. Merito tamen rationem etiam habendam domini ſoli, utpote quem fructus ex ſolo ſuo quoſcumque percipere, aequum eſt, (*) ac proinde 47. recte, & plane ex regulis aequitatis naturalis unum ſemiſſem theſauri, caſu fortuito reperti, inventori, alterum domino ſoli adjudicaſſe Hadrianum Spartian. *in Hadriano Cap. XVIII.* §. 39. *Inſt. de rer. diviſ.*

(*) Quod adeo verum eſt, ut hunc quaedam gentes inventori plane praeferendum putarint, veluti Hebraei, *Matth.* XIII. 44. Selden. *de iure nat. & gent. ſec. diſcipl. Hebr.* 4. Syri, Graeci, quin & ex ipſis Romanis haud pauci. Philoſtr. *Vit. Apollon. Tom. II.* 39. *de vit. Sophiſt. II.* 2. Plaut. *Trinum I.* 2. *v.* 141. *h* 67. *D de rei vind.* Ubi tamen inventori pars cedit, nihil intereſſe videtur, mercede conductus quis terram noſtram foderit, an operas nobis haud locarit. Quamvis enim mercenarii nobis operis conductis adquirant: id tamen iuſtam habere rationem non videtur, ſi quis operas nobis non ad inveſtigandos theſauros, ſed ad cellam excavandam, vel ſimile opus locarit. V. A. Corn. van Bynkersh. *obſ. II.* 4.

Acceſſio quid & quotuplex?

§. CCL. Alter modus adquirendi dominium originarius eſt ACCESSIO, per quam jus ea, quae ſubſtantiae, nobis adquiſitae, accedunt, incrementa ſimiliter nobis vindicandi intelligimus. Incrementum vero quum res noſtrae capiant vel ipſius naturae beneficio, vel induſtria noſtra, vel natura induſtriaque noſtra ſimul: acceſſio a jureconſultis accuratioribus in NATURALEM, INDUSTRIALEM, & MIXTAM recte diſpeſcitur (*).

(*) Sic *naturae* ſolius beneficio debemus foeturam animalium, alluvionem, novam inſulam, alveum derelictum. *Induſtriae* noſtrae novam ſpeciem, rem rei noſtrae adiunctam, adplumbatam, adferruminatam, intextam, adfuſam vel admixtam, ſcripturam chartae noſtrae, picturam tabulae noſtrae illitam. Denique meſſem & autumni dotes partim ubertati ſoli coelique clementiae, partim culturae noſtrae, adeoque & *naturae* beneficio, & induſtriae noſtae imputamus, ac proinde primi generis acceſſiones NATURALES; ſecundi INDUSTRIALES, tertii MIXTAS merito adpellamus. Quae enim a nonnullis additur, FORTUITA ad occupationem rerum nullius rectius refertur.

Fundamenta acceſſionis naturalis.

§. CCLI. Quod ad NATURALEM acceſſionem attinet, vel tale res noſtra capit incrementum, cujus de origine & priore domino nullo certo argumento conſtat, vel aliquid, quod jam in alterius dominio eſt, rei noſtrae accedit. Priore caſu, quum res illa, cujus de domino nihil certi conſtare poteſt, pro re nullius merito habeatur, (§. CCXLI.) nihil obſtat, 48. quo minus hujuſmodi incrementum cedat in acceſſionem rei noſtrae, cui acceſſit, adeoque nobis adquiratur. At poſteriore caſu res habet dominum, qui alios uſu rei ſuae jure excludit: (§. CCXXXI.) atque inde merito inferimus, 49. hujuſmodi rem, rei noſtrae quacumque ratione adjunctam, nobis

bis non magis adquiri, quam ſi ventus vehementior veſtes lineas, a Titio in horto ſuo expanſas, in aream noſtram projecerit (*).

(*) Nulla ſane fingi poteſt ratio, quamobrem prior dominus, de quo ſatis conſtat, dominio rei ſuae, adhuc exſtantis ac ſuperſtitis, excidere debeat, quum nec ſuo ſe dominio umquam abdicarit, nec illud facto ullo in alterum tranſtulerit, nec ob ſolam calamitatem dominio ſuo quiſquam iure privetur. Si quis ergo dominus manet rei, alterius rei caſu quocumque adiunctae: iſti procul dubio adhuc ius eſt, alterum rei ſuae uſu excludendi, (§. CCXXXI.) adeoque, illo invito, huic adquiri non poſſe dominium, manifeſtum eſt.

Speciatim de foetura animalium.

§. CCLII. Ex his vero evidentiſſimis principiis (§. CCLI, 48. ſequ.) jam porro colligimus, 50. PARTUM, cujus de origine non liquido conſtat, (quod plerumque fit in animalibus, immo & in hominibus, extra legitimum matrimonium natis,) ventrem tamquam acceſſorium ſequi, idque *legi naturae* non abſurde tribuere Ulpianum, *l.* 24. *D. de ſtatu hom.* Id tamen 51. vix aequum videtur, ſi de utroque parente conſtet, (*) niſi forte 52. ad procreanda animalia communibus ſumtibus alatur dignioris ſexus animal, veluti bos communis, vel 53. dominus equum admiſſarium vel bovem pro certa mercede vicinis locare ſoleat.

(*) Hinc ſaltim in ſervis hoc caſu paſſim obtinet partitio vernarum, ita ut primus domino ventris, alter domino ſervi patris cedat & ſic ſervilem ſobolem ambo domini per vices partiantur. Diximus ea de re *Elem. Jur. Germ. l.* 1. 30. ubi id ius & apud Wiſigothos & apud Alamannos, & apud Boios obtinuiſſe, *lege Wiſigoth.* X. 1. 17. Goldaſti *rer. Alam. Tom. II. charta* II. & Aventin. *Annal. Boic. Lib. VII.* 14. 23. *p.* 708. oſtendimus.

De novis inſulis, ſive natis, ſive factis.

§. CCLIII. Nec minus facile erit intellectu, ad quem pertineat nova INSULA, ſive in mari, ſive in flumine nata. Quum enim de dominio particularum terrae, quae demum in inſulam coalerunt, conſtare non poſſit: (§. CCLI, 48.) conſequens eſt, 54. ut inſula cedat in acceſſionem maris vel fluminis, (*) ac proinde 55. ſi mare vel flumen in nullius dominio eſt, inſula quoque ſit nullius, ac proinde cedat occupantibus: 56. ſin vero, quod plerumque fit, vel mare, vel flumen ad populum, ejuſve rectorem pertinet: (§. CCXLIII, 23.) is quoque inſulam illam merito ſibi vindicet. Denique cum res, cujus de dominio certo conſtat, non poſſit ulli per acceſſionem adquiri: (§. CCLI, 49.) fieri non poteſt, 57. ut dominus amittat agrum, quem flumen ſuperius divergens, & inferius alveo ſuo junctum, in inſulae formam redegit. Quod & JCti agnoverunt, *l.* 7. §. 4. *l.* 30. §. 2. *D. de adqu. rer. dom.*

(*) Itaque nulla ratio eſt, cur vicinis praediis, & quidem vel in utraque ripa, ſi inſula in medio flumine nata ſit, vel in alterutra, cui proprior eſt, accreſcere debeat nova inſula: quod tamen plerique JCtis placuiſſe novimus, §. 22. *Inſt. de rer. divſ. l.* 7. §. 3. *l.* 29. *l.* 30. §. 1. *D. de adqu. rer. dom.* Particulae enim terrae a cuius praedio avulſae ſint, non conſtat: & magis probabile eſt, eas ab agris ſuperioribus, quam a vicinis avulſas eſſe. Quin aliquando ipſum flumen particulas, quae deinde in inſulam coaleſcunt, e fundo abraſas, ſecum vehit, teſte Seneca *natur. quaeſt. IV.* 9. Sed fuit haec ſententia Caſſii Longini, quam deinde ſectatores eius, tamquam ex compacto probarunt. Aggen Urbic. *de limit. agr. p.* 57. Eam vero more ſuo exploſerunt Proculiani, quorum anteſignanus, Labeo apud Paullum *l.* 65. §. 4. *D. de adquir. rer. dom. Si id*, inquit, *quod in publico innatum aut aedificatum eſt, publicum eſt: inſula quoque, quae in flumine* PUBLICO *nata eſt*, PUBLICA *eſſe debet*.

§.CCLIV.

§. CCLIV. Nec alia ALLUVIONUM, & terrae VI FLUMINIS avulſae, ratio eſt. Quemadmodum enim, quod ad priorem attinet, de origine particularum, agro noſtro paullatim adjectarum, certi quid conſtare non poteſt: (§. CCLI. 48.) ita nullum eſt dubium, 58. quin id, quod agris noſtris hoc modo accedit, nobis; 59. quod agro publico, viaeve publicae adjicitur, publico cedere debeat (*). Contra ea quum in vi fluminis de domino terrae avulſae ſatis conſtet: (§. CCLI, 49.) 60. ea jure naturali circa dominium nihil mutari, palam eſt, 61. niſi forte dominus terram hoc modo avulſam pro derelicta habere malit. Quod in civitatibus ex intermiſſa per tempus legitimum vindicatione colligi ſolet, §. 21. *Inſt. de rer. diviſ. l. 7. §. 2. D. de adqu. rer. dom.* Nec non de alluvione & vi fluminis.

(*) Et hoc fundamento nititur jureconſultorum & agrimenſorum diſtinctio inter agros *arcifinios*, qui non aliis, quam naturalibus, limitibus finiuntur, & *limitatos*, qui ad certum perticarum pedumque numerum adſignantur, *l. 16. D. de adqu. rer. dom. l. 1. §. 6. D. de flumin.* De qua agrorum differentia vid. Iſidor. *Orig. XI. 13. Auctores de limitib. p. 293. edit. Guil. Goeſii.* Jo. Fr. Gronov. *ad Grot. de jure belli & pac. II. 3. 16. nu. 1.* Quidquid enim inter agros limitatos & flumen interiacet, id vel publicum, vel alicui privato proprium eſſe, nemo non intelligit. Neutro autem caſu agro limitato aliquid accedit.

§. CCLV. Denique quod ad ALVEI MUTATIONEM attinet, ſi alveus derelictus, quantum conſtat, in nullius antea dominio fuit, ille 62. non poteſt vicinis, qui utrimque praedia habent, pro modo praediorum adquiri, ut viſum eſt jureconſultis Romanis, *l. 7. §. 5. D. de adqu. rer. dom.* ſed, quia de fluminis, cujus pars eſt alveus, dominio ſatis certo conſtat, (§. CCLI, 49.) 63. ille, tamquam pars fluminis ejuſdem erit, cujus flumen fuit: quemadmodum 64. ex eadem ratione novus alveus, iterum derelictus, proculdubio non minus manet priorum dominorum, quam 65. ager INUNDATUS, ſi deinde aqua receſſerit (*). In alvei mutatione & inundatione.

(*) Aliud dixeris, ſi perpetua ſit inundatio, ut iam mare ſit, ubi Troia fuit. Tunc enim res exſtincta videtur, quae nullum nobis uſum praeſtat, nec praeſtare umquam poteſt. Non entis vero, eiuſque, quod nullum hominibus uſum praeſtat, nullum eſt dominium, nulla proprietas. (§. CCXXXV. 10.) Ex quo ſane conſequitur, ut duriſſima ſit eorum conditio, a quibus ob agros, mari vel flumine iam pridem abſorptos, tributa, vectigalia & penſiones exiguntur, niſi forte culpa & negligentia ſua in reſtituendis aggeribus meruerint, ut ita mulctentur, quamvis & haec poena ſatis immodica, immo duriſſima videatur. Quis enim tributis ac penſionibus oneret res, in quibus proprietas, uſufructus, poſſeſſio, & iter amiſſa ſunt? *l. 23. D. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. D. de adqu. poſſeſſ. l. 1. §. 9. D. de itin. actuque priv.*

§. CCLVI. Progredimur ad acceſſionem INDUSTRIALEM & MIXTAM, de qua ſubtiliter admodum philoſophati ſunt jureconſulti. Nos ita ſtatuimus: Si res utriuſque voluntate junctae ſint, ne dubitari quidem poteſt, quin uterque fiat dominus pro rata, adeoque communio poſitiva inducatur. (§. CCXXXI.) At hic de acceſſione, quae altero inviſo facta, loquimur. Hic quum domino jus ſit, omnes rei uſu excludere: (§. CCXXXI.) proculdubio etiam prohibere poteſt, quo minus quidquam rei ſuae, ſe invito jungatur. Quum vero quod jungitur rei noſtrae, vel eam inutilem aut deteriorem ſaltim, vel meliorem, praeſtantioremque reddat; is vero, qui res noſtras deteriores reddit, nos laedat: (§. CLXXVIII.) conſequens eſt, 66. ut, qui res noſtras quacumque acceſſione induſtriali deteriores vel plane inutiles reddidit, is, accepta re corrupta, ad omne damnum nobis re- De acceſſione induſtriali axioma primum.

 ſar-

ſarciendum, quin, ſi dolo malo tale quid fecerit, ſimul ad poenam (§. CCXI, 119. ſequ.) teneatur.

Axiomata ſecundum & tertium.

§. CCLVII. Sin res acceſſione quacumque induſtriali ab alio meliores praeſtantioresque redditae ſunt: tunc multum intereſſe videtur, poſſintne res ſibi invicem junctae, ſine notabili diſpendio ſeparari, an non poſſint. Priore caſu, quum utriuſque materiae vel rei domino jus ſit, alterum uſu rei ſuae excludendi, (§. CCXXXI.) id vero aliter exitum habere non poſſit, quam rebus ſeparatis: conſequens eſt, 67. ut eo caſu res junctae ſtatim ſeparandae, ſuumque cuique tribuendum ſit: 68. poſteriore autem caſu res junctae alterutri addicantur, condemnando ſimul ad aeſtimationem rei alienae alteri, quem re ſua carere oportet (*), poenamque, ſi in mala fide ſit, praeſtandam. (§. CCXI, 119. ſequ.)

(*) Quiſquis enim res alterius, quibus illi ad conſervandam ſuaviterque tranſigendam vitam opus eſt, intervertit, is nos laedit. (§. CXC. 52.) Qui nos laedit, ad ſatisfactionem tenetur. (§. CCX.) Ea, quum eo caſu, ubi factum infectum fieri nequit, in praeſtanda juſta rei aeſtimatione conſiſtat: (§. CCXII. 124.) conſequens eſt, ut is, qui alterius rem intervertere, ſibique habere cupit, juſtam eius aeſtimationem praeſtare teneatur. Unde ſimul aequiſſimam eſſe patet regulam πολυθρύλλητον, *neminem debere cum alterius damno ſine ratione locupletiorem fieri velle*.

Nec non quartum & ſequentia.

§. CCLVIII. Quum vero poſteriore caſu res junctae alterutri addicendae ſint: (§. CCLVII, 68.) conſequens eſt, ut cauſſam juſtam, cur alteruter alteri praeferendus ſit, eſſe oporteat. (§. CLXXVII, 5.) Ea vero quum non alia eſſe poſſit, quam alterutrius rei praeſtantia, quam ſaepius raritate & adfectione, quam uſu, aeſtimamus: merito inde colligimus, 69. non ſemper procedere regulam: *acceſſorium ſequi ſuum principale:* cujus abſurditatem in pictura ipſe Juſtinianus, & ante eum Caius, agnovit, §. 34. *Inſt. de rer. diviſ. l. 9. §. 2. D. de adqu. rer. dom.* ſed 70. res junctas addicendas eſſe illi, cujus res ob raritatem, adfectionem, operas, curam, & culturam majus pretium admittunt (*), eumque 71. alteri ad praeſtandam aeſtimationem damnandum, 72. niſi ei tanti non ſit res ſua, ut non pretium recipere, quam offerre alteri, malit.

(*) Veteres iuriſconſultos hic non certa aliqua ratione naturali niti, & hinc diverſis admodum viis incedere, iam obſervavit V. C. Jo. Barbeyrac. *ad Puſendorff. de offic. hom. & civ.* I. 12. 7. Primus confuſa diſtinguere, ac in ordinem redigere conatus eſt vir acris & recti iudicii, Chriſt. Thomaſ. diſſertatione ſingulari, *de pretio adfectionis in res fungibiles non cadente*, *Hal.* MDCCI. 4. ubi ad eadem principia *Cap.* III. §. XXXVIII. *ſequ.* doctrinas iuris Romani de acceſſione induſtriali accurate examinavit.

Quid juſtum ſit circa ſpecificationem.

§. CCLIX. Hinc facile patet, quid ſentiendum ſit de SPECIFICATIONE, qua nova forma in alterius materiam introducitur. Quum enim plerumque in materiam nulla cadat adfectio, in formam, ob artificium, vel maxime cadat: (§. CCLVIII, 70.) 73. nova ſpecies merito addicenda fuerit ſpecificanti (*), ad juſtam tamen pretii aeſtimationem, & ſi ſciens dolo malo id fecerit, in poenam condemnando: (§. CCXVI, 66.) Thomaſ. *diſſert. laudata Cap. III. §. XLIII. ſequ.* quamvis 74. ex eadem ratione omnino praeferendus materiae dominus, ſi haec rarior, & pluris ſit quam forma, quae alterius opera acceſſit: e. g. ſi quis ex alterius electro, vel aere

Digitized by Google

aere Corinthiaco, ſignum vel vas confecerit, iſque tunc 75. obligatus ſit ad mercedem pro opera, ſi ſpecificans in bona fide fuerit, praeſtandam.

(*) Nihil ergo ſolidi ineſt diſtinctioni, qua rem impeditiſſimam expedire voluit Juſtinianus §. 25. *Inſt. de rer. diviſ.* poſſitne videlicet nova ſpecies ad materiam reduci, nec ne. Nulla enim eſt idonea ratio, cur priore caſu dominus materiae, poſteriori ſpecificans praeferendus ſit, maxime quum ſaepe materia, demta forma, parum magni momenti futura ſit. Vid. Pufend. *de jure nat. & gent. IV.* 7. 10. Immo aliquando centuplo plus pretii ineſt ſpeciei, quam materiae, ex qua illa confecta eſt. Quis vero tunc domino materiae ſpeciem ideo addiceret, quod ad priorem materiam reduci poſſit? At quum facilius præſtetur aeſtimatio tabularum, quam ipſius navis, ex illis confectae, quis ideo tabularum domino navem adjudicet, quod haec ad priorem materiam reduci poſſit? Sane hoc caſu, ſi navis vetus alterius tabulis refecta ſit, principium noſtrum ſequitur Julianus *l.* 61. *D. de rei vind.* quamvis procul dubio res in priorem formam reduci poſſit, etiamſi nova navis ex alienis tabulis facta ſit, *l.* 26. *pr. D. de adquir. rer. dom.*

§. CCLX. Deinde acceſſionis induſtrialis ſpecies haud poſtrema eſt ADJUNCTIO, quando rei noſtrae aliena, ſive per incluſionem, ſive per adferruminationem, adplumbaturamve, ſive per intexturam, inaedificationem, ſcripturam, picturamque adjungitur. Et quidem, quum INCLUSIO ita plerumque ſit comparata, ut res junctae facile, & citra notabile diſpendium, ſeparari poſſint, eo vero caſu res ſeparari, & ſuam cuique tribui, aequum ſit: (§. CCLVII, 67.) nulla profecto ratio eſt, 76. cur non illi, cujus auro gemma incluſa eſt, aurum; domino gemmae gemma reddi debeat. Nec 77. de adferruminatione, adplumbatura, & intextura aliter ſentiendum videtur, ſi res citra notabile diſpendium ſeparari poſſint: alias 78. merito praeferri jungentem exiſtimamus, quia alterius materia raro pretium aliquod adſectionis admittit (*). (§. CCLVIII, 70.)

Circa adjunctionem & ſpeciatim incluſionem, adferruminationem, adplumbaturam, intexturam.

(*) Accedit, quod ſaepe incommodum futurum ſit domino materiae, ſi eam cum acceſſione retinere, pretiumque rei adiunctae ſolvere iubeatur, maxime ſi re iſta ob ſtatum, aetatem aliaſque circumſtantias uti non poſſit, e.g. ſi quis plebeii reſti latum clavum vel plurimum auri adſuiſſet. Res ſane tunc, quod ad uſum attinet, vere deterior, id eſt, illi inutilis facta eſt. Qui vero res noſtras quacumque acceſſione induſtriali deteriores, vel plane inutiles reddidit, is, accepta re corrupta, ad omne damnum nobis reſarciendum, quin, ſi dolo malo tale quid fecerit, ſimul ad poenam tenetur. (§. CCLVI. *66.*)

§. CCLXI. Si quis ex aliena materia in ſuo ſolo bona fide AEDIFICAVIT, & totum aedificium ex tignis ligneis conſtat: 79. nulla eſt ratio, cur, errore paullo maturius animadverſo, ſolvi non poſſint tigna juncta, dominoque reddi. (*) (§. CCLVII, *67.*) Sin ex ſolido lapide quis aedificarit, vel tigna exemta inutilia futura eſſent domino: 80. aequiſſimum erit, ut aedificator, ſi juſtam aeſtimationem materiae, poenamque inſuper ob dolum malum praeſtiterit, dominium aedificii conſequatur. (§. CCLVII, 68. §. CCLVIII, 70.) Sin quis aliena materia in ſuo ſolo aedificarit, 81. aedificium, quod ſine notabili diſpendio ſolvi poteſt, itidem diſſolvendum: (§. CCLVII, *67.*) vel 82. domino ſoli, quod pretium adſectionis admittit, erit adjudicandum, (§. CCLVIII, 70.) niſi 83. aedificium plane inutile futurum eſſet domino ſoli, quo caſu aedificans, aedificio ſibi retento, ſoli aeſtimationem, & ſi in mala fide ſit, poenam praeſtare tenebitur, (§. CCLVI, *66.*)

Circa inaedificationem.

 (*) Ra-

(*) Ratio enim, cur tignum iunctum ſolvi vetuerint decemviri, ne ſcilicet urbes ruinis deformentur, *l. 6. D. ad exhib. l. 7. §. 10. D. de adqu. rer. dom. l.* 1. D. *de tigno juncto*, mere civilis eſt, & in recta ratione praeſidium plane nullum reperit. Hinc multae gentes, quae non ſolido lapide, ſed trabibus tabuliſque ad extruenda aedificia utebantur, aedificium hoc ſimilibuſque caſibus dirui tignaque avehi non modo ſiverunt, ſed & legibus praeceperunt. Vid. *Jus prov. Sax* II. 53. & quae ea de re monuimus in *Elem. jur. Germ.* II. 3. 66. Quibus iam addimus diſpoſitionem *legis Langob.* I. 27. 1.

Circa ſcripturam & picturam.

§. CCLXII. Minus difficilis eſt quaeſtio de SCRIPTURA & PICTURA. Quum enim ea, in quae nulla cadit adfectio, alteri, in cujus rem illa cadit, relinquenda ſint, (§. CCLVIII, 70.) & in ſcripturam picturamque adfectio plerumque; in tabulam & chartam numquam cadat: conſequens eſt, 84. ut ſcripturae tunc charta, & picturae tabula cedere debeat, ſi ſcribens pingenſque earum aeſtimationem praeſtare velit (*). Et ſi vel maxime nec ſcriptura, nec pictura adfectionem admittat, veluti ſi quis chartae meae res nugatorias inſcripſerit, vel in tabula mea cucurbitas pinxerit: 85. nihilominus tamen & hoc caſu ſcriptor, pictorque ineptus, re ſibi accepta, ad pretium chartae tabulaeve praeſtandum tenebitur, ob axioma primum. (§. CCLVI, *66.*)

(*) Mirum ergo eſt, iureconſultos Romanos, quorum quidam id in pictura obſervarunt, non idem obſervaſſe in ſcriptura. Quaſi magis ferendum ſit, ſcripturam viri docti cedere in acceſſione viliſſimae chartae, quam Apellis aut Parrhaſii abſolutiſſimum opus cedere in acceſſionem viliſſimae tabulae. Praeterea dum inaedificationi ſcripturam comparant iureconſulti: §. 23. *Inſt. de rer. diviſ. l. 9. D. de adqu. rer. dom.* itidem merito quaeſiveris, cur non eidem comparationi locus ſit in pictura? itemque quae ſimilitudo fingi poſſit ſoli, cui alter aedificium, me invito, impoſuit, & chartae, cui aliquid inſcripſit? Illo aegre, immo ſaepenumero non ſine maximo diſpendio caremus: hanc nihili facimus, ſi vel aeſtimationem, vel tantumdem chartarum eiuſdem bonitatis, recipiamus. Poetica haec eſt ſimilitudo, a forma ſcribendi deſumta, ob quam & Latini ſcriptores EXARARE LITTERAS pro *ſcribere* dixerunt. Sed huiuſmodi ſimilitudo duarum rerum, non ſtatim debet eaſdem circa utramque deciſiones in iuriſprudentia producere.

Circa confuſionem & commixtionem.

§. CCLXIII. Denique, quod ad CONFUSIONEM materiarum liquidarum, & COMMIXTIONEM ſiccarum attinet, quamvis de utriuſque diſcrimine ſubtiliter admodum diſputent jureconſulti, *l.* 23. §. 5. *D. de rei vind.* res tamen eodem redit. Si enim 86. res utriuſque voluntate vel confuſae vel commixtae ſunt: materia communis, ac proinde inter utrumque pro quantitate qualitateque materiae dividenda erit. (§. CCLVI.) Sin, altero invito, facta ſit confuſio vel commixtio: tunc 87. materia nullius uſus confundenti miſcentive erit adjudicanda, iſque damnandus alteri ad aeſtimationem poenamve, ſi in dolo malo verſatus ſit, praeſtandam. (§. CCLXI, *66.*) Si tamen 88. alter partem materiae, quam pretium accipere malit, nullum eſt dubium, quin communionem, in quam initio invitus incidit, adprobet, eique adeo pars rata materiae communis denegari nequeat (*).

(*) Nam & ſubſequuta adprobatio pro conſenſu eſt, quamvis minus, quam iuſſus & conſenſus, imputetur (§. CXII. 51.) Hinc, ſi ex fortuita confuſione vel *συγχύσει* metallorum noſtrorum & aurifabri inſignis prodiiſſet materia, quale fuit, quod olim poſt incendium Corinthiacum primum viſum aiunt, aes Corinthiacum: nihil profecto nobis obſtare crediderim, quo minus partem ex materia communi petamus. Quum enim communis futura eſſet, ſi nobis conſentientibus eſſet conflata,

Digitized by Google

ſtata, (§. CCLVI.) adprobatio autem pro conſenſu ſit: (§. CXII. 51.) nulla profecto ratio eſt, cur non & ob adprobationem fiat communis, ut partem pro rata nobis poſſimus vindicare.

Circa acceſſiones mixtas, ſationem & plantationem.

§. CCLXIV. Denique nec aliis principiis opus eſt circa SATIONEM & PLANTATIONEM, quas ſupra ad ACCESSIONES MIXTAS retulimus, (§.CCL.) Nam 89. plantae & arbores, antequam coaluerunt, procul dubio citra notabile diſpendium ſeparari, adeoque a domino jure vindicari poſſunt. (§. CCLVII, 67.) Contra 90. illae, quae jam coaluerunt, nec non 91. ſementa in agro ſparſa quum commode ſeparari a fundo non poſſunt, nec tamen pretium adfectionis admittant, domino ſoli adquiruntur, praeſtita aeſtimatione tum arborum ſemiuumve, tum impenſarum in culturam factarum, (§. CCLVIII, 70. ſequ.) niſi 92. poſteriore caſu ſoli dominus meſſem pro juſta penſione ei, qui agrum ſuum conſevit, relinquere malit (*).

(*) Cuius rei iuſtas ac idoneas cauſſas habere poteſt dominus agri. Ut ecce, ſi agrum alter male coluerit, maleque conſeverit, ut meſſem parum uberem exſpectare liceat. Tunc ſane domino inutilis eſſe poſſet meſſis, adeoque pro illo militaret axioma primum. (§. CCLVI. 66.)

Circa fructus arboris in confinio poſitae.

§. CCLXV. Poſtremo, quod ad ARBOREM in confinio poſitam attinet, is qui illam plantat, in id conſentit, ut ramorum pars ſuper vicini aream propendeat: & vicinus, qui, dum alterum uſu areae ſuae excludere poſſet, id non facit, itidem in id conſentit. Quum ergo acceſſio, utrinque conſenſu facta, rem reddat communem: (§. CCLVI.) conſequens eſt, 93. ut arbor talis ſit utrique communis, pro indiviſo quidem, quamdiu ſtat in confinio, pro diviſo, ſimul ac eruta eſt, ac proinde 94. priore caſu fructus & folia, 95. poſteriore ipſa ligna pro rata inter utrumque vicinum merito dividantur (*).

(*) Hanc ſimplicitatem maiores noſtri praetulerunt iuris Romani ſubtilitatibus de alimentis, quae per radices attrahant arbores, ipſamque paullatim mutent earum ſubſtantiam, *l. 26. §. 2. D. de adqu. rer. dom.* Germanicae enim originis gentes magis ramorum, quam radicum, habuiſſe rationem, oſtendimus in *Elem. jur. Germ. II. 3. 69.*

C A P U T X.

DE DERIVATIVIS DOMINII ADQUISITIONIBUS, QUAE VIVO PRIORE DOMINO FIUNT.

§. CCLXVI.

Tranſitio ad adquiſitiones derivativas.

SEmel adquiſito dominio, aliquando mutatio quaedam contingit, ut alius in re quadam adquirat vel proprietatem, vel dominium, quum antea horum nihil haberet. Has ADQUISITIONES nos ſupra DERIVATIVAS appellavimus. (§. CCXL.) Jam quum res, in qua proprietatem adquirimus, antea *communis*; in qua dominium primum conſequimur, antea alicui *propria* fuerit: quoties ex re communi partem noſtram accipimus propriam, toties DIVISIONEM, quoties totam ſoli adquirimus, CESSIONEM (*); quoties denique res alterius propria, eo volente, in noſtrum dominium tranſit, TRADITIONEM fieri dicimus.

(*) Paul-

(*) Paullo latius quidem alias patet vocaculi CESSIONIS notio, ut omnem iuris vel actionis translationem in alterum ſignificet. Enimvero quum tunc fere ſub *traditione* comprehendi poſſit, hic paullo arctioribus limitibus circumſcribimus ſignificationem vocabuli, ut ſit *translatio iuris ac dominii, pluribus communis, in unum ex ſociis, reliquorum conſenſu, facta*. Hinc ſi e. g. coheredes nomen aliquod hereditarium totum in unum ex coheredibus tranſcribunt, CESSISSE illi hoc nomen dicuntur.

Per eas fit alienatio vel neceſſaria, vel voluntaria, vel pura, vel conditionalis.

§. CCLXVII. Omnibus his caſibus id, quod antea noſtrum fuit, vel totum, vel pro parte, noſtrum eſſe deſinit, & in alterius dominium vel proprietatem tranſit: id quod vocamus ALIENATIONEM, eaque, ſi ex anteriore adquirentis jure proficiſcitur, NECESSARIA; ſi de novo, conſentiente utriuſque voluntate, decernitur, VOLUNTARIA adpellatur (*). Utraque vero efficit, ut alius in alterius locum, adeoque & in jus circa illam rem, & onera cum illa conjuncta ſuccedat. Sic & alienatio, quae a nulla circumſtantia ſuſpendit translationem dominii, PURA; quae ſuſpendit, CONDITIONALIS dicitur.

(*) Sic e. g. neceſſaria eſt alienatio rei communis, quae fit, ſocio ad diviſionem provocante, quia ſocio, urgenti diviſionem, in ea iam antea ius fuit. Neceſſaria item alienatio rei alicui oppignoratae, quippe quae itidem fit ob ius creditori in illa re antea conſtitutum. Contra voluntaria eſt alienatio aedium, quas is, qui alibi lares poſiturus eſt, vendit, & in quibus nemini omnino quidquam iuris eſt. Ita explicanda eſt diviſio, quam & Romana iuriſprudentia agnoſcit, *l.* 1. D. *de fund. dot. l.* 2. §. 1. *D. de rebus eorum, qui ſub tut. l.* 13. *l.* 14. *D. fam. erciſc.* & alibi paſſim.

Eaque vel in praeſens, vel in futurum.

§. CCLXVIII. Quum ergo voluntaria alienatio aliter, quam utroque conſentiente, fieri ac intelligi non poſſit: conſentire vero liceat in alienationem tum PRAESENTEM, ut dominium noſtrum in alterum, vivis nobis, transferatur, tum FUTURAM, ut quis poſt fata demum noſtra poſſeſſionem rerum noſtrarum omnino conſequatur, denique ille conſenſus in futuram alienationem vel VERUS ſit, vel ex FINE & INTENTIONE hominis colligatur (*): ex priore ſucceſſio teſtamentaria; ex poſteriore inteſtatorum derivari ſolet. Jam de alienatione *praeſente*, ſequente capite de *futura* erit diſſerendum.

(*) Ad alienationem ergo futuram referimus eam, quando poſt mortem demum bonorum noſtrorum poſſeſſio ad heredes omnino devolvitur. Id ſi fit, nobis vivis id VERE volentibus, voluntas haec vocatur *teſtamentum*, ipſaque ſucceſſio *teſtamentaria* audit. Sin ex fine atque intentione morientis colligitur, illum hereditatem in hos potius, quam in alios translatam voluiſſe, eſt haec *ſucceſſio ab inteſtato*. Jam utrique ſucceſſioni obſtare videtur, quod nemo poſſit aliquid velle in illud tempus, quo velle amplius nequeat, nec alienationem fieri hoc modo poſſe a vivo, quia nec ius nec dominium in haeredes vivus transferat, nec a mortuo, quia hic, quod ipſe non habeat, in alium transferre nequeat. Unde & teſtamenti factionem iuris naturalis eſſe negant plures viri doctiſſimi, veluti Merill. *Obſ.* VI. 25. Thomaſ. *Not. ad tit. Inſt. de teſt. ord. p.* 173. Gotofr. de Coccei. *diſſ. de teſtam. princ. Part. I.* §. *XXII. ſequ.* Quorum argumenta ſi *verae* morientium voluntati, i. e. teſtamentis, obſtant, multo magis obſtabunt praeſumtae, ex qua ſucceſſionem ab inteſtato repetunt, adeoque tota illa, quam hic inculcamus, ALIENATIO FUTURA σιδηρόξυλον erit. Sed uti facile largimur, haec argumenta penitus evertere teſtamenti factionem, qualis iure Romano prodita eſt: Vid. *exerc. noſtr. de teſtam. jure Germ. arct. lim. circumſcripta* §. III. ita non obſtant diſpoſitionibus de futura ſucceſſione omnibus. Et de his vero quouſque ſecundum rectam rationem porrigantur, capite ſequente dicemus.

§.CCLXIX.

Digitized by Google

Quid diviſio, & cur ad eam cuivis provocare liceat?

§. CCLXIX. Ad proprietatem a communione fit tranſitus per DIVISIONEM, (§. CCLXVI.) quae eſt adſignatio partis, cuivis ſociorum ex toto poſitive communi competentis. Quum enim ſocius uſu rei communis alios omnes, praeter ſocios excludere poſſit: (§. CCXXXI.) conſequens eſt, 1. ut unuſquiſque ſociorum uſum rei, pro parte ad ſe pertinente, petere, adeoque 2. ad diviſionem provocare poſſit; quin ut 3. eo minus audiendi ſint reliqui, hanc diviſionem impedituri, quo minus praeſenti generis humani conditioni convenit poſitiva communio (*) (§. CCXXXVIII.)

(*) Quum enim communio illa conſiſtere tantum poſſit inter homines eximia virtute praeditos, ac proinde refrigeſcente caritate ac iuſtitia, ſtatim una oblangueſcere illam oporteat: (§ CCXXXVIII.*), qui fieri poſſet, ut noſtris temporibus diu duraret communio? Quis ſociorum non invidet ſocio? quis rem communem tam diligenter curat, ac propriam? quis non alterum, aliquid, in rem communem quod ſit, acturum, non impedit? quis reliquis partem lucri intervertere non ſtudet? Inde mille iurgia, ceu ex inſtituto adverſus communionem Platonicam demonſtravit Ariſtot. *Polit.* II: 2. Ut adeo recte Romani ſocietatem ac communionem matrem dixerint diſcordiarum, ac proinde cuivis ſociorum dederint facultatem ad diviſionem provocandi, *l.* 77. §. 2. *D. de legat.* 2.

Quomodo fiat, ſive res dividua, ſive indivi-dua ſit?

§. CCLXX. Res porro communis vel DIVIDUA eſt facile, vel INDIVIDUA, quae vel ob rei naturam, vel legibus aut moribus obſtantibus, in partes ſcindi non poteſt. Provocante ergo ſocio ad diviſionem rei, ſua natura *dividuae*, 4. nihil eſt aequius, quam ut tot fiant partes, quot ſunt ſocii, reſque ſorti diviſoriae committatur. *Individua* autem res 5. vel uni ſociorum, qui ſolvendo eſt, plurimumve licitatur, quemve aetas, vel ſors reliquis praetulit, reliquenda, ceteriſque praeſtita aeſtimatione, ſatisfaciendum, vel 6. optimis conditionibus vendenda, pretiumque inter ſingulos pro rata dividendum, vel 7. ejus denique uſus ſingulis per vices concedendus eſt (*).

(*) Sic ſorti rem individunda Palaeſtina commiſiſſe novimus Hebraeos, eamque in partes ſcidiſſe, quod provincia ratione tribuum eſſet dividua. Contra inter fratres coheredes ſaepe contingit, ut unus praedium individuum, vel volentibus reliquis, vel ſorte adiudicante, certo pretio emat, & ex reliquis, partem quiſque pretii accipiat. Quin eodem caſu ſaepe contingit, ut ſi nullus coheredum tam ſit bene numatus, ut reliquis ſatisfacere poſſe videatur, praedium extraneo optimis conditionibus vendant, pretiumque inter ſe dividant. Denique alternum rei communis uſum, quem alicubi vocant *die Mutſchirung*, aliquando fratribus illuſtribus placuiſſe, obſervant Diether. in *Contin. Theſauri Beſold. voce Mutſchirung. p.* 417. Wehner. *Obſ. pract. ibid. p.* 370. Exemplum inſigne in domo Saxonica habes apud Muller. *in Saechſſ. annal. p.* 203.

Aequalitas quando obſervanda in diviſione rerum perfecte communium?

§. CCLXXI. Ceterum, quum in re communi vel par omnium jus ſit, vel alter altero plus minuſve juris habere ſoleat: (§. CCXXXI.) facile patet, 8. diviſionem vel AEQUALEM vel INAEQUALEM eſſe, & 9. in priore omnes ad partes aequales, 10. in poſteriore ad inaequales vocari. Quia vero ipſa naturalis hominum aequalitas id ab unoquoque exigit, ne in iis, quae jure perfecto pluribus competunt, prae altero praerogativam ſine juſta cauſſa adfectet. (§. CLXXVII, 5.) nemo non intelligit, 11. diviſionem in dubio in aequales partes fieri debere, nec 11. *) quemquam ſibi poſcere debere praecipuum, niſi jus ſuum luculenter probare poſſit (*).

(*) Tale ius poſcendi ἐξαίρετόν τι poteſt alicui competere ex lege, ex pacto, & ex ultima prioris poſſeſſoris voluntate, non autem ex maiore vi & potentia, quam tamen, tamquam iuſtam praerogativae inter dividentes cauſſam, admittere vide-

videtur Hobbeſius, *de cive III. 15. ſequ.* quamque ipſe ſatis incommode vocat *ſortem naturalem*. Enimvero ſic nulla foret ratio, cur non aequiſſima dici poſſit diviſio a leone facta apud Phaedr. *Fab.* I. 5. qui praedam partiturus inter venationis ſocios:

Ego, inquit, *primam tollo*, *nominor quia leo:*
Secundam, *quia ſum fortis*, *tribuetis mihi*:
Tum, *quia plus valeo*, *me ſequetur tertia:*
Malo adficietur, *ſi quis quartam tetigerit*.
Sic totam praedam ſola improbitas abſtulit.

Hanc diviſionem quiſquis aequam & iuſtam dixerit: nae illum & Hobbeſii ſortem naturalem probaturum, confidimus.

An & in diviſione rerum imperfecte communium eſt obſervanda?

§. CCLXXII. Sed hae quidem regulae ad communionem PERFECTAM pertinent. Praeter illam & IMPERFECTA datur, quoties nulli ſociorum jure communi jus perfectum eſt. (§. CCXXXI.) Quum vero ita res ex alterius benevolentia pluribus fiat communis: conſequens eſt, 12. ut nunc in hujus arbitrio ſit, aequales partes facere, an 13. pro qualitate meriti uni plus, alteri minus tribuere malit (*), injuſtiſſimaque proinde 14. ſit querela ejus, qui alterum minoris meriti hominem ſibi aequiparatum eſſe, clamat, *Matth. XX*, 12. vel 15. qui ipſe ſibi de ſuis meritis judicium temere adrogat, vel 16. beneficia, uni vel alteri conceſſa, ad exemplum trahenda, exiſtimat.

(*) Et haec eſt illa *iuſtitia diſtributiva* vel διανεμητικὴ, comes earum virtutum, quae aliis hominibus utilitatem adferunt, ut liberalitatis, miſericordiae, providentiae rectricis. Grot. *de iure belli & pac.* I. 1. 8. 1. qui & hanc iuſtitiam non ſemper obſervare proportionem comparatam, quam geometricam vocant, adeoque hanc Ariſtotelis doctrinam eſſe ex eorum genere, quae ſaepe locum habent, non ſemper, recte obſervat *n.* 2. Nec Grotii ſententiam evertit Puſend. *de iure nat. & gent.* I.79. quippe qui loquitur de diſtributione eorum, quae pluribus bene merentibus iure perfecto, veluti ex pacto vel promiſſo, debentur. Tunc verum omnino eſt, quod ſcribit Arrian. *Epict.* III. 17. *Νόμος οὗτος φυσικὸς, τὸν κρείττονα τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν, ἐν ᾧ κρείττων ἐστί. Ea naturae lex eſt, meliorem in eo, quo ſit melior, meliore conditione eſſe illo, qui ſit deterior.* At in iis, quae ex ſola benevolentia proficiſcuntur, vix haec naturae lex urgeri poteſt: nec de iniuria conqueri poterant veterani, quos idem Hadrianus ſe invicem in balneo detricare iuſſerat, qui aliquot diebus ante, unum ex illis, membra marmoribus atterentem, ſervis & ſumtibus donaverat, Spartian. *Hadr. Cap.* XVII. quia beneficia non ſunt ad exemplum trahenda.

Quid ceſſio rei communis?

§. CCLXXIII. Si res communis uni ſociorum a reliquis tota attribuitur, ea vocatur CESSIO. Quare, quum ita unus in reliquorum omnium locum ſuccedat: conſequens eſt, 17. ut & in eorumdem jura circa eam rem, nec non 18. in onera & incommoda, cum illa conjuncta, ſuccedat. (§. CCLXXII.) Quin ex eodem recte intulerunt jureconſulti Romani, 19. eaſdem omnino exceptiones opponi poſſe ceſſionario, quibus adverſus cedentem locus fuiſſet futurus. *l.* 5. *C. de hered. vel act. vend.*

Obligatio ſociorum ad evictionem ſocio praeſtandum.

§. CCLXXIV. Quum denique, ſive *dividatur* res communis, ſive uni ſociorum tota *cedatur*, id videatur agi, ut ii, qui rem per diviſionem vel ceſſionem accipiunt, ejus dominium, adeoque facultatem, alios rei iſtius uſu excludendi, conſequantur: (§. CCXXXI.) per ſe patet, 20. utroque caſu ſocios efficere debere, ut ei, in quem res translata eſt, illam habere liceat, adeoque 21. illos huic ad praeſtandam evictionem; &, 22. ſi ab alio jure & ſine culpa poſſeſſoris evicta ſit, ad omne damnum reſarciendum obſtrictos eſſe, 23. dummodo ſuas portiones ſalvas habeant, & 24. alteri res titulo oneroſo obvenerit (*).

(*) Ita doctrina de EVICTIONIBUS, quae & in traditionibus locum invenit, ex ipſa aequitate naturali fluit, quamvis ei multa, non tam de novo adſtruxerit, quam

Digitized by Google

quam illuſtrationis cauſſa addiderit ius civile, quae ad eius formam, & effectum pertinent, e. g. dum requirit, ut quis ſuo nomine rem in alterum tranſtulerit, ut poſſeſſor litem auctori in tempore denunciarit, ut res ex cauſſa contractum antecedente, & quidem non vi maiore, ſed iure, evicta ſit, cetera. Haec omnia enim ex iiſdem, quae praemiſimus, principiis prono alveo fluere, nemo non intelligit.

Traditio quid? & an ad transferendum dominium neceſſaria?

§. CCLXXV. Progredimur ad TRADITIONEM, qua dominus, qui jus & animum alienandi habet, dominium in alium, illud ex juſta cauſſa accipientem, transfert. *Dominium*, dico. Quamvis enim jus Romanorum ipſam rem, ejuſque poſſeſſionem, transferri jubeat, nec prius ullum fere jus in illa re naſci patiatur: *l.* 20. *C. de pact.* vix tamen probabile eſt, hanc ſubtilitatem probare jus naturae & gentium (*), uti recte obſervant Grot. *de jure belli & pac. II*, 6. 1. 2. *II*, 8. 25. & Puſendorff. *de jure nat. & gent. IV*, 9. 6. quum, ipſis fatentibus jureconſultis, *nihil tam conveniens ſit naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi.* §. 40. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 9 *D. de adqu. rer. dom.* Ex quo colligimus, 25. omnem voluntatem domini de dominio rei ſuae in alterum transferendo, ſive expreſſe declaratam, ſive ex certis ſignis elicitam, pro traditione eſſe, dominiumque in alterum valide transferre.

(*) Immo ne ipſi quidem Romani id olim promiſcue exegiſſe videntur. Traditio enim erat tantum rerum nec mancipi, Ulpian. *Tit.* XIX. 7. veluti praediorum provincialium. Simplic. *inter rei agrar. ſcript. p.* 76. Res mancipi plene alienabantur per aes & libram, ita, ut facto nexu & mancipio illico tranſiret dominium. Varro *de lingua Lat.* IV. Ex eo ergo tempore demum inter Romanos hoc ius invaluit, ut dominium ſine traditione, vel poſſeſſionis datione non tranſiret, ex quo rerum mancipi & nec mancipi, dominiique Quiritarii & bonitarii diſcrimen ſuſtulit Juſtinianus, *l. un. C. de nudo iure Quirit. toll.* & *l. un. C. de uſucap. transform.*

Quomodo fiat?

§. CCLXXVI. Quum ergo omnis voluntas domini de dominio rei ſuae in alterum transferendo pro traditione ſit, dominiumque in alterum valide transferat: (§. CCLXXV, 25.) conſequens eſt, ut 26. perinde ſit, ſive quis abſens rem verbis litteriſve intervenientibus, ſive 27. praeſens de manu in manum, ſive 28. per inductionem in rem, ſive 29. per longam brevemque manum, ſive 30. adhibito certo ſymbolo, inter homines alicujus provinciae recepto, (§. CCXLII, 21.) tradat. (*) 31. Ut nihil obſtet, quo minus & jus ſive traditione, ſive quaſi traditione in alium transferri poſſit.

(*) Equidem traditio illa ſymbolica ne ipſis quidem Romanis erat ignota, ceu patet ex *l.* 1. §. *pen. D. de adqu. poſſ. l.* 9. § 6. *D. de adqu. rer. dom. l.* 74. *D. de contr. emt.* At multo acutiores hac in re fuerunt Germanicae originis gentes, quae in traditionibus & inveſtituris res fere quaſcumque pro arbitrio, at praecipue tamen feſtucam, baculum, culmum, caeſpitem, arbuſculam, chirothecam, & ſimiles res adhibebant. Vid. *Elem.* noſtra *iur. Germ. II.* 3. 74. *ſequ.* Quo & SCOTATIO Danica pertinet, *c.* 2. *X. de conſuet.* de qua ex inſtituto Strauch. *Amoenit. iur. can. ecl. V.* & *Gundlingiana Part.* VII. *diſſ.* IV.

Quis per eam transferre poſſit dominium?

§. CCLXXVII. Quum vero dominus tantum tradere poſſit, qui jus alienandi habet: (§. CCLXXV.) conſequens eſt, 32. ut nullus futurus ſit effectus traditionis, ab eo factae, qui vel propter legem, vel ob conventionem, vel aliam quamcumque cauſſam, alienare nequit, 33. multoque minus valitura ſit traditio, a non domino facta, quum, quod quiſque jus non habet, illud in alium transferre nequeat (*). 34. Ut contra perinde ſit, ſive ipſe dominus rem tradat, ſive ejus voluntate, mandato vel adprobatione alius.

(*) Attamen huiuſmodi traditio alteri ignoranti facta, hunc facit bonae fidei poſſeſſorem, donec verus dominus ſuperveniens rem ſuam vindicet. Hunc vero, quid circa rem reſtituendam obſervare, quos fructus retinere, quoſve reſtituere oporteat: multis repertis regulis, oſtendere conantur Grot. *de iure belli & pac.* II. 10. Puſendorf. *de iur. nat. & gent.* IV. 13. 6. *ſequ.* Nos infra ſuo loco ea de re agemus ex inſtituto, (§. CCCXII. ſequ.) & omnia redire oſtendemus ad duas regulas: I. Bonae fidei poſſeſſorem tantiſper, dum de vero domino non conſtat, loco domini eſſe, ac proinde iiſdem iuribus uti, quibus dominus uteretur. II. Supervenienti domino eundem rem exſtantem una cum fructibus exſtantibus, &, ſi res non exſtet, tantum, in quantum factus ſit locupletior, reſtituere teneri.

Traditione non ex omni cauſſa transfertur dominium. §. CCLXXVIII. Quumque ex juſta cauſſa fieri alienationem oporteat: (§. CCLXXV.) ipſa res unumquemque monebit, 35. intelligi cauſſam, quae ad transferendum dominium ſufficiat, adeoque 36. non tranſire dominium, ſi cui res ex commodato, depoſito, locato tradatur, multo minus 37. ſi tradatur precario, vel ex alio titulo, pro tradentis arbitrio revocabili. 38. Imo ne quamlibet quidem juſtam cauſſam ſufficere, ſi is, cui res traditur, alteri ex pacto non ſatisfecerit (*).

(*) Ubi enim ita fit alienatio, ut alter aliquid praeſtet: ibi *conditionalis* eſt alienatio. Quae quum tranſlationem dominii ſuſpendat: (§. CCLXVII.) conſequens eſt, ut, altero non praeſtante id, quod promiſit, non transferatur dominium, adeoque invalida ſit traditio. Hinc Romani venditas res traditaſque non aliter emtori adquiri ſtatuebant, quam ſoluto pretio, vel ſatisfactione alio modo praeſtita. §. 41. *Inſt. de rer. diviſ.* Hinc illa Varronis *de re ruſt.* II. 2. *Grex venditus dominum non mutat, niſi ſit aes adnumeratum.* Quinctiliani *Decl.* CCCXXXVI. *Quo iure vindicare potes eam rem, cuius pretium non dediſti?* Tertull. *de poenitentia Cap. VI. Ineptum eſt, pretium non exhibere: ad mercem manum emittere.*

Nec ſemper quis eo animo & conſilio rem tradit. §. CCLXXIX. Praeterea traditurum rem ſuam, id animo alienandi transferendique dominii facere debere, diximus. (§. CCLXXV.) Ex quo patet, 39. nullam eſſe traditionem, ab infantibus, furioſis, mente captis; ſimilibuſque perſonis, quae, quid rei geratur, non intelligere praeſumuntur, factam: nec 40. per eam tranſire dominium, ſi dominus commodandi, deponendi, oppignorandi ſimilive conſilio rem alicui dederit: quin 41. poſſe ſibi unumquemque in re ſua jus aliquod, quod non transferatur, excipere ac reſervare, eoque caſu 42. tantum tranſmitti, quantum is, qui alienat, tranſmittere voluit.

Origo dominii minus pleni. §. CCLXXX. Ex quo facile intelligitur, 43. unde natum ſit DOMINIUM MINUS PLENUM. Quum enim per illud nihil aliud intelligamus, quam dominium, cujus effectus inter duos dominos inaequaliter diviſi ſunt: admodum probabile eſt, illius originem repetendam eſſe a traditione cum exceptione, vel reſervatione partis cujuſdam dominii facta. Quo facto, 44. binos dominos ejuſdem rei eſſe oportet, quorum alteri 45. jus adquiritur, utilitatem omnem ex re percipiendi, alioſque fructuum utilitatumque uſu & perceptione excludendi; alteri 46. facultas vel circa diſpoſitionem de illa re concurrendi, vel aliquid exigendi, ex quo de agnitione dominii conſtet, naſcitur (*).

(*) Poſterius *dominii minus pleni* genus iureconſulti medii aevi vocarunt DIRECTUM, prius UTILE: minus eleganter quidem, ſed vocabulis iam ſemel in ſchola ac foro receptis. Unde iis repudium dare intempeſtivum videretur. Poſſes tamen alterum dominum SUPERIOREM vel MAJOREM, alterum INFERIOREM vel MINOREM vocare, exemplo Romanorum, qui patrem familias *herum maiorem*; filiosfamilias *heros minores* adpellabant. Plaut. *Capt.* III. 5. *v.* 50. *Trinum.* II. 2. 53. *Aſinar.* II. 2. 66.

§. CCLXXXI.

Digitized by Google

§. CCLXXXI. Quum ita comparatum ſit dominium utile, ut major dominus ſibi facultatem aliquam, vel circa diſpoſitionem concurrendi, vel aliquid, ex quo de agnitione dominii conſtet, exigendi, reſervet: (§. CCLXXX. 46.) conſequens eſt, 47. ut, quamvis innumera eſſe poſſint dominii minus pleni genera, & 48. res hic praecipue redeat ad conventionem partium: tamen 49. ſi quis ſibi a poſſeſſore rei traditae ſtipuletur fidelitatem, & ſervitia, & ne res ſine ſuo conſenſu alienetur, inde naſcatur FEUDUM; 50. ſi canonem annuum, in agnitionem dominii ſolvendum, JUS EMPHYTEUTICUM (*); ſi denique 51. ſolarium, pro ſuperficie in ſolo, nobis reſervato, praeſtandum, JUS SUPERFICIEI; quae praecipua & apud pleraſque gentes notiſſima ſunt dominii utilis genera. Ejus variae ſpecies.

(*) JURIS EMPHYTEUTICARII exemplum *Geneſ.* XLVII. 26. *ſequ.* reperit Joſephus *Antiqu. Jud.* II. 7. quamvis agros Aegyptiorum cenſuales potius facto eſſe, exiſtimet Hert. *ad Puſend. ius nat. & gent.* IV. 8. 3. Sed ſi in eo ponit deſcrimen agrorum emphyteuticorum & cenſiticorum, quod in illis poſſeſſori utile; in his plenum dominium competat: luculenter ſane probari poteſt, dominii partem competiiſſe Pharaonibus. Eo enim pertinent verba Joſephi patriarchiae *Gen.* XLVII. 23. *Vos hodie agroſque veſtros Pharaoni emi*. JURIS SUPERFICIARII exemplum illuſtre atque inſigne eſt apud Juſtin. *hiſt.* XVIII. 5. De FEUDORUM origine certant viri docti, & adhuc ſub iudice lis eſt, quamvis commune Europaeis fere omnibus factum ſit hoc inſtitutum. Ceterum multa alia eſſe apud originis, Germ. gentes dominii minus pleni genera oſtendimus in *Elem. iur. Germ.* II. 2. 33. *ſequ.*

§. CCLXXXII. Si 52. non res ipſa ejuſve dominium, ſed uſus aliquis, traditur, ei, qui hunc accipit, in re aliena adquiritur SERVITUS, & quidem 53. ſi is uſus ad utentis perſonam vitamque reſtringitur, PERSONALIS, ſin 54. ipſi utentis praedio, adeoque & omnibus in illo ſucceſſoribus, ejus conceditur, REALIS vel PRAEDIALIS. Quum ergo omnibus his caſibus tantum juris transferatur, quantum transferri is, qui alienavit, voluit: (§. CCLXXIX, 42.) ſequitur, 55. ut & hic res redeat ad conventionem partium, adeoque 56. juris mere poſitivi ſint tantum non omnia, quae juris auctores de ſervitutibus ſatis ſubtiliter conſtituerunt (*). Quid ſervitus, quidque circa eam juſtum?

(*) Quo pertinent doctrinae notiſſimae, quod ſervitus conſiſtat in patiendo vel non faciendo, non in faciendo: quod ſit individua, quod cauſſam eius eſſe oporteat perpetuam, quod, quia utendum fruendum ſit ſalva rei ſubſtantia, uſusfructus ne in area quidem ſubſiſtat: quod inſigne ſit diſcrimen inter uſumfructum, uſum, habitationem, operas ſervorum, quod quaedam huiuſmodi iura non uſu & capitis deminutione amittantur, quaedam non amittantur. Omnia enim haec ita comparata ſunt, ut nec recta ratio ea abſciſſe exigat, nec quidquam obſtet, quo minus pactis & conventionibus mutari aliterque definiri poſſint.

§. CCLXXXIII. Aliquando res ita traditur a domino creditori, ut ſalvum quidem tradenti ſit dominium, creditor tamen rem in ſecuritatem crediti poſſideat: tunc 57. conſtitui dicitur JUS PIGNORIS, vel 58. ſi id ea fiat lege, ut creditor ſimul utilitatem ex pignore fructuoſo percipiat in vicem uſurarum, JUS ANTICHRETICUM. Denique 59. ſi creditori jus pignoris in re quadam ſine traditione conſtituitur: id HYPOTHECAM vocamus. Quemadmodum ergo 60. prioribus caſibus creditori fas eſt, rem oppignoratam, non ſoluto debito, non modo retinere, verum etiam 61. diſtrahere, & ex pretio, quae ſibi debentur, deducere: ita 62. poſteriore eidem in hypotheca poſſeſſionem in ſecuritatem crediti perſequi, & illam Quid jus pignoris & hypothecae, quidque circa utrumque juſtum ſit?

 tunc

Digitized by Google

tunc itidem, uſque dum nomen expungatur, retinere, vel diſtrahere licet.

Quomodo traditione dominium tranſeat in accipientem.

§. CCLXXXIV. Denique traditione rei dominium transferri diximus in accipientem. (§. CCLXXV.) ACCIPERE vero aliquid videmur vel VERE, quoties conſenſum noſtrum, quod rem traditam noſtram fieri velimus, vel verbis, vel factis teſtamur, vel ex PRAESUMPTIONE, quoties ex ipſa rei indole non poteſt non judicari, alterum rem, quam quis traditurus eſt, non adſpernaturum. Similiter & TRADI res poteſt, voluntate transferendi vel expreſſe declarata, vel ex certis ſignis elicita. (§. CCLXXV, 25.) Quale certiſſimum ſignum in primis ſuggerit finis & intentio ejus, qui quid adquiſivit, adquiſitumque tanta cura ſervavit ac tuitus eſt (*).

(*) Adquirentium vero ſuaque magna cura adminiſtrantium hominum finis atque intentio ſemper eſt, non modo ne ſibi quid deſit, ſed & ut ſuis bene ſit, maxime ſe mortuis, & nulla re amplius indigentibus. Unde Euripides *in Medea v. 1089.*

Ὅσοι δὲ τέκνων ἐστὶν ἐν οἴκοις
Γλυκερὸν βλάστημ', ἐσορῶ μελέτη
Κατατρυχομένους τὸν ἅπαντα χρόνον.
Πρῶτον μέν, ὅπως θρέψουσι καλῶς.
Βίοτόν θ' ὁπόθεν λείψουσι τέκνοις.
Sed quibus in aedibus eſt liberorum
Dulce germen, eos video curis
Confici omni tempore,
Primum quidem, quo pacto bene ipſos educent.
Et unde VICTUM *relinquant liberis.*

Et *in Iphigen. in Aulide v. 917.*

Δεινὸν τὸ τίκτειν, καὶ φέρει φίλτρον μέγα,
Πᾶσίν τε κοινόν, ὥσθ' ὑπερκάμνειν τέκνων.
Res eſt vehemens parere, & adfert ingens deſiderium:
Communeque omnibus eſt, ut LABORENT PRO LIBERIS.

Si liberi deſint, reliquis cognatis, neceſſariis ac amicis nos magis conſultum velle, quam extraneis, ipſa experientia ſatis ſuperque docet.

Tranſitio ad ſucceſſionem ex teſtamento & ab inteſtato.

§. CCLXXXV. Quum itaque cuivis, rerum ſuarum domino, liceat, eaſdem in alios transferre, (§. CCLXXV.) eaque translatio fieri poſſit quibuſcumque conditionibus: (§. CCLVII.) conſequens eſt, 63. ut fieri etiam poſſit ea lege, ut alter quidem dominium, at poſſeſſionem uſumque demum poſt tradentis mortem conſequatur. Quae quidem voluntas, quum & vere declarari, & ex fine adquirentis, tamquam ſigno certiſſimo, elici poſſit, neutro vero caſu vera & expreſſa alterius acceptione opus ſit: (§. CCLXXXIV.) 64. priore caſu illa TESTAMENTI vel ULTIMAE VOLUNTATIS nomine venit; 65. poſteriore SUCCESSIONIS AB INTESTATO genuinum ac ſolidiſſimum fundamentum eſt. De utraque jam ex inſtituto erit agendum.

CAPUT XI.

DE DERIVATIVIS ADQUISITIONIBUS PER SUCCESSIONEM EX DISPOSITIONE DEFUNCTI, ET AB INTESTATO.

§. CCLXXXVI.

Quid jureconſultis teſtamentum?

TESTAMENTUM ex conceptu jureconſultorum eſt ſolemnis declaratio voluntatis de univerſa hereditate, omnique jure, quod teſtator tempore mortis habiturus eſt, poſt ejus mortem in alium tranſituro. Ideoque vivo teſtatore nihil juris in heredem tranſit, immo ne ſpes quidem tam certa, ut ea decollari non poſſit: ſed teſtatori, dum anima eſt, prius conſilium damnare, reſciſſiſque ac ruptis prioribus tabulis, vel novas facere, vel inteſtato decedere licet (*).

(*) Hinc

(*) Hinc notiſſima iuris axiomata: voluntatem hominis eſſe ambulatoriam uſque ad mortem: ultimas tantum ceras ratas eſſe debere, quae morte firmantur, vel, uti Quinctil. *Decl.* CCCVIII. loquitur, *illud tantum valere teſtamentum, poſt quod nullum teſtamentum ſit*: ac proinde neminem paganum cum duobus teſtamentis decedere poſſe, & quae ſunt eius generis alia, *l. 4. D. de alim. leg. l. 32. § 2. D. de donat. int. vir. & ux.* Quin eo uſque porrigitur haec teſtamentum mutandi licentia, ut illam nec clauſula derogatoria, nec adiecto prioribus tabulis iureiurando, ſibi adimere poſſe teſtatorem, contendat. *l. ult. D. de leg.* 2. Grot. *de jure belli & pac.* II. 13. 19. Leyſer. *Medit. ad Pand. ſpec.* XLII. *n.* VI. & VII.

Tale non eſſe iuris naturae, probatur argumento primo.

§. CCLXXXVII. Enimvero hujuſmodi teſtamentum non eſſe juris naturae, facile unuſquiſque intelligit. Quamvis enim ſollemnitates actui tam ſerio, torque expoſito hominum fraudibus, adhiberi, facile patiatur recta ratio: contradictionem tamen implicare videtur, hominem aliquid velle in illud tempus, quo velle non poſſit, & dominium rerum ſuarum tum demum in alium translatum cupere, quando ipſe non amplius earum ſit dominus. Quod ſane tam a recta ratione alienum eſt, ut ipſi Romani non niſi meris fictionibus (*) tantam contradictionem tolli poſſe, faterentur.

(*) Quum enim nec teſtator, de rebus ſuis diſponens, aliquid cum herede agat, nec heredi, quando adquirit, cum teſtatore quidquam ſit negotii, adeoque neutro caſu ius aliquod ab illo ad hunc tranſire poſſit: plura fingenda fuerunt a iureconſultis, in fingendo ingenioſiſſimis, ut ἀσύστατα haec conſiſtere quodammodo viderentur. Hinc fingebant, idem eſſe momentum teſtamentifactionis cum momento mortis: idem quoque eſſe momentum mortis cum momento aditionis, quippe quod per fictionem ad momentum illud mortis retrotrahebant, *l. 1. C. de ſacroſ. eccl. l. 54. D. de adqu. vel amitt. hered. l. 193. D. de reg. iur.* Porro hereditatem iacentem non eſſe nullius, ſed defuncti perſonam repraeſentare, §. 2. *Inſt. de hered. inſt. l. 31. §. ult. D. eod. l. 34. D. de adqu. rer. dom.* Ant. Dadin. Alteſerra *de fict. jur. tract. IV. Cap. II. p.* 143. illuſtr. Jo. Gotofr. a Coccei. *de teſtam. princ. Part. I. §. XXIV. ſequ.*

Itemque ſecundo.

§. CCLXXXVIII. Accedit, quod vix excogitari poſſit ratio, cur ſuperſtites mortuorum voluntatem pro lege habere teneantur, maxime, quum horum, quaecumque eorum ſit conditio, vix intereſſe poſſit Dio an Theon eorum bonis fruatur. (*) immo ſaepe ex odio atque invidia magis, quam ex vero amore, proficiſcantur ſuprema illa morientium judicia, ut mortuorum ſaltim his caſibus magis intereſſe videatur, exitum non habere voluntates ſuas, quam illas a ſuperſtitibus religioſe ſervari. Vid. Diſſ. noſtr. *de teſtamentifact. jure Germ. arct. lim. circumſcr. §. V.*

(*) Hinc eleganter Seneca *de Benef. IV.* 11. *Non quidquam cura ſanctiore componimus, quam* QUOD AD NOS NON PERTINET. Quemadmodum enim graviſſimus hic auctor ſuprema illa hominum iudicia ad homines pertinere negat, ita eodem ſenſu Quinctil. *Decl. CCCVIII.* illa vocat *voluntatem ultra mortem*. Quum ergo iura ne vivum quidem alteri quidquam ſtipulari patiantur, niſi ſtipulantis interſit: §. 4. *Inſt. de inutil. ſtip.* qui, quaeſo, fieri potuit, ut iidem Romanorum iureconſulti ratas eſſe vellent voluntates mortuorum de bonis tertio alicui concedendis, quum mortuorum non intereſſet? Immortales equidem eſſe hominum mentes, quod urgere animadvertimus celeberrimum G. G. Leibnit. *nov. method. juriſpr. p.* 56.) facile largimur, ſed inde non ſequitur, ut mentes, corporum vinculis exſolutae, rerum olim ſuarum dominium retineant, multo minus, ut ulla rerum illarum cura tangantur:

Id cinerem & Manes credis curare ſepultos?

Virgil. *Aeneid. IV. v.* 92.

Quod & de reliquarum gentium te-

§. CCLXXXIX. Quum ergo jus naturae vix probet teſtamenti factionem, qualem adhuc ex principiis juris Romani deſcripſimus, i. e. ut eam ele-

ſtamentis dicendum.

eleganter definit Ulpianus *Tit. XX*, 1. *mentis noſtrae juſtam conteſtationem, in id ſollemniter factam, ut poſt mortem noſtram valeat:* (§.CCLXXXVI. ſequ.) conſequens eſt, 1. ut & ſimiles aliarum gentium mores non magis probet, adeoque 2. & Graecorum, barbarorumque teſtamenta ejuſdem generis non magis ſint juris naturae ac gentium, quam illa Romanorum; (*) ac proinde 3. nulla paene gens magis ſimplicitati juris naturalis adcommodarit mores ſuos, quam Germani, *apud quos heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi, & NULLUM TESTAMENTUM*, Tacit. *de mor. Germ. Cap. XX.*

(*) Similem enim teſtamentifactionem, quae in voluntate unilaterali conſiſtit, & qua de eo, quod poſt mortem demum fieri debeat, diſponitur, etiam apud Athenienſes deprehedimus a temporibus Solonis: Plutarch. *in Solone p.* 90. apud Lacedaemonios a temporibus Epitadei ephori: Plutarch. *in Aegid. & Cleom. p.* 797. & apud alios Graecos, quos hac in re unum idemque omnes ſtatuere, tradit Iſocrat. *in Aeginet. p.* 778. Exſtant & teſtamenta ſimilia Aegyptiorum, veluti Ptolemaei, Regis, apud Caeſarem *de bello civ.* III. 20. Hirt. *de bello Alex. Cap. V.* Attali, Regis Pergamenorum, de quo Flor. *Hiſt. II.* 20. Hieronis Siculi, de quo Liu. XXIV. 4. denique ipſorum Hebraeorum, de quorum teſtamentifactione videndus Selden. *de ſucceſſ. ad leg. Hebr. Cap. XXIV.* Sed eam non eſſe antiquam, verum magiſtrorum interpretamentis originem debere, cum aliis argumentis, tum & eo potiſſimum probari poteſt, quod ne vocabum quidem, quo teſtamentum deſignarent, in ſua lingua repererint, ac proinde illud Graece adpellare coacti ſint דייתיקי, id eſt, *διαθήκην*. Vid. Diſſ. noſt. *de teſtamentif. jure Germ. arct. lim. circumſcr.* §. *VI.*

Nec non de teſtamento, quod Grotius commentus eſt.

§. CCXC. Quae quum ita ſint, aliam plane TESTAMENTI definitionem commentus eſt Grotius *de jure belli & pac. II*, 6, §. *ult.* illudque eſſe ait *alienationem in mortis eventum, ante eam revocabilem, retento interim jure poſſidendi ac fruendi*. Sed uti ea definitio non quadrat illi rei, quam vulgo teſtamentum adpellamus, ſed multis modis falſa eſt: Ziegl. *ad Grot. II, 6. fin.* Puſend. *de iure nat. & gent. IV*, 10. 2. Illuſtr. Jo. Gottfr. de Coccei. *ibid.* §. *IV. ſeq.* ita non ſequitur, 4. ut ideo juris naturae ſit teſtamentifactio, quia illud jus non improbet alienationem in mortis eventum, ante eam revocabilem, cum retentione poſſeſſionis & uſusfructus conjunctam.

Qualis diſpoſitio de hereditate iure naturae licita?

§. CCXCI. Attamen quum argumenta, quae adhuc explicavimus omnia teſtamentifactionem quidem Romanam penitus evertant, at non proinde obſtent diſpoſitionibus omnibus de futura ſucceſſione: (§. CCLXVIII. *) merito jam quaeritur, quaenam illae ſint, quae jure naturae adprobentur? Reſponſum cape. Non aliae, quam pacta, quibus vel homines morientes ipſam poſſeſſionem cum dominio rerum ſuarum in alios transferunt, vel ſani illis jus ſuccedendi in caſum mortis attribuunt. Quum enim, quod noſtrum eſt, non modo in praeſens, ſed & in futurum alienare liceat: (§. CCLXVIII.) 5. licebit etiam de ſubſtantia noſtra, ſive in praeſens, ſive in futurum mortis eventum, in alterum transferenda paciſci (*).

(*) Et hinc antiquiſſimi mortalium vix aliter de bonis ſuis, quam hoc modo, diſponebant. Sic Abraamus, liberis deſtitutus, bona ſua deſtinaverat Eleaſari, procuratorio ſuo, *Geneſ.* XV. 3. procul dubio per mortis cauſſa donationem, ſeu pactum aliud ſucceſſorium. Idem deinde, mortua Sara uxore, ſuſceptis e Kethura liberis, partem bonorum ſuorum vivus & ſanus per donationem inter vivos contulit, reliqua omnia Iſaaco dedit. *Gen.* XXV. 5. 6. Sed & Cyrum, morientem, praeſenti Cambyſi, filio natu maiori, regnum, alteri natu minori, Tanaoxari, Medorum armeniorum & Caduſiorum ſatrapias tradidiſſe, refert Xenoph. *Cyrop.* VIII.

Digitized by Google

VIII. 7. 3. Diviſionis & donationis, inter liberos a parentibus, imminente morte factae, mentionem fieri videmus *Gen.* XLVIII. 22. *Deut.* XXI. 16. 17. 1. *Reg.* I. 35. *Syrac.* XXXIII. 24. & apud Francos huc pertinent exempla apud Marculf. *Form.* I. 12. II. 7.

§. CCXCII. Quum ergo cuilibet liceat de ſubſtantia ſua in alium ſive in praeſens, ſive in futurum mortis eventum transferenda paciſci: (§. CCXCI, 5.) conſequens eſt, 6. ut nihil cauſſae ſit, cur iuri naturae refragari exiſtimemus pacta ſucceſſoria (*). 7. Ut potius illa jure optimo maximo valere debeant, ſive reciproca ſint, ſive ex uno tantum latere obligatoria: itemque 8. ſive adquiſitiva, ſive conſervativa, ſive renunciativa: nam 9. diſpoſitiva paciſcentes quidem, non vero eum, cujus de hereditate diſponitur, obſtringere, vel ex eo patet, quod hic nihil de ſuo pactus eſt. (§. CCLXXXI, 5.) **Pacta ſucceſſoria quae valeant?**

(*) Illa equidem non probat ius Romanum, ſed bonis moribus adverſari, plenaque triſtiſſimi eventus eſſe, clamat. *l. ult. C. de pact.* ſed ratio de voto captandae mortis non in haec pacta magis cadit, quam in mortis cauſſa donationes, quas tamen Romani iure valere patiuntur. Neque triſtiſſimus ille, quem Roma aliquando vidit, eventus argumento eſt, bonis moribus repugnare haec pacta ſucceſſoria, quum nec teſtamentum, nec ullum aliud inſtitutum humanum ita comparatum ſit, ut abuti illo non poſſint homines improbi.

§. CCXCIII. Praeterea quum traditionum ea ſit indoles, ut unuſquiſque ſibi in re ſua jus aliquod, quod non transferatur, excipere ac reſervare poſſit, adeoque eo caſu tantum tranſmittatur, quantum is, qui alienat, tranſmittere voluit: (§. CCLXXIX, 41. ſequ.) ſequitur, 10. ut in arbitrio domini ſit, poſſeſſionemne ſimul in heredem pactitium transferre velit, an jus tantum, hereditatem ſe mortuo occupandi, itemque, 11. utrum jus irrevocabile, an revocabile dare malit, (*) denique 12. pure, ſub conditione, an in diem, 13. ex aſſe, an pro parte, alterum ſibi heredem dicere malit: ut adeo 14. non ſit *naturalis pugna* cauſſae teſtati & inteſtati, uti ſibi perſuaſit Pomponius *l. 7. D. de reg. jur.* **Quomodo quis de hereditate diſponere poſſit?**

(*) Sic ius irrevocabile in filios e Kethura tranſtulerat Abrahamus, *Gen. XXV.* 6. revocabile contra in Piraeum Telemachus apud Homerum *Odyſſ.* P. v. 77.

Πείραι' ὐ γάρ τ' ἴδμεν, ὅπως ἔσαι τάδ' ἔργα,
Ε'ικεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι,
Λάθρῃ κτείναντες πατρώια πάντα δάσονται.
Α'υτὸν ἔχοντά σε βύλομ', ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε.
Ε'ι δὲ κ' ἐγὼ τύτοισι φόνον, καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Piraee, incertus quoniam rerum exitus harum eſt,
Si tacite incautum ſtolidi me forte necare
Morte proci poterunt, & opes vexare paternas:
Haec ego te malo, quam eorum quempiam, habere.
Sin ego eos iuſta meritos adfecero clade:
Tum mihi tu laeto reddes illa omnia laetus.

§. CCXCIV. Quum praeterea aliquid *accipi* poſſit non modo *vere*, ſed & *ex praeſumtione*, quoties ex ipſa rei indole non poteſt non judicari, alterum rem, quam quis traditurus eſt, non adſpernaturum: (§. CCLXXXIV.) conſequens eſt, 15. ut jure naturae perinde ſit, praeſens quis conſenſum declaret, an ob abſentiam rem accipere verbis nequeat, quum regulariter vix verendum ſit, ne moleſta alteri futura ſit illa liberalitas (*), maxime ſi lucroſam eſſe conſtet hereditatem, illi deſtinatam, illi deſtinatam. 16. Ut tamen inter utrumque caſum id interſit, quod priore validum & irrevoca- **An heres accipere teneatur deſtinatam ſibi hereditatem.**

vocabile jus nanciſcatur heres, niſi facultatem revocandi dominus diſerte ſibi reſervarit: 17. poſteriori ante ſequutam acceptionem ſemper ſit revocandi licentia; itemque, 18. quod qui conſenſum declaravit heres, acceptam ſemel hereditatem repudiare nequeat, 19. is, cujus conſenſus praeſumitur, eam ſibi delatam ſuo arbitrio vel adire vel repudiare poſſit.

(*) Totam hanc doctrinam mirifice illuſtravit per illuſtris academiae noſtrae cancellarius, Muſarumque mearum amantiſſimus collega, Jo. Petrus a Ludewig, diſſertatione erudite ſcripta, *de differentiis iuris Romani & Germanici in donationibus, & barbari adnexus, acceptatione. Hal. MDCCXXI.* ubi nec naturam atque indolem donationis, nec ius Juſtinianeum, nec canonicum, nec Germanicum illam acceptationem verbis aliisque ſignis factam requirere, non ſine magno rerum inſignium adparatu demonſtravit, omniaque, quae obverti poterant, argumenta ſolide profligavit, ut mirum non ſit, quosdam levioris armaturae milites vellicare hoc vallum, quam iuſta oppugnatione evertere, maluiſſe.

Fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato.

§. CCXCV. Si ergo vere velle poteſt rerum ſuarum dominus, ut illae, ſe mortuo, in alterum transferantur: (§. CCXCI. ſequ.) nulla ſane ratio ſuadere videtur, ut voluntati ex ejus fine & intentione praeſumtae non tantumdem, ac certis verbis ſignisve expreſſae, tribuatur. (§. CCLXVIII.) Jam ſupra vero oſtendimus, finem atque intentionem aliquid adquirentium, ſuaſque res adminiſtrantium, non eſſe, ut illae, ſe mortuis, quaſi pro derelictis habitae cuivis occupanti cedant: ſed, ut ſuis, quos amat, quorumque felicitate delectatur, proſint. (§. CCLXXXIV.) Ex eo vero merito colligimus, 20. ſucceſſionem eis prae reliquis deberi, quorum in gratiam mortuus bona ſua praecipue adquiſiverit, ſervaritque tanta cura ac ſollicitudine (*).

(*) Quod adeo verum eſt, ut nulla re magis angi ac veluti excruciari ſoleant homines, quam ſi, ſe mortuis, bona ad homines ſibi parum probatos perventura, ſciant, iamque

Stet domo capta cupidus ſuperſtes,
Imminens lethi ſpoliis, & ipſum Conputet ignem.

Ut veriſſimum ſit, quod ex Pindari *Olymp.* X. huc retulit Puſendorff. *de iure nat. & gent.* IV. 11. 1. πλῦτος δ' ἀμχὸν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον θνᾴσκοντι στυγερώτατος. *Divitiae, ſortitae dominum adſcititium alienum, morienti ſunt odioſiſſimae.*

De ea axiomata.

§. CCXCVI. Quia tamen hoc non eſt officium, cum obligatione perfecta conjunctum, adeoque ſpecies potius humanitatis, quae perſonarum ac neceſſitudinum habet rationem, ac proinde cognatis plus, quam extraneis, tribuit: (§. CCXX, 21.) merito ſtatuimus, 21. cognatos extraneos omnes a ſucceſſione excludere, & 22. ex ipſis cognatis remotioribus praeferendos eſſe propiores: 23. horum denique plures ejuſdem lineae ac gradus ſimul ad hereditatem merito vocandos (*).

(*) Quamvis enim non ſemper verum ſit, cognatos cognatis, quam extraneos, eſſe cariores, immo potius fratrum quoque gratia aliquando rarior videatur: tamen, quum ſi eadem fuiſſet defuncti ſententia, nihil illi obſtitiſſet, quo minus de hereditate ſua diſponeret, aliique, quem magis amabat, eam relinqueret, (§. CCXCI. 5.) ille vero ſine eiuſmodi diſpoſitione decedere maluerit: non poteſt non exiſtimari, eum bona ſua non invidiſſe cognatis, quos ipſa veluti naturalis adfectio ad ſucceſſionem vocat. Ceterum proprior aliquis iudicandus eſt non modo *ratione gradus*, verum etiam *ratione lineae*. Adfectionem enim maximam cadere in lineam deſcendentem, &, hac deficiente, in adſcendentem: denique, neutra ſuperſtite, in collateralem, recte obſervavit Ariſtot. *ad Nicomach.* VIII. 12. Hinc nepotes, quamvis ſecundo gradu propriores ſunt parente, proavus, quamvis tertio gradu, proprior fratre, cetera.

§. CCXCVII.

Succeſſio liberorum.

§. CCXCVII. Quum ergo ex ipſis cognatis remotiores excludantur a propioribus, (§. CCXCVI, 22.) vix autem ulli propiores cuiquam exiſtimari poſſint, quam liberi parentibus: 24. hi merito reliquis omnibus in hereditate parentum praeferuntur, & quidem 25. ſine ſexus & 26. aetatis diſcrimine (*) . Quod enim quibuſdam locis maſculi feminis, primogeniti natu minoribus, praeferuntur: illud, quia inter aequales inaequalem diviſionem ponit, ex lege civili, vel pacto, vel alia diſpoſitione, adeoque non ex jure naturae eſſe, facile intelligitur. (§. CCLXXI, 10. ſequ. & *).

(*) Si tamen res in ſe individua ſit: non eſt dubium, quin ea ceteris paribus primogenito ea lege iure relinquatur, ut reliquis fratribus ſororibuſque ſatisfaciat. (§. CCLXX. 5.) Talis res individua quum praecipue ſit imperium vel regnum: in eo inſignis primogenitorum praerogativa eſſe ſolet. Eleganter Cyrus apud Xenoph. *Cyrop.* VIII. 7. 3. *Δεῖ δὲ καὶ τὴν βασιλείαν μὲ ἤδη σαφηνίσαντα καταλιπεῖν, ὡς ἂν μὴ ἀμφίλογος γενομένη πράγματα ὑμῖν παράσχῃ· ἐγὼ δὲ νῦν φιλῶ μὲν ἀμφοτέρους ὑμᾶς ὁμοίως, ὦ παῖδες. τὸ δὲ προβουλεύειν, καὶ προηγεῖσθαι, 'φ' ὅ, τι ἂν καιρὸς δοκῇ εἶναι, τοῦτο προστάττω τῷ προτέρῳ γενομένῳ καὶ πλειόνων κατὰ τὸ εἰκὸς ἐμπείρῳ. Eſt autem mihi declarandum hoc quoque, cui regnum reliquam, ne id, relictum in ambiguo, negotia vobis faceſſat. Complector equidem, filii, pari utrumque veſtrum benevolentia: verum & conſilio providere, & ducis officio fungi, quacumque in re tempus & uſus poſtulet, eum iubeo, qui* NATU MAJOR *eſt, & uſum rerum maiorem de conſentanea quadam ratione habet.* Quamvis ergo par regum in liberos adfectio eſſe poſſit: ipſa tamen regni indoles exigere ſemper viſa eſt, ut filiabus filii, & inter hos maximus natu minoribus, in imperio praeferretur, adeo ut hoc *νομιζόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων, tamquam lege inter omnes homines conſtitutum eſſe*, contendat Herodot. *Lib.* VII. *p.* 442. &, ſi quid contra fiat, id *contra ius gentium* factum eſſe, dixerint veteres. Vid. Juſtin. *Hiſt.* XII. 2. XXIV. 3. Liv. XL. 9.

Patri regulariter ſoli legitimi ſuccedunt, matri & illegitimi.

§. CCXCVIII. Quum ergo liberi reliquis omnibus in hereditate parentum merito praeferantur, (§. CCXCVII, 24.) idque ex praeſumta parentum voluntate colligi poſſe videatur: (§. CCXCV, 20.) conſequens eſt, 27. ut certo etiam conſtare debeat, eſſe aliquem ex liberorum numero. Quod quum ratione patris vix certum eſſe poſſit, niſi ex juſto matrimonio: inde porro colligimus, 28. patri liberos tantum legitimos, etiam poſtumos, non illegitimos, & vulgo quaeſitos; 29. matri omnes promiſcue ſuccedere: quamvis 30. & illegitimis patrem proſpicere poſſe diſpoſitione ſua, nemo temere ſit negaturus.

Nepotes quomodo ſuccedant cum liberis primi gradus?

§. CCXCIX. Praeterea ex eadem voluntate parentum (§. CCXCV, 20.) colligi poſſe videtur, 31. ſucceſſionem deſcendentium non modo ad primi, ſed & ad ulteriorum graduum liberos, porrigi: adeoque 32. nepotes nepteſque non minus, quam filios filiaſque, ad hereditatem admitti, & quidem, 33. non ſolum ſi inter homines eſſe deſierint primi gradus liberi, verum etiam, 34. ſi illi cum his concurrant: ut adeo 35. aequitati naturali quam maxime conſentaneum eſſe videatur jus repraeſentationis, quo liberi ulteriorum graduum locum parentum ſuorum ſubeunt, eorumque portionem accipiunt (*) .

(*) Et hoc eſt fundamentum ſucceſſionis liberorum primi gradus *in capita*; ulteriorum *in ſtirpes*. Hanc vero aequitati naturali quam maxime conſentaneam eſſe, vel inde patet, quod alias, ſi in capita omnes ſuccederent, ſuperſtitum liberorum conditio per fratris vel ſororis mortem deterior, nepotum per parentum mortem melior fieret, adeoque nulla inter eos futura eſſet aequalitas. Nam ſi pater eſſet centenarius, liberoſque haberet quatuor, ſinguli acciperent viginti quinque aureos. Jam finge, unum ex his quatuor liberis, turbato naturae ordine, ante patrem deceſſiſſe, relictis ex ſe nepotibus ſeptem. Tunc ſane, ſi ſinguli

guli ſuccederent in capita, unuſquiſque acciperet decem aureos: atque ita ob mortem fratris tres liberi primi gradus amiſiſſent aureos quadraginta quinque, nepoteſque ſeptem ob praematurum parentis obitum tantumdem lucrati eſſent. Quum vero non poſſit ulla reddi ratio, cur mors fratris ſuperſtitibus fratribus vel ſororibus aliquid ex paterna hereditate deminuere, nepotibuſque ex eo aliquid adiicere debeat: nulla quoque reddi poteſt ratio, cur aequaliter utrique admittendi ſint in capita.

Quomodo ſi ſoli exſtent?

§. CCC. Ex eadem porro regula, quod ex pluribus cognatis propiores praeferendi ſint remotioribus, (§. CCXCVI, 22.) fluit, 36. nepotes etiamſi ſoli ſint, merito tamen praeferendos eſſe & avi parentibus, quamvis gradu propioribus, & ejuſdem fratribus & ſororibus, quamvis gradu paribus. Propiorem enim aliquem judicandum eſſe non tantum ratione gradus, ſed & maxime ratione lineae, jam ſupra obſervavimus. (§.CCXCVI.*). Ceterum 37. nepoteſne aequitas naturalis hoc caſu in capita, an in ſtirpes ad hereditatem avitam vocet ex iis, quae ad ſuperiorem paragraphum in ſcholio notavimus, intellecto non admodum difficile videtur (*).

(*) Nulla enim & hic reddi poteſt ratio, cur ob praematurum parentum exceſſum unius ſtirpis deterior, alterius melior conditio fieri debeat. Quod fieri tamen oporteret, ſi nepotes ſoli ſuperſtites in capita admitterentur. Finge enim centenarium amiſiſſe quatuor filios, at ex primo unum, ex ſecundo binos, ex tertio tres, ex quarto quatuor nepotes ſuperſtites eſſe: ſi filii ſupervixiſſent, ſinguli accepiſſent viginti quinque aureos, tantumdemque quiſque ad filios tranſmiſiſſet. At ſi iam, iis praemortuis, nepotes in capita admitterentur, ſinguli acciperent decem adeoque unus nepos ex primo filio iacturam faceret aureorum quindecim, duo ex ſecundo, quinque: tres porro ex tertio quinque, quarum reliqui ex quarto quindecim lucrarentur. Quod quum abſonum ſit: abſonum quoque eſt, nepotes hoc caſu in capita ſuccedere.

Succeſſio adſcendendum.

§. CCCI. Quum, deficiente linea deſcendentium, proxima ſit altera, in qua adſcendentium vel progenitorum ſeries deſcribitur: (§.CCXCVI, *). merito inde colligimus, 38. his luctuoſam liberorum hereditatem prae aliis deferri, (*) & 39. ita quidem, ut propior gradu excludat remotiores, 40. ejuſdem gradus ſimul admittantur, nec hic 41. jus naturae juſtam ſuggerat rationem, cur inter plures ejuſdem gradus ſecundum lineas partienda ſit liberorum hereditas: ut adeo 42. haec ſimiliaque potius jure civili definienda videantur.

(*) Quod adeo rectae rationi videtur conſentaneum, ut quum lex divina ad ſucceſſionem primum vocet filios, his deficientibus filias, tum fratres, & poſtea patruos: parentum autem nullam habere rationem videatur, *Num. XXVII. 8. ſequ.* Philo autem *de vita Moſis Lib. III. p. 689.* illud ex recta ratione ſupplendum eſſe moneat: Πάνυ γὰρ εὔηθες, ὑπολαβεῖν ὅτι πατρὸς ἀδελφῷ νέμων κλῆρον ἀδελφιδοῦ, διὰ τὴν πρὸς τὸν πατέρα συγγένειαν, αὐτὸν ἀφείλετο τὸν πατέρα τῆς διαδοχῆς. ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ νόμος φύσεώς ἐστι κληρονομεῖσθαι τοὺς γονεῖς ὑπὸ παίδων, ἀλλὰ μὴ τούτους κληρονομεῖν, τὸ μὲν ἀπευκταῖον καὶ παλίμφημον ἠσύχασεν, ἵνα μὴ πατὴρ καὶ μήτηρ προσοδεύεσθαι δοκῶσι τὰ ἐπὶ ὠκυμόροις τέκνοις ἀπαρηγόρητα πένθη, πλαγίως δ' αὐτοὺς ἐκάλεσε τοῖς θείοις ἀφιείς, ἵνα καὶ ἀμφοτέρων στοχάσηται, καὶ τοῦ πρέποντος, καὶ τοῦ μὴ τὴν οὐσίαν ἀλλοτριωθῆναι. *Stultum enim foret, credere, patruo concedi hereditatem fratris filii, ut patris cognato; ipſi vero patri eam auferri. Verum, quia lex naturae iubet, filios parentibus heredes ſuccedere, non parentes filiis:* (ubi ius naturae a Philone procul dubio pro naturae ordine accipitur,) *hoc, ut ominoſum, & piis votis contrarium, tacuit, ne pater materque viderentur lucrari ex immaturis filiorum mortibus & luctu inconſolabili: obliquae tamen ipſos vocavit ad ius, quod permittit patruis, ut & decorum ſervaretur, & bona manerent in familia.* Nec aliter philoſophantur Talmudici, quorum doctrinam de ſucceſſione adſcendentium accurate expoſuit Seldenus *de ſucceſſ. in bona def. ad leges Hebr. Cap. XII.*

§. CCCII.

Succeſſio collateralium.

§. CCCII. Denique ex eadem, quam ſaepius laudavimus, regula, (§. CCXCVI, 22.) ſequitur, 43. ut, deficientibus etiam adſcendentibus, ex linea obliqua, vel collaterali proximi gradu proximi ad ſucceſſionem eſſe videantur, nec 44. ratio ulla ſuadeat, ut inter collaterales locus ſit juri repraeſentationis, (*) multoque minus, 45. ut vel duplicitas vinculi, vel 46. bonorum origo diſcrimen faciat. 46. Ut plures ejuſdem gradus & hoc caſu hereditatem inter ſe aequa lance dividant: nec 47. quidquam interſit, quota generatione defuncto cognati ſint, quum in hujus arbitrio fuerit, ſi remotiores facultatibus ſuis beare noluiſſet, heredem alium dicere.

(*) Quum enim ſucceſſio iis prae reliquis debeatur, quorum in gratiam mortuus bona ſua praecipue adquiſivit, tantaque cura ac ſollicitudine ſervavit, (§. CCXCV. 20.) & experientia doceat, amorem erga deſcendentes remotiores: ſi non vehementiorem, ſaltim non minorem eſſe ſolere ac erga propiores: recte inferre nobis videmur, avos nepotibus nihil, quod eorum parentibus debebatur, detractum velle, ac proinde ex preſumpta eorum voluntate eos in parentum ſuorum iura ſuccedere debere. Contra ea experientia eadem docet, in linea collaterali adfectionem fere ſingulis gradibus decreſcere, ac proinde non ſequi, ut e. g. fratris filius eodem loco ſit apud patruum, ac frater. Hinc & fratrum filios cum fratribus in ſucceſſione concurrere debere, nulla ratio ſuadet.

Multa hic relicta arbitrio legislatorum.

§. CCCIII. Et huc uſque ſucceſſionem cognatorum agnoſcit recta ratio. Quia tamen haec omnia magis juris naturae permiſſivi, quam praeceptivi eſſe, facile unuſquiſque intelligit: nemo facile negaverit, 48. multa hic permiſſa eſſe legislatoribus, ut & de pleriſque caſibus dubiis certi quid ſtatuere, & 49. leges ſuas reipublicae fini atque utilitati accommodare poſſint. (§. XVIII. 36.) Atque inde facile reddi poteſt ratio, 50. cur & conjugi ſuperſtiti proſpectum velint legislatores, & 51. in nullo paene juris articulo magis diſcrepent diverſarum provinciarum, quin & municipiorum, leges & ſtatuta, quam in hoc de inteſtatorum ſucceſſionibus.

An heredes quidam neceſſarii?

§. CCCIV. Quandoquidem porro totum hoc ſuccedendi jus ex voluntate praeſumta naſcitur, (§. CCLXXXV, 65.) is vero, cujus conſenſus praeſumitur, hereditatem ſuo arbitrio vel adire, vel repudiare poteſt: (§. CCXCIV, 19.) nemo non videt, 52. jus naturae ignorare heredes neceſſarios, (*) adeoque 53. neminem eſſe heredem ab inteſtato ipſo jure, ſed 54. talem fieri conſenſu, ſive per verba, ſive per facta declarato.

(*) Idque & inde demonſtratur, quod rationem, ob quam iuriſconſulti Romani heredes quoſdam *neceſſarios*, alios *ſuos & neceſſarios*, alios *voluntarios* & *extraneos* dixerunt, recta ratio plane ignorat. Primo enim haec heredum qualitas & differentia praecipue ad heredes teſtamentarios, quos ius naturae ignorare diximus, (§. CCLXXXVII. ſequ.) pertinet, quia ab inteſtato nullus ſuccedit ſervus, heres neceſſarius. Deinde teſtamentum Romanis erat inſtar legis privatae. Teſtatorem autem legem quidem ferre poſſe exiſtimabant ſuis, id eſt, ſervis & liberis, quibus veluti in obſequio relicta erat gloria, non autem extraneis, poteſtati teſtatoris non ſubiectis. Hinc illos heredes dicebant *neceſſarios* hos *voluntarios*. (*Elem. ſec. ord. Inſt.* §. *DLXXXV. ſequ*) Enimvero quum haec omnia ignoret ius naturae: illud etiam hanc heredum differentiam ignorare, tam certum eſt, quam quod certiſſimum.

Heres quomodo in defuncti iura & obligationes ſuccedat?

§. CCCV. Ceterum, ubi quis ſemel ſuccedere alteri ſtatuit, nihil aequius eſt, quam ut, qui in locum ſuccedit, etiam in jura illius ac onera ſucceſſiſſe cenſeatur. (§. CCLXVII.) Ex quo conſequitur, 55. ut heres, ſive ex vera diſpoſitione defuncti, ſive ex praeſumta ejuſdem voluntate

Digitized by Google

ſuccedat, omnia ejuſdem jura, quae morte non exſtincta ſunt, adquirat, at 56. nec conqueri poſſit, ſi & ejuſdem obligationibus, quantum bona ſufficiunt, ſatisfacere cogatur (*).

(*) Non ergo in ſolidum. Quum enim non alia cauſſa ſit, cur heres, quod defunctus ex emto vel conducto debuit, praeſtare, & nomen illius expungere teneatur, quam quod bona ejus conſequutus eſt: nulla excogitari poteſt ratio, cur ultra vires hereditatis teneatur. Praeterea rigor ille juris Romani, quo heres in omnes defuncti obligationes ſuccedit, nititur fictione, quod heres cum defuncto pro una perſona habeatur. *l.* 22. *D. de uſucap. l.* 14. *C. de uſufr. Novell.* XLVIII. *praef.* Ant. Dadin. Alteſerra *de Fiction. jur. tract. I. Cap. XX. p.* 48. Quam fictionem quum ignoret jus naturae, illud etiam id, quod inde conſequitur, ignorare, manifeſtum eſt.

CAPUT XII.

DE JURIBUS ET OFFICIIS, QUAE EX DOMINIO ORIUNTUR.

§. CCCVI.

Triplex dominii effectus.

DOMINIUM eſt jus alios omnes rei alicujus uſu excludendi. (§. CCXXXI.) Alios vero dum excludimus rei uſu: ipſi, nobis ſolis ea utendi jus eſſe, contendimus. Inde 1. primum oritur dominii effectum, LIBERA de re ſua DISPOSITIO, id eſt, rem quibuslibet uſibus adhibendi, immo & abutendi, ſuoque lubitu alienandi facultas. Deinde, cujus rei uſu alios excludere poſſumus, illam eo animo detinemus, adeoque 2. inter effecta dominii eſt etiam POSSESSIO. Denique & tunc alios rei noſtrae uſu excludimus, quando ab alio poſſeſſam repetimus. Rem vero ſuam, ab alio poſſeſſam, repetere quum idem ſit, ac VINDICARE: conſequens eſt, 3. ut inter nobiliſſimos dominii effectus etiam ſit jus rem a quocumque VINDICANDI (*).

(*) Omnia haec dominii effecta agnoſcit jus Romanum. Quod enim Cajus *l.* 2. *D. ſi a par. quis man.* ſcribit, *iniquum eſſe, ingenuis hominibus non eſſe liberam rerum ſuarum alienationem*, id ad LIBERAM DISPOSITIONEM pertinet. Ita & ex jure POSSIDENDI, ſoli domino competente, colligit Paulus *l.* 3. §. 5. *D. de adqu. vel amitt. poſſeſſ. plures eamdem rem in ſolidum poſſidere non poſſe, & contra naturam eſſe, ut, quum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris: quin non magis eamdem poſſeſſionem apud duos eſſe poſſe, quam ut tu ſtare videaris in eo loco, in quo ego ſto, vel in quo ego ſedeo, tu ſedere videaris*. De REI VINDICATIONE, quippe praecipua, quae ex dominio naſcitur, actione, omnia nota ac pervulgata ſunt. Hinc inter ϑέματα παράδοξα eſt, quod dominus tigni, illud tamen junctum vindicare non poſſit, §. 29. *Inſt. de rer. diviſ.*

Hinc domino eſt facultas omnem ex re utilitatem percipiendi.

§. CCCVII. Quum ergo is, cui LIBERA rerum ſuarum DISPOSITIO eſt, gaudeat facultate, illas quibuſcumque uſibus adhibendi: (§. CCCVI, 1.) conſequens eſt, 4. ut & ex ipſa earum ſubſtantia, & 5. ex acceſſionibus atque incrementis, quatenus illa domino adquiruntur, (§. CCL. ſequ.) omnem utilitatem capere, ac proinde 6. & fructus ſuos facere, & vel conſumere eoſdem, vel communicare cum aliis, vel quocumque titulo in quoſcumque transferre poſſit. Quin quum ſaepe ingenii ſollertia & diligentiore cultura amplificari poſſint fructus, & annui proventus: 7. nihil impe-

impedit dominum, quo minus rei faciem immutare, eamque hoc modo utiliorem reddere poſſit (*), dumne alteri hoc ipſo jus ſuum intervertat.

(*) Soli domino hanc facultatem competere, argumento eſſe poteſt jus uſufructuarii, uſuarii, commodatarii, conductoris, quod, quia in re non propria, ſed aliena ſeſe exſerit, hanc facultatem rem pro lubitu mutandi ambitu ſuo non complectitur, quantumvis nemo horum ſit, quin jure gaudeat, fructus percipiendi. Communis ergo domino cum aliis poteſt eſſe facultas fructus percipiendi, at facultas rei, e. g. fundi, faciem immutandi ſoli domino propria eſt, nec eam ſibi vindicare poteſt uſufructuarius, commodatarius vel conductor, niſi permittente domino.

Itemque rem ſuam deſtruendi & corrumpendi.

§. CCCVIII. Quumque & abutendi facultas ſit domino, (§. CCLVI, 1.) id eſt, rem utendo conſumendi, vel rem & fructum diſperdendi: Donat. *ad Terent. Andr. prolog. v.* 5. conſequens eſt, 8. ut & deſtruere domino liceat rem, dominio ſuo ſubjectam, & 9. eamdem corrumpere, modo 10. id non fiat eo conſilio, ut alius inde detrimentum capiat (*). Quamvis enim talis rerum noſtrarum, quae aliis prodeſſe poſſent, corruptio amori humanitatis repugnet, & jus alterius imperfectum laedat: (§. CCXVII, 11.) non tamen ideo juſtitiam expletricem violat, qui, jure ſuo uſus, rebus ſuis abutitur, easve, nulla urgente neceſſitate, corrumpit.

(*) Si quis enim eo conſilio rem ſuam corrumpit, ut alter inde detrimentum capiat: id facit animo alterum laedendi, ac ſequuto eventu alterum reipſa laedit. Quum vero primum & abſolutum juris naturalis praeceptum violet, qui alterum laedit: (§. CLXXVIII. 8.) conſequens eſt, ut & contra jus naturae agat, qui res ſuas corrumpit, ut alter inde detrimentum capiat. Et huc pertinet facinus domini, flores horti ſui veneno inficientis, ut vicini apes inde perirent. Quinctil. *Declam. XIII.*

Nec non eamdem alienandi.

§. CCCIX. Quia denique libera illa diſponendi facultas, quam domino competere diximus, jus etiam alienandi complectitur: (§. CCCVI, 1.) facile intelligitur, 11. dominum & dominio ſuo ſeſe abdicare, & 12. illud tum in futurum, tum 13. in praeſens, ſub quacumque conditione in alium transferre, & quidvis alteri commodi concedere, quin & 14. jus qualecumque aliis in re ſua concedere, at proinde 15. dominium utile, uſumfructum, hypothecam, pignus, ſuo arbitrio conſtituere alteri poſſe, dummodo 16. ei id agenti nec lex, nec pactio, nec alia firmior diſpoſitio obſtet.

Poſſeſſionem porro adprehendendi & retinendi.

§. CCCX. Quandoquidem porro & poſſeſſio inter effecta dominii eſt: (§. CCCVI, 2.) facile patet, 17. dominum & adprehendere rei ſuae poſſeſſionem, & 18. eam adverſus quemcumque tueri, ideoque 19. & vim vi repellere poſſe. 20. Nihil quoque intereſſe, ſive quis ipſe per ſe, ſive per alium poſſideat: immo 21. ſemel adquiſitam poſſeſſionem procul dubio & ſolo animo ab abſente retineri tantiſper, dum alius eam nondum adprehendit (*).

(*) Poſſeſſio enim eſt detentio rei, cujus uſu alios excludere ſtatuimus. (§ CCXXXI.) Quamdiu ergo alios excludere rei uſu ſtatuimus, tamdiu rem nondum pro derelicta habuimus. (§. CXLI.) Ergo res hujusmodi non eſt nullius, nec adeo nulli jus competit eam occupandi. In qua re vero nulli jus occupandi eſt, ejus ego poſſeſſionem procul dubio & abſens ſolo animo retineo.

Jus denique vindicandi.

§. CCCXI. Denique, quum & jus VINDICANDI inter effectus dominii ſit: (§. CCCVI, 3.) fieri non poteſt, 22. quin hoc jure noſtro uti poſſimus adverſus quemcumque rei noſtrae poſſeſſorem, nec, 23. quod ad

rei

Digitized by Google

rei reſtitutionem attinet, quidquam interſit, bona fide, an mala, ille rem noſtram detineat, itemque 24. notus ille nobis, an ignotus ſit, quia ab eo non ob factum aliquod rem repoſcimus, ſed rem, in quam nobis jus eſt, repetimus. Praeterea quum 25. rem ſuam vindicare & repetere, non ſit eam de novo redimere: facile patet, dominum, rem ſuam vindicantem, non eſſe ad reſtituendum pretium obſtrictum, quamvis 26 aequitas non patiatur, ut ille cum alterius damno fiat locupletior, (§. CCLVII.) & impenſas neceſſarias ac utiles, a poſſeſſore in rem erogatas, reſtituere detrectet (*).

(*) Quo procul dubio pertinent etiam impenſae, ſine quibus ne ipſe quidem dominus rem ſuam a raptoribus recuperaturus fuiſſet, maxime, ſi eo animo rem redemit poſſeſſor, ut eam domino reſtitueret. Pufend. *Jur. nat. & gent. IV.* 13. 13. ad quem locum elegans exemplum ex Famiani Stradae *Decad. I. de bell. Belg. Lib. VII. ad ann. MDLXXII.* attulit Hertius. Quum enim Antverpienſes mercatores merces pretioſiſſimas pluſquam centum millium, ab Hiſpano milite in urbe Machlinienſi direptas, exſoluto XX. millium pretio, redemiſſent: domini illas, reddita ea ſumma, receperunt, quippe non minore diſpendio res ſuas recuperaturi, ſi vel maxime jure experiri voluiſſent.

Quatenus & acceſſiones & fructus ſibi vindicet dominus?

§. CCCXII. Quum vero is, eujus res ipſa in dominio eſt, etiam acceſſiones & fructus omnes inde redeuntes, jure ſibi vindicare poſſit: (§. CCCVII, 4.) merito quaeritur, an bonae fidei poſſeſſor omnes acceſſiones, omneſque fructus, ex re aliena perceptos, quin & omne lucrum, domino, rem ſuam vindicanti, reſtituere teneatur? Nos paucis rem ita concipimus. Qui bona fide juſtoque titulo rem poſſidet, quamdiu de vero domino non conſtat, facultate gaudet, omnes rei, a ſe poſſeſſae, uſu excludendi. Qui vero hoc jure gaudet, 27. eum loco domini eſſe, (§. CCXXXI.) ac proinde 28. iiſdem juribus, ac ipſum dominum, frui, nemo dubitaverit. At quia tamen non eſt verus dominus, qui rem alienam bona fide poſſidet, 29. nulla ſane ratio eſt, cur cum veri domini damno velit fieri locupletior, quemadmodum 30. nulla ratio eſt, cur dominus fructus non exſtantes, quos cura induſtriaque ſua non produxit, ſibi vindicare velit (*).

(*) Acceſſio enim naturalis, cujus de dominio non conſtat, pro re nullius habetur, (§. CCXLI.) adeoque cedit occupanti. Quum ergo fructus occupaverit bonae fidei poſſeſſor, qui eos, omni adhibita cura & cultura produxit: huic cur iſti eripiendi ſint, nulla eſt ratio. Et hinc non abſurde jus Juſtinianeum ait: *naturali ratione placuiſſe, fructus, quos* PERCEPIT, *bonae fidei poſſeſſoris eſſe pro cultura & cura*. §. 35. *Inſt. de rer. diviſ.* Nec alia ratio eſt fructuum civilium. Quia enim itidem, dum percepti ſunt, de vero eorum domino non conſtitit, & dominus interea rei, ex qua provenerunt, nullam curam habuit: ii quoque ad bonae fidei poſſeſſorem merito pertinent, quamdiu verus dominus non ſupervenit.

Acceſſiones & fructus debentur domino.

§. CCCXIII. Quum ergo neuter debeat cum alterius damno fieri locupletior: (§. CCCXII, 20. ſequ.) conſequens eſt, 31. ut domino, vindicanti rem ſuam, etiam reſtituendae ſint acceſſiones, quippe quarum de domino jam conſtat, adeoque 32. etiam fructus exſtantes, & pendentes, recte petat dominus, (*) 33. deductis tamen prius impenſis, in illos factis, quia dominus fieret locupletior cum bonae fidei poſſeſſoris damno, ſi fructus, quorum curam nullam ſuſceperit, ſibi vindicare non dubitaret.

(*) Concedit id Grotius *de jure belli & Pac. II.* 8. 23. *& II.* 10. 4. ſed non niſi de fructibus naturalibus. Enimvero quum & induſtriales ſint fundi acceſſio, & talis

lis quidem, cujus de domino jam ſatis conſtat: vix excogitari poteſt ratio, cur eos ſibi vindicare velit bonae fidei poſſeſſor. Impenſarum tamen reſtitutionem nullo colore detrectare poteſt dominus, quia alias peteret fructus, quos cura atque induſtria ſua non produxit. (§. CCCXII. 30.) Unde Hebraei *σκληρὸν καὶ αὐστηρὸν ἄνθρωπον*, *durum & auſterum hominem*, loquutione proverbiali deſcripſerunt, *θερίζοντα, ὅπου οὐκ ἔσπειρε, καὶ συνάγοντα, ὅθεν οὐ διεσκόρπισε*, *qui metat, ubi non ſeverit, cogatque, ubi non ſparſerit. Matth. XXV. 24. Luc. XIX. 21.*

Percepti & conſumti b. f. poſſeſſori.

§. CCCXIV. Quumque acceſſio naturalis, cujus de domino non conſtat, tamquam res nullius occupanti cedat, neque de fructibus civilibus aliud ſit ſtatuendum: (§. CCCXII, *) conſequens eſt, 34. ut fructus percepti merito relinquendi ſint bonae fidei poſſeſſori, qui culturam & curam adhibuit, niſi 35. iis factus ſit locupletior (*). (§. CCCXII, 29)

(*) Sequuntur hoc principium jureconſulti in hereditatis petitione. *l.* 25. §. 11. & §. 15. *l.* 36. §. 4. *l.* 40. §. 1. *D. de hered. petit.* Contra in rei vindicatione fructus perceptos indiſtincte adiicunt bonae fidei poſſeſſori, nec quidquam intereſſe putant, locupletior iis factus ſit, nec ne. *l.* 4. §. 2. *D. fin. regund. l.* 48. *pr. D. de adqu. rer. dom.* Sed ratio diſcriminis plane civilis eſt, nec ex recta ratione poteſt derivari. In hereditatis enim petitione, tamquam univerſali judicio, pretium ſuccedere dicitur in locum rei, non in judiciis ſingularibus. Jus naturale autem haec procul dubio non diſtinguit: ac proinde aequiſſimum eſt, perceptos fructus, quibus quis locupletior factus, indiſtincte vero domino reſtitui. Quod & in foro hodie obſervari, teſtatur Stryk. *Uſ. mod. Digeſt. VI.* 1. 12.

An b. f. poſſeſſor rei conſumtae, vel perituris, vel alienatae, aeſtimationem praeſtet?

§. CCCXV. Ex iiſdem regulis, quod bonae fidei poſſeſſor pro domino eſt, nec tamen cum alterius damno fieri debet locupletior, (§ CCCXII, 27. 29.) inferimus, 36. eum, ſi rem bona fide conſumſerit, non magis domino ad reſtitutionem obligatum eſſe, quam, 37. ſi res apud eum caſu perierit; teneri tamen eumdem, 38. ſi rem nullo, vel minore pretio adquiſitam, carius vendiderit, quia ſic cum alterius damno fieret locupletior, ſi lucrum ſibi retinere vellet: contra 39. ceſſare hanc obligationem, ſi dominus jam rei ſuae eſtimationem fuerit ab alio conſequutus, partim quia tunc bonae fidei poſſeſſor locupletior, quidem factus eſt, ſed non cum domini damno, partim quod dominus non de lucro captando, ſed de damno vitando, certare debet.

Quid malae fidei poſſeſſor reſtituere teneatur?

§. CCCXVI. Quia denique haec omnia tantum ad bonae fidei poſſeſſorem pertinent: contra malae fidei poſſeſſores nec loco domini ſunt, nec illo colore, quod de vero domino ſibi non conſtiterit, uti poſſunt, adeoque omnes rationes, cur aliquid ex re vel fructibus lucrari debeant, ceſſant: facile patet, 40. eos abſciſſe ad reſtitutionem non modo rerum exſtantium, ſed & juſti pretii conſumtarum & alienatarum, multoque magis 41. ad fructuum omnium, quos vel perceperunt, vel percipere ſaltim potuerunt, aeſtimationem praeſtandam, eſſe obligatos, ſimulque 42. caſum omnem ferre debere (*).

(*) Quamvis enim caſus nemini imputetur regulariter: (§. CVI. 27.) ea tamen regula non valet, ſi per agentem ſteterit, quo minus tale quid contingeret. (Ibid. n. 31.) quia tunc non caſus, ſed ſimul culpa adeſt. Jam malae fidei poſſeſſor poterat ac debebat rem ſuam domino reſtituere, idque ſi feciſſet, per eum ſtetiſſet, quo minus res apud ſe periret. Itaque & caſum ferre tenetur. Unde recte jureconſulti praedonem & furem caſum ferre debere aiunt, *quia ſemper in mora ſint*, *l.* 8. §. 1. *D. de condict. furt.*

Effectus dominii aliquando re-

§. CCCXVII. Et haec quidem ſunt jura, quae ex rerum dominio prono veluti alveo fluunt. Quum vero juris civilis ſit, actiones indifferentes ſalu-

Aſtringuntur per leges civiles.

ſaluti cujuſque populi & reipublicae attemperare, (§. XVIII, 36.) reipublicae autem plerumque expediat, ne quis re ſua male utatur: §. 2. *Inſt. de his qui ſui vel alieni jur. ſunt*, non mirum eſt, 43. dominium aliquando arctioribus limitibus circumſcribi a rectoribus civitatum, ac proinde 44. aliquando liberam diſpoſitionem, aliquando 45. jus poſſeſſionem adprehendendi, aliquando 46. jus vindicandi dominis vel plane adimi, vel non niſi cum aliqua reſtrictione concedi (*).

(*) Sic animadvertimus, leges civiles *liberam rerum diſpoſitionem* adimere pupillis, furioſis, prodigis, minoribus. Eaedem legatarium, quantumvis dominum, rei legatae poſſeſſionem adprehendere non patiuntur, & adverſus eum, qui ſuo arbitratu illam occupavit, heredi dant interdictum QUOD LEGATORUM *tot. tit. D. quod legat.* Denique notum eſt, eum, cujus tigna alter iunxit, quamvis dominium materiae non amittat, non tamen tigna iuncta poſſe vindicare per leges XII. Tabularum. §. 29. *Inſt. de rer. diviſ. l. 7. D. de adqu. rer. dom.* Adeo nullus fere eſt dominii effectus, quem ſemper & ubique omnibus ſalvum & integrum eſſe patiantur leges civiles, ſi aliud exigere videatur ſalus reipublicae, quam ſibi ſupremam legem merito ſtatuunt imperantes, in rebus, quae ad jus naturae permiſſivum pertinent. Quum enim iuri naturae permiſſivo unuſquiſque recte renunciet: (§. XIII. 10.) ei etiam renunciare potuit populus, qui in civitatem coaluit, eique re ipſa renunciavit, dum ſummae poteſtatis legibus voluntatem ſuam ſubmiſit.

Aliquando per pacta & diſpoſitiones priorum dominorum.

§. CCCXVIII. Quumque & domino, tum inter vivos, tum mortis cauſſa, de rebus ſuis diſponere liceat, (§. CCLXVIII.) & tunc tantum ad alterum transmittatur, quantum is, qui alienat, transmittere voluit: (§. CCLXXIX, 42.) facile patet, 47. etiam pacto & diſpoſitione prioris domini reſtringi poſſe dominii effectus, (*) & tunc 48. plura ſibi adrogare non poſſe poſſeſſorem, quam a priore domino accepit, niſi 49. is, cujus in favorem reſtrictio illa facta eſt, ultro juri ſuo renunciet, vel 50. is plane in rerum natura eſſe deſinat, vel 51. jus ſuum ex juſta cauſſa amittat.

(*) Ita aliquando diſpoſitione prioris domini arctioribus limitibus circumſcribitur ius omnem utilitatem e re ſua percipiendi, ſi alteri in illa uſusfructus, ſervitus, antichreſis conſtituitur. (§. CCLXXXII. ſequ.) Aliquando libertas diſponendi, deſtruendi, alienandi domino eripitur, ſi illi tantum dominium utile conceditur, (§. CCLXXIX. ſequ.) vel ſi res fideicommiſſo oneratur, cetera. Conſtituto porro uſufructu, etiam ius poſſidendi, quod domino alias denegari non poteſt, reſtringitur, quemadmodum dominio utili alicui conceſſo, domino ſuperiori vel directo nec rem poſſidendi, nec, quod ad dominium utile attinet, vindicandi ius eſt.

Dominum neminem in uſu rei ſuae iniuria impedire, vel ei damnum inferre debere.

§. CCCXIX. Et hactenus quidem de JURIBUS, quae ex dominio oriuntur, quantum ſatis eſt, diximus. Quum vero correlata ſint JUS & OBLIGATIO, ac proinde, poſito jure, ponatur obligatio: (§. VII.) conſequens eſt, 52. ut quot ſunt effectus dominii ratione domini, totidem aliis incumbant obligationes erga dominum. Quia ergo domino LIBERA eſſe debet de rebus ſuis diſpoſitio: (§. CCCVI, 1.) 53. injuriam illi faciunt, qui eum in diſponendo, fructibuſve percipiendis impediunt: (*) 54. DAMNUM vero dant, qui quid rerum ejus fructuumque & acceſſionum corrumpunt. Quumque, qui, quod ad alterius felicitatem perfectionemque pertinet, alteri intervertere vel corrumpere non dubitat, eumdem proculdubio laedat, (§. LXXXII.) nemo autem laedendus ſit: (§. CLXXVIII, 8.) merito inferi-

ſerimus, 55. nemini per impedimentum liberae diſpoſitioni ejus objectum faciendam eſſe injuriam: 56. nemini damnum dandum, ac proinde, 57. ſi quid ejus generis factum ſit, auctorem injuriae damnive merito & ad reſarciendum damnum, & ad poenam teneri.

(*) INJURIAM enim & JCti Romani non ſolum vocant omnem contumeliam, verbis vel factis alicui illatam, verum etiam illud factum, quo quis alterum re publica vel ſua uti prohibet, vel in re aliena ſibi liberam quamdam diſpoſitionem adrogat. Hinc injuriarum ex lege Cornelia tenetur, qui cujus domum vi introiit. *l. 5. pr. D. de injur.* qui quem prohibuit in mari piſcari, vel everriculum, quod Graece σαγήνη dicitur, ducere, vel in publicum lavare, vel in cavea publica ſedere, vel in quo alio loco agere, ſedere, converſari non paſſus ſit, vel qui nobis RE NOSTRA UTI non permiſerit, *l. 13. §. 7. D. eod.*

§. CCCXX. Quandoquidem deinde & POSSESSIO ad effectus dominii vel jura domini pertinet: (§. CCCVI, 2.) conſequens eſt, 58. ut noſtrum ſit, rem quemque ſuam quiete poſſidere pati, neque 59. cuiquam invito poſſeſſionem vel directe, vel indirecte, eripere. 60. Ut, ſi quem tale quid feciſſe probari poſſit, ille, tamquam laedens, non ſolum ad omne damnum reſarciendum, ſed & ad poenam, quam commeruit, ſubeundam obſtrictus ſit. (§. CCXL.) Nec ejus poſſeſſionem directe vel indirecte intervertere.

§. CCCXXI. DIRECTE quis alterius poſſeſſionem intervertit vel per vim apertam, vel per ablationem clandeſtinam. Poſterius factum vocatur FURTUM, prius, ſi in re mobili admittatur, RAPINA, ſin in immobili, VIS vel VIOLENTA DEJECTIO. FURTUM ergo eſt ablatio clandeſtina rei alienae, inſcio & invito domino, lucrifaciendi cauſſa (*) facta: RAPINA, ablatio violenta rei alienae mobilis, invito domino, & lucri faciendi cauſſa facta: VIS denique, dejectio alterius violenta de poſſeſſione rei immobilis. Directe id fit per furtum, rapinam, dejectionem violentam.

(*) Si enim contumeliae cauſſa quid auferatur, erit INJURIA, ſin, ut res corrumpatur, DAMNUM. Sic apud Homerum *Iliad. A. v. 214.* Minerva Chryſeida Achilli auferri ait ὕβριος εἵνεκα, *contumeliae cauſſa*. Injuria ergo fuit, non furtum vel rapina. Damnum potius dediſſe, quam furatus eſſe dicitur, qui uti ait Horatius, *Serm. l. 3. v. 116.*

Teneros caules alieni infregerit horti.

Denique verum furtum procul dubio fecit Cacus, qui

Quatuor a ſtabulis praeſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Indiciis, raptos ſaxo occultabat opaco.

Virgil. *Aen. VIII. v. 207. ſequ.* Ceterum, quamvis veteres & rerum immobilium furtum fieri poſſe ſtatuerunt: (vid. *l. 38. D. de uſurp. & uſucap.* Gell. *Noct. Att. XI. 18.* Plin. *Hiſt. nat. II. 68.* Gronov. *Obſerv. l. 4. p. 42. ſequ.*) incommoda tamen, nec admodum recepta eſt haec vocabuli notio, adeoque ab illa merito abſtinemus.

§. CCCXXII. Sed & INDIRECTE interverti poteſt alterius poſſeſſio, ſi quis verbis factiſque fraudulentis efficit, ut alter poſſeſſione ſua excidat, id quod DEFRAUDATIONEM vocamus. Quum ergo & hoc modo quis laedatur, nec tamen quod ſibi quiſque fieri non vult, id alteri facere debeat: (§. CLXXVII, 6.) per ſe patet, 61. non minore, quam fures vel raptores, crimine ſe obſtringere, qui verborum inſidiis alterum rebus ſuis emungunt (*), vel 62. termino moto, falſorum ponderum & menſurarum uſu, aliiſque hujuſmodi factis doloſis, ex alterius patrimonio quidquam avertere non dubitant. Indirecte per defraudationem.

(*) Conveniunt enim haec crimina ſine, dum & fur, & raptor, & defraudator id agunt, ut alios rebus ſuis ſpolient. Conveniunt cauſſa impulſiva, puta dolo ma-

malo. Conveniunt effectu, dum omnibus his factis alius fit pauperior. Quin aliquando defraudator vel in eo fure ac raptore deterior eſt, quod amicos maxime ſub amicitiae ſpecie circumvenit, ac proinde multo difficilius nobis ab eo, quam a fure vel raptore, cavemus. Recte ergo haec crimina coniungit incomparabilis morum magiſter, Euripides *in Helena v. 909.* dum ſcribit: *Μισεῖ ὁ θεὸς τὴν βίαν τὰ κτητὰ δὲ κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐξ ἁρπαγῆς ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος ἐς ἄδικός τις ὤν. Odit Deus vim, & parta labore quemlibet poſſidere jubet, non rapto vivere. Repudianda injuſta & turpis opulentia.* Ad quam iniuſtam turpemque opulentiam vel maxime pertinere id omne, quo quis alios dolo malo emunxit, nemo negaverit.

Res aliena domino reſtituenda.

§. CCCXXIII. Poſtremum, quod domino in re ſua competit, JUS VINDICANDI non poteſt non producere obligationem, REM alienam vero DOMINO RESTITUENDI. Ex ea vero colligimus, 63. unumquemque, ad quem res aliena etiam ſine crimine pervenit, operam dare debere, ut illa in domini poteſtatem redeat, (*) adeoque 64. rem iſtam non occultandam celandamque, ſed 65. indicium ejus publice faciendum eſſe, ut dominus, oſtenſis dominii argumentis, eam repetere poſſit: *Deut. XXII, 1. ſequ. l. 43. §. 4. D. de furt.* multoque magis 66. promtum eſſe debere poſſeſſorem, ad rem reſtituendam, ſi ipſe dominus eam requirat, vel publice per praeconem jacturam ſuam denunciet. Ubi tamen utroque caſu 67. ipſa aequitas ſuadet, partim, ne illa reſtitutio bonae fidei poſſeſſoris impenſis fiat, partim, 68. ne hic ex re aliena fiat locupletior. (§. CCCXII, 29.)

(*) Attamen & haec obligatio, ad rem vero domino reſtituendam, non ſemper locum poteſt habere, quum aliquando ipſa *recta ratio* illam reſtitutionem diſſuadeat, aliquando *leges civiles* poſſeſſorem ea reſtituendi obligatione ſolvant. Prioris exemplum dabit furioſus, repoſcens gladium a ſe depoſitum, de quo Seneca *de Beneſ. IV.* 10. Cicero *de offic. I.* 10 *III.* 25. Similia exempla attulit Ambroſ. *de offic. I. ult.* Ad poſteriorem exceptionem pertinet USUCAPIO & PRAESCRIPTIO. Eam enim ignorare ius naturae, tam certum videtur, quam quod certiſſimum. Nam tempus, quod in ſola relatione conſiſtit, dominium ſuapte natura nec dare cuiquam, nec adimere poteſt. Quumque iam ſupra oſtenderimus, non aliter tranſire in alterum dominium rei noſtrae, ac per traditionem: facile patet, nec quemquam ſine facto domini illud adquirere, nec ipſum dominum iſtud ſine facto ſuo amittere poſſe. Itaque legibus civilibus originem debent uſucapio & praeſcriptio, quae utramque bono publico introduxerunt, *l. 1. D. de uſurp. & uſuc.* partim, *ut finis eſſet ſolicitudinis & periculi litium*, *Cic. pro Caecin. Cap. XXVI.* partim, ut homines negligentiores ad res ſuas eo maturius vindicandas impellerentur, ſi meliorem vigilantium, quam dormitantium, conditionem eſſe, animadverterent. Quamvis ergo vere ſcripſerit Iſocrates *in Archidam. p. 234.* *ὅτι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας, καὶ τὰς κοινὰς ἢν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσιν, poſſeſſiones ſive privatas, ſive publicas, praeſcriptione longi temporis & confirmari, & patrimonii loco habendas eſſe, perſuaſum eſſe omnibus*: non tamen ſequitur, ut, quod perſuaſum eſt pluribus, illico pro iuris naturalis praecepto habendum ſit. Quod ideo monere viſum eſt, ne quis miretur, nos in explicanda doctrina de dominio nullam plane uſucapionis & praeſcriptionis rationem habuiſſe.

Praeterquam ſi verus dominus non adpareat.

§. CCCXXIV. Ceterum, 69. ſi non adpareat verus dominus, qui rem repoſcat, illa nullius eſſe intelligitur, (§. CCXLI.) ac proinde 70. merito cedit bonae fidei poſſeſſori (*). (§. eod. 17.) Et quamvis ii, qui id ſibi negotii credunt ſolum dari, ut hominum conſcientias conſiliis & praeceptis regant, ſuadere ſoleant, ut res, quorum de dominio non conſtat, in pauperum uſum diſpenſentur: 71. non tamen ideo injuſtus dici poterit, qui jure ſuo uſus, rem illam, moraliter dominio vacuam, ſibi retinere ſtatuit. Vid. Nic. Burgund. *ad Conſu. Flandr. Lib. II. n. 1.*

(*) Ac-

Digitized by Google

(*) Accedit, quod ſolus dominus gaudet iure, alios rei ſuae uſu excludendi. Quum ergo dominus non adpareat: nulli alii talis excludendi facultas eſt, ac proinde nihil obſtat, quo minus bonae fidei poſſeſſor rem ſibi retineat. Enimvero, quia pleriſque locis res dominio vacuas alicuius momenti ſibi vindicat populus vel princeps: (§. CCXLII. 12.) per ſe patet, bonae fidei poſſeſſorem iis locis, ubi huiuſmodi ius inolevit, res alienas, quarum de domino non conſtat, offerre civitatum rectoribus, ab iiſque μήνυτρον expectare debere, Grot. *de iure belli & pac. II. 10. 11.*

C A P V T XIII.

DE RERUM, IN DOMINIO CONSTITUTARUM, COMMERCIO.

§. CCCXXV.

Cur rebus pluribus indigere homines coeperint?

Ex quo a communione negativa diſceſſum, dominiumque introductum eſt: homines res utiles ita ſibi vindicare coeperunt, ut deinceps nemini earum uſum concedere cogerentur, ſed eas ſibi detinere, ſuiſque ſeponere uſibus poſſent. (§. CCXXXVI.) Ex eo vero id conſequi oportuit, 1. ut non eaedem omnium hominum facultates eſſent, ſed 2. alii quibusdam rebus abundarent, quibus alii indigerent maxime: adeoque 3. alter vel ex alterius adparatu, vel ejuſdem opera id, quod ſibi deerat, ſuppleret. Immo, quum non omnia proferat omnis tellus (*): 4. ipſa neceſſitas homines coegit, ut ea, quibus abundarent, quaeque ſua arte ac opera produxiſſent, aliis indulgerent, aliaque, quibus ipſi carerent, ſibi adquirerent. Quod dum fecerunt, COMMERCIA inter ſe inſtituere dicti ſunt.

(*) Huc pertinet elegans obſervatio Virgilii *Georg. I. v. 54.*

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvae:
Arbores fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina, nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabaei?
At, Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges aeternaque foedera certis
Impoſuit natura locis: quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.

Quibus gemina ſunt, quae latius idem poeta cecinit *Lib. II. Georg. v. 109. ſequ.* quaeque obſervarunt Varro *de re ruſtica I. 23.* & Ovid. *de arte am IV. v. 758.* & in primis Seneca *Epiſt. LXXXVII.* qui, adducto illo laudato Virgilii loco ex libro georgicon ſecundo, addit: *Iſta in regiones deſcripta ſunt, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos* COMMERCIUM, *ſi invicem alius ab alio aliquid peteret.* Eamdem commerciorum originem urget Ariſtot. *Nicomach. V. 8. Polit. I. 6.*

Neceſſitas commercii.

§. CCCXXVI. Jam equidem, ſi omnes homines virtutis ſtudio tenerentur, non eſſet, profecto, quod ullus inopiam metueret. Quis enim tunc dubitaret, quin ea, quibus ipſe abundet, indigis liberaliter ſint elargienda? (§. CCXXI, 23.) Enimvero, quum iam pridem refrixerit amicitiae amor, eoque faeculo vivamus, quo *virtus laudatur, & alget:* 5. de eo commercii genere cogitandum fuit, quo alter non modo ſola humanitate & beneficentia, ſed perfecta obligatione, ad rerum utilium, quibus indigemus, dominium, in nos transferendum, nosve operis ſuis juvandos, obſtrictus eſſet.

Illud aliter inſtitui non

§. CCCXXVII. Itaque per COMMERCIUM intelligimus communicationem

potuit, quam per contractus. nem rerum operarumve neceſſariarum atque utilium cum aliis, earum indigis, non ex ſola humanitate & beneficentia, ſed ex obligatione perfecta, profectam. Quum vero per commercia vel operae praeſtentur, vel dominium & poſſeſſio transferatur, ea vero obligatio nemini inſcio ac invito ſit extorquenda: (§. CCCXX, 59.) conſequens eſt, 6. ut commercium requirat utriuſque conſenſum. Eum porro duorum conſenſum de rebus neceſſariis operisve, inter ſe non ex ſola humanitate, ſed ex obligatione perfecta, communicandis, quum CONTRACTUM vocare ſoleamus; facile intelligitur, 7. commercia non aliter, quam intervenientibus contractibus, explicari poſſe (*).

(*) Recte haec obſervavit Iſocrat. *Except. adverſ. Callimach. pag.* 743. *Συνθῆκαι τοσαύτην ἔχουσι δύναμιν, ὥστε τὰ πλεῖστα τοῦ βίου καὶ τοῖς Ἕλλησι, καὶ τοῖς βαρβάροις, διὰ συνθηκῶν εἶναι. Ταύταις γὰρ πιστεύοντες, ὡς ἀλλήλους ἀφικνούμεθα, καὶ πορίζομεθα, ὧν ἕκαστοι τυγχάνομεν δεόμενοι μετὰ τούτων καὶ τὰ συμβόλαια τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ποιούμεθα, καὶ τὰς ἰδίας ἔχθρας, καὶ τοὺς κοινοὺς πολέμους διαλυόμεθα. τούτῳ μόνῳ κοινῷ πάντες ἄνθρωποι διατελοῦμεν χρώμενοι. In pactis tanta vis eſt, ut pleraeque res tum Graecorum, tum barbarorum, ex pactis & conventis tranſiguntur. His enim freti convenimus &* COMMERCIA *agitamus. Per haec inter nos contrahimus: per haec cum privatas inimicitias, tum communia bella, componimus. Hoc uno, tamquam communi bono, homines omnes uti non deſiſtimus.*

Eorum plerique rerum operarumque pretium ponunt. §. CCCXXVIII. Quum ergo commercia in communicatione rerum operarumve neceſſariarum cum aliis, earum indigis, conſiſtant, eaque communicatio non ex ſola humanitate & beneficentia, ſed ex jure perfecto proficiſcatur: (§. CCCXXVII.) 8. rarius profecto continget, ut quis res operaſque ſuas cum aliis gratis communicare vel poſſit, vel velit, ſed unuſquiſque potius 9. aliquid ſibi ab altero rependi volet, quod ipſi tantumdem videatur, ac res, vel opera, cum illo communicanda. Itaque, 10. qui res ſuas operasve inter ſe commutare volunt, non poſſunt non eas inter ſe comparare, eaque comparatio 11. non aliter fieri poteſt, quam quantitate, per quam aequalitas obtineretur, rebus operisve ſingulis attributa. Quumque quantitas illa rebus operisve attributa, ſecundum quam illae inter ſe comparari poſſunt, ſit PRETIUM: conſequens eſt, 12. ut commercia & contractus plerique ſine rerum pretio vix intelligantur (*).

(*) Hinc eleganter Graeci non modo pacta & contractus, verum etiam commercia vocarunt *συμβολαὶς, σύμβολα, συμβόλαια, & συμβόλαια κοινωνικὰ, ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, a comparando vel conferendo.* Qui enim res operasve inter ſe commutaturi ſunt, ii eas inter ſe comparant, dum ſuae quiſque rei vel operae certam quantitatem tribuit, atque ita reperit rationem vel proportionem, quam inter ſe habeant. Sic e. g. ſi ponamus, rationem auri ad argentum eſſe undeculpam: utrique metallo tribuimus quantitatem moralem vel pretium. Eoque facto nihil facilius eſt, quam metalla iſta inter ſe, ſervata aequalitate, commutare. Ceterum pleroſque, non omnes contractus rerum pretium ponere dicimus. Sunt enim quidam gratuiti: ac proinde recte contractus dividuntur in ONEROSOS, quando aequale utrimque onus eſt, BENEFICOS. ubi alter alteri ſe ad aliquid gratis praeſtandum obſtringit, & ALEAM CONTINENTES, in quibus ita dominatur fortuna, ut, quod praeſtatur, alter modo gratis, modo titulo oneroſo accipiat.

Quod eſt vel vulgare, vel eminens. §. CCCXXIX. Comparatio illa inſtituitur vel inter res operaſque ſingulas: vel adſumitur communis quaedam menſura, quacum reliquae res operaeque omnes comparantur. Si prius fit: 13. inde oritur PRETIUM VULGARE, quod ſingulis rebus operiſque tribuimus. Sin poſterius: 14. PRETIUM hoc vocatur EMINENS, quia illo omnia, quae in commercio ſunt

Digitized by Google

ſunt, tamquam communi quadam menſura, aeſtimamus (*): quale apud nos eſt pecunia. In utroque vero 15. procul dubio requiritur aequalitas rei operaeve & pretii.

(*) Hinc recte Ariſtoteles *Nicom. IX.* 1. numum definit: *κοινὸν μέτρον, πρὸς ὃ δὴ πάντα ἀναφέρεται, καὶ ᾧ μετρεῖται: communem menſuram, ad quam omnia referuntur, quaque menſurantur omnia.* Unde recte numo omnia venalia eſſe dicuntur, quaecumque ſunt in commercio. Id tantum reprehenſione dignum, quod homines & ea, quae non ſunt in commercio, numis aeſtimare & vendere ſolent, veluti juſtitiam, pudicitiam, ipſamque conſcientiam. Et hoc ipſum eſt, in quod invehuntur poetae. Horat. *Serm II. 3. v. 94.*

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulcris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapienſve etiam, & rex,
Et quidquid volet.

Propert. III. 10.

Aurea nunc vere ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulſa fides, auro venalia jura.
Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.

Similia paſſim apud veteres, veluti apud Petron. *Satyr. Cap. CXXXVII.* & olim apud Menandrum, cuius elegantiſſima haec ſupereſt ſententia de divite:

Εὖξαι ὅ, τι βούλεις, πάντα σοὶ γενήσεται,
Ἀγρὸς, οἰκίαι, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες, μόνον δίδου.
Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς θεοὺς ὑπηρέτας.

Opta modo, quidquid volueris, omnia evenient:
Ager, domus, medici, ſupellex argentea,
Amici, judices, teſtes: dederis modo.
Quin & deos ipſos miniſtros facile habebis.

§. CCCXXX. Et initio quidem pretium tantum VULGARE hominibus innotuiſſe, vel inde patet, quod eminens ſine plurium conſenſu conſtitui non potuit. At vulgare quiſque rebus operiſque ſuis ſuo arbitratu impoſuit. Quum tamen id eo fine ac conſilio fiat, ut illis quiſque ea, quae ſibi deſint, comparare poſſit: (§. CCCXXV, 3.) conſequens eſt, 15. ut in imponendo rebus operisve pretio ratio habenda ſit aliorum, a quibus aliquid adquirere cupimus, adeoque 16. tanti aeſtimanda ſit res operave noſtra, ut, hos eas tanto pretio comparare ſibi velle, probabile ſit (*). Quomodo vulgare definiendum ſit?

(*) Nam ſi fingamus, Arabes tus & aromata ſua tanti aeſtimare, ut pro centenis frumenti medimnis non niſi unam drachmam dare velint: nec ipſi pro ture & aromatibus frumentum accipient, quia nemo erit, qui conditione tam iniqua frumentum permutare velit: nec alii ſibi comparere poterunt aromata, adeoque impedientur hoc modo commercia, quorum tamen cauſſa inventum eſt rerum operarumque pretium. Quum ergo talia oporteat eſſe media, qualis eſt finis: conſequens eſt, ut pretium ita definiendum ſit, ut commercia intercedere poſſint inter homines, adeoque in illo conſtituendo ratio haberi debeat, aliorum, a quibus & ipſi aliquid adquirere volumus.

§. CCCXXXI. Quum itaque tanti aeſtimandae ſint res operaeque noſtrae, quanti eas alterum, a quo quid adquirere cupimus, ſibi comparaturum, probabile eſt: (§. CCCXXX, 16.) facile unuſquiſque intelligit, 17. pretium rerum aliquando intendere alterius neceſſitatem & indigentiam (*), 18. aliquando rei ipſius raritatem: immo 19. rationem etiam habendam eſſe artificii, 20. ipſius rei praeſtantiae, 21. operae & expenſarum, in illam factarum, 22. periculi, ejus cauſſa ſubeundi, 23. denique eorum, qui re vel opera indigent, multitudinis, vel paucitatis, aliarumque ejuſdem generis περιστάσεων. Quarumnam circumſtantiarum in eo definiendo habenda ſit ratio?

(*) Verum quidem eſt, non ea ſemper, quae maxime neceſſaria ſunt, maximi pretii haberi, rem ita dirigente divina providentia, ut illa, quibus non facile caremus, ubique obvia ſint, & illa tantum, quae nec corpus, nec natura deſiderat,

Digitized by Google

derat, difficilius rariuſque reperiantur, uti recte philoſophatur Vitruv. *Architect. VIII. praef.* Attamen ſi neceſſitas cum inopia coniuncta eſt, e. g. ſi magna ubique eſt frugum ſterilitas, pretium earum magis magiſque intendi, ipſa ſatis docet experientia. Ac proinde tunc vere evenit, quod ait Quinctilianus *Declam. XII. In magna inopia, quidquid emi poteſt, vile eſt*. Exemplum inſigne vidit Aegyptus in ſeptennali illa ſterilitate. *Gen. XLVII. 14. ſequ.*

Quid pretium adfectionis?

§. CCCXXXII. Obverti nobis poſſet, ſolere homines ſuis rebus attribuere pretium immenſum, vel multo majus certe, quam quo alter ſibi illas comparare velit, ſive auctor illas faciat pretioſas, ſive raritas, ſive factum inſigne, quod illae nobis revocant in memoriam. Enimvero, quum nos jam de officiis, in commercio obſervandis, agamus, in hoc vero pretii illius ordinarie non habeatur ratio, ſed tantum in damnis reſarciendis: (*) (§. CCXII, 125.) facile intelliges, 24. cur id pretium regulam noſtram non evertat.

(*) Adfectio enim iſta ita comparata eſt, ut in alterum tranſire nequeat, adeoque & nihil hunc movere poſſit, cur rem illam ſibi ideo maiore pretio comparare velit quod ea poſſeſſori iucundum quid in memoriam revocarit. Sed id ordinarie tantum verum eſt. Alioquin enim contingit aliquando, ut in commercio ne id quidem pretium plane inſuper habeatur, 1. ſi communis ſit rei adfectio ob auctorem vel artificem, a quo confecta eſt, vel ob inſignem raritatem vel pulchritudinem: Hinc Phidiae ſignum vel elaboratior Apellis vel Parrhaſii tabula, quia omnium adfectionem mereri videbantur, maiori, quam vulgari, pretio venibant. 2. Si maior ſit adquirentis, quam poſſidentis adfectio, e. g. ſi res mea alterius rem inſigniter reddere poſſit meliorem, ac proinde is optet, uti ille apud Horat. *Serm. II. 6.*

O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum!

Cur pretium eminens inventum?

§. CCCXXXIII. Quum vero commercia ideo inter homines inſtituantur, ut alter ex alterius adparatu, vel ejuſdem opera, id, quod ſibi deeſt, ſuppleat, (§. CCXXVI, 3.) & pretium quoque non ob aliam cauſſam excogitarint homines, quam ut in commutandis rebus ac operis aequalitas obtineretur: (§. CCCXXVIII, 11.) non potuit non ſaepius contingere, 25. ut nec ſemper alteri ſupereſſet, quod deeſſet alteri, & 26. ſaepe alter id, quod alter dare vellet, adſpernaretur, & 27. ipſarum rerum, quas inter ſe permutare vellent, tam lubrica atque incerta eſſet aeſtimatio, ut non poſſet non alteruter damni incurrere periculum, quin & 28. aliquando ipſae res commutandae tam magnae molis eſſent, ut nec commode in loca diſſita transferri, nec in itinere commode cuſtodiri poſſent. Quae incommoda, quum aliter evitari non poſſent: 29. ipſa demum neceſſitas invexit pretium aliquod eminens, quod & reciperetur ab omnibus, & in quo mutua inter rem & pretium relatio facillime poſſet reperiri (*).

(*) Id ipſum obſervavit Paullus JC. *l. 1. pr. D. de contr. emt.* dum emtionis venditionis originem ita deſcribit: *Origo emendi vendendique a permutationibus coepit. Olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium: ſed unusquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper & facile conveniebat, ut, quum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cujus publica ac perpetua aeſtimatio difficultatibus permutationem aequalitate quantitatis ſubveniret, eaque materia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra* MERX *utrumque, ſed alterum* PRETIUM *vocatur*. Similia habet Ariſtotel. *Ethic. ad Nicom. V. 8.* & *Pol. I. 6.* quae loca erudite expoſuit Jac. Perizon. *de aere gravi §. II. p. 6. ſequ.* quemadmodum Paulli teſtimonium Duaren. *Diſp. anniverſ. I, 6.*

§. CCCXXXIV.

§. CCCXXXIV. Idem finis numi, vel pretii eminentis, id exegit, 30. ut materia, nec nimis rara, 31. nec vulgo obvia, 32. nec uſu ac pretio deſtituta, (*) nec 33. difficulter in quasvis partes diviſibilis, 34. nec juſto fragilior, 35. nec quae difficilius cuſtodiri, vel 36. aegre in quemvis locum transferri poſſet, eligeretur: quia ſi rara nimis eſſet, non ſufficeret hominibus: ſi vulgo obvia, nullius pretii eſſet: ſi pretio deſtitueretur, non reciperetur ab omnibus: ſi non in quasvis aequales partes dividi poſſet, non obtineretur in commercio aequalitas: ſi fragilior eſſet, vel uſu deterereretur, poſſeſſores paullatim redderentur pauperiores: denique, ſi nec commode cuſtodiretur, & difficulter in quemvis locum transferretur, idem maneret incommodum, quod commercia, ante inventum numi uſum, difficiliora reddidiſſe, diximus. (§. CCCXXXIII.)

Ejus requiſita.

(*) Quare recte obſervavit Ariſtoteles *Nicomacheor. V.* 8. numum eſſe: ὅτι ἐγγυητὴν, καὶ δεῖν τὸ νόμισμα φέροντι εἶναι λαβεῖν, *veluti fidejuſſorem, quem qui ſecum ferat, quaevis venalia accipere poſſet.* Hinc vero praeclare colligit Pufendorff. *de jure nat. & gent. V*, 1, 13. *uti nemo fidejuſſorem accipiat, niſi virum ſpectatae fidei, & locupletem; in vili autem homine parum cautionis eſſe putetur: ita pro re ubique occurrente, puta pro manipulo terrae aut arenae, neminem rem ſuam permutaturum, quae ipſi magno labore ac induſtria fuerit comparata.*

§. CCCXXXV. Quae virtutes omnes, quum in nullam aliam materiam, quam in metalla pretioſiora, cadant, puta aurum, argentum, & aes: 37. haec metalla huic uſui adhiberi, & inde 38. numos variae quantitatis ac ponderis cudi, pleriſque gentibus cultioribus commodiſſimum viſum eſt. Quin 39. ſi quibus alii materiae qualicumque pretium aliquod eminens attribuere placuit (*): id, vel urgente neceſſitate & pecuniae inopia, factum eſt, eo conſilio, ut cives, defuncti periculo, pro pecunia illa συμβολικῇ ſolidum numum reciperent, per 40. pecunia iſta tantum in una gente functa eſt pretii eminentis vice, nec commerciis, inter plures diverſaſque gentes conciliandis, fuit idonea.

Cur ad id adhibita metalla nobiliora?

(*) Sic Carthaginenſibus pro numo erat neſcio quid, pelliculae exiguae illigatum, & publice obſignatum, Aeſchin. *dial. de divit. Cap. XXIV. p.* 78. *edit. Petri Horrei.* Lacedaemoniis pondus ferri, & quidem inutilis. Idem *ibid. p.* 80. Plutarch. *Lycurg. p.* 51. Aliis gentibus pro auro, argento & aere conchas, Leo Afr. *Lib. VII.* aliis grana & baccas, aliis maſſas ſalis, adhibere placuit. Pufendorff. *de jure nat. & gent. V*, 1, 13. De corio, papyro, plumbo, aliiſque rebus, in calamitate publica, maxime obſeſſis urbibus, pro pecunia expenſis, ut recentiora, noſtrique aevi exempla praetermittamus, videndus Polyaen. *Stratagem. III*, 10, 1. *& ibi Maſuic. p.* 274. Sen. *de benef. V*, 14. Enimvero, uti quiſquiliae illae, quibus barbari pro numis utuntur, non niſi minutis commercii inter cives eiuſdem reipublicae explicandis idoneae ſunt: ita moneta συμβολικὴ, in calamitate publica adhibita, vere eſt loco teſſerarum, vel chirographorum, quae ſummi imperantes, defuncti periculo, parata pecunia ſe redemturos, pollicentur. Ita enim apud Polyaenum Timotheus perſuaſit mercatoribus, ut ipſius ſigillo pro numiſmate uterentur, ἀπαλλασσομένους δὲ τὴν σφραγῖδα καὶ τὸ ἀργύριον λαμβάνειν, *& ut reddentes ſigillum, argentum reciperent.*

§. CCCXXXVI. Quamvis vero pretium numi definire ſit ſummi imperantis, ceu infra ſuo loco pluribus demonſtrabimus: tamen, uti in pretio vulgari ratio habenda eſt aliorum, a quibus quid adquirere cupimus, (§. CCCXXX, 15.) ita facile patet, 41. pecuniae quoque tale adſignandum eſſe pretium, quod alias gentes, quibuſcum nobis commercia ſunt, non adſpernaturas, probabile eſt, adeoque 42. ſequendam eſſe rationem unius metalli

Quantum pretii ſtatuendum ſit numis?

Digitized by Google

talli ad aliud, quam pleraeque gentes vicinae cultiores probare ſolent, niſi vel alios deterrere, quo minus nobiſcum commercium habere audeant, vel ipſi inſigne detrimentum pati velimus (*).

(*) Si enim numis noſtris pretium iuſto maius ſtatuimus, aut exteri nobiſcum commercii quid habere dubitabunt, aut mercium ſuarum pretium, pro ratione valoris interni monetae noſtrae, intendent. Sin minore pretio numos noſtros expendimus, quam gentes vicinae: nihil certius continget, quam ut numi noſtri probi ad vicinos migrent, eorumque loco iactentur improbi & viliores, ut nemo neſciat, quantum habeat. Hinc quum apud pleraſque gentes moratiores pro ratione temporum aurum ad argentum modo eſſet in proportione duodecupla, modo undecupla, modo decupla, aliquando etiam auri pretium vel intenderetur vel minueretur: (Vid. diſſert. noſtr. *de reduct. monet. ad juſt. pret.* § *XXIV. ſequ.*) fieri non potuit, quin detrimentum inſigne caperent Arabes, qui pro aere & ferro, teſte Diodoro Sic. *Biblioth. III*, 45. aequale pondus auri, vel, ut Strabo *Geogr. XVI. p.* 1124. *edit. noviſſ.* refert, pro aere triplum, pro ferro duplum, pro argento decuplum auri pondus rependebant, *διά τε τὴν ἀπειρίαν τῆς ἐργασίας, καὶ τὴν σπάνιν τῶν ἀντιλαμβανομένων, ὧν ἡ χρεία πρὸς τὸν βίον ἀναγκαιοτέρα*, *tum propter operandi inſcitiam, tum quod indigerent iis, quae contra accipiebant, quorumque uſus magis videbatur ad vitam neceſſarius*. De Peruvianis ſuis ſimile quid refert Ynca Garcillaſſ. de la Vega *dans l' hiſtoire des Yncas*, *V*, 4. *p.* 425.

Contractuum ante inventum numum antiquiſſimus permutatio.

§. CCCXXXVII. Jam ut ad CONTRACTUS, quibus intervenientibus commercia explicantur, (§. CCCXXVII, 7.) perveniamus: facile unuſquiſque intelligit, 43. alios NONDUM INVENTO PRETIO EMINENTI, & quum ſolum adhuc obtineret pretium vulgare, locum habuiſſe; (§. CCCXXX.) alios, INVENTO demum NUMO; alios, tum ANTE INVECTAM PECUNIAM, tum EA jam INVECTA, innotuiſſe. Inter eos, qui nondum invento pretio eminente locum habuerunt, familiam veluti ducit PERMUTATIO. Initio enim 44. non aliter, quam vice rerum, commercia exercebant mortales, ſeu merces ſuas operasve inter ſe permutabant, ac proinde 45. permutationes ſunt genus contractuum antiquiſſimum, quod 46. & multo poſt retinuere gentes omnes, non modo quae auro, argento, aeri nullum ſtatuerunt pretium (*), ſed & quae jam pridem pecuniae uſum habuerunt.

(*) Id de maioribus noſtris refert Tacitus *de morib. Germ. Cap. V.* qui tamen obſervat, iam ſuo tempore Germanos Romanis provinciis viciniores, aliquam pecuniae cupiditatem concepiſſe. Idem de Scythis memoriae prodidit Juſtinus *Hiſtor. II*, 2. de Satarchis, Scythiae Europaeae populo, Pompon. Mela *de ſitu orbis II*, 1. de Hiſpanis Strabo *Geogr. III*, *p.* 233. Sed & hodie idem inſtitutum ſervant Lapones, Samoiédae, populique Aſiae, Africae & Americae quam plurimi, idque de populis barbaris eo minus mirandum, quod & invento pridem numo, & Graeci & Romani diutiſſime non alio contractu, quam permutatione, uterentur. De Graecis notiſſimum eſt exemplum apud Homerum *Iliad* η. *v.* 472. de Romanis videndus Plinius *Hiſt. nat. XVIII*, 3. *XXXIII*, 1.

Quid & quotuplex permutatio?

§. CCCXXXVIII. Eſt ergo PERMUTATIO rei noſtrae pro re alterius datio. Quod quum dupliciter fieri poſſit, primum, ut neutra res aeſtimetur certumve ei ſtatuatur pretium, deinde ut utriuſque pretii ineatur ratio: ſequitur, 47. ut permutatio prior recte vocetur SIMPLEX, poſterior AESTIMATORIA, & hinc 48. illa donationi reciprocae; haec 49. emtioni venditioni quodammodo ſimilis ſit, *l.* 1. *C. de permut. l.* 1. §. 1. *D. de contr. emt.* quamvis, 50. priorem ideo diverſum a permutatione negotium eſſe, ſtatuat Puſend. *de offic. hom. & civ. I*, 15, 8. quod in ea, ut aequalitas obſervetur, neceſſum non ſit: quum tamen 51. nec in permutatione *aeſtimatoria* obſervanda ſit aequalitas (*).

(*) In

Digitized by Google

(*) In hac enim uterque contrahentium rem non ſuam, ſed alienam: non juſto, quod alii ſtatuerent, pretio, ſed ex adfectione ſua, aeſtimat, adeoque nulla eſt rerum, ſed adfectionis tantum, aequalitas. Quoties enim maior eſt adquirentis, quam poſſidentis, adfectio, toties & in commerciis rationem haberi pretii adfectionis, diximus (§. CCCXXXII, * 2.) Exemplo eſſe poteſt commercium Glauci & Diomedis apud Homer. *Iliad. β. v. 236.* permutantium arma armis:

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Aurea aereis, centena novenariis.

De qua permutatione eleganter Maximus Tyrius *Diſſert. Plat. XXIII.* Οὐδὲν γὰρ οὔτε τῷ λαβόντι χρυσὸς πλεῖον, οὔτε τῷ ἀλλαξαμένῳ ὁ χαλκὸς ἔλαττον, ἀλλ' ἀμφοτέροις καλῶς ἔχει ἑκάτερα ἐν τῷ ἀνίσῳ τῆς ὕλης, ἰσοστασίῳ τῇ γνώμῃ δοθέντα. *Neque plus habuit, qui aurum accepit, neque minus, cui aes traditum eſt. Verum cum utroque praeclare actum: quum illa materiae inaequalitas aequalitate propoſiti, quo alter dedit alteri, compenſata eſſet.*

§. CCCXXXIX. Quia ergo permutatio SIMPLEX donationi reciprocae quodammodo ſimilis, nec in ea neceſſario obſervanda eſt aequalitas: (§. CCCXXXVIII, 47.) 51. facile intelligitur, 52. neutrum contrahentium de laeſione conqueri poſſe, niſi 53. alterius vis, vel dolus, acceſſerit, (§. CCCXXII, 61. CCCXXI.) nec 54. ob laeſionem irritum eſſe contractum, praeterquam ſi is, qui rem pretioſiorem viliore permutat, non gaudeat libera de rebus ſuis diſponendi facultate, (§. CCCXVII. ſequ.) ſi vel maxime 55. res ipſa, quam quis hoc modo jactavit, ita ſit comparata, ut non ſine turpitudine poſſit alienari, niſi forte 56. in pari turpitudine ipſe quoque accipiens verſetur (*). Quid juſtum circa permutationem ſimplicem?

(*) Hinc dubitari poſſet, an in foro rata futura fuiſſet permutatio Jacobi & Eſavi, quorum hic *πρωτοτόκια*, ſeu *primogeniturae jura*, pro pulte turpiter vendidit *Geneſ. XXV, 29. ſequ.* Quamvis enim reprehenſione digniſſimus ſit Eſavus, qui praerogativam, ſibi a Deo O. M. conceſſam, flocci fecit, ac ille proinde ab Apoſtolo jure vocetur *βέβηλος*, *Hebr. XII, 6.* tamen non minus turpiter egiſſe dixeris Jacobum, qui ex fame fratris fructum capturus, cum hoc inſigni jure defraudavit. (§. CCCXXII, 61.) Quod enim Eſavus ſine crimine vendere non potuit, id nec ſine noxa a fratre emere potuit frater, cuius potius erat, fratrem ab ea ſtultitia abſterrere, non eius abuti ſtultitia. Sed multa eius generis ob rationem typicam admiranda ſunt, quae, ſi ad regulas rectae rationis exigantur, vix defendas.

§. CCCXL. Contra ea, quod ad AESTIMATORIAM attinet permutationem, quum in ea utriuſque pretii ratio ineatur, (§. CCCXXXVIII.) fieri non poteſt, 57. quin utrimque obſervanda ſit aequalitas, & 58. neuter alterum laedere debeat, neque adeo 59. rata ſit permutatio, ſi alteruter circumventus ſit, niſi 60. tam levis momenti ſit laeſio, nulla ut ejus ratio habenda videatur (*). Quid circa aeſtimatoriam?

(*) Pretium enim rerum *vulgare* eſt duplex, LEGITIMUM alterum, alterum CONVENTIONALE, quorum illud lege vel ſuperiorum arbitratu, hoc conventione vel conſenſu contrahentium definitur. Quum ergo illud certum ſit, & veluti in puncto conſiſtat, hoc, tamquam incertum, latitudinem aliquam admittat: priore caſu laeſus ille recte intelligitur, qui vel minimam partem pretii ſalvam non habet, poſteriore alicuius momenti eſſe oportet damnum, ob quod negotium ſubſiſtere non debeat in foro humano. *Quid* enim *intereſt*, inquit Seneca *de benefic. VI, 15. quanti ſit res, quum de pretio inter ementem & vendentem conveneris? Pretium cujuſque rei pro tempore eſt. Quum bene iſta laudaveris, tanti ſunt, quanto pluris venire non poſſunt.* Hinc in civitatibus animadvertimus, tantum ob laeſionem enormem, qualis iure Romano eſt, quo contrahens ultra dimidium pretii laeditur, contractus reſcindi, *l. 2. C. de reſc. vendit.*

§. CCCXLI. At 61. non res tantum permutabant homines, ſed & operas vel pro operis, vel pro aliis rebus, ſive promittebant, ſive ſibi ſtipula- Contractus do, ut fa-

Digitized by Google

cias, facio ut des, & facio, ut facias.

bantur. Unde *62.* nati contractus DO UT FACIAS: FACIO UT DES, FACIO UT FACIAS, quorum eadem eſt natura atque indoles, ac permutationis, ut adeo *63.* dubitari non poſſit, quin & hi ſint vel SIMPLICES vel AESTIMATORII, (§. CCCXXXVIII.) & hinc *64.* omnia, quae de permutatione SIMPLICE & AESTIMATORIA diximus, (§. CCCXXXIX. ſequ.) etiam de hiſce contractibus ſint obſervanda. Aut enim operae ad rem operasve alterius certo aeſtimantur pretio: quod negotium *pactum reddendae viciſſitudinis* non ineleganter vocat Ammian. Marcell. *Hiſt. XVI.* 10. aut ſine aeſtimatione rei operarumve aliquid pro re vel opera fit daturve (*). Ubi *65.* priore caſu ſervanda aequalitas, & damnum alicujus momenti reſarciendum eſt: *66.* poſteriore omnis querela de laeſione quantacumque merito ceſſat.

(*) Tale fuit promiſſum Agamemnonis apud Homerum *Iliad. Lib. X. v.* 120. *ſequ.* qui Achillem Briſeidis iactura offenſum placaturus, eius operas contra Troianos redimere volebat oblatis ſeptem tripodibus, decem auri talentis, lebetibus viginti, duodecim generoſiſſimis equis, ſeptem feminis pulcherrimis, inter quas & Briſeis, vi abducta, addito promiſſo, deleta Troia, Achillem non modo praedae maximam partem avecturum, ſed & unam ex filiabus, quam ipſe electurus eſſet, uxorem ducturum, cum dote ſeptem urbium. Ex quo patet, ſaepe aliquem ſibi ſtipulatum ab altero eſſe operas inaeſtimabiles, & pro iis promiſiſſe, quidquid alteri quam gratiſſimum fore exiſtimaret, nulla habita ratione aequalitatis.

Contractus commodati.

§. CCCXLII. Sunt & alii contractus, quibus ante numum inventum commercia explicari potuerunt, nimirum omnes gratuiti, quibus id egerunt homines, ut, quae ſibi jure imperfecto, vel ex amore humanitatis & beneficentiae, debebantur, in poſterum jure perfecto deberentur. Talis eſt contractus COMMODATI. Quum enim ad officioſitatem obſtricti ſimus: (§. CCXXVIII, 48.) obſtricti etiam ſumus, ad rei noſtrae non fungibilis uſum alteri, qui eo indiget, cum obligatione reſtitutionis praeſtandum, id eſt, ad rem COMMODANDAM (*). Quum vero, refrigeſcente amore, ſperari vix queat, alterum id ſua ſponte facturum: (§. CCCXXVI.) *67.* ipſa neceſſitas homines adegit ad inveniendum contractum, quo alii ad rei ſuae uſum iis hoc modo praeſtandum jure perfecto obligarentur.

(*) Itaque COMMODATUM nobis eſt obligatio perfecta ad uſum rei noſtrae, alteri ſub conditione reſtitutionis in ſpecie gratis praeſtandum. Ex eoque patet, iure naturali commodatum vix differre a precario, inter quae tamen iure civili aliqua differentia eſt. Facile etiam inde decidi poterit quaeſtio, utrum commodatum a ſolo contrahentium conſenſu, an a rei traditione ſuam ſubſtantiam capiat? Quamvis enim iure naturali & ſolus conſenſus de uſu rei, alteri praeſtando, obliget: (§. CCCXXVII, *6.*) nondum tamen *commodatum* eſt, quia is, cui hoc promiſſum, ad rem, quam nondum accepit, in ſpecie reſtituendam nondum eſt obligatus, ſed *pactum de commodando*. Inter haec vero reipſa diſcrimen eſſe, vel inde patet, quod ex *commodato* obligatur commodatarius ad rem reſtituendam, ex *pacto* autem de *commodando* promittens vel commodaturus, ad rei uſum praeſtandum, adeoque diverſae obligationes ex illis negotiis naſcuntur.

Officia commodatarii.

§. CCCXLIII. Quia ergo gratis, at ſub conditione eam in ſpecie reſtituendi, rei uſus praeſtatur: (§. CCCXLII. *) commodatarii eſt, *68.* rem modo non aliis uſibus, quam ad quos eam conceſſit dominus, adhibere, ſed & *69.* eamdem ſumma cum ſollicitudine ac diligentia ſervare: ac proinde *70.* uſu finito, vel domino eam revocante, eam in ſpecie reddere, ſimulque *71.* omne damnum, culpa ſua datum reſarcire, *72.* non autem

prae-

Digitized by Google

praeſtare caſum fortuitum, niſi illum ultro in ſe receperit: (*) (§. CVI, 27.) nec 73. impenſas in eam factas repetere, niſi tantae ſint, ut mercedem, pro ea locata ſolvendam, excedant.

(*) Primus equidem Grotius *de iure belli & pac.* II, 12, 13. diſtinguit resne apud dominum ſimiliter peritura fuiſſet, an non, & poſteriore ſaltim caſu damnum a commodatario ferendum eſſe, exiſtimat, cuius ſententiam etiam ſequuntur Pufend. *de jure nat. & gent.* V, 4, 6. & Mornac. ad *l.* 1. *C. commod.* Enimvero, quum caſus fortuiti & eventus, a ſola providentia divina profecti, nemini imputentur: (§. CVI, 27.) ii ſane nec commodatario imputari poſſunt. Nec obſtat lex divina *Exod.* XXII, 14. *ſequ.* Neque enim illa aliter intelligi poteſt, quam de culpa commodatarii interveniente. Vid. Jo. Clerici *Comment. in Exod.* p. 110.

§. CCCXLIV. Deinde humanitatis amor unumquemque obligat, ut alterius res pro virili ſua parte ſervare ſtudeat. (§. CCXVI, 4.) Quum vero & id tantum ab altero jure imperfecto exigere poſſimus: 74. ſaepe noſtra intereſt, ut rerum noſtrarum, apud alios depoſitarum, cuſtodiam, ex obligatione perfecta praeſtandam, nobis ſtipulemur: eoque conſilio 75. inventus eſt contractus DEPOSITI, per quem intelligimus obligationem perfectam ad res noſtras, depoſitarii fidei commiſſas, gratis cuſtodiendas, &, quandocumque nobis placuerit, in ſpecie reſtituendas (*). Contractus depoſiti.

(*) Eo contractu veteres nihil habuere ſanctius, quia deponens ſummam fiduciam in depoſitarii fide ac diligentia collocat, nihilque excogitari poteſt turpius, quam amicum ab amico amicitiae obtentu falli ac decipi. (§. CCCXXII. *) Hinc inſignis depoſiti religio non modo apud Hebraeos, de quibus *Exod.* XXII, 7. *ſequ.* & Joſeph. *Antiqu. Jud.* IV, 8. 38. verum etiam apud Graecos, & reliquos paganos, ceu docet exemplum Glauci apud Herodotum VI, 87. & Juvenalem *ſat.* XIII. qui ideo *v.* 15. *ſacrum* vocat *depoſitum*. Hinc non mirum, dira quaevis veteres praedixiſſe illis, qui depoſitum abnegare non dubitent, quin & eoſdem infamia notaſſe, nec minore poena, quam fures, dignos judicaſſe. Quaedam hanc in rem dicere meminimus Gundlingium *in Gundlingianis Part. II. diſſ. VIII.*

§. CCCXLV. Ex illa vero DEPOSITI definitione (§. CCCXLIV, 75.) patet, 76. depoſitarium teneri ad accuratam rei depoſitae cuſtodiam: nec 77. eam vel involucro aut vinculis exuere, vel 78. ſine domini conſenſu uſibus ſuis adhibere poſſe: 79. re vero conſentiente domino mota, depoſitum in aliud contractus genus, veluti in mutuum, vel commodatum tranſire. Denique 80. depoſitarium obligatum eſſe ad rem domino, quandocumque illam repoſcit, reſtituendam, niſi aliud ſuadeat recta ratio: (§. CCCXXIII. *) ac proinde 81. non modo ad aeſtimationem praeſtandam, verum etiam in poenam merito condemnandum eſſe, qui depoſitum, in primis miſerabile (*), ſciens, dolo malo, abnegaverit. Officia depoſitarii.

(*) Quia enim in imputatione ratio habetur circumſtantiarum: (§. CXIII, 52.) merito hoc facinus tanto deterius habetur, quo inhumanior ille dicendus eſt, qui non modo conceptam de ſe ſpem amici turpiter deſtituit, & amicum ſub amicitiae & fidei obtentu decipit, (§. CCCXXII. *) verum etiam adflicto addere adflictionem non dubitat. Et hoc ipſum graviter urget Hecuba adverſus Polymeſtorem, qui, Ilio exciſo Polydorum, Priami filium, occiderat, ut auro depoſito potiretur. Vid. Eurip. *Hecub.* v. 1210. *ſequ.*

§. CCCXLVI. Denique idem humanitatis amor merito impellere unumquemque deberet, ut alterum, non minus, ac ſeipſum, ope juvaret. (§. CCXVI, 4.) Quum vero ne id quidem certo ab altero expectare liceat: 82. opus fuit contractu, quo illum perfecte obligaremus ad negotia noſtra, Contractus mandati & negotiorum geſtionis.

Digitized by Google

quae ipſi commiſimus, gratis & diligenter expedienda (*). Quem contractum 83. MANDATUM vocari videmus, quemadmodum 84. is, qui negotia, ſibi non commiſſa, ignorante domino, gratis ultroque expedit, NEGOTIA GERERE dicitur.

(*) Vera ergo ac ſolida eſt obſervatio Noodtii *Probabil. I*, 12. mandatum olim non perfectam produxiſſe obligationem, ſed ex amicitiae humanitatiſque legibus obſtrictum fuiſſe mandatarium, ad negotia, ſuae fidei commiſſa, diligenter curanda: eius autem fidei ſymbolum fuiſſe *manus dationem*, qua alter alteri rem committere ſolebat. Unde & ipſum contractum MANDATI nomen accepiſſe, probabile eſt Iſidor. *Orig.* IV, 4. Exempla oblatae mandatariis dextrae dabunt. Plaut. *Captiv.* II, 3, 82. ubi adoleſcens:

Haec per DEXTRAM *tuam, te* DEXTERA *retinens manu,*
Obſecro, infidelior mihi ne ſuas, quam ego ſum tibi.

Et Terent. *Heaut.* III, 1. v. 84.

Cedo DEXTERAM: *porro te idem oro, ut facias, Chreme.*

Olim ergo totum hoc negotium ſolo pudore magis, quam legibus, continebatur, donec, tepeſcente paullatim caritate, ipſa neceſſitas ſuaderet, ut in contractum deduceretur hoc negotium, & ſic mandatario perfecta imponeretur negotium diligenter expediendi obligatio. Quod & de reliquis contractibus gratuitis eſt obſervandum.

Mandatarii officia.

§. CCCXLVII. Quum ergo mandatarius negotium alienum, fidei ſuae COMMISSUM, ſuſcipiat, (§. CCCXLVI, 82.) quid vero, & quantum alii committere quis velit, in domini arbitrio poſitum ſit: facile patet, 85. mandantem, vel certis limitibus circumſcribere mandatarium, vel 86. ei liberam poteſtatem, omnia ſuo arbitratu agendi, dare, vel ſaltim 87. per modum conſilii ei ſuggerere poſſe, quid fieri velit. Ubi 88. primo caſu mandatarium fines mandati transſilire non poſſe, 89. altero eumdem dolum tantum praeſtare, 90. tertio vero mandatum etiam per aequipollens recte expedire, nemo eſt, quin intelligat. Sed & 91. omnibus his caſibus mandatarium ad rationes adminiſtrationis vel geſtionis reddendas, 92. omnemque diligentiam praeſtandam, obligatum eſſe, vel ex ipſa hujus negotii natura ac indole colligimus (*).

(*) Eo pertinet inſignis locus Ciceronis pro Q. Roſc. Cap. XXXVIII. *Quid recipis mandatum, ſi aut neglecturus, aut ad commodum tuum converſurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis obſtas? Recede de medio: per alium tranſigam. Suſcipis onus officii, quod te putas ſuſtinere poſſe: quid minime videtur grave iis, qui minime ipſi leves ſunt. Ergo idcirco turpis haec culpa eſt, quod duas res ſanctiſſimas violat,* AMICITIAM *&* FIDEM. *Nam neque mandat quiſquam fere, niſi amico, neque credit ei, niſi quem fidelem putat. Perditiſſimi eſt igitur hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui laeſus non eſſet, niſi credidiſſet.*

Nec non negotiorum geſtoris.

§. CCCXLVIII. Sed & NEGOTIORUM GESTOR, dum negotium alterius, ſibi a nemine commiſſum, ultro & gratis ſuſcipit, (§. CCCXLVI, 84.) 93. hoc ipſo facto ſuo (*) ſe obligat tum ad utiliter gerendum, tum 94. ad omnem, quam negotium admittit, diligentiam praeſtandam, adeoque 95. etiam ad reddendas rationes, & 96. damna omnia, ſi qua ejus dolo vel culpa data ſint, reſarcienda.

(*) Qui facti auctor & cauſſa eſt, ei omnes eius effectus merito imputantur. (§. CV, 22.) Quum ergo auctor huiuſmodi adminiſtrationis ſit negotiorum geſtor, qui alterius negotio, nemine committente vel urgente, ultro ſuſcepit: (§. CCCLXXXVI, 84.) ei etiam merito imputantur omnia, quae ex adminiſtratione rerum alienarum conſequuntur. Atqui conſequentia adminiſtrationis ſunt rationum redditio & damni, dolo vel culpa dati, emendatio. Itaque negotiorum geſtor ad reddendas rationes, damnaque, ſive dolo malo, ſive culpa ſua, data reſarcienda obligatus eſt. Atque ita nihil attinet, obligationem hanc ex conſen-

ſenſu quodam ficto vel praeſumpto cum iureconſultis derivare, quum negotiorum geſtor facto ſuo ſe haec omnia tacite quidem, at vere tamen, obſtrinxerit.

§. CCCXLIX. Et hi quidem ſunt contractus, qui & nondum invento eminenti rerum omnium pretio, locum habuerunt, & de quibus id unum adhuc monemus, quod, quum tribus poſtremis contractibus ſe quis obliget ad aliquid gratis dandum faciendumque, non vero, ad damnum in alterius gratiam devorandum, 97. in illis nemini officium ſuum damnoſum eſſe oporteat, adeoque 98. & commodans commodatario impenſas non modicas, (§. CCCXLIII, 73.) & 99. deponens depoſitario quaſcumque neceſſarias, & 100. mandans mandatario, & 101. dominus negotiorum geſtori neceſſarias & utiles reſtituere, ſimulque hi omnes 102. damna, quae commodatarius, depoſitarius, mandatarius & negotiorum geſtor ſine culpa ſua propter rem negotiave aliena ſenſerunt (*), reſarcire teneantur. Officia commodantis, deponentis, mandantis, ejuſque, cujus negotia geſta.

(*) Dicimus, ea damna eſſe reſarcienda, quae mandatarius *propter* negotium alienum ſenſerit. Non enim ſufficit, eum occaſione ſuſcepti negotii aliquid damni caſu fortuito paſſum eſſe: quia, quum caſum nemo praeſtet, eum nec mandans praeſtare tenetur. Hinc ſi mandatarius, dum mandatum expedit, a latronibus ſpoliatus, vel difficili morbo implicitus fuerit: damnum, quod divina providentia ita dirigente, paſſus eſt, imputare non poterit mandanti. *Nam haec magis caſibus fortuitis, quam mandato, imputari oportet*, inquit Paullus, *l.* 26. §. 6. *D mandati*. Vid. Grot. *de jure belli & pac.* II, 14, 13. Aliud tamen ſtatuendum eſſe putant de legato, qui Principis imperio, publicorum negotiorum cauſſa, peregre abire iuſſus eſt, quem, quia in obſequio ei gloria relicta erat, merito indemnem a republica praeſtandum eſſe, cenſent. Vid. Huber. *Eunom. ad l.* 26. *D. mand.* Puſend. *Jur. nat. & gent. V*, 4. Hert. *de lytro* II, 10.

§. CCCL. Progredimur jam ad alterum genus contractuum, qui invento demum numo locum habere potuerunt, quales praecipue ſunt EMTIO VENDITIO & LOCATIO CONDUCTIO. *Illa* eſt contractus de re pro certa pretio tradenda. *Haec* contractus de uſu rei vel operis pro certa mercede praeſtandis. Quemadmodum vero PRETIUM EMTIONIS eſt aeſtimatio ipſius rei pecuniaria, ita MERCES vocatur aeſtimatio pecuniaria uſus rei, vel operarum: ex iiſque definitionibus patet, 103. emtionem venditionem & locationem conductionem ſemper hodie requirere pecuniam numeratam, 104. eoque ipſo hos contractus a permutatione, & contractibus *do ut des, do ut facias, facio ut des, & facio ut facias* diſtingui (*), 105. inter ſe ipſos tamen illos maxime convenire, & omnia fere communia habere. Contractus, qui invento demum numo locum habuerunt, emtio, venditio, & locatio conductio.

(*) Quamvis enim permutatio aeſtimatoria emtioni venditioni quodammodo ſimilis ſit: (§. CCCXXXVIII, 48.) reipſa tamen ab ea differt, quod in venditione intercedat numerata pecunia, in permutatione aeſtimatoria res pro re detur. Unde facile patet, quid ſentiendum ſit de vetere Sabinianorum & Proculianorum controverſia, pretiumne in emtione venditione in ſola pecunia numerata, an & in aliis rebus conſiſtere poſſit? de qua praeter viros doctos ad §. 2. *Inſt. de emt. vend.* videndus V. C. Gotif. Maſcov. *de ſect. Sabin. & Procul.* IX, 10, 1. *ſequ.*

§. CCCLI. Quum ergo EMTIONE VENDITIONE id agatur, ut res tradatur pro certo pretio: (§. CCCL.) conſequens eſt, 106. ut emtori aeque, ac venditori, rem ſeu mercem notam eſſe oporteat, ac proinde 107. non modo venditor ejus qualitates, vitia, oneraque, quae in oculos, ſenſuſque reliquos non incurrunt, emtori indicare (*), verum etiam 108. pati teneatur, ut hic rem luſtret oculis, aliiſque modis exploret: Ut adeo 109. rerum, quae ad guſtum veneunt, venditio non prius perfecta ſit, quam Venditor emtori rei venalis qualitates indicare tenetur.

facta

facta ſit deguſtatio ; 110. rerum reliquarum , quae exploratione indigent , non prius , quam facta ſit exploratio , quum , ſi de ullo , ſane de hoc contractu oneroſo verum ſit , quod dixit Euripides *Cyclope v.* 137. φῶς ἐμπολήμασι πρέπει. *Lux contractibus convenit.*

(*) Sunt vitia & qualitates , quae incurrunt in oculos , quaeque indicari ſupervacuum eſſet , quum , ſi quis in re fallitur , is caecitatis ſuae ac negligentiae poenam merito ferat : quo pertinet lis M. Marii Gratidiani cum C. Sergio Orata ; apud Ciceron. *de Offic.* III , 16. At leges Romanae , ut homines ſibi invicem hoc officium eo certius praeſtarent , ſtatuerunt , ut in venditionibus ea etiam , quae nota eſſent venditori , vitia dicerentur , iſque reticentiae poenam ferret , quid quidquam diſſimularet. *Nam , quum ex duodecim tabulis ſatis eſſet , ea praeſtari , quae eſſent lingua nuncupata , quae qui infictatus eſſet , dupli poenam ſubiret : a jureconſultis etiam reticentiae poena eſt conſtituta. Quidquid enim eſt & praedio vitii , id ſtatuerunt , ſi venditor ſciret , niſi nominatim dictum eſſet , praeſtari oportere ,* Cic. *de offi.* III , 16. qui & alibi *Cap* XII. diſputat , ſi vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia & fama , ſummaque annonae caritate , ſi idem ſciat , complures mercatores Alexandria ſolviſſe , naveſque in curſu frumento onuſtas , petentes Rhodum , viderit : dicturuſne id ſit Rhodiis , an ſilentio ſuum quam plurimo venditurus ? De qua quaeſtione videndi etiam Grot. *de jure belli & pac.* II , 12. §. *ſequ.* Puſend. *jur. nat. & gent.* V , 3 , 4.

Neuter in hoc contractu laedendus.

§. CCCLII. Ex eodem patet , 111. in emtione venditione aequalitatem ſervandam rei & pretii , (§. CCCXXIX , 15.) adeoque 112. laeſionem omnem merito eſſe emendandam , ſive illa 113. alterutrius dolo ac vi , ſive juſto errori (*) , debeat originem , quamvis 114. & hic merito repetendum ſit , quod ſupra monuimus , laeſionem alicujus momenti eſſe debere , quum & hic pretium non conſiſtat in puncto , ſed latitudinem aliquam admittat , nimiſque calidum videatur , ob quodlibet leviſſimum damnum negotium reſcindere , litibuſque infinitis portam veluti aperire (§. CCCXL. (*).

(*) Si nimirum inculpabilis , invincibilis vel involuntarius ſit error. (§. CVII , 32.) Alias enim , ſi quis rem nec ſatis exploratam , nec viſam , certo pretio emit : error nocere debebit erranti , niſi venditor illum dolo circumvenerit , (quod Labanem Jacobo , uxorem ementi , feciſſe novimus : *Geneſ.* XXIX , 23.) quia merito poenas dat erroris , qui , niſi nimis ſupina fuiſſet negligentia , non errare potuiſſet. Hinc recte Germani de hominibus , tam ſupine negligentibus ; iactant adagium : *Wer die augen nicht aufthut , der thue den beutel auf.*

Quem penes ſit periculum & commodum rei venditae ante traditionem.

§. CCCLIII. Diſputari ſolet de PERICULO & COMMODO REI VENDITAE , nec tum traditae , ſtatimne illud ad emtorem tranſeat , ſimulac de re & pretio conventum , an ante traditionem penes venditorem maneat ? Equidem , quid jure Romano ea de re cautum fuerit , nemo ignorat : nec quiſquam a nobis exiget , ut de ratione iſtius deciſionis multa hic dicamus. Nobis , de jure naturae nunc ſollicitis , extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur , 115. caſum ferre dominum : (§. CCXI. *) at nec minus certum eſſe arbitramur , 116. non eſſe merum caſum , qui ex alterius mora vel culpa provenit , adeoque , qui facto ſuo alteri damnum dedit , ad illud refarciendum omnino eſſe obligatum. (§. CCXI. 1.) Ex quibus ſequitur , 117. ut , quia emtor jure naturae ſine traditione ſit dominus , (§. CCLXXV.) periculum , perfecta emtione venditione , ſtatim tranſeat ad emtorem , niſi 118. venditor vel in mora tradendi , vel culpae alicujus reus ſit (*).

(*) Similis fere , ſed paullo obſcurior , eſt philoſophia Puſendorffii *de jure nat. & gent.* V , 5 , 3. diſtinguentis , utrum certus traditioni dies praefixus ſit , nec ne , & , ſi praefixus ſit , illene iam elapſus ſit , nec ne. Aequiſſimum enim illi

vide-

videtur, ut ante elapſum terminum res ſit periculo venditoris: elapſo vero termino, ob moram eadem emtori pereat. Enimvero, quum emtor iure naturae & ſine traditione fieri poſſit dominus, &, elapſo termino, non ſemper venditor in mora ſit, ſed aliquando & penes emtorem culpa illa eſſe poſſit: nos generatim emtori periculum attribuimus, cuius in arbitrio fuiſſet, rem emtam, ſoluto pretio, ſtatim accipere. Sin vero ille ex ſua parte adimplevit contractus leges, vel eas implere paratus eſt: venditor, qui in mora tradendi eſt, periculum merito ſuſtinet, ſive certus traditioni terminus praefixus fuerit, ſive non fuerit.

Juris Romani diſpoſitio an aequitati naturali conveniat?

§. CCCLIV. Quum ergo emtor ſine traditione ſtatim fiat dominus, ac proinde periculum ferat: (§. CCCLIII, 117.) conſequens eſt, 119. ut vera quidem ſit doctrina jureconſultorum de periculo rei venditae, ſed ea cum reliquis juris Romani principiis male cohaereat, quia, dominium ſine traditione ad emtorem tranſire, negant. 120. Ut quum domino jus ſit & fructus & acceſſiones commodaque reliqua ex re ſua percipiendi, (§. CCCVII, 4. ſeq.) eidem etiam commoda rei venditae competant. 121. Ut tamen id tunc demum procedat, ſi emtor venditori de pretio quocumque modo ſatisfecerit (*); ſiquidem alias ſimul haberet rem, ſimul pretium, adeoque cum alieno damno ſine juſta cauſſa fieret locupletior. (§. CCLVII.)

(*) Satisfeciſſe autem de pretio videtur, non ſolum, qui illud repraeſentavit, ſed &, cuius fidem ſequutus eſt venditor, v. g. uſuras ſibi in ſingulos annos ſtipulatus. Hinc quamvis ſimpliciſſimum contractuum genus videatur illud, quando, ſoluto pretio, illico res vendita traditur, i. e. *Graeca fide* inter, ſe mercantur homines, quod commercii genus ſolum in republica ſua tolerare voluit Plato *de Legib. Lib.* XI. pro hac tamen rerum conditione vix ſperandum eſt, id ſemper fieri poſſe, & ipſa experientia docet, commercia magis fide, quam mercatores vocant *den credit*, quam rei pecuniaeque commutatione conſtare.

Quando venditoris ſit periculum?

§. CCCLV. Quandoquidem vero venditori, qui in mora tradendi, culpaeve alicujus reus eſt, res merito perit: (§. CCCLIII, 118.) facile unuſquiſque intelligit, 122. emtorem a periculo immunem eſſe, ſi venditor, illi offerenti pretium, vacuam rei venditae poſſeſſionem tradere vel nolit, vel non poſſit, itemque 123. ſi probetur, venditoris culpa, vel negligentia factum eſſe, ut res vendita, vel tota, vel pro parte, periret.

Venditor emtori debet evictionem.

§. CCCLVI. Emtio venditio porro fit eo conſilio, ut res pro certo pretio tradatur, (§. CCCL.) & animo quidem, dominium in alterum transferendi. (§. CCLXXVIII, 35.) Quum vero, qui rei dominium titulo oneroſo, veluti pro certo pretio, in alterum tranſtulit, ad praeſtandam evictionem ſit obligatus: (§. CCLXXIV.) 124. etiam venditor emtori tenebitur ad praeſtandam EVICTIONEM, ſi res ab hoc ex cauſſa contractum antecedente evicta ſit, non autem, 125. ſi poſt venditionem demum aliquid evenerit, cujus cauſſa quis re ſua privaretur, nec 126. ſi caſu, vel vi majore, res ei ſit erepta (*).

(*) Sane & quae vi maiore contingunt, caſu contingere videntur. Quandoquidem ergo caſum, perfecto iam contractu emtionis venditionis, fert dominus: (§. CCCLIII, 117.) etiam, re vendita caſu vel vi maiore ſibi erepta, damnum devorare, nec a quoquam petere evictionem poteſt. Ceterum nullum eſt dubium, quin quemadmodum alia pacta, quae huic contractui accedunt, rata eſſe oportet: ita & convenire inter ſe poſſint emtor & venditor, ne quid evictionis nomine praeſtetur, ſed res ſit emtoris periculo, quale pactum virginis venditioni adiicit Sagariſtio apud Plaut. *in Perſa* IV, 4. v. 40.

Prius dico: hanc MANCUPIO *nemo tibi dabit, jam ſcis?* DO. *Scio.*

§. CCCLVII. Quia porro emtio venditio eſt contractus (§. CCCL.) **Huic con-**

con-

Digitized by Google

tractui quaevis pacta recta adiiciuntur. contractus vero duorum conſenſum requirit: (§. CCCXXVII, 6.) facile patet, 127. in emtione venditione omnia redire ad conſenſum, adeoque 128. ei qualiacumque pacta, modo non improba ac fraudulenta, adjici poſſe, veluti 129. ADDICTIONEM IN DIEM, 130. LEGEM COMMISSORIAM, 131. PACTUM DE RETROVENDENDO, 132. itemque PROTIMISEOS, 133. de EVICTIONE non praeſtanda, 134. de POENA in caſum poenitentiae praeſtanda, & ſi qua ſunt ejus generis alia (*).

(*) Definitiones horum pactorum ex ipſo iure civili nota ſunt. ADDICTIO IN DIEM eſt pactum de emtione venditione vel perficienda, ſi intra certum diem nemo plus obtulerit, vel iam perfecta reſcindenda, ſi quis intra iſtud tempus plus, nec prior emtor tantumdem obtulerit. LEX COMMISSORIA pactum, quo venditor, rem inemtam fore, cavet, ſi pretium ante certum diem non ſolvatur. Exemplum eſt apud Corn. Nep. *in vita Attici Cap.* VIII. PACTUM DE RETROVENDENDO conventio de re vendita, pretio ante vel poſt certum diem, vel quandocumque reſtituto, venditori reddenda. Qualis eſt venditio apud Liv. XXXI. 13. & Julium Capitolin. *in Marco Cap.* XVII. Pactum προτιμήσεως conventio de re iterum venali venditori potiſſimum eiusve poſteris tantumdem pretium, quod alii offerunt, ſolventibus, vendenda. Reliquorum pactorum natura & indoles ex ipſis vocabulis facile intelligitur.

Nec non exceptiones, conditiones, dies. §. CCCLVIII. Ex eodem axiomate colligimus, 135. licere venditori in venditione ſibi aliquid EXCIPERE, 136. utrique vero contrahenti CONDITIONEM quamcumque, quae honeſtati boniſque moribus non repugnat, itemque 137. DIEM, ante quem res tradenda, pretiumve ſolvendum ſit, adjicere (*), quin 138. & ita convenire, ut pretio ab emtore nondum ſoluto, dominium tantiſper penes venditorem maneat, vel 139. ut emtor, pretii parte ſub uſurarum lege ſecum retenta, de evictione ſecurus praeſtetur, 140. ut acceſſoria cum re principali veneant, 141. ut fixa vincta quaedam tollere liceat, 142. ut res vendita venditori pro certa mercede locetur, cetera.

(*) Quin & ipſa venditio ad certum diem ita fieri poteſt, ut circumacto tempore, pactione definito, res vendita ad venditorem eiuſve heredes revertatur, nec emtor repoſcere poſſit pretium. Exemplo Anglorum, ſaepe praedia ſua hac lege vendentium, id probant Puſend. *Jur. nat. & gent.* V, 5, 4. & ibi Hert. *p.* 690.

Emtio per auctionem, ſub haſta, per averſionem, ſpei. §. CCCLIX. Praeterea & id inde inferimus, 143. quod, quamvis emtio venditio alioquin requirat aequalitatem, (§. CCCLII, 111.) utriuſque tamen contrahentis conſenſu conveniri poſſit de ejus generis emptionibus venditionibus, quae ob inaequalitatem quantamcumque non reſcinduntur. Tales ſunt 144. AUCTIO, quando pretium non a venditore indicatur, ſed ab emtoribus, licitando certantibus, definitur: 145. EMTIO SUB HASTA, quippe quae nihil aliud eſt, quam auctio ſollemnior, & auctoritate publica inſtituta: 146. EMTIO PER AVERSIONEM, quando res diſparis pretii, vel incertae menſurae, non ſingulatim, ſed conjunctim, aeſtimatae, emuntur: denique 147. EMTIO SPEI, quo & ollam fortunae, ſimiliaque negotia, retuleris, quando quis pro re vel quantitate, adhuc incerta, ac ex eventu demum certa futura, certum pretium ſolvit. In quibus contractibus omnibus quum aequalitas non requiratur: (n. 143.) conſequens profecto eſt, 148. ut neuter contrahentium hic de laeſione conqueri poſſit, niſi vel dolus alterutrius interceſſerit, vel de re, quam eventus offert, a contrahentibus non fuerit cogitatum (*).

(*) Et

Digitized by Google

(*) Et inde decidenda erat lis inter iuvenes Mileſios, qui iactum retis emerant, & piſcatores Coos, qui illum vendiderant, & poſtea mari extraxerant tripodem aureum. Equidem, utrisque ſibi hunc inſperatum theſaurum adferentibus, neutris eum addixit Apollo, abſurdeque pronunciavit:

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος; τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

De tripode ex Phoebo quaeris, Mileſia pubes;
Huic tripodem addico, cui ſit ſapientia prima.

Laert. I, 28. Val. Max. IV, 1. Sed ſatis conſtat, tripodem, ſi de domino non conſtiterit, fuiſſe piſcatorum. (§. CCCXXIV, 69. 70.) Nec obſtabat profecto contractus, cum adoleſcentibus Mileſiis initus, quippe qui ſibi non tripodas aureos, de quibus neutri contrahentium cogitaverant, ſed piſces, quos capturi eſſent, fuerant ſtipulati. Conf. *l.* 8. §. 1. *D. de contr. emt. l.* 11. §. *ult.* & *l.* 12. *D. de act. emt.*

Locatio etiam conductio, invento demum numo pretio eminente, locum habuit.

§. CCCLX. Alter contractus, qui invento demum numo vel pretio eminente, locum inter mortales habuit, eſt LOCATIO CONDUCTIO. (§. CCCL.) Quamvis enim iure Romano in locatione praediorum ruſticorum, quippe fructuoſorum, etiam pars fructuum, quam *quantam* vocant (*), mercedis vice fungatur, *l.* 21. *C. loc. cond.* ſic vero hic contractus, etiam ante inventum pretium eminens, locum habere potuerit: nulla tamen eſt ratio, cur non potius ad contractum DO UT DES referri poſſit illud negotium, quum tunc rei uſus non cum numo, tamquam pretio eminente, ſed cum pretio vulgari fructuum comparetur, adeoque contingere poſſit, ut, quia fructuum non eadem ſemper aeſtimatio eſt, ſed illa pro ſterilitate ubertateque anni modo intenditur, modo remittitur, uno anno locator, altero conductor, laedatur.

(*) Si enim praedii dominus ſibi pro mercede partem quotam ſtipuletur: id negotium ſocietatis naturam induere, ex ipſa ſocietatis definitione, quam infra dabimus, ſatis conſtabit. Ceterum locationem praedii fructuoſi pro parte quanta fructuum a locationis conductionis natura plane degenerare, vel inde patet quod, quum haec ſit contractus oneroſus, in eoque requiratur aequalitas, (§. CCCXXIX, 15.) hic tamen illa vix obtineri poſſit. Nam ſi mihi pro praedii uſu in ſexennium, in ſingulos annos ſtipuler triginta medimnos tritici, totidemque ſiliginis: fieri poteſt, ut in huius anni ubertate, vileſcenteque annona, merces ſit mediocris, & uſui praedii proportionata, inſequente anno ob ſterilitatem difficultatemque annonae immodica. Et hinc iam antea monuimus, locationem conductionem ſemper requirere pecuniam numeratam. (§. CCCL, 103.)

Officia locatoris.

§. CCCLXI. Quia ergo locatio conductio eſt contractus de rei uſu vel operis pro certa mercede praeſtandis: (§. CCCLI.) conſequens eſt, 149. ut locator conductori debeat rei uſum operasve conventas praeſtare, adeoque, 150. ſi vel illius culpa, vel caſu, contingat, ut conductor re uti, vel ipſe operas promiſſas praeſtare non poſſit: merito etiam pro rata ceſſet promiſſa merces (*) immo 151. locator aliquando ad id, quod intereſt, poſſit conveniri, idemque ſit dicendum, 152. ſi locator conductorem, nondum finita locatione, ſine iuſta cauſſa expellere non dubitarit.

(*) Hanc aequitatem omnes veteres agnoverunt, veluti Seſoſtris, Rex Aegyptiorum, qui, ſi cui de agro vis fluminis aliquid abraſiſſet, penſionem pro rata minui iubebat. Herodot. *Lib.* II. *p.* 81. *edit. Steph.* Nec minus aequitatem ea in re ſervabant Romani, teſte Polybio *Hiſt.* VI, 15. & in his Caeſar, teſte Suetonio *Cap.* XX. Attamen intellectu facile eſt, hic quoque damnum intelligi, non modicum, ſed gravius, quum ſaepe illud maiore commodo & maxime in praediis fructuoſis, plerumque unius anni ſterilitas ubertate alterius penſetur, & incivile ſit, luero quovis frui velle conductorem, damnum vero etiam levius illum ferre nolle.

Digitized by Google

Itemque conductoris.

§. CCCLXII. Similiter & conductoris eſt, 153. mercedem conventam juſto tempore ſolvere, 154. re, quam utendum accepit, quippe aliena, & in ſpecie reddenda, boni viri arbitratu uti, 155. damnum ſua culpa datum reſarcire, nec 156. rem, nondum finito locationis tempore, deſerere, niſi juſtae cauſſae, veluti hoſtium incurſio, metus peſtis, ſimileſque caſus conductori id conſilii extorqueant. Quum enim a locatore jure exigat, ut res ipſi integra & ſalva tradatur, ut indemnis praeſtetur, neque ante tempus expellatur: (§. CCCLXI, 150. ſequ.) aequiſſimum eſt, ut, quod ipſe ſibi vult vel non vult fieri, id & alteri faciat, vel non faciat, (§. LXXXVIII, 54. ſequ.) maxime quum & in hoc contractu, tamquam oneroſo, merito ſervanda ſit aequalitas. (§. CCCXXIX, 15.)

De pactis huic contractui adjectis & relocatione tacita.

§. CCCLXIII. Ceterum, quum conſenſu conſtet hoc negotium: (§. CCCXXVII, 6.) facile patet, 157. huic quoque contractui adjici poſſe qualiacumque pacta, quae bonis moribus haud repugnant (*). 158. Eum tum pure, tum ſub conditione, tum in diem, recte iniri. Quumque conſenſus etiam tacitus verus conſenſus ſit: merito inde colligimus, 159. jure optimo maximo valere etiam RELOCATIONEM TACITAM, ſi, elapſo tempore, neuter contractui renunciarit: & tunc 160. aequiſſimum eſſe, ut iiſdem legibus & conditionibus facta intelligatur relocatio, quas uterque contrahentium antea in ipſa locatione probavit.

(*) Hinc ſaepe iis legibus locantur praedia, ut in negotio iſto parum ex natura locationis conductionis ſuperſit. Hinc locationes perpetuae. Hinc irregulares, quibus ſimul dominum & periculum in conductorem devolvitur, qualem cum Sauſeio contractam eſſe, narrat Alfenus Varus *lege* elegantiſſima 31. *D. locati*, praeclare illuſtrata a V. A. Corn. van Bynkershoek *Obſ.* VIII. 1. *ſequ.* Nec abſimilis eſt contractus, Germanis non ignotus, quem SOCIDAE vocant, de quo poſt Taboris *ſingularem diſſert.* nos quoque diximus *Elem. Jur. Germ.* II. 14. §. 105.

Inter contractus, qui & ante, & poſt inventum numum locum habuerunt, eſt mutuum.

§. CCCLXIV. Et hi quidem ſunt contractus, quos invento demum pretio eminente, locum habere coepiſſe, diximus. Sequuntur illi, qui & nondum invento numo, & illo jam invento, locum habere potuerunt. Eorum familiam ducit contractus MUTUI, per quem intelligimus praeſtationem rerum fungibilium, ea lege factam, ut tantumdem quandoque in eodem genere reſtituatur (*). Quum enim non ſolum pecunia, ſed & quaelibet res fungibilis, credi hoc modo poſſit: manifeſtum eſt, 161. hunc contractum, etiam antequam homines pecuniam, tamquam communem rerum menſuram, invexerunt, locum habuiſſe, & hodie eſſe frequentiſſimum.

(*) RES vero FUNGIBILES vocamus, quas adnumerare, admetiri, & adpendere ſolemus. Earum vero haec indoles eſt, 1. ut nullus illarum ſine abuſu vel conſumtione uſus ſit, itemque 2. ut ſolutionem recipiant per functionem, tam in genere, quam in ſpecie. *l.* 2. §. 1. *D. de reb. cred.* id eſt, ut ſi debeam centum aureos, ſolutum ſibi eſſe fateatur creditor, ſive eoſdem, quos mihi adnumeravit, ſive centum alios eiuſdem generis, reddiderim. Ex quo ſimul patet, quid nobis ſit REM REDDERE IN EODEM GENERE, nempe tantumdem, tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis reddere. Inde vero nova ſequitur rerum fungibilium proprietas, nempe 3. quod in iis tantumdem ſit idem; nec 4. eae res (uti recte obſervavit Thomaſ. *diſſ. de pretio adfect. in res fung. non cad.*) recipiant pretium adfectionis, niſi ſint rariſſimae & tantumdem in eodem genere non facile reperiatur. Sic quamvis Romae vinum Falernum eſſet res fungibilis: adfectio tamen cadebat in Trimalcionis *vinum Opimianum annorum centum*, cuius meminit Petron. Arbit. *Satyr. Cap.* XXXIV.

§. CCCLXV.

In debitorem transfertur rei creditae dominium.

§. CCCLXV. Quum itaque in mutuo ea lege debitori praeſtetur res fungibilis, ut tantumdem quandoque in eodem genere reddatur: (§. CCCLXIV.) conſequens eſt, 162. ut debitori detur facultas rebus illis, ſibi creditis, abutendi, adeoque 163. creditor ſe jure debitorem alioſque uſu rerum illarum excludendi abdicarit, illudque ſub conditione tantumdem recipiendi in debitorem tranſtulerit. Quum vero jus illud, alios uſu rerum excludendi, ſit dominium: (§. CCXXXI.) inde porro colligimus, 164. mutuum eſſe alienationem, rerumque creditarum dominium in debitorem omnino tranſire (*).

(*) Notum eſt, quos fluctus in ſimpulo moverit Alexius a Maſſalia, id eſt, Claudius Salmaſius, ut Iureconſultos, hanc theſin defendentes, ludibrio exponeret. Sed tela eius, ex iure civili depromta, tam fortiter retuderunt, aliaque multo inſigniora in illum detorſerunt Wiſſenbachius, Fabrottus, aliique viri doctiſſimi, ut cauſſa hodie perorata videatur. Sed haec fundamenta oſtendunt, ne rectam quidem rationem refragari iureconſultorum ſententiae, vel Salmaſio favere. Verum quidem eſt, quantitatem non alienare creditorem, quippe quam ſibi ſalvam eſſe cupit, dum, ut tantumdem in eodem genere reddatur, cavet: at ſpecierum traditarum & dominium & periculum ad debitorem procul dubio tranſit, ceu ipſe demum Salmaſius, ad incitas redactus ab adverſariis, fateri coactus eſt.

Debitoris obligatio.

§. CCCLXVI. Ex eadem definitione colligimus, 165. debitorem obligatum eſſe ad tantumdem, non modo ratione quantitatis, ſed & qualitatis reddendum, adeoque 166. ſi pecunia fuerit credita, ejuſque valor internus poſtea vel auctus, vel imminutus fuerit: merito rationem habendam eſſe temporis, quo contractus initus eſt, atque hinc ſorti tantum decedere debere, quantum poſtea valoris numo acceſſit, vel tantum accedere, quantum pretii numi deceſſit. Praeterea 167. debitorem non debere in mora ſolvendi eſſe, nec 168. eum ab hac obligatione, vel rei fungibilis, quam a creditore acceperat, interitu, vel ullo caſu fortuito liberari (*).

(*) Quum enim dominium rei fungibilis creditae transferatur in debitorem, (§. CCCLXV, 164.) caſum vero ferre teneatur dominus: (§. CCXI.) fieri non poteſt, ut debitor liberetur, ſi v. g. vinum ſibi creditum in acetum abiiſſe, pecuniamve creditam furto ſubtractam eſſe, vel alio caſu interiiſſe, conqueratur. Multo minus ergo debitorem, qui ſolvendo non eſt, excuſabit paupertas, ſi vel nequitia ſua diſperdiderit bona, vel otio torpens, fucorum inſtar, alienis opibus vivere, & res, ab alio non ſine ſudore partas, turpiter abligurire non dubitarit. Eſt enim hoc hominum genus peſtilentiſſimum, & ad nefanda quaevis facinora perpetranda profligatum, ſiquidem fieri non poteſt, ut aliena non adpetant, qui dilapidarunt ſua. Quo pertinet oratio Catilinae apud Salluſt. *Catil. Cap. XX.*

An uſurae jure naturae licitae?

§. CCCLXVII. Ceterum, quamvis hic contractus ſua natura non minus, quam commodatum, ſit gratuitus: mos tamen, tepeſcente jam caritate hominum, invaluit, ut creditores ſibi praemium aliquod pro ſorte conceſſa a debitoribus ſtipularentur, quod ſi in parte ſortis quota ſingulis annis, menſibusve praeſtanda, conſiſtit, USURA vel FOENUS adpellatur, quamvis poſterius vocabulum ſaepenumero in malam partem pro mordacibus uſuris, quibus debitorem aliquando ad incitas redigunt creditores, accipiatur. De his vero uſuris vetus haec, & a multis viris doctiſſimis agitata eſt quaeſtio, easne a debitoribus recte ſibi ſtipulentur creditores, an jus naturae illis refragetur (*)?

(*) Non eſt, quod hic verboſius agamus de huius controverſiae, quae ſuperiore ſaeculo in Belgio recruduit, hiſtoria. Otium nobis fecerunt celeberrimus

Noodtius *de foenore & uſuris* I, 4. *ſequ.* Martinus Schoox *Exercit. var. p.* 430. *ſequ.* & Thomaſ. *Not. ad Lancellot.* IV. 7. *not.* 275. *p.* 2024. *ſequ.* qui poſtremus & occaſionem huius controverſiae, & alterutrius ſententiae patronos, diligenter recenſet. Fatendum tamen eſt, pleroſque viros doctos, qui de hac quaeſtione ſcripſerunt, magis de iure divino poſitivo, quam de naturali, fuiſſe ſollicitos, adeoque huius iuris ſtudioſos non multum utilitatis ex plerorumque lectione capturos (*a*).

(a) Longius abimus, ſi cuncta quae raptim heic aggeruntur, expendere ſit animus. Et quidem ne implexio ſive verborum ſive rerum caliginem magis offundat, 1. alia mutuum exigit, alia contractus a mutuo longe diverſus: quae licent in hoc alio quandoque, non licent in mutuo: hoc enim in dati & accepti aequalitate abſolvi nemo diffitetur. 2. aliae ſane ſunt Uſurae compenſativae, aliae lucrativae: illae quidem juſto titulo nituntur ſive lucri ceſſantis, ſive damni emergentis, ſive periculi proximi & mutuo extranei, ſive poenae conventionalis culpae reſpondentis, & quia titulo juſto, quo contrahentium ſervatur aequalitas, exiguntur, utique licent. At uſurae quae nullo fulciuntur titulo, nulla cauſſa ſuſtinentur, niſi ſola lucri cupidine, lucrativae proinde nuncupatae, in contractu ſua natura gratuito, illicitae, injuſtae, noxiae ſunt; nec contra charitatem tantum, ſed contra juſtitiam pugnant.

Fruſtra objeceris 1. utilitatem accipientis; nam propriam non alienam utilitatem vendere licet. 2. lucrum ingens mutuatarii: hoc enim induſtriae alienae, non ſuae fructus eſt. 3. privationem rei ſuae: nam liceat quidem ſe re ſua in utilitatem alterius privare nolle (exceptis neceſſitatibus, in quibus vel charitas urgeat) at cum te privare re tua volueris contractu gratuito, integrum tibi non eſt, niſi titulus adſit, aliquid praeter ſortem vindicare: Id infra repetitum velim, ſive cum de pignore, ſive cum de Antichreſi verba fient.

Quod adfirmandum.

§. CCCLXIII. Enimvero, quum I. injuſtum non ſit, cum aliis res non gratis communicare, ſed mercedem aliquam exigere; (§. CCCLXXVIII, 8.) deinde II. alter, alterius rebus abutens, aliquando inſigne lucrum faciat, creditor vero interea re ſua, ſaepe non ſine damno & incommodo, careat, neminem vero cum alterius damno locupletiorem fieri oporteat; (§. CCLVII.) praeterea III. maximum periculum ſubeat, qui debitori res ſuas ea lege concedit, ut iis abuti poſſit, adeoque non abſurdum ſit, creditorem ab hoc mercedem aliquam pro magnitudine periculi exigere: (§. CCCXXXI, 22.) rectiſſime inde colligere nobis videmur, *169.* rectae rationi in ſe non repugnare pactum uſurarium, cum eo initum, qui ex pecunia noſtra lucrum inſigne facere poteſt (*): & quamvis 170. uſurae quantitas definienda ſit pro ratione lucri, quod probabiliter ex ſorte capere poſſe videtur debitor: tamen 171. non iniquum eſſe, eam pro periculi magnitudine, raritate pecuniae, ſimilibuſque circumſtantiis, intendi, (§. CCCXXXI, 22.) ceu exemplum *foenoris nautici* oſtendit.

(*) Cui doctrinae fruſtra alii obvertunt, 1. numum eſſe rem ſterilem, adeoque inde uſuras, quaſi *τόκον* ſeu foetum, non poſſe exigi. Eſt enim numus res ſterilis phyſice, non civiliter, quia ſaepe per commercia pecunia quis alterum tantum, immo multo plus, lucratur. *Matth.* XXV, 16. 17. 2. Commodatum eſſe gratuitum: ergo & mutuum tale eſſe debere. Commodans enim, rei non fungibilis uſum alicui concedens, minus incommodi ac periculi ſentit, quam creditor, dum rei fungibilis dominium cum facultate ea abutenti in debitorem transfert. 3. Ipſum Deum uſuraria pacta prohibuiſſe: *Exod.* XXII, 25. *Lev.* XXV, 37. *Pſalm.* XV, 5. *Luc.* VI, 34. *ſequ.* Conventiones enim uſurarias Deus tantum proſcripſerat ex republica Hebraeorum eatenus, ut Iſraelita ab Iſraelita illas exigere non poſſet: eas autem inter Iſraelitas & extraneos diſerte permiſerat. *Deut.* XXIII, 19. 20. Jus naturae autem inter contribules & extraneos nihil ſtatuit diſcriminis. Conf. Jo. Selden. *de jure nat. & gent.* VI, 10. Jo. Cleric. *ad Exod.* XXII, 25. *p.* 112.

§. CCCLXIX.

Digitized by Google

Quid pignus, hypotheca, pactum antichreticum?

§. CCCLXIX. Alter contractus ejus generis eſt PIGNUS, per quod intelligimus obligationem ad rem creditori in ſecuritatem crediti tradendam. Si enim res, maxime immobilis, non traditur, ſed tamen creditori in illa conſtituitur jus, illam, ſi nomen non expunctum fuerit, occupandi, negotium illud, quod inter creditorem & debitorem interceſſit, HYPOTHECA adpellatur. Denique ſi placuerit, ut fructus rei, in ſecuritatem crediti traditae, creditor vice uſurarum percipiat: conventio haec PACTI ANTICHRETICI nomine venit.

Quid iuris circa pignus?

§. CCCLXX. Itaque ex definitione PIGNORIS patet, 172. rem oppignoratam debere eſſe in bonis debitoris, adeoque 173. fraudem animadverſione digniſſimam eſſe ejus, qui rem alienam, veluti commodatam, depoſitam, locatam, pignori ſupponit. 174. Creditoris eſſe, pignore, ſi uſu deterius fieri poſſit, non uti, ſed 175. illud non minore diligentia, quam res proprias, cuſtodire, &, 176. ſoluto debito, debitori reſtituere. Denique, quum regulariter caſum ferat dominus: (§. CCXI. *) conſequens eſt, 177. ut & pignoris periculum penes debitorem maneat, iſque, 178. pignore caſu fortuito pereunte, ad ſolvendum, quod debet, nihilominus ſit obligatus (*).

(*) Jure equidem Germanico medii aevi, caſu intereunte pignore, debitor ab obligatione ſolvendi debitum liberatus erat. JUS prov. Sax. III, 5. *Stirbt ein pferd, oder ein vieh in der verſatzung, ohne ienes ſchuld, der das under ihm hatte, bewveiſet er das und thut auch dazu ſchvveren, er gilt es ihm nicht, er hat aber ſein geld verlohren, da es ihm vor verſatzt ſtund, ihr gelubde ſtunde dann anders.* Quibus gemina ſunt in Spec. Suev. *Cap.* CCXLIII. Aliquando & pacto ſpeciali cavebatur, ut periculum eſſet penes creditorem, quale eſt apud Pontan. *Hiſt. Dan. Lib. IX. ad ann.* MCCCCXI. Sed uti id ex ſingulari Germanorum principio, quod creditor dominium pignoris conſequeretur, fluebat, de quo nos *Elem. jur. Germ. Lib.* II, 11. §. 319. *ſequ.* ita rationes noſtrae in ipſo paragrapho adlatae non ferunt, ut haec iuri naturali attribuamus.

Quid circa hypothecam?

§. CCCLXXI. Denique ex HYPOTHECAE definitione (§. CCCLXIX.) colligimus, 179. eam vix conſiſtere poſſe in rebus mobilibus, quas debitor, inſcio creditore, facile alienare, & in extraneum transferre poſſet, ſed 180. in immobilibus maxime, veluti fundis, aedibus, urbibus & territoriis (*): nec non 181. in univerſitatibus rerum mobilium diffuſioribus, quae non aeque facile e loco in locum transferuntur, veluti bibliothecis numeroſioribus, immo 182. etiam in juribus, ſi inde inſignis utilitas ad poſſeſſorem redundare poſſit. 183. Quidquid vero hoc modo oppignoratum ſit creditori, in eo illi jus merito durare, in quemcumque res ipſa translata ſit: quum alias ſine effectu futura eſſet hypothecae conſtitutio.

(*) Addimus haec ob verba Puſendorffii *de jure nat. & gent. V*, 10, 16. *Inter eos, qui in libertate naturali invicem vivunt, nudae hypothecae ſunt inutiles. Nam ubi ultro debitor ſolvere renuerit, vi utique & armis erit invadenda poſſeſſio hypotechae. Atqui etiam citra adſignationem hypothecae inter tales quaelibet bona debitoris invadere licebat.* Sed non deſunt exempla hypothecarum huiuſmodi & inter liberas gentes conſtitutarum, qualia collegit Hert. *ad hunc locum p.* 738. *ſequ.* qui & ad rationem Puſendorffii eleganter reſpondet, poſſe huius hypothecae inſignem uſum eſſe, ſi urbs ita oppignorata ad tertium pervenerit. Ceterum, facile largimur, non temere contentas fore liberas gentes huiuſmodi ſimplice hypotheca, ſed ſaltim ſibi ſtipulaturas ius praeſidii in urbibus oppignoratis, quod anno MDLXXXV. feciſſe novimus Eliſabetham, Angliae Reginam, quum ei Belgae Uliſſingam, Ramkenium & Brilam oppignoraſſent. Em. Meteran. *Rer. Belg. Lib.* XIII. & Annaliſtae Belg. reliqui ad hunc ann.

§. CCCLXXII.

Digitized by Google

Quid circa pactum antichreticum?

§. CCCLXXII. Denique ex PACTI ANTICHRETICI definitione (§. CCCLXIX.) adparet, 184. ei pacto tantum locum eſſe in oppignoratione rerum fructuoſarum : quumque fructus vice uſurarum ſint , 185. eos non notabiliter excedere debere uſurarum modum , quem ſupra aequitati convenientiſſimum eſſe , diximus. 186. Caſum hic quoque non ferre creditorem, niſi aliud conventum ſit, ac proinde, 187. ſi ob ſterilitatem calamitatemve publicam tantum non percipere potuerit creditor, quantum ei uſurarum nomine debebatur , illud debitorem merito aliunde ſupplere debere.

Communia harum conventionum.

§. CCCLXXIII. Omnibus vero his contractibus commune eſt , 188. quod , quia in ſecuritatem crediti ineuntur , (§. CCCLXIX.) creditori jus ſit, pignus & hypothecam ob moram debitoris diſtrahendi , &, deducta ſorte, cum uſuris, reliquum tantum pretium reſtituendi debitori : niſi 189. adjecta ſit LEX COMMISSORIA, id eſt, pactum de re oppignorata, ſi intra certum tempus non reluatur , creditori pro ſorte & uſuris relinquenda. Quamvis enim id pactum improbent leges Romanae recentiores (*), *l. un. C. Theodoſ. de commiſſor. reſcind. l. ult. C. de pact. pign.* idque jure fieri potuerit, ob creditorem quorumdam avaritiam : non tamen inde ſequitur, ut & jus naturae , quod domino alienationem rerum ſuarum ſub quacumque conditione permittit, (§. CCCIX, 13.) improbet hujuſmodi pactum, a quo ne principes quidem & gentes liberas abſtinuiſſe, exemplis variis demonſtravit laudatus Hert. *ad Puſend. V.*, 10, 14. *p.* 737.

(*) Veteres enim leges, ſtrictius inhaerentes ſimplicitati iuris naturalis, nihil habent , quod huic PACTO COMMISSORIO adverſetur. Immo libera adhuc republica illud pro licito habitum eſſe , probat locus Ciceronis *Epiſt. ad famil.* XIII , 56. ab eodem Hertio , & ante eum a Jac. Gothofredo ad *l. un. C. Theod. de commiſſ. reſc.* adlatus : *Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit : hae commiſſae ſunt*. Sed mira creditorum aſperitas, qua miſeri debitores, pignora debito pretioſiora ſub hac conditione dare coacti ; ad incitas redigebantur , demum ſubegit principes , ut hoc pactum , cum maximo debitorum detrimento coniunctum, legibus ſeveriſſimis proſcriberent.

Quid fidejuſſio, obligatio correalis & expromiſſio?

§. CCCLXXIV. Tertius, qui & ante inventum numum , & poſtea , locum habere potuit , contractus eſt FIDEJUSSIO , id eſt , obligatio ad id, quod tertius debet , in ſubſidium ſolvendum . Si quis enim , ſe pro altero non in ſubſidium ſoluturum , conſtituit, ſed una cum alio in ſolidum ſeſe obligat , REUS , & obligatio utriuſque CORREALIS vocatur . Denique qui alterum , conſentiente creditore , obligatione liberat , eamque in ſe totam ſuſcipit, is EXPROMISSOR adpellatur. Qui contractus omnes aeque , ac pignoris , in ſecuritatem creditorum excogitati ſunt , & frigeſcentis inter homines amoris ac fidei argumentum praebent locupletiſſimum (*).

(*) Si enim tantus eſſet inter homines amor quantum eſſe oportebat: nec creditor diffideret debitori , nec debitor de creditore defraudando vel cogitationem animum ſubire pateretur : & ſic nec pignora , nec fideiuſſores , nec correos, nec expromiſſores , quiſquam exigeret. Dum vero hodie tam oculatae ſunt manus , ut, niſi quod vident , nihil omnino credant ; argumentum hoc eſt humanae perfidiae , tepeſcentiſque amoris luculentiſſimum. Obſervavit id iam Seneca, qui *de Benef.* III , 15. : *Utinam*, inquit, *nulla ſtipulatio emtorem venditori obligaret ! nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur ! fides potius illa ſervaret , & aequum colens animus ! Sed neceſſaria optimis praetulerunt , & cogere fidem , quam ſpectare , malunt . Adhibentur ab utraque parte teſtes : ille per tabulas plurima nomina , interpoſitis parariis facit . Ille non eſt interrogatione contentus , niſi rem ſua manu tenuit . O turpem humano generi* FRAUDIS AC NEQUITIAE PUBLICAE CONFESSIONEM ! *Annulis noſtris plus , quam animis , creditur .*

§. CCCLXXV.

Pro quibus rebus fidejubere liceat?

§. CCCLXXV. Ceterum ex FIDEJUSSIONIS definitione (§. CCCLXXIV.) patet, 190. fidejuſſoribus, quum alterius obligationi in ſubſidium accedant, non eſſe locum, niſi id, quod debetur, ita ſit comparatum, ut a quovis aeque commode, ac ab ipſo debitore principali, praeſtari poſſit, adeoque 191. ipſi rectae rationi adverſari fidejuſſiones pro capitis damnatis, quamvis eas veteres quaedam gentes admiſerint (*): nec 192. quidquam obſtet, quo minus, ſi mulcta expiari poſſit crimen, alius pro alio intercedat, ſeque mulctam pro reo ſoluturum, in ſubſidium conſtituat.

(*) De Graecis res certa eſt ex variis exemplis, quae iam collegit Pufendorff. *jur. nat. & gent.* V, 10, 12. Eſſe & ſtatuta, quae vadum uſum probent, oſtendit laudatus Hert. *ad Pufend. ibid. p.*735. Dum vero alii huiuſmodi obligationem fideiuſſoriam defendi poſſe exiſtimant exemplis ſacris. *Gen.* XLII, 37. XLIII, 9. 1. *Reg.* XX. 39. eos omnino fugit ratio. Obligationem Rubenis ſtolidam eſſe, unuſquiſque intelligit, maxime quum non ſuum, ſed innocentum liberorum, capita veluti oppignoret, & quidem non pro reo capitalis criminis, ſed pro Beniaminis fratris reditu ex Aegypto. Unde vix probabile eſt, Jacobum virum pium & prudentem conditionem accepiſſe. Judas quidem fideiuber, ſed non pro capitis damnato, nec vitam oppignorat. Denique 1. *Reg.* XX. 39. nemo vitam pro reo obligat, ſed cuſtodia captivi illi demandatur, ſub capitis periculo. Ut hinc manifeſtum fit, hanc veterum conſuetudinem in ſacris litteris non reperire praeſidium.

Obligatio fidejuſſorum.

§. CCCLXXVI. Quod ad obligationem fidejuſſorum attinet, ex eadem definitione (§. CCCLXXIV.) patet, 193. eos ſe obligaſſe ad idem, quod creditor a debitore jure exigere poteſt, adeoque 194. iniquum eſſe, plus ſibi a fidejuſſoribus, quam a debitore, ſtipulari creditorem: 195. obligationem fidejuſſorum eſſe ſubſidiariam, ac proinde 196. jure naturali illos non indigere ſingulari BENEFICIO ORDINIS vel EXCUSSIONIS, ſed 197. tum demum conveniri poſſe, ſi ſatis conſtet, debitorem principalem ſolvendo non eſſe (*): 198. Plures fidejuſſores, qui pro iiſdem perſonis iiſdemque rebus interceſſerunt, merito pro rata tantum teneri, niſi ſe ultro & diſerte in ſolidum obligarint: atque hinc 199. NE BENEFICIUM quidem DIVISIONIS illis jure naturae eſſe neceſſarium, quippe pro rata obligatis, 200. niſi forte confidejuſſores ſolvendo non ſint, idque fidejuſſor ignorare non potuerit.

(*) Contraria quidem fuit gentium multarum ſententia, nimirum fideiuſſorem & ante debitorem principalem conveniri poſſe. De Ebraeis vid. *Prov.* XX. 16. XVII, 18. De Graecis notum illud Thaletis: Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, *ſponde, & noxa praeſto erit*. Denique & Germanorum fertur vetus paroemia: *Den burgen muſſ man wurgen.* Conf. Schilt. *Exerc.* XLVIII, 21. Sed & Romanis idem rigor placuit, donec Juſtinianus beneficium ordinis vel excuſſionis invexit. *Novella* IV. Enimvero, quum fideiuſſor non niſi in ſubſidium alterius obligationi acceſſerit, &, ſi ipſe illico conveniretur, inter fideiuſſorem, reum & expromiſſorem nihil eſſet diſcriminis futurum: ipſa recta ratio docet, illum teneri in ſubſidium, nec ante debitorem principalem eſſe conveniendum. Cic. *Epiſt. ad Attic.* XVI, 15. *Sponſores adpellare, videtur habere quamdam δυσωπίαν.*

Obligatio correorum.

§. CCCLXXVII. Quum porro REI ſe alteri in ſolidum obligent: (§. CCCLXXIV.) facile patet, 201. creditoris in arbitrio eſſe, ab utro exigere velit ſolutionem (*), 202. uno vero expungente nomen, alterum liberari, ſed tantum ratione creditoris, cui quod debebatur, ſolutum eſt, 203. non ratione correi, qui, dum pro correo ſolvit, ejus negotia geſſit, (CCCXLVI.) adeoque omnino indemnis ab altero praeſtandus eſt. (§. CCCXLIX, 102.)

(*) Non

Digitized by Google

(*) Non ergo hic locus eſt diviſioni obligationis. Quia tamen, ſi uterque reus ſolvendo eſt, & uterque facile poteſt interpellari, nulla iuſta cauſſa eſt, cur unum urgere, totamque ſummam ab eo ſolo extorquere velit creditor: ipſa eum humanitas, non adeo amare ius ſuum perſequi, ſed reum utrumque urgere iuber. Neque enim pariter humanitas, ut aliquid ab altero cum eius incommodo exigamus, quod facilius & ſine noſtro alteriuſque detrimento conſequi poſſemus. (§. CCXVI, 8.)

Ac denique expromiſſorum. §. CCCLXXVIII. Denique ex EXPROMISSORIS definitione (§. CCCLXXIV.) colligimus, 204. ejus eamdem eſſe obligationem, ac ipſius debitoris principalis, adeo, ut 205. hic expromiſſione cum conſenſu creditoris facta liberetur, ac proinde 206. expromiſſor nec ordinem vel debitoris excuſſionem urgere, nec 207. creditor, ſi ab expromiſſore ſuum ſervare non poteſt, ad debitorem principalem, quem ſemel liberavit, recurrere poſſit, ſed ab expromiſſore, cujus fidem ſequutus eſt, id, quod ſibi debetur, ſimpliciter exſpectare cogatur.

Contractus ſocietatis. §. CCCLXXIX. Proximus eſt contractus SOCIETATIS, quem non minus ante inventum numum, quam poſtea, locum inveniſſe, vel ex eo intelligitur, quod nihil aliud eſt, quam lucri, ex collatis rebus vel operis provenientis, damnique inde emergentis, inter plures communicatio (*). Res vero atque operas aeque ante inventum numum, ac poſtea, communicari potuiſſe, nemo temere dubitabit.

(*) Itaque hic agimus de communione, ſociorum conſenſu inita. Conſenſus vero quum vel expreſſus ſit, vel tacitus, & hic idem, quod ille, operetur: (§. CCLXXV, 25.) conſequens eſt, ut & ſocietas tacito conſenſu, id eſt, facto, contrahi poſſit. Hert. *diſſ. de ſocietate facto contr.* Prout vero vel omnia bona, vel quaedam tantum, vel res quaedam ſingulares operaeve, conferuntur, ſocietas vel UNIVERSALIS, vel GENERALIS, vel SINGULARIS ſolet adpellari. *Univerſalem* & *generalem* aleam quodammodo continere, in ſingulari aequalitatem obſervandam eſſe, recte monuit Grot. *de jure belli & pac. II, 12, 24.*

Quid iuſtum in ſocietate univerſali & generali. §. CCCLXXX. Quum ergo in ſocietate UNIVERSALI univerſa, in GENERALI quaedam bona communia ſint, ita tamen, ut hic contractus quodammodo aleam contineat: (§. CCCLXXIX, *) conſequens eſt, 208. ut lucrum quidem & damnum inter ſocios hos commune ſit: at 209. collatio tamen admodum inaequalis eſſe poſſit, nec 210. habeat ſocius, quod conqueratur, ſi, exigentibus neceſſitatibus, unus ſocius, qui minus contulit, altero plus expendat: immo, quin 211. ſocius contractum ab altero aes alienum pro rata exſolvere debeat, eo minus videtur dubitandum, quo magis expediti juris eſt, & lucri ab uno facti alterum eſſe participem, eumque, qui commodum e re ſentit, merito & incommoda ferre debere.

Quid in ſingulari? §. CCCLXXXI. Contra, quum in ſocietate SINGULARI merito obſervanda ſit aequalitas, (§. CCCLXXX. *) ea vero in collatione non ſemper obſervetur: ſequitur ſane, 212. ut aequalitas illa in dividundo lucro & damno non poſſit eſſe *arithmetica*, ſed *geometrica* (*), adeoque, 213. qui plus rerum operarumve in commune contulit, tanto plus lucri damnique ferre debeat, quanto alter minus contulit. Quandoquidem tamen in ſuis rebus quiſque alteri qualecumque commodum concedere poteſt: (§. CCIX, 13.) nemo negaverit, 214. poſſe ſocios pactionibus inter ſe aliud ſtatuere, & in dividundo lucro damnoque vel aequalitatem arithmeticam, vel 215. qualemcumque inaequalitatem probare, dummodo non 216. dolo

Digitized by Google

dolo unius ex ſociis hoc negotium degeneret in ſocietatem leoninam. Phaedr. *Fab.* I, 5.

(*) Sunt, qui hic aequalitatem arithmeticam, tamquam inter fratres, ſervandam eſſe ſtatuunt, & ita interpretantur *l. 6. l. 29. l. 80. D. pro ſoc.* alioſque iuris Romani locos. Connan. *Comment. jur. civ. VII.*, 19, 5. Hub. *Praelect. ad tit. Inſt. de ſociet.* Sed quum fictionem redoleat illa ſociorum fraternitas, adeoque in iure naturae eius ratio haberi nequeat, & praeterea hic lucrum ex rebus operisque, in commune collatis, proveniat: nihil aequius profecto eſt, quam ut lucrum damnumque pro rata rei operaeque collatae dividatur. Recte Ariſtot. *ad Nicom.* VIII, 16. Ἐν χρημάτων κοινωνίᾳ πλεῖον λαμβάνουσιν οἱ συμβαλλόμενοι πλεῖον. *In communione pecuniarum plura accipiunt, qui plura contulerunt.*

An ſocio liceat, altero invito, ſocietate excedere.

§. CCCLXXXII. Denique obſervandum, quum haec ſocietas conſenſu, vel per modum conventionis contrahatur, (§. CCCLXXIX. *) 217. ex juris naturalis principiis vix deduci poſſe regulam juris Romani, ex ſocietate cuivis excedere licere, dummodo id non intempeſtive & in alterius fraudem fiat (*); ſed potius 218. rem omnem redire ad legem conventionis, & hinc, ſi perpetuam ſocietatem inire placuit, eam debere eſſe perpetuam, ſin temporalem, temporalem; niſi quod, 219. ſi alter ſociorum injurioſus, damnoſusve ſit, vel leges contractus manifeſto violet, aequiſſimum videtur, ſocio facultatem eſſe debere, & ante tempus conſtitutum ſocietati renunciandi.

(*) Quod vel ex ipſis rationibus, quibus veteres iuris conditores utuntur, liquido probari poteſt. Modo enim hanc reddunt rationem, quod communio ſit mater diſcordiarum: *l. 77. §. 20. D. de legat* 2. modo, quod naturale vitium ſit, negligi id, quod communiter poſſideatur: *l. 2. C. quando & quib. quarta pars*, quibus tertiam rationem addunt nonnulli, quod perſonae, quam ſocium adſciſcimus, qualitas & induſtria eligatur, adeoque ſi ſpei non reſpondeat ſocii fides & diligentia, ſocio merito ſalvum eſſe oporteat ſocietati renunciandi arbitrium. Enimvero non minores ſaepe diſcordias excitant emtio venditio & locatio conductio, in quibus tamen negant, locum eſſe poenitentiae. Et non minus aliquando negliguntur aedes, aliis locatae, quam communes, & tamen ideo contractum ante tempus abrumpere non licet. Denique &, qui operas conducit, perſonae qualitatem & induſtriam eligere ſolet, & tamen contractum ante tempus finire nequit. Si ergo de reliquis contractibus valet regula: *Sicut initio libera poteſtas unicuique eſt habendi, vel non habendi contractus: ita renunciare ſemel conſtitutae obligationi, adverſario non conſentiente, nemo poteſt: l. 5. C. de obl & act.* quidni etiam de ſocietate idem omnino dici poſſet?

Quid juſtum circa donationem.

§. CCCLXXXIII. Subjicimus DONATIONEM, per quam intelligimus promiſſum de re noſtra in alterum gratis transferenda. Ex ea vero definitione facile patet, 220. eam non modo pure, ſed & ſub quacumque conditione, adeoque 221. ſub conditione etiam mortis donatoris, vel ejus contemplatione fieri poſſe, adeoque 222. recte dividi inter DONATIONEM INTER VIVOS, & MORTIS CAUSSA. 223. Rem inter vivos donatam merito eſſe tradendam, nec 224. donatori eam revocandi ſupereſſe arbitrium. Denique ex iis, quae ſupra diximus, colligi poteſt, 225. donatarium, re evicta, a donatore petere non poſſe evictionis praeſtationem, (§. CCLXXIV, 24.) & 226. donatori ad gratum animum quavis occaſione verbis factiſque teſtandum omnino eſſe obligatum. (§. CCXXII, 40.)

Corollaria quaedam de contractibus in genere.

§. CCCLXXXIV. Denique de omnibus generatim contractibus adhuc monendum eſt, 227. illos, quia conſiſtunt in conſenſu, (§. CCCXXVII.) ab iis eſſe ineundos, qui vel a natura, vel a legibus, conſentire non prohiben-

hibentur. 228. Deinde, quia contractus commercii cauſſa inventi ſunt, (§. CCCXXVII.) contrahendum quoque eſſe de rebus, quae honeſte, & permittentibus legibus, in commercio eſſe poſſunt: ac proinde 229. nullum valere contractum de rebus turpibus, impoſſibilibus, rebus per leges commercio exemtis, quamvis, 230. quum res pleraeque non natura, ſed legibus poſitivis commercio eximantur, eae etiam contractus permittere poſſint ſuper rebus, ſuper quibus aliarum gentium legibus & moribus contrahere non liceret (*).

(*) Exemplo eſſe poſſunt cadavera. Ea oppignorare apud nos procul dubio & inutile eſſet, & pro contractu turpiſſimo haberetur. Contra apud Aegyptios lex permittebat cadavera parentum condita oppignorare, & ei, qui, illis neglectis, non expunxerat nomen, honeſta ſepultura negabatur. Diodor. Sicul. *Bibl.* I, 93. Contra natura inhoneſta eſt oppignoratio uxorum, liberorumque, quod in regno Pegu permittitur, quia illa non poteſt non plena eſſe triſtiſſimi eventus. Unde & creditorem relegatione dignum iudicabant Romani, qui ſciens filium familias pignori a patre acceperat. *l.* 5. *D. quae res pign.*

CAPUT XIV.

DE PACTIS.

§. CCCLXXXV.

Quae ſit pactorum & contractuum differentia?

Quamvis inter PACTA & CONTRACTUS jure naturae nihil ſit diſcriminis, dum utrumque negotium utriuſque conſenſu capit ſubſtantiam: dici tamen poteſt, CONTRACTUS ex vetere loquendi conſuetudine ad rerum operarumve commercium: (§. CCCXXVII, 6.) pacta ad alias res, factave, quae in commercio eſſe non ſolent, pertinere (*). Sic e. g. quamvis homines ingenui utriuſque ſexus non ſint in commercio: inter eos tamen convenire ſolet de nuptiis, vel in futurum, vel in praeſenti, celebrandis, iſque conſenſus tum ſponſalitius, tum nuptialis, PACTORUM nomine recte venit.

(*) Agnovit id diſcrimen etiam Puſendorfius *de jure nat. & gent.* V, 2, 4. Et quamvis ſcriptores Romani, quia alio ſenſu accipiunt vocabula, aliudque diſcrimen pactorum & contractum ſtatuunt, non ſemper verbo *contrahere* utantur de rebus, quae in commercio; *paciſci* de rebus factiſque, extra commercium poſitis, veluti dum dicunt *contrahere nuptias*, *l.* 22. *D. de ritu nupt. paciſci ab aliquo numos:* Val. Max. IX, 4, 2. nomen tamen CONTRACTUS vix aliter accipiunt, quam de conventione ſuper rebus, quae in commercio ſunt. Quod adeo verum eſt, ut ideo iureconſulti contra Donell. *Comm. jur.* XIII, 18. negent, nuptias eſſe contractum, qui ineatur de perſonis & individua vitae conſuetudine, quae non ſint in commercio. Nihil ergo obſtat, quo minus nos hoc *pactorum & contractuum* diſcrimen admittamus.

Cur pacta ſint neceſſaria?

§. CCCLXXXVI. Nimirum, quum homines ſuaviter & commode vivere non poſſint, niſi ſibi invicem praeſtent officia, quae ſupra HUMANITATIS & BENEFICENTIAE diximus, (§. CCXIV, 2.) & ita tamen inter homines jam pridem refrixerit amor, ut de eorum humanitate & beneficentia confidere non poſſimus, (§. CCCXXVI.) denique illa officia ſint imperfecta, & invitis extorqueri nequeant: (§. CXXII.*) conſequens eſt, 1. ut non alia ſit ea certo conſequendi ratio, quam conſenſus alterius: Qui conſenſus duorum pluriumve in idem placitum de dando aliquo vel faciendo,

Digitized by Google

do, quod alias vel plane non, vel tantum ex lege humanitatis & beneficentiae debetur, quum vocetur PACTUM: 2. ea, quae nobis ab aliis dari fierive jure perfecto cupimus, nobis PACISCI debemus (*).

(*) Exemplo eſſe poterunt Abraamus & Abimelechus. Ipſa ſane lex humanitatis & beneficentiae utrumque iubebat benigne adverſus ſe invicem agere, & maxime Abraamum, virum virtutis ſtudioſiſſimum, plurimiſque ab Abimelecho beneficiis ornatum, ipſa recta ratio ad grati animi memoriam obligabat: & tamen uterque ſibi ab altero amicitiam & benignitatem pactum eſſe, legimus *Gen* XXI, 23. *ſequ.* Ita ſaepe veteres alios pactis obligabant ad praeſtandum id, ad quod hi jam antea ex legibus humanitatis ac benevolentiae erant obligati.

§. CCCLXXXVII. Nec dubitari poteſt, 3. quin pacta ſervanda ſint. Quum enim, qui aliquid promittit, mentem ſuam de dando aliquo faciendove ſive verbis, ſive aliis ſignis prodat, verbis vero ita utendum ſit, ne alter decipiatur: (§. CXCVI, *67.*) conſequens eſt, ut & a paciſcentibus omnem fraudem omneque abeſſe oporteat mendacium, adeoque ſtandum ſit promiſſis pactiſque omnibus, deliberato animo initis, & hinc 4. nihil debeat fide data eſſe ſanctius, nihil perfidia deteſtabilius (*). Ea ſervanda eſſe, probatur argumento primo.

(*) Quemadmodum enim pactis quodammodo ſubvenimus indingentiae noſtrae, idque agimus paciſcentes cum aliis, ut nobis officia humanitatis & beneficentiae, quae alias a pleriſque fruſtra ſperaremus, praeſtent: ita facile patet, iis ſolis inter ſe genus humanum contineri. Ergo tanto *perfidioſius eſt*, *magiſque nefarium*, *fidem frangere*, *quae continet vitam*. Cic. *pro Q. Roſcio Comoedo Cap. VI.* Hinc ſemper generoſum viſum eſt τὸ ἀψευδὲς ςόμα, *os verax*, vel, ut rem eloquitur Euripides *in Iphig. in Taur. v.*1064.

Καλόν τι γλῶσσ', ὅτῳ πίςις παρῇ.

Pulcrum eſt lingua, cui adeſt fides.

§. CCCLXXXVIII. Accedit & altera ratio, cui non minus ponderis ineſſe, facile unuſquiſque largietur. Quum enim officiorum omnium, quae alteri debemus, communis veluti fons & ſcaturigo ſit amor juſtitiae, (§. CLXXIII, *1.*) iſque nos ſubigere debeat, ut, quod nobis fieri nolumus, id nec alteri faciamus, (§. CLXXVII, *6.*) nemo denique ſit mortalium, qui pactis & promiſſis ab altero decipi velit: denuo ſequitur, ut nec nos cuiquam pactionibus & promiſſis illudere, eumque propter fidem noſtram defraudare debeamus, adeoque pacta omnino ſint ſervanda (*). Itemque ſecundo.

(*) Non hic utimur argumento, quod nec ſocietas civilis ſervari poſſet, niſi ſancta hominibus eſſet religio. Quamvis enim hoc argumento recte probetur pactorum fideique inter homines neceſſitas, eamque Cicero *de offic.* II. 11. & inde eleganter demonſtrarit, quod *ne illi quidem*, *qui maleficio & ſcelere paſcuntur*, *poſſint ſine illa particula juſtitiae*, id eſt ſine pactis, *vivere*: ex hac tamen ſocialitate non eſſe originem obligationis hujus repetendam, jam ſupra oſtendimus (§. LXXV.) Itaque binas has rationes, quas hoc & antecedente aphoriſmis expoſuimus, ex principio noſtro AMORIS derivare maluimus.

§. CCCLXXXIX. Ceterum pacta vel μονόπλευρα, ſeu UNILATERALIA ſunt, vel δίπλευρα, ſeu BILATERALIA. Illis unus tantum alteri; his ambo ſibi mutuo aliquid promittunt, adeoque poſterioribus tacita ineſt conditio, unum praeſtiturum, quod promiſerit, ſi & alter ex ſua parte pacto ſatisfacturus ſit. Deinde utraque ſunt vel OBLIGATORIA, quibus nova obligatio vel alterutrius, vel utriuſque partis, conſtituitur, vel LIBERATORIA, quibus obligationes, antea conſtitutae, tolluntur, vel MIXTA, quibus & obligationes priores tolluntur, & novae pro arbitrio paciſcentium conſtituuntur, Quotuplicia pacta?

Digitized by Google

quales in primis NOVATIONES, & TRANSACTIONES de cauſſis dubiis eſſe; nemo non intelligit. Sed horum omnium eadem eſt ratio, puta, 5. ut ſumma fide & quam religioſiſſime ſervanda ſint, 6. ſi vel maxime non eo conſilio aliquid promiſerit alteruter, ut obligari velit (*).

(*) Obſervandum hoc eſt contra illos, qui aliam promiſſionem PERFECTAM, aliam IMPERFECTAM eſſe ſtatuunt, & illam quidem definiunt, quando non ſolum promittens obligari vult, ſed & ſimul jus in alterum confert, ut rem promiſſam veluti debitam plene a ſe poſcere queat: hanc vero, quando obligari quidem vult, qui promittit, ut tamen alteri jus non ſit ad exigendum. Quo referunt promiſſionem: *Ego deſtinavi, hoc tibi dare, & peto, ut mihi credas*, itemque pollicitationes virorum potentum aut gratioſorum, quibus alicui commendationem vel ſuffragium ſpondent. Grot. *Jur. bell. & pac.* II, a Puſendorff. *Jur. nat. & gent.* III, 5, 5. Sed 1. ſaepe tales promiſſiones non ſunt pacta, ſed *dicta* tantum, vel *aſſeverationes*, quas a pactis ipſi diſtinguunt Grotius & Puſendorffius, immo aliquando non pacta ſunt, ſed praeparationes ad pacta, quas vulgo *tractatus* appellitant. 2. Res eſt paene contradictoria aliquem promittere velle, & alii tamen nolle jus ad exigendum dare. Quod neſcio, an tale ſit commentum, quo omnia pacta & promiſſa turpiter eludi poſſent, exemplo Mediolanenſium, qui increpati de perjurio, reſpondebant: *Juravimus quidem, ſed juramentum attendere non promiſimus*. Quod referens Radevicus *de geſtis Friderici I. Lib.* II. *Cap. XXV. Digna*, inquit, *reſponſio, ut moribus oratio conſonaret, &, qui prave ac perfide vivere & facere conſueverant, aliter, ac perfide & prave, loqui non potuiſſent, ut vitam flagitioſam ſermo inlotus comitaretur*. Denique 3. ſi imperfectae plerumque ſunt hujuſmodi potentum promiſſiones ratione exactionis: non ideo illico, quod ad obligationem attinet, pro imperfectis habendae ſunt.

Jure naturae & nuda perfecte obligant.

§. CCCXC. Ex quo porro colligimus, 7. nihil jure naturali intereſſe inter pactum & ſtipulationem, adeoque 8. falli Franc. Connanum *Comment.* I, 6. qui, Romanorum commendaturus εὐνομίαν, etiam jure naturae ex promiſſis, quamdiu ſtent intra terminos ſimplicis conventionis, & in συνάλλαγμα non tranſeant, jus perfectum oriri negat. Quemadmodum enim ejus argumenta jam ſatis profligarunt Grot. *de jure belli & pac. II*, 2, 1. & Puſend. *Jur. nat. & gent. III*, 5, 9. ita nos addimus, Connanum minus magnifice de naturali pactorum obligatione ſentire, quam ipſos Romanos, quippe qui pactis nudis vim perfecte obligandi numquam detraxerunt, quamvis actionem ex iis, ob ſingulares rationes, denegarent (*).

(*). Ex Romanorum ſententia obligabatur, etiam qui nudo pacto aliquid promiſerat, eumque, qui fidem fefellerat, illi non minus perfidum putabant, quam aliae gentes. Quin non imperfectam eſſe exiſtimabant hanc obligationem, quae ex pactis nudis oriebatur, ſed perfectam, ſiquidem ratione illius locus erat compenſationi, *l. 6. D. de compenſ.* conſtituto, *l. 1. §. pen.* D. *de pecun. conſt.* novationi, *l. 1. fin. D. de novat.* fidejuſſoribus & pignoribus, *l.* 5. D. *de pig.* exceptioni. *l.* 7. §. 5. *l.* 45. D. *de pact. l.* 10. *l.* 21. *l.* 28. C. *eod.* Unde & quod a promittente per errorem fuerat ſolutum, condictione indebiti repeti non poterat. *l. 49 D. de cond. ind.* Quorum pleraque ita ſunt comparata, ut in obligationem imperfectam vix cadant. Solam negabant ACTIONEM, quia civilem invenerant modum, quo paciſcentes uti juſſerant, puta ſtipulationem. Eam qui negligebant, perluſorie egiſſe videbantur. Quemadmodum ergo multis locis leges ex oppignoratione rerum immobilium non dant actionem, niſi pignus apud acta ſint conſtitutum, nec tamen ideo pignori obligationem perfectam detrahunt, quippe quae aliis modis ſeſe exſerit: ita nec de Romanis ſtatuendum eſt, eos pacta noluiſſe perfectam obligationem producere, quia actionem inde oriri noluerint.

Pacta expreſſa & tacita.

§. CCCXCI. Quum vero pactum ſit duorum pluriumve in idem placitum conſenſus; (§ CCCLXXXVI.) CONSENSUS vero duarum pluriumve voluntatum in eamdem rem eaſdemque circumſtantias conſpiratio: conſequens

Digitized by Google

quens eſt. 9. ut ille conſenſus tamquam internus externo aliquo ſigno declarandus ſit. Qualia ſigna, quum ſint *verba*, ſive ore prolata, ſive litteris conſignata, & *facta*, & illa conſenſus expreſſi; haec taciti praebeant argumentum; (§. CCLXXXIV.) facile patet, 10. perinde eſſe, ſive expreſſo, ſive tacito conſenſu, aliqui paciſcantur, dum tale ſit factum, ex quo conſenſus in eam rem, de communi humani generis vel gentis cujuſdam, ſententia colligi ſoleat (*). Immo 11. aliquando conſenſum recte colligi ex ipſa negotii natura, ſi illud tale ſit, ut non poſſit non judicari, alterum non diſſentire. (§. CCLXXXIV.)

(*) Hinc & nutum ſufficere, recte ſtatuunt jura noſtra: *l. 52. §. ult. D. de obl. & act.* Quinctilian. *Declam.* CCXLVII. nec non patientiam, immo & ſilentium, *l. 51. pr. D. locati*, *l. 11. §. 4. 7. D. de interr. in jure fac.* & alibi paſſim. Quod admittimus omnino, niſi alia fuerit probabilis ratio, cur quis, diſſentiens licet, tacere, quam diſſenſum verbis tactisve teſtari, maluerit, e. g. ſi filiusfamilias, truculentiam patris veritus, interrogatus, an Maeviam, a qua maxime abhorret, ducere velit? taceat: non illico conſenſiſſe videbitur. Quid ſi enim, patre dicente: *Abi domum, & ſuſpende te*, prae ſtupore tacuiſſet filius? an ideo conſenſiſſe videretur?

§. CCCXCII. Quumque conſenſus ſit duarum voluntatum in eamdem rem eaſdemque circumſtantias conſpiratio, (§. CCCXCI.) voluntas vero nihil poſſit vel adpetere, vel averſari, niſi ab intellectu excitata: (§. XXX.) ſequitur, 12. ut paciſci valide nequeant, quicumque rectae rationis uſu deſtituuntur, adeoque nullius momenti ſint pacta furioſorum, niſi dilucido intervallo diſtinguatur furor, nec non 13. infantum & eorum omnium, quos ob lubricum aetatis rem non intelligere, probabile eſt, 14. praeterea aegrotorum, quorum animos morbi vehementia perturbat, immo 15. & maxime ebriorum, licet voluntaria fuerit promittentium ebrietas (*), nec 16. eorum, qui jocantes aliquid promiſerunt, ſibive ſunt ab altero ſtipulati.

Paciſci quinam poſſint, vel non poſſint?

(*) Quamvis enim alias tunc demum agenti non imputetur actio, ex ebrietate perpetrata, ſi per eum non ſteterit, quo minus hujuſmodi quid contingeret, (§. CVI, 31.) per eum autem, qui ultro ſuavem illam inſaniam ſibi attraxit, omnino ſteterit, ne paciſceretur, quum actio ex ebrietate profecta involuntaria quidem ſit in ſe, ſed non in ſua cauſſa: (§ L.*) hic tamen aliud ſtatuendum & gradus ebrietatis diſtinguendi ſunt. Aut enim modica fuit, aut ſumma hominis aliquid promittentis ebrietas. Si modica: non ita caliginem illa offudit intellectui, ut neſciret, cui vel quidnam promitteret, adeoque hujuſmodi promiſſio omnino obligat. Sin ſumma: non potuit non illa incurrere in ſenſus, ac proinde alter, qui cum illo pactus eſt, vel in manifeſto dolo fuit, vel ſibi ſaltem imputare debet, quod cum homine vino ſepulto ac ſemiſomni rem ſeriam ſuſcipere & paciſci non dubitarit. Itaque nulla eſt ratio, cur ei jus eſſe debeat, promiſſum, diſcuſſa alterius crapula, exigendi.

§. CCCXCIII. Ex eodem porro axiomate colligimus, 17. inutile eſſe pactum, ex ignorantia vel errore initum, ſi vitium hoc intellectus ſit culpabile, vincibile, ac voluntarium: (§. CVII, 33.) non, 18. ſi ita comparata ſit res, ut & prudentiſſimum poſſit fallere, (§. CVIII, 36.) veluti 19. ſi de diverſis perſonis rebusve ſenſerint ſtipulator & promiſſor, vel 20. ſi alteruter erraverit circa perſonam, vel rem ipſam, vel 21. circa eas circumſtantias, quae non facile ſciri potuerunt, & quarum ſi conſcius fuiſſet promittens, numquam ita eſſet pactus (*).

An utile ſit pactum ex ignorantia vel errore initum?

(*) His obſervatis regulis omnes ſpecies, quae in ipſis rerum argumentis occurrere poſſunt, facile explicantur. Sic non valebit pactum, ſi quis ſe ducturum pro-

promiſit virginem, quae praegnans poſtea adpareat, quia hac in re falli potuit etiam prudentiſſimus: *per n.* 18. nec ſponſalia ullius momenti erunt, ſi cui Tulliae nuptias adfectanti, nomen vero ignoranti, Afrania per errorem ſpondeatur, quia, quum de diverſis perſonis ſenſerint; non conſenſerunt in idem placitum. *per nu.* 19. & 20. Denique ſi deſponſam Tulliam epilepticam eſſe, vel alio tetro morbo laborare, poſtea adpareat: ne eo quidem caſu ſponſus tenebitur, quia erravit circa περίστασιν, quae a ſponſo tam facile explorari non potuit, & qua tamen cognita, illum has adfectaturum nuptias fuiſſe, vix veroſimile eſt *per n.* 21.

An dolo malo elicitum?

§. CCCXCIV. Multo minus ergo 22. valebit pactum, ad quod quis dolo alterius inductus, vel 23. in quo dolo iſtius malo circumſcriptus laeſuſque eſt, quia conſenſiſſe non poteſt videri, cujus menti veluti praeſtigias alter objecit, ut rem vel perſonam, de qua pactus eſt, ſibi multo aliter conciperet, ac eam poſtea reipſa deprehendit (*). Contra 24. nulla eſt ratio, cur irritum eſſe debeat pactum, ad quod tertius alterutrum paciſcentium, altero inſcio, pellexit, quamvis 25. dubitari nequeat, quin is, cujus dolo factum eſt; ut ita paciſcerentur, laeſis ad reſarciendum damnum ſit obligatus.

(*) Hinc nemo dixerit, jure naturae ratas eſſe debuiſſe nuptias Jacobi cum Lea, quas manifeſto dolo conciliaverat Labanus. *Geneſ.* XXIX, 22. Neque mos gentis, quo facti turpitudinem velare conatus eſt Labanus, eum a dolo excuſare, vel Jacobum obligare potuit, ut ſibi a ſocero malitioſiſſimo tam proterve illudi pateretur. Nam nec obligatoria procul dubio fuit illa conſuetudo, &, ſi pro lege habita fuiſſet, id praedictum eſſe oportebat, neque debebat Labanus Rachelem petenti Jacobo promittere, ſed eum peregrinum, & conſuetudinum Syriacarum ignarum, praemonere, ſororem, natu minorem, ante majorem deſpondere, moribus patriis nefas eſſe. Omnia ergo miris fraudibus hic implicata fuerunt, nec ea rata fuiſſent procul dubio, niſi Jacobo peregrino ſatius viſum fuiſſet, concoquere injuriam, ſibi a ſocero illatam, quam in ambiguam litem deſcendere.

An vi & metu extortum?

§. CCCXCV. Quumque & vis & metus quam maxime obſtent conſenſui, nec imputari ulli poſſit, quod quis coactus fecit, ſi cogenti nullum jus cogendi fuerit: (§. CIX, 43.) facile patet, 26. non obligari promittentem aliquid latroni, aliive vim injuſte facienti. 27. Ratam contra eſſe promiſſionem, factam ei, qui, dum alterum cogit, jure ſuo eſt uſus: 28. multoque minus dubitari poſſe de validitate pacti, ſi non ipſe, cui quid promiſſum, ſed tertius, hoc ignorante, vim adhibuerit, vel cauſſam ineundi pacti dederit (*), nec non, 29. ſi coactus poſtea rem ratam habuerit, quia tunc non ex voluntate priore, vi & metu extorta, ſed ex poſteriore ultronea obligatur. (§. CIX, 41.)

(*) Quum enim ceſſet imputatio, ſi quid factum ſit, cujus quis nec cauſſa nec auctor eſt, (§. CV, 23.) hic vero is, cui quid promiſſum eſt, non ſit auctor violentiae, qua alter ad promittendum eſt adactus: illi etiam vim non poſſe imputari palam eſt. Sic e. g. ſi quis imminente a latronibus vel praedonibus maritimis periculo, praeſidium ſibi mercede ſatis loculenta conduxerit, fruſtra ille comitibus illis itineris, mercedem flagitantibus, reponeret, ſe metu latronum promiſiſſe. *Quid enim illorum refert, an conductor coactus ſit, ſi a locatoribus coactus non ſit? Horum culpam eſſe oportet, ut horum poena ſit*: recte inquit M. Seneca *Controv.* IV, 27.

Conſenſus paciſcentium debet eſſe mutuus.

§. CCCXCVI. Quandoquidem porro pactum in duorum pluriumve in idem placitum conſenſu conſiſtit: (§. CCCLXXXVI.) facile patet, 30. id non modo in pactis bilateralibus, ſed & in unilateralibus, juſtiſſimam habere rationem, adeoque 31. promittentem non teneri, niſi alter, ſibi gra-

gratam eſſe rem promiſſam, oſtenderit. Quod tamen 32. aliquando merito praeſumitur, tum ex ſtatu ejus, cui quid promiſſum; tum 33. ex ipſius rei, quae promittitur, indole, tum 34. ex antecedente rogatione, dummodo hoc poſtremo caſu idem, quod rogaverat alter, promiſſum ſit.

An rata ſint pacta de rebus impoſſibilibus?

§. CCCXCVII. Quia praeterea pacta ineuntur de aliquo praeſtando, (§. CCCLXXXVI.) praeſtari vero nequeunt impoſſibilia, adeoque eorum omiſſio nemini imputatur: (§. CXV, 59.) conſequens eſt, 35. ut pacta de rebus abſolute impoſſibilibus inutilia ſint, nullaque inde naſcatur obligatio, niſi 36. tempore initi pacti res in poteſtate promittentis fuerit, iſque poſtea vires, quibus pollebat, ſua culpa detriverit, vel 37. aliquis rem non abſolute impoſſibilem, quam tamen ſibi impoſſibilem eſſe ſatis noverat, dolo malo promiſerit. (§. CXV, 60. ſequ.)

An de rebus turpibus?

§. CCCXCVIII. Quumque *ἐκ τῶν ἀδυνάτων* ſint non modo, quae per rerum naturam, ſed & quae per leges bonoſque mores, fieri non poſſunt: (§. CXV, 58.) nemo non intelligit, 38. inutilia quoque eſſe pacta ac promiſſa, quibus leges juſtitiae humanitatiſque refragantur: nec non 39. quae decorum, pietatem, verecundiam, laedunt, quaeque adeo *nos ne facere quidem poſſe, credendum eſt*, uti recte, & vere φιλοσοφικῶς, ſcribit Papinianus. *l.* 15. *D. de condit. inſtit.* 40. Non obligari quemquam promiſſo, quo ſe ad patrandum delictum obſtrinxit: nec, 41. illum, qui ſe alteri ad praemium delicti dandum obligavit, eo nomine teneri: ac proinde 42. omnia pacta de rebus turpibus ac inhoneſtis inita, ſive unilateralia, ſive bilateralia, nullius momenti eſſe (*).

(*) Manifeſto enim contradictorium eſt, jus naturae adſiſtere pactis, etiam juri naturae contrariis: itemque prohibere illud ita paciſci, & tamen praecipere, ut pacto ſatisfiat, pactum denique nullum eſſe, & tamen effectum ſortiri. Itaque ſine perfidiae labe ab hujuſmodi pacto diſceditur, quod ſine ſummo ſcelere impleri non poteſt. Nec fidei laudem fert, qui praeſtat, quod ſine ſcelere praeſtari non poteſt. Recte proinde Deianirae, ſilentium ſibi ſtipulatae, reſpondet nutrix apud Senecam tragoedum *in Hercule Oeto Act* II. *v.* 480.

Praeſtare, fateor, poſſe me tacitam fidem,
Si ſcelere careat, interim ſcelus eſt fides.

An ſervandum promiſſum cum alterius detrimento conjunctum?

§. CCCXCIX. Ex quo porro colligimus, 43. non obligari quemquam ad praeſtanda promiſſa, quorum praeſtationem cum alterius detrimento manifeſto conjunctam eſſe, animadvertit, 44. licet vel maxime alter perire velit, promiſſumque urgeat. Quum enim laedere alterum jure naturae prohibeamur, (§. CLXXVIII, 7.) de iis vero, quae juri naturae refragantur, paciſci nemo poſſit: (§. CCCXCVIII, 38.) non poteſt etiam pactum qualecumque, quo alter laeditur, valere, & 45. qui fidem ſic praeſtitit volenti & urgenti, non minus poena dignus eſt, ac qui invitum & repugnantem laeſit (*).

(*) Nec opponi huic doctrinae poteſt, volenti non fieri injuriam. Ei enim regulae non eſſe locum, ſi velle non liceat, jam ſupra oſtendimus. Velle autem non licet ea, quae Deus vel per rectam rationem, vel per revelationem, prohibuit. Hinc quamvis Saulus, rex, vulneratus adoleſcentem ſupplex rogaſſet ut ſe gladio transfigeret: tantum tamen abeſt, ut id impune ferret, ut Davides eum, tamquam regicidam confeſſum, confeſtim obtruncari juberet, 2. *Sam. I*, 15. 16.

Effectus pactorum de rebus factiſve alienis.

§. CCCC. Quia porro paciſcimur de iis, quae nobis ab altero dari fierique jure perfecto cupimus, (§. CCCLXXXVI.) dari autem vel fieri non poſſunt ea, quae alterius dominio arbitriove ſubjecta ſunt: recte negamus,

46.

46. quemquam utiliter promittere res, factave aliena, niſi mandante domino; immo 47. ne proprias quidem res, in quibus jam alteri antiquiore pacto jus aliquod quaeſitum eſt. 48. Obligari quidem eum ad omnem diligentiam adhibendam, qui ſe operam daturum promiſit, ut alius det faciatve (*), immo & 49. ad id, quod intereſt, ſi, ſe rem alteri confectam daturum, receperit, 50. non autem ei, cui quis rem factumve tertii promiſit, jus eſſe, rem illam factumve a tertio exigendi. Vid. Hert. *de obl. alium datur. facturumve*.

(*) Quum enim plus, quam operam ſuam diligentiamque, non promiſerit: nec plus ab eo exigere poterit is, qui ſibi illam pactus eſt. Et generatim, quoties quis ſibi aliquid ſtipulatus eſt, quod in alterius poteſtate abſolute non eſſe praeſcrivit, vel praeſcire potuit: toties promittens, praeſtita omni diligentia, liberatur. Eleganter id obſervat Seneca *de benefic. VII, 13. Quaedam ejus conditionis ſunt, ut effectum praeſtare debeant, quibuſdam pro effectu eſt, omnia attentaſſe, ut efficerent. Si omnia fecit, ut ſanaret: peregit medicus partes ſuas. Etiam damnato reo, oratori conſtat eloquentiae officium, ſi omni arte uſus eſt. Laus imperatori, etiam victo, & duci redditur, ſi & prudentia & induſtria, & fortitudo muneribus ſuis functa eſt.*

Pactum & pure, & ſub conditione, & ex die vel in diem recte initur: non tamen ſub conditione impoſſibili.

§. CCCCI. Ex eodem, quod datio vel factum, quod promittitur, ab utriuſque conſenſu pendet, (§. CCCLXXXVI.) ſua ſponte ſequitur, 51. ut in paciſcentium arbitrio ſit, PURE, an SUB CONDITIONE, an IN DIEM, vel EX DIE paciſci velint, eaſque circumſtantias a paciſcentibus accurate eſſe obſervandas, dum, 52. quod ad conditionem attinet, illa effectum pacti ab incerto eventu vere ſuſpendat, id eſt, dummodo vere ſit CONDITIO. Ex quo patet, 53. id, quod ſub *conditione impoſſibili*, quam vocant, promiſſum eſt, non deberi, quum nec hoc additamentum conditionis nomen mereatur (*), & ii, qui, quod fieri non poſſe praeſciverant, promiſerunt ſtipulative ſunt, aut jocati, aut inſanuiſſe, ac priore caſu paciſci noluiſſe, poſteriore non potuiſſe, cenſeantur. (§. CCCXCII, 12. *16.*)

(*) Eſt enim CONDITIO certa quaedam circumſtantia, a paciſcentibus expreſſa, a qua pacti effectus ſuſpenditur, tamquam ab incerto eventu. Quum ergo impoſſibilis, quam vocant, conditio non exprimat incertum eventum, ſed, quem non exſtiturum, certiſſimum eſt: ſequitur, ut nec ſuſpendat pacti effectum, adeoque non ſit conditio. Cavillabatur ergo Miltiades, qui urbis deditionem a Lemniis ex pacto poſtulabat, quod domo profectus, vento Aquilone Lemnum perveniſſet. Nepos *Miltiad. Cap. I. & II.* Lemnii enim Athenas intellexerant: nec aliter Lemniorum verba capere poterat Miltiades, qui eo tempore nuſquam, niſi Athenis, domum habebat. Conditio ergo ego erat impoſſibilis, quae, quum eſiſtere numquam poſſet, pactum reddebat irritum, maxime quum illuſiſſe Lemnios Miltiadi, & irridentes hoc dixiſſe, adeoque jocatos eſſe, facile intelligere potuiſſet Miltiades.

Multo minus ſub turpi.

§. CCCCII. Quum vero, & quae rectae rationi, legibus, boniſque moribus adverſa ſunt, *ἐκ τῶν ἀδυνάτων* eſſe cenſeantur, (§. CXV, 58.) id vero, quod ſub conditione impoſſibili promiſſum eſt, non debeatur, (§. CCCCI. 53.) quin generatim de rebus turpibus paciſci non liceat: (§. CCCXCVIII, 40.), inde merito colligimus, 54. turpes etiam inhoneſtaſque conditiones vitiare pactum (*), eumque, 55. qui ſub hujuſmodi conditione promiſit, illam adimplere non teneri: 56. ſi vero adimpleta ſit, utrumque paciſcentem poenas merito dare, & promittentem quidem, quod delictum perpetravit, alterum, quod talem ferendo conditionem, pro cauſſa iſtius facinoris morali merito habetur. (§. CXII, *49.*)

(*) Ex

(*) Ex ſingulari ratione Romani conditiones, tum phyſice, tum moraliter impoſſibiles, pro non adſcriptis eſſe voluerant in ultimis voluntatibus. §. 10. *Inſt. de her. inſt. l. 1. l. 19. D. de condit. inſt. l. 8. & l. 20. D. de condit. & dem.* Quemadmodum enim abſurdum videbatur, teſtatori indulgeri, ut in actu tam gravi & ſerio, heredi illudere, nugaſque agere poſſet: ita nec heredi fraudi eſſe debebat omiſſio actionis impoſſibilis, in quam numquam conſenſiſſet. (§. CXV, 59.) Et hinc legata accepturi nihilominus ex jure Romano fuiſſent, ab Eumolpo honorati, apud Petron. *Sat. Cap.* XCI. ſi vel maxime non adimpleſſent conditionem: *Omnes, qui in teſtamento non legata habent, praeter libertos meos, hac condition percipient, quae dedi: ſi corpus meum in partes conciderint, &, adſtante populo, comederint.* At, quum ex noſtra ſententia non alias ultimas voluntates agnoſcat ius naturae, quam quae per modum pacti fiunt: (§. CCXCI. 5.) nihil obſtat, quo minus, quae de pactis, ſub impoſſibili vel turpi conditione initis, diximus, (§. CCCCI. & CCCCII.) etiam de ultimis voluntatibus valere debere dicamus: ut adeo abſurda dicenda ſit Thebanorum lex, quae conditionem adimpleri iuſſerat ridiculam, ut heres captator mortuam teſtatricem nudam, & oleo unctam, humeris ſuis efferret,

Scilicet elabi ſi poſſet mortua, credo,
Quo nimium inſtiterat viventi.

Vid. Horat. *Serm.* II, 5.

An liceat per alios promittere & paciſci?

§. CCCCIII. Quia porro & per modum mandati, & per negotiorum geſtionem, cuivis licet alterius utilitatem promovere, eumque ope ſua, juvare: (§. CCCXLVI.) non poſſumus non inferre, 57. perinde eſſe, ſive ipſe quis paciſcatur promittatve, ſive ejus mandato alius. Quum vero negotiorum geſtor tantum ad utiliter gerendum obligatus ſit, (§. CCCXLVIII.) non vero utiliter gerat, qui de alieno liberalis, aliquid ſine conſenſu domini promittit: (§. CCCC, 46.) conſequens eſt, 58. ut liceat quidem negotiorum geſtori alteri ſtipulari, adeoque 59. aequitati naturali parum conveniens videatur regula juris Romani: *neminem poſſe alteri, niſi cujus juri ſubjectus ſit, ſtipulari*: §. 4. *Inſt. de inut. ſtip.* non tamen 60. pro abſente & ignorante promittere, & talis promiſſio dominum plane non obſtringat.

Quae de pactis dicta, etiam ad contractus pertinent.

§. CCCCV. Denique, quum ineunte hoc capite a nobis obſervatum ſit, inter pacta & contractus jure naturae nihil eſſe diſcriminis, ſiquidem utrumque negotium utriuſque conſenſu capit ſubſtantiam: (§. CCCLXXXV.) facile patet, 61. omnes regulas, quas hoc capite vidimus, non minus ad contractus, quam ad pacta, pertinere, nec 62. male illum ratiocinari, qui a natura pactorum ad contractuum indolem eruendam ducit argumentum.

CAPUT XV.

QUIBUS MODIS OBLIGATIONES EX CONTRACTIBUS PACTISQUE SOLVANTUR.

§. CCCCVI.

Axiomata generalia de modis ſolvendi obligationem.

PActa ſumma FIDE & quam religioſiſſime ſervanda eſſe, nihilque data FIDE debere eſſe ſanctius, ſupra demonſtrare nos meminimus; (§. CCCLXXXVII. ſequ.) FIDES vero hic nobis nihil aliud eſt, quam promiſſionum pactorumque impletio, adeoque vere Cicero *de offic. I, 6.* quamvis parum accurate ad grammaticorum regulas, FIDEM *adpellatam*, ait, *quia fiat, quod dictum eſt*. Ex quo colligimus, 1. tum demum paciſcentes finem ſuum adſequutos, quando pacti legibus ſatisfactum, idque, quod dictum, factum ſit, 2. fine autem hoc obtento, (qui ex philoſophorum ſen-

tentia primum in intentione, & poſtremum in exſequutione eſt, vel ita comparato, ut obtineri numquam poſſit, (§. CCCXCVII, 35.) ipſam quoque obligationem, ex pacto promiſſove natam, ceſſare oportere (*).

(*) Jure quidem Romano diſtinguitur inter modos, quibus IPSO JURE, & quibus OPE EXCEPTIONIS tollitur obligatio. Quoties enim facto aliquo paciſcentium perimitur obligatio, veluti ſolutione, in ſolutum datione, acceptilatione, ceteris: toties *ipſo jure* illa expiraſſe; ſi contra propter aequitatem eliditur, *per exceptionem* ſublata dicitur. Quamvis vero nec ocioſam exiſtimemus illam iureconſultorum diſtinctionem, nec eamdem omni ratione deſtitui contendamus: (quam in rem praeclara ſunt, quae diſputavit celeberrimus Henr. Coccejus *diſſ. de eo, quod fit ipſo jure*,) eam tamen ignorare ius naturae rectamque rationem, facile nobis largientur ii, quibus explorata eſt Romanorum res iudiciaria, ratioque, quae illos ad excogitandam hanc diſtinctionem permovit.

Modus primus, ſolutio. A quo fieri debeat?

§. CCCCVII. Quum itaque ceſſet obligatio, ex pacto promiſſove nata, quando pacti legibus ſatisfactum, idque, quod dictum, factum eſt: (§. CCCCVI, 1. 2.) conſequens eſt, 3. ut illa ceſſet, facta SOLUTIONE, quippe quae nihil aliud eſt, quam naturalis praeſtatio ejus, quod in obligatione eſt, illi, cui quis ex promiſſo obligatur, facta. Quemadmodum vero 4. ei, cui ſolvendum, perinde eſt, a quo ſibi ſolvatur, dummodo vel rem ipſam, quae debetur, vel, ſi res fungibilis in obligatione ſit, tantumdem accipiat, (§. CCCLXIV, * 3.) quum ita naturaliter illi praeſtetur, quod in obligatione eſt: ita ex eadem ratione facile patet, 5. alio ſe ad pacti impletionem offerente, non liberari paciſcentem, ſi quid, quod vicariam alterius praeſtationem non admittit, promiſſum ſit (*).

(*) Id toties contingit, quoties perſonae qualitas vel induſtria aliquos ad paciſcendum impulit. Hinc ſi Titia ex pacto ſponſalitio obligata eſſet ad nuptias cum Sempronio contrahendas: ea ſane non liberaretur, ſi vel maxime Sulpicia parata eſſet ad pactum pro Titia implendum, quia Sempronius Titiae qualitates, virtutes, aetatem, formam, fragilitatem, elegit, adeoque ei non perinde eſt, quae ſibi nubat. Contra commodatario perinde eſt, ſive librum commodatum a commodatario, ſive a tertio quodam, quocum ipſi nihil negotii fuit, recipiat: creditoris quoque non refert, utrum a debitore, an a tertio, etiam ignoto ſibi homine, ſortem uſuraſve accipiat: quia utrique hoc modo naturaliter praeſtatur, quod in obligatione eſt.

Quid, & cui ſolvendum ſit?

§. CCCCVIII. Ex eodem principio colligimus, 6. praeſtandam eſſe vel eamdem ſpeciem, ſi alteri uſus tantum vel cuſtodia rei non fungibilis conceſſa, vel 7. idem genus, ſeu tantumdem, ſi res fungibilis alteri abutenda data ſit. 8. Creditori invito non obtrudendum eſſe aliud pro alio, multoque minus 9. eum cogendum eſſe, ut partem pro toto accipiat, vel 10. tardius, aliove loco, quam legibus contractus cautum eſt, ſolvi ſibi patiatur (*): quia omnibus his caſibus tunc non praeſtaretur naturaliter, quod in obligatione eſt. (§. CCCVII, 3.) Praeterea ex eodem patet, 11. non alii ſolvendum eſſe, quam creditori, dummodo leges illum ſolutionem accipere patiantur, vel 12. ei, cui ille nomen ceſſit, vel 13. cui ſolvi mandavit, quum alias praeſtetur quidem, quod in obligatione eſt, ſed non ei, cui ex promiſſo obligatus eſt debitor. (§. CCCCVII, 3.)

(*) Quamvis enim ſaepe debitori aliquid indulgeri iubeat neceſſitas, ſaepe & leges humanitatis ſubigere debeant creditorem, ut aliquid de rigore iuris remittat: nos tamen hic de iure loquimur. Hoc pacta & contractus ſumma fide ſervari iubet. *Fides* autem, recte obſervante Cicerone *de offic. II, 24. nulla eſſe poteſt, niſi ſit neceſſaria ſolutio rerum creditarum*.

§. CCCCIX.

Modus ſecundus, compenſatio.

§. CCCCIX. Deinde, quia ceſſat obligatio ex pacto, quoties ejus legibus ſatisfactum, idque, quod dictum, factum eſt, (§. CCCCVI, 1. 2.) in rebus vero fungibilibus tantumdem pro eodem habetur: (§. CCCLXIV, * 3.) conſequens eſt, 14. ut & COMPENSATIONE tollatur obligatio, quippe quae nihil aliud eſt, quam mutui debiti & crediti, quorum utrumque certam aeſtimationem habet, inter ſe contributio (*).

(*) Accedit & alia ratio. Quum enim ei ſolutum eſſe dicamus, qui habet, quod in obligatione eſt, (§. CCCCVII, 3.) is vero, cui res fungibilis debebatur, eam habeat, ſi tantumdem acceperit: (§. CCCLXIII, * 3.) ſequitur, ut ei, qui ex huiuſmodi obligatione quovis modo tantumdem accepit, ſolutum eſſe videatur, ac proinde COMPENSATIO nihil aliud ſit, quam ſolutio brevi manu facta. Ut adeo aequiſſimum ſit, compenſationis eumdem eſſe effectum, ac ſolutionis. Quod recte viderunt maiores noſtri, dum dicere ſoliti ſunt: *Abrechnen ſey ſo gut, als zahlen*.

Quid circa illam juſtum ſit?

§. CCCCX. Ex ea vera definitione patet, 15. compenſationi non eſſe locum, niſi inter eos, qui ſibi mutuo debent, ac proinde 16. fruſtra veluti in ſolutum alteri invito obtrudi, quod nobis a tertio debetur. 17. Compenſationi locum eſſe in rebus fungibilibus, quae, quum regulariter pretium adfectionis non admittant, certam ſemper habent aeſtimationem, non autem 18. compenſari poſſe ſpeciem cum ſpecie, nec 19. diverſum genus cum diverſo genere, nec 20. praeſtationes perſonales cum praeſtationibus ſimilibus, quia haec omnia & adfectionem admittunt, & incertae ſunt aeſtimationis. 21. Denique compenſationem, quantitatum, etiam inaequalium, admitti ad ſummam concurrentem, quamvis & recta ratio videat, 22. ab eo non poſtulari aequum, qui liquidum cum illiquido compenſari velit (*).

(*) Multo minus ergo recte compenſatur debitum liquidum cum eo, quod alter vi iniuſta non fecerit iniuriam, quia hic plane deficit mutua obligatio. Lepida ergo, ſi qua alia, fuit compenſatio, qua creditoribus ſuis ſatisfecit Vitellius apud Dion. Caſſ. *Hiſt. Lib. LXV. p.* 735. Quum enim hi, proficienti in Germaniam, Vitellio inieciſſent manus, eumque vix, datis fideiuſſoribus, dimiſiſſent: hic, occupato imperio, illos latitantes requiſivit, ſublataſque eſſe compenſatione obligationes, dixit, quin & chirographa ſibi reddi iuſſit, interferens cauſſam. *τὴν σωτηρίαν σφίσιν ἐς τὸ ὀφειλόμενον ἀποδιδόναι, ſalutem ſe illis pro credita pecunia reddidiſſe*. Quaſi & id imputare viatori poſſit latro, quod, quum iugulare potuiſſet, incruenta ſpolia detraxerit.

Tertius modus, condonatio.

§. CCCCXI. Quum porro & illi ſatisfactum ſit procul dubio, qui nihil a debitore exigere cupit, & quiſque ſe jure ſuo, quod in favorem ſui invectum eſt, recte ſe abdicet: (§. XIII, 19.) conſequens eſt, 23. ut & CONDONATIONE vel REMISSIONE quaevis ſolvatur obligatio, per quam quippe intelligimus renunciationem creditoris, qua ſe jure ſuo exigendi debitum ultro abdicat. Quumque perinde ſit, ſive quis animi ſententiam verbis, ſive factis, aliiſque ſignis, declaret: (§. CXCV. *) 24. perinde etiam eſſe patet, ſive verbis acceptum quis ferat, ſive factis, veluti redditione, vel combuſtione, vel laceratione chirographi, 25. dummodo de contraria mente, aliove conſilio creditoris, non conſtet, vel 26. chirographum non a creditore, ſed ab alio injuſſo, vel 27. caſu fortuito potius, quam voluntate creditoris, laceratum combuſtumve eſſe, liquido probari poſſit (*).

(*) Sic recte remiſſa ſibi eſſe tributa Romani, quod eo conſilio chirographa aliaque debita fiſcalia, dicere poterant & rationes omnes publice combuſſiſſet Hadria-

Hadrianus Imp. ut hac ſtupenda liberalitate civium Romanorum animos ſibi devinciret. Spartian. *Hadr. Cap. VI.* Abſurde vero idem ſibi perſuaderet debitor, cui ideo chirographum reddidit creditor, ut alia ac meliore forma conciperetur, vel cuius chirographum, orto incendio, conflagravit. Ex quo etiam facile reddideris rationem, cur ſemper iniquiſſimum viſum ſit, populum Romanum, obaeratum, NOVAS TABULAS poſtulare, id eſt, a magiſtratibus, vel turbulenti ingenii tribunis, remiſſionem aeris alieni flagitare. Ita enim condonatio non proficiſcebatur a creditoribus, ſed a magiſtratibus, de alieno liberalibus, & quorum potius erat ius dicere creditoribus, quam iis invitis, debitores liberare. Peſſimi rem exempli primum a Sulla repertam, ferunt. *Liv. Epit. Lib. LXXXVIII.* Idem deinde Catilinam, idem ipſum populum a Caeſare expectaſſe, conſtat, quamvis tunc ſpe ſua exciderint homines turbulentiſſimi. Salluſt. *Catil. Cap. XXI.* Caeſar *de bello civ. III*, 1. Suet. *Jul. Cap. XLII.* Plutarch. *Solon. pag.* 86.

Quartus mutuus diſſenſus.

§. CCCCXII. Quum porro unuſquiſque jure ſuo ſe abdicare, & alteri, quod ſibi debet, remittere poſſit: (§. CCCCXI, 23.) ſequitur profecto, 27. ut & uterque obligationem bilateralem mutuo conſenſu tollere poſſit, maxime, quum *nihil ſit tam naturale, quam eodem modo quidque diſſolvi, quo colligatum eſt. l* 35. *D. de reg. jur.* 28. Ut tamen is modus ſolvendi obligationem locum non habeat, ſi leges poſitivae negotium aliquod, ſemel contractum, indiſſolubile eſſe jubeant. Quale hodie ubique inter Chriſtianos eſſe matrimonium, quod olim apud Romanos bona utriuſque gratia impune ſolvebatur, nemo ignorat.

An & alterutrius perfidia ſolvatur obligatio?

§. CCCCXIII. Quia vero mutuo tantum conſenſu tolli poteſt bilateralis obligatio: (§. CCCCXII, 27.) 29. unius ſane voluntas illam non tollit, adeoque 30. alterutrius partis PERFIDIA non abrumpit obligationem, ceu viſum eſt Grotio *de jure belli & pac. III*, 19, 14. & Puſendorffio *de jure nat. & gent. V*, 11, 9. Nam 31. & ipſe, qui fidem non praeſtat, obligatus manet, quum ſe ſua voluntate obligatione exſolvere non poſſit: (*per concl.* 29.) & alteri jus eſt, illum ad implendum pactum cogendi; quamvis, 32. ſi hic jure ſuo uti nolit (*), procul dubio ceſſet utriuſque obligatio, quippe jam utriuſque conſenſu ſublata. (§. CCCCXII, 27.)

(*) Poteſt autem id unuſquiſque, ſi alter pactum adimplere nolit. Omni enim bilaterali negotio tacita ineſt conditio, unum praeſtiturum, quod promiſerit, ſi & alter ex ſua parte pacto ſit ſatisfacturus, (§. CCCLXXIX.) Si ergo hic pacto non ſatisfecit, deficit conditio, a qua ſuſpenſa eſt obligatio, (§. CCCCI, 52.) adeoque & ipſa alterius obligatio ceſſat.

Quintus & ſextus modus, lapſus temporis & defectus conditionis.

§. CCCCXIV. Quandoquidem porro qualemcumque pacto circumſtantiam addere licet, eaeque circumſtantiae a paciſcentibus accurate ſunt obſervandae: (§. CCCCI, 51.) facile intelligitur, 33. obligatione EX DIE concepta, id, quod promiſſum eſt, non prius, quam veniente die, peti poſſe: 34. ſin IN DIEM promiſſum ſit, veniente illo die, obligationem ipſo jure perimi (*). 35. CONDITIONE porro, a cujus eventu pacti effectus ſuſpenſus eſt, non exſiſtente, obligationem ex eadem ratione tolli, 36. niſi quis ad implendam conditionem paratus, ab ipſo paciſcente, vel 37. a tertio, ſine quo adimpleri non potuit, ſit prohibitus.

(*) Itaque denuo fori Romani ſubtilitates redolet regula iureconſultorum Romanorum, ex contractu ſtricti iuris non poſſe ad tempus deberi, adeoque obligationem huiuſmodi, in certum diem conceptam, perpetuari, niſi quod creditor ultra tempus conſtitutum aliquid petens exceptione doli mali repelli poſſit. §. 3. *Inſt. de verb. oblig. l.* 4. *pr. D. de ſerv. l.* 44. §. 1. *D. de obl. & act.* Sunt hae tricae fori Romani, quas ſi quis in iure naturae quaereret, nae iſte mihi magno conatu maximas nugas agere videretur.

§.CCCCXV.

Digitized by Google

Septimus, mors.

§. CCCCXV. Sunt porro obligationes, quae contemplatione cujuſdam perſonae, ejuſque qualitatum, contrahuntur. Hae ergo quum ita ſint comparatae, ut vicariam praeſtationem non admittant: (§. CCCCVII, 5.*) nemo non videt, 38. eas non tranſire poſſe ad heredes & ſucceſſores, adeoque 39. MORTE promittentis exſpirare, quale quid in obligatione deſponſatorum, mandatariorumque obſervamus. Non autem 40. hunc modum ſolvendi obligationem pertinere ad obligationes reliquas, quae ex bonis poſſunt adimpleri, 41. quippe quas, tamquam vicariam praeſtationem admittentes, & ad heredes transferri, aequiſſimum eſſe, jam ſupra demonſtravimus. (§. CCCV, 56.)

Octavus, ſtatus mutatio.

§. CCCCXVI. Eadem eſt ratio, ſi contemplatione certi cujuſdam ſtatus ad aliquid praeſtandum ſimus obligati. Perinde enim eſt, ac ſi ſub conditione, ſi duret ille ſtatus, promiſſum eſſet. Quum ergo, deficiente conditione, & obligatio ceſſet: (§. CCCCXIV, 35.) ſequitur ſane, 42. ut & mutato ſtatu obligatio, in illo ſtatu unice fundata, ceſſet, adeoque 43. qui adminiſtratorio nomine contraxit, finita adminiſtratione, non amplius teneatur. *l. ult. D. de inſtit. act. l 26. C. de adm. tut.* Quod tamen 44. de ſola obligatione, quae ex pacto vel lege poſitiva oritur, non de illa, quam ipſa naturalis ratio hominibus imponit, intelligendum eſſe, facile intelligitur (*).

(* Sic officia ſpecialia, quae conſul civitati debet, quia ex pacto ſunt ceſſant, ſimul ac ille conſul eſſe deſinit. Sed & officia filiifamilias, quatenus ex lege poſitiva ſunt, ceſſant, ſimul ac filius patria poteſtate exiit. Ex eo enim tempore patri non amplius adquirit, nec uſumfructum bonorum adventitiorum moribus noſtris debet. At officia, quae liberis ipſa naturalis ratio imponit, veluti obſequium, reverentia, gratus animus, etiam, ſoluta per emancipationem patria poteſtate, durant, nec parentibus, quorum e manu exceſſerunt liberi, ſine iniuria denegantur.

Nonus, rei interitus.

§. CCCCXVII. Quandoquidem porro obligatio ceſſat, ſi finis ita ſit comparatus, ut obtineri numquam poſſit: (§. CCCCVI, 2.) fieri non poteſt, 45. quin is, qui ſpeciem promiſerit, illa caſu pereunte, liberetur, niſi forte 46. eam aeſtimato, vel 47. tamquam in ſolutum promiſerit, nec 48. prior obligatio per novationem expreſſe ſublata ſit. Praeterea quum neminem excuſet impoſſibilitas, qui in culpa vel mora eſt: (§. CXV, 60.) facile patet, 49. periculum rei promiſſae ferre, qui in mora vel culpa eſt, adeoque 50. ea omnia, quae ſupra de periculo rei venditae diximus, (§. CCCLIII. ſequ.) hic eſſe repetenda.

Decimus, novatio & delegatio.

§. CCCCXVIII. Denique, quum & per alium ſolvere, (§. CCCCVII, 4.) & obligationem alteri remittere, (§. CCCCXI, 23.) & ab ea communi conſenſu diſcedere, novamque introducere liceat, quod poſtremum conventionis genus ſupra *pactum mixtum* vocavimus: (§. CCCLXXXIX.) ſequitur, 51. ut quiſque alteri priorem obligationem remittere, novamque ejus loco recipere poſſit, quod negotium NOVATIONEM, &, ſi de rebus dubiis & litigioſis contrahatur, TRANSACTIONEM vocamus. 52. Ut creditor debitori & ea lege remittere poſſit debitum, ut pro eo alius, quem ipſe idoneum judicat, ſubſtituatur: quod ſpeciatim vocant DELEGATIONEM. 53. Ut novationem diſertis verbis, vel ſignis evidentiſſimis, 54. delegationem vero, ſimul conſentientibus omnibus, qui ad negotium illud concurrunt, fieri oporteat. Ut denique 55. multum interſit inter *delegationem* & *ceſſionem*, qua creditor actionem adverſus debitorem, hoc etiam inſcio & invito, in alterum transfert.

LIB.

L I B. II.

JUS GENTIUM.

CAPUT I.

DE STATU HOMINIS NATURALI & SOCIALI.

§. I.

Connexio. HActenus JUS NATURAE, quo ſingulorum actiones reguntur, expendimus. Proximum eſt, ut, promiſſi memores, etiam JUS GENTIUM, ad principia ſua revocatum, veluti in nucleo exhibeamus. (Lib. I. §. XXIII.) Quum vero JUS GENTIUM ſit ipſum jus naturale, vitae hominis ſociali, negotiiſque ſocietatum & integrarum gentium adplicatum; (Lib. I. §. XXI, 44.) illius indolem perſpici ſine diſtincta STATUUM & SOCIETATUM notione non poſſe, facile patet.

Quid ſtatus hominum phyſicus & moralis? §. II. STATUS generatim eſt qualitas, per quam res unaquaeque limitatur, adeoque qualitates, per quas ipſe homo limitatur, recte vocantur STATUS HOMINIS. Quemadmodum vero jam vires animi & corporis ab ipſo Deo, hominum conditore, jam actiones eorum liberae per legem limitantur: ita priorem hominum ſtatum PHYSICUM (*); poſteriorem MORALEM adpellamus. Quum itaque jam de jure gentium acturi ſimus, quod in actionibus liberis dirigendis verſatur: nemo non intelliget, ſtatum hominis non *phyſicum*, ſed *moralem*, directe ad nos pertinere.

(*) Sic ex limitationibus illis, ab ipſo rerum conditore profectis, eſt, quod alii ſint *maſculi*, alii *feminae*; alii *corpus recte formatum*, alii *monſtroſum*; alii *validum & robuſtum*, alii *languidum* ac *debile*; alii *formoſum*, alii *deforme* acceperunt; aliis *ingenium perſpicax* & *ad omnia factum*; aliis *hebes*, ac *ineptiſſimum*; aliis paene *nullum* contigit. Quae quidem omnia ad ſtatum hominis PHYSICUM, quem iureconſulti *naturalem* vocant, pertinere, res ipſa docet. Contra actiones hominis liberae per leges aliter limitantur, ſi quis ſit *maritus*, quam ſi *in caelibatu* vivat, aliter, ſi *parentis*, aliter, ſi *filiifamilias*, aliter, ſi *domini*, aliter, ſi *ſervi* perſonam gerat. Quare haec omnia ad ſtatum hominis MORALEM, qui iureconſultis *civilis* eſt, referenda ſunt, quamvis paullo latius pateat ſtatus MORALIS, quam iureconſultorum civili, ad quem tantum ſtatum *libertatis*, *civitatis*, & *familiae* referre ſolent.

Quid ſtatus naturalis & adventitius? §. III. STATUS porro ille MORALIS, ſecundum quem homines quam maxime diſtinguuntur, vel illis connatus eſt, vel ab aliquo ejus facto pendet. Prior vocatur NATURALIS; poſterior ADVENTITIUS. Itaque nobis STATUS NATURALIS eſt qualitas vel conditio, homini ab ipſa natura, ſine facto ejus, impoſita, in qua liberae ejus actiones, prout id natura illius ſtatus exigit, lege naturali limitantur. STATUS contra ADVENTITIUS qualitas vel conditio, quam homo ſibi facto ſuo eligit, in qua liberae ejus actiones, prout id ejus ſtatus indoles & conſervatio exigit, lege limitantur (*).

(*) Ex illa limitatione continetur, ut uterque STATUS & iura certa hominibus tribuat, & certa iiſdem officia imponat. Sic ſingularia iura atque officia competunt

ſunt iis, qui in ſtatu naturali vivunt, alia maritis & uxoribus, alia patribus filiiſque familias, alia dominis ſerviſque, alia civibus. Et hinc eodem redit definitio ſtatus Puſendorffii *de offic. hom. & civ. II, 1, 1. STATUM in genere eſſe illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum, quem etiam peculiaria fere iura comitantur.*

§. IV. Non ergo hic 1. ſtatum NATURALEM opponimus ſtatui brutorum, quae diverſa a brutis natura magis ad *ſtatum phyſicum*, quam *moralem*, pertinet (*) (§. II.) nec 2. ſtatui naturali repugnanti, qualem ſibi ſtatum ſervorum fingebant jureconſulti §. 2. *Inſt. de jure perſ.* ſed 3. ſtatui ſociali & civili; quippe quorum utrumque facto ſuo ſibi aliiſque imponunt homines, & quorum uterque vere eſt adventitius. (§. III.) Hic vero qualis fuerit, jam paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, erit conſiderandum, quum unuſquiſque inde ſit perſpecturus rationem, cur homines plerique, relicto illo ſtatu naturali, ſibi alios, quamvis cum variis moleſtiis conjunctos, adſciverint.

Naturalis ſtatus hic non opponitur ſtatui brutorum, nec contra naturali.

(*) Equidem & ex hoc hominum ſtatu, in quo a creatore ſunt conſtituti, dum eos eximia prae ceteris animalia eſſe voluit, officia quaedam elicit Puſendorff. *ibid.* §. III. veluti *quod homo debeat auctorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari, ac diverſa plane ratione a brutis vitam ſuam exigere.* Quale quid & Simplicio *ad Epict. Cap. LXXIX. p. 331.* in mentem veniſſe videtur, dum precatur Deum, *ὑπομνησθῆναι τῆς ἑαυτοῦ εὐγενείας ἧς ἠξιώθημεν παρὰ αὐτοῦ; ut recordari ſe faciat nobilitatis, qua ille nos homines dignatus ſit.* Sed ad haec omnia ſimiliaque officia non ideo, quod aliquid eximium prae brutis accepimus, ſed ex voluntate Dei O. M. omnis iuſtitiae fonte, (Lib I. §. LXII, 2.) obligamur, ac proinde illa ſupra ex hoc limpidiſſimo fonte a nobis iam ſunt derivata, (Lib. I. §. CXXVI. §. CXLIX.)

§. V. Obſervavimus jam ſupra, (Lib. I. §. LXXXVIII, 52.) omnes homines, quamvis alter altero perfectior imperfectiorque eſſe poſſit, natura tamen ſibi invicem eſſe aequales. Et quis, quaeſo, id in dubium vocet, quum omnes iiſdem partibus eſſentialibus, puta, mente & corpore, conſtent? Ex eo vero ſequitur, 4. ut ſtatus naturalis ſit ſtatus aequalitatis, ac proinde 5. eorum, qui in illo vivunt, nemo altero vel ſuperior ſit, vel inferior, &, quod conſequi inde neceſſe eſt, 6. nec imperio, nec ſubjectioni, 7. immo nec ulli dignitatum diſcrimini in illo locus ſit, adeoque recte ſcripſerit Ulpianus: *Quod ad jus naturale attinet, omnes homines aequales ſunt. l. 32. D. de reg jur.* Addantur *l. 4. D. de juſt. & jure. l. 12. §. 3. D. de accuſat. l. 64. D. de condict. indeb.* (*).

Eſt ille ſtatus aequalitatis.

(*) Mutuatos haec iureconſultos eſſe a Stoicis, obſervat Merillius *Obſerv. I, 15.* Et paſſim ſane ſimiles Stoicorum ſententiae exſtant apud Arrian. *diſſ. Epictet. I, 13.* & Senecam *Epiſt. XLVII. & de benef. III, 22.* quas ipſe laudavit Merillius. Enimvero commune potius omnibus philoſophis & poetis fuit hoc principium, quod non potuerunt non adoptare, quicumque naturam hominis paullo attentius ſunt contemplati. Huc ſane pertinet illud Euripidis *in Hecuba v. 291.*

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.
Lex enim vobis & liberis aequa
Et de ſervili ſanguine natis lata eſt.

nec non fragmentum Varronis apud Nonium Marcell. II, 98. *Natura in humanis omnia ſunt paria*: ut alia aliorum eiuſdem ſententiae teſtimonia nunc praetermittamus, quorum ſane complura hic accumulare liceret, ſi iam id ageremus.

§. VI. Quumque in ſtatu naturali, ut inter aequales, nec imperio, nec ſubjectioni locus ſit; (§. V, 6.) conſequens eſt, 8. ut ſtatus naturalis ſit ſtatus libertatis (*), in eoque 9. nec ſubjectioni politicae, nec, quae jure gen-

Itemque libertatis.

gentium introducta eſt, ſervituti locus fuerit. 10. Ut in eo ſtatu exſulare oporteat leges poſitivas humanas, itemque 11. magiſtratus, 12. poenas, & 13. quidquid ſine alterius prae altero praerogativa poteſtateve intelligi non poteſt.

(*) LIBERTAS nobis eſt facultas omnia agendi ſuo arbitrio, & in ſuam utilitatem. Ea vel POLITICA ſeu CIVILIS eſt, quando quis ſuperiorem non agnoſcit: cuius arbitrio, & in cuius utilitatem quid agere vel omittere teneatur: vel JURIS GENTIUM, qua gaudent, qui in nullius domini poteſtate ſunt, nec eius arbitirio & in eiuſdem utilitatem omnia agere coguntur. Priori ergo libertati, quam politicam vocavimus, SUBJECTIO; poſteriori, quam iuris gentium eſſe diximus, SERVITUS opponitur. Addidit illuſtris Thomaſius *in Not. ad Inſt. p. 13.* tertiam libertatis ſpeciem, puta NATURALEM, quae §. 2. *Inſt. de jure perſ.* definitur. Sed quum ea, ipſo fatente viro doctiſſimo, oppoſitum non habeat, & magis ad ſtatum hominis phyſicum, quam moralem referenda ſit: eius hic nulla habenda erit ratio.

In eo tamen vigere oportuit jus naturae.

§. VII. Quia vero in ſtatu illo & leges poſitivas humanas, & magiſtratus, & poenas, ideo exſulare oportebat, quod omnes homines eſſent inter ſe aequales, (§. VI, 10. ſequ.) ea vero ratio non cadit in jus illud ſempiternum, ab ipſo Deo immortali conſtitutum: ſatis patet, 14. hominum actiones & in ſtatu naturali lege naturali regi, 15. eoſque, qui in illo vivunt, non minus, quam nos, qui ſtatus adventitios adſcivimus, ad Deum colendum, eique obtemperandum, 16. ad ſe ipſos amandos, conſervandos, perficiendos, 17. alios denique homines, tamquam ſe ipſos, diligendos, 18. neminem laedendum, 19. ſuum cuique tribuendum, quin & 19. ad omnia humanitatis ac beneficentiae officia aliis praeſtanda, eſſe obligatos (*).

(*) Habes hic praecipuum argumentum, quo iam ſupra hypotheſin Puſendorffii de ſocietate, iuris naturalis fonte ac ſcaturigine, profligavimus. (Lib. I. §. LXXV, 27.) Ponit vir doctus, ius naturae eſſe ex cuſtodia ſocialitatis, ad ſocietatem vero homines ipſa neceſſitate eſſe impulſos. At officia erga Deum & ſeipſum praeſtare tenebatur homo, etiamſi ſolus in hoc terrarum orbe viveret: aliis quoque hominibus obligatus erat ad omnia officia iuſtitiae, humanitatis, & beneficentiae praeſtanda, etiamſi cum his nullo ſocietatis vinculo fuiſſet coniunctus, ſed quiſque ſuas ſibi res ſeorſum habuiſſet. Quo ergo colore vir doctus ex ſocietate repetere potuit ius, quod maximam partem & ſine ſtatu ſociali inter homines locum fuiſſet habiturum?

Ac proinde in eo ſtatu non fuit jus omnibus in omnes, nec iſte ſtatus fecit ex hominibus bruta.

§. IX. Ex quo ſimul intelligitur, 20. quam abſurde HOBBESIUS omne jus ex pacto derivet, ac proinde 21. hominibus in ſtatu naturali viventibus jus in omnes & omnia tribuat, vel, 22. quod perinde eſt, omne jus naturae ex ſtatu naturali veluti proſcribat & in exſilium agat: (Lib. I. §. LXXIII.) & 23. non minus rationem fugere ſcriptores veteres, dum talem ſibi finxerunt ſtatum naturalem, in quo viventes homines parum diſcreparint a brutis, quippe nullo juris vinculo inter ſe colligati (*).

(*) Ita ſtatum naturalem deſcribit Cicero *pro P. Sextio Cap. XLII. Quis veſtrum ignorat, ita naturam rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines nondum neque* NATURALI, *neque civili* JURE *deſcripto, fuſi per agros ac diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera eripere aut retinere potuiſſent? Atque inter hanc vitam, perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tamen intereſt, quam* JUS *atque* VIS. Et Horat. *Serm. I, 3. v. 99. ſequ.*

Quum proceſſiſſent primis animalia terris
Mutum & turpe pecus: glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae poſt fabricaverat uſus.
Donec verba, quibus voces ſenſuſque notarent,

Nomi-

Digitized by Google

Nominaque invenere, dehinc abſiſtere bello,
Oppida coeperunt munire, & condere LEGES,
Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Similia paſſim habent veteres, quae operoſe collegit Puſendorff. *de jur. nat. & gent. II*, 2, 2. Sed fictio haec eſt, & quidem parum veroſimilis. Quamvis enim facile largiamur, in ſtatu illo naturali valde obbruteſcere potuiſſe humanum genus, idque in integris gentibus & hodie fieri animadvertamus, & olim factum eſſe, memoriae prodiderint ſcriptores, veluti de Hunnis Ammianus Marcellin. *Hiſt. XXXI*, 2. inde tamen non ſequitur, ut in ſtatu naturali iuris naturae cognitio & obligatio plane nulla fuerit.

In ſtatu naturali omnibus eſt jus belli.

§. X. Quumque, ubi arctiora legum vincula, magiſtratum poteſtas, & poenae exſulant, quod in ſtatu naturali fieri diximus, (§. VI, 10. ſequ.) ibi & oppreſſis nullum, niſi in ſeipſis, praeſidium eſſe poſſit: conſequens eſt, 24. ut in ſtatu naturali cuivis ſit jus, omnem vim atque injuriam vi propulſandi, 25. idque, quod alter jure perfecto debebat, vi extorquendi: non autem 26. alterum cogendi ad officia humanitatis ac beneficentiae praeſtanda (*), (Lib. I. §. LXXXIV, 47.) niſi 27. vel hic ſe ad ea praeſtanda pacto ultro obſtrinxiſſet, (Lib. I. §. CCCLXXXVI, 2.) vel 28. extrema neceſſitas aliquem adegiſſet, ut res alienas contrectaret, eaſque in ſuos uſus converteret, (Lib. I. §. CLXX, 75.) 29. maxime, ſi talia eſſent officia, quae ab altero, niſi inhumaniſſimus fuiſſet, ſine aliquo detrimento ſuo potuiſſent praeſtari. (Lib. I. §. CCXVI, 4. ſequ.)

(*) Non ergo excuſari potuiſſet vis Davidis, quam minabatur Nabali, officia beneficentiae ſibi deneganti, ſi vel maxime ille in ſtatu naturali vixiſſet. 1. *Sam. XXV*, 21, 22. Non enim aliunde obligatus erat Nabal, quantumvis ſtolidiſſimus, ad commeatum Davidi gratis ſubmittendum, quam ex lege gratitudinis. Adeam vero cogi neminem poſſe, iam ſupra obſervavimus, niſi ingratitudo ſit praegnans & cum iniuria coniuncta. (Lib. I. §. CCXXVII, 42. *) Extrema vero neceſſitas vim quidem excuſaſſet, non autem vindictam, quam anhelabat Davides, quum Nabal nondum ei, commeatum auferenti, reſtitiſſet, ſed tantum eum denegaſſet petenti, quod eum iure ſuo facere potuiſſet, maxime de iuſtitia cauſſae non omnino convictum, nemo non intelligit.

Praecipue vero in hoc ſtatu pactis opus erat.

§. XI. Quum denique & in ſtatu naturali ad officia humanitatis ac beneficentiae cogi nemo poſſet, adeoque ei opus eſſet pactis, qui certus de illorum praeſtatione eſſe vellet: (§. X, 26. ſequ.) ſequitur, 30 ut & in ſtatu illo omnia, quae tum de officio paciſcentium, tum de jure commercii & de contractibus diximus, locum habuerint, vel habere ſaltim potuerint: quia 31. ſaepe homines & illa, quae jure perfecto deberentur, pactis intervenientibus, a debitoribus ſibi ſtipulari debuerint, adeoque 32. nullum fortius fuerit vinculum, quo homines in iſto ſtatu continerentur, quam pactorum religio, 33. eoque laxato ruptove, ſtatim labaſci ac rumpi oportuerit amicitiam.

An tanta ſit hujus ſtatus miſeria, quanta vulgo jactatur?

§. XII. Quibus poſitis, facile intelligitur, 34. quantumvis ab Hobbeſio, ipſoque Puſendorffio, hic ſtatus, tamquam miſerrimus depingatur: pleraque tamen, quae in illo deſiderant, ac horrent, non tam ipſi ſtatui, quam hominum malitiae eſſe tribuenda, 35. ob quaedam etiam perperam reprehendi hunc ſtatum, veluti ob ſolitudinem, inopiam, famis frigoriſque periculum, ruditatem, virium propriarum imbecillitatem, ac bella inter homines perpetua, quum 36. ea omnia in ſtatu naturali non minus, quam in civili, potuiſſent evitari, ſi homines rectam rationem ſequi voluiſſent (*), & 37.

& 37. in ſtatu civili aeque difficulter, ac in naturali, evitentur, ſi homines rationem ſequi nolint. Titius *Obſ. ad Puſend. de offic. hom. & civ. II*, 1, 9.

(*) *Solitudo* enim non concipi poteſt, niſi inter paucos & brevi tempore. *Inopia*, *fames*, *frigus* non magis premere potuerunt homines in ſtatu naturali, quam in civili, quum nihil obſtiterit, quo minus & res neceſſarias occuparent, & commercia aeque commode, ac in civitatibus, inſtituerent, & nondum nota eſſet illa dignitatum inaequalitas, quae luxuriam, matrem inopiae, peperit. *Ruditati* ac ignorantiae medemur per culturam rectae rationis. Cur vero rationem non aeque excolere potuiſſent homines, in ſtatu naturali, quam in civili, viventes? At plerumque candor vitaeque ſimplicitas pro barbarie, adfectatum elegantiae ſtudium pro cultiore vita venditatur. Praeterea, quum & hodie *virium propriarum imbecillitati* non aliter medeamur, quam per pacta & foedera: quidni idem in ſtatu naturali fieri potuiſſet? Denique, ſi *bellum* inter ſtatus naturalis incommoda referendum eſt: nihil ſane praecipuum habebit ſtatus civilis, quippe quo factum eſt, ut, quum olim ſinguli cum paucorum periculo vires inter ſe periclitarentur, hodie integrae gentes cum myriadum interitu in ſe invicem saeviant. Eat nunc aliquis, & ſtatum naturalem civili deteriorem eſſe, dicat, quum hic iiſdem, quibus ille; ille paene non iiſdem, quibus hic, incommodis fuerit obnoxius.

Quamobrem homines illi paullatim ſtatum ſocialem praetulerint?

§. XIII. Itaque non eximia quaedam ſtatus naturalis miſeria, (§. XII.) ſed partim ſpes majoris ſecuritatis commoditatiſque, partim ipſa hominum malitia effecit, ut in ſocietates coaleſcerent: ceu paullo poſt erit dicendi locus. Quumque in ſtatu naturali non fortius ſit vinculum, quo homines contineantur, quam pacta & conventiones: (§. XI, 32.) conſequens eſt, 38. ut pactis vel conventionibus conſtitutae ſint ſocietates. Quumque pauciores facilius, quam multi, in unum placitum conſentire ſoleant: 39. in ſocietates primum ſimpliciores, deinde & in magis compoſitas, paullatim coaluiſſe homines, opinabile eſt (*).

(*) Idque & ipſa hiſtoria ſacra ſatis confirmat. Primum enim Adamum & Evam in ſocietatem matrimonialem, omnium ſimpliciſſimam, coiiſſe, notum eſt ex *Gen. II*, 22. 23. Inde mox nati liberi, *Geneſ. IV*, 1. 2. adeoque exorta eſt nova ſocietas, paullo magis compoſita inter parentes & liberos. Servi tum concipi non poſſunt, niſi dixeris, protoplaſtos ipſos liberos vel nepotes ſuos in ſervitutem redegiſſe. Immo quum Noachus tantum cum uxore, filiis & nuribus ſervatus in arca legatur: *Geneſ. VI*, 18. probabile ſane eſt, tunc temporis ſaltim pios nondum familias ſervorum aluiſſe: quum contra de Caini poſteris ob locum *Geneſ. VI*, 4. dubitari vix poſſit, quin homines alios oppreſſerint, & in ſervitutem redegerint. Denique & civitatis, ſocietatis omnium maxime compoſitae, veſtigium jam *Geneſ. IV*, 17. reperimus. Ut adeo certiſſimum videatur, a ſocietatibus ſimpliciſſimis progreſſum paullatim factum eſſe ad magis compoſitas, & ab his ad maxime compoſitam, quae civitatis vel reip. nomine venire ſolet.

Quid ſocietas, & ſtatus ſocialis.

§. XIV. Et hic quidem per SOCIETATEM intelligimus conſenſum duorum plurimmve in eumdem finem, eademque media, quae ad finem illum obtinendum ſunt neceſſaria. Quamdiu ergo ille conſenſus durat, tamdiu durat ſocietas: ſimul ac ii, qui antea in eumdem finem eademque media conſenſerant, ſuum quiſque finem intendit, ſoluta cenſetur illa ſocietas, & res quiſque ſuas ſibi habere incipit (*). Unde & STATUS, in quo, durante ſocietate, vivunt homines, SOCIALIS vocari ſolet.

(*) Quod non ita accipi velimus, ac ſi unius diſſenſu ſtatim & pactum, quo inita eſt ſocietas, irritum ſit, quod ſupra jam refellimus, (§. CCCLXXXII, 217.) ſed quod iſte a reliquis non amplius, tamquam ſocius poſſit conſiderari, qui cum reliquis nec in eumdem finem, nec in eadem media conſpirat, eumque animum ſuum ſignis loculentis teſtatur. Hinc manet quidem reliquis ex illa conventione jus,

jus, alterum ad ſervanda promiſſa adimplendaſque leges conventionis, vel, ſi id fieri non poſſit, ad reſarciendum damnum, praeſtandumque, quod intereſt, adigendi: at is non poteſt ſocius amplius dici, cui non amplius competit ſocii definitio, ex quo vinculum illud, quod ſocios continet, tam nefarie abrupit.

§. XV. Quandoquidem ergo quaelibet ſocietas ad certum finem tendit, (§. XIV.) fines vero diverſiſſimi ſunt: ſequitur profecto, 40. ut & ſocietatum eſſe poſſint diverſiſſima genera, adeoque, 41. ſi finis juſtus licituſque ſit, etiam ſocietas JUSTA & LICITA; ſin ille injuſtus ac illicitus, haec quoque INJUSTA & ILLICITA merito habeatur: (Lib. I. §. CCCXCVIII, 38.) ac proinde turpiſſimae ſint ſocietates latronum, piratarum, dardanariorum, & ſimiles. 42. Ut ſocietates omnes finibus diſcernantur (*), quumque ex fine de mediis judicandum ſit: 43. jura officiaque ſociorum ex ipſo ſocietatis fine merito ſint aeſtimanda. Societates ratione finis diverſiſſimae.

(*) Sic vidimus ſupra contractum ſocietatis, cujus finis erat commune lucrum. (Lib. I. §. CCCLXXIX.) Alius vero eſt finis ſocietatis matrimonialis, alius parentum & liberorum, alius dominorum & ſervorum, alius denique maximae illius ſocietatis civilis, quam vocamus rempublicam. Quot ergo ſunt fines, totidem diverſas ſocietates, & quot ſocietates, totidem fines eſſe oportet. Huc pertinet inſignis locus, quo Ariſtoteles auſpicatur opus *Politicum I*, 1. Ἐπειδὴ πᾶσαν κοινωνίαν ὁρῶμεν ἀγαθῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν, τῦ γὰρ εἶναι δοκῦντος ἀγαθῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες, δῆλον, ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθῦ τινος στοχάζονται. *Quia omnem communionem boni alicujus cauſſa conſtitutam videmus: (ejus enim, quod videtur bonum eſſe, gratia omnes omnia agunt,) perſpicuum eſt, omnes bonum aliquod propoſitum habere.*

§. XVI. Quumque ſine conſenſu non intelligatur ſocietas: (§. XIV.) hic vero vel ſit ultroneus, vel vi extortus, quem coactum adpellamus, & ratihabitione convaleſcere poſſe, ſupra oſtendimus: (Lib. I. §. CCCXLV, 29.) conſequens eſt, 44. ut & ſocietatum aliae ſint ULTRONEAE, aliae COACTAE, nec 45. has ideo ſtatim injuſtas dicendas eſſe, quod earum origo vitioſa fuerit, ſi poſtea ii, qui coacti ſocietati dederunt nomen, expreſſe vel tacite (Lib. I. §. CCCXXXI, 10.) rem ratam habuerunt (*). Itemque ratione conſenſus vel ultroneae, vel coactae.

(*) Sic rata inter Romanos & Sabinas, interque Beniaminitas & Siloitarum filias *Judic. XXI*, 21. *ſequ.* erat ſocietas matrimonialis, quamvis initium ejuſdem ob vim injuſtam eſſet vitioſum, quia poſtea ipſae raptae rem ratam habuerunt, neque dirimi voluerunt, male licet conciliata matrimonia. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p.* 110. Sic & coacta plerumque inter dominos & mancipia, bellò capta, erat ſocietas: & tamen aliquando dominorum humanitas & manſuetudo efficiebat, ut non inviti ſervirent, idque ſerio dicerent, quod apud Plautum *Cap. II*, 2. *v.* 21, aliquis dolose ait:

Quamquam non fuit multum moleſta ſervitus:
Nec mi ſecus erat, quam ſi eſſem familiaris filius.

Conf. *Exod. XXI*, 5.

§. XVII. Praeterea, quum conſenſus alius ſit expreſſus, alius tacitus, qui ex facto colligitur, qualis eſt etiam patientia: (Lib. I. §. CCCXCI, 10.*) ſequitur, 46. ut & ſocietates vel EXPRESSO, vel TACITO conſenſu ineantur, & 47. perinde ſit, ac ſi conſenſiſſent, qui poſtea cum aliis in ſocietate vivunt, ad eumdem finem conſilia cogitationeſque ſuas conferunt, mediis quoque iiſdem, ac alii, ad finem illum adſequendum neceſſariis, utuntur. Quin, quum aliquando ex ipſa rei natura, alterum conſenſiſſe judicemus; (Lib. I. §. CCCXCI, 11.) 48. etiam ex PRAESUMTO conſenſu aliquando naſci ſocietatem, ſatis intelligitur (*). Eaedem conſenſu vel expreſſo, vel tacito, vel praeſumto, conſtituuntur.

(*) Talis eſt ſocietas inter parentes & liberos. Tantum enim abeſt, ut hi diſerte conſenſerint in hanc ſocietatem, eo tempore, quo in illam pervenerunt, ut tum

tum ne conſentire quidem potuerint. Et quamvis poſtea rei paullo intelligentiores, conſentire poſſent, ſi vellent: tantum tamen abeſt, ut omnes hunc conſenſum verbis factisve teſtentur, ut plures diſſentiant, fraenaque mordere non dubitent. Nihilominus tamen ideo non dirimitur ſocietas, quia ipſa liberorum educatio hanc ſocietatem requirit, praeſumiturque, liberos non nolle poſſe cum parentibus in ſocietate vivere, ſine qua ipſi nec conſervari, nec commode educari poſſent.

Aliae porro ſimplices, aliae compoſitae.

§. XVIII. Aliquando contingit, ut non ſolum ſinguli homines, ſed & totae ſocietates eumdem finem intendant, eademque media ſibi ad adſequendum communem finem neceſſaria eſſe, intelligant. Quum ergo conſenſus in communem finem, eademque media ſit ſocietas: (§. XIV.) conſequens eſt, 49. ut non modo ſinguli, ſed & integrae ſocietates, in ſocietatem coire poſſint, adeoque 50. ſocietates ſint vel SIMPLICES, quas homines ſinguli, vel COMPOSITAE, quas ſocietates ſimpliciores ineunt, quae tunc tamquam ſocii conſiderantur. Quin 51. ex eadem ratione patet, ſocietates etiam jam tum compoſitas coaleſcere poſſe in majores, & maxime compoſitas, atque 52. ita fieri, ut ſocietates quaedam ex multis hominum non millibus, ſed myriadibus, conſiſtant (*).

(*) Illuſtrat haec omnia experientia. Simpliciſſimae ſocietates ſunt coniugum, parentum & liberorum, dominorum & ſervorum. Ex his ſocietatibus omnibus, inter ſe conſociatis, naſcitur ſocietas compoſita maior, quam vocamus FAMILIAM. Ex multis familiis conſociatis PAGI, VICI, URBES; ex pluribus pagis, vicis, urbibus integrae CIVITATES vel RESPUBLICAE; ex pluribus rebuſpublicis SYSTEMATA CIVITATUM vel reſpublicae Achaicae exſiſtunt. Vid. Cicero *de offic. I, 17.* Nimirum ſi minores ſimplicioreſque ſocietates non ſufficiunt fini adſequendo, ex plurium conſociatione majores & magis compoſitas naſci, neceſſe eſt. Hinc bene obſervat Juſtinus *Hiſt. I, 1.* initio *intra ſuam cuique patriam regna finita eſſe*, idemque teſtantur exempla Cananaeorum, Phoenicum, Graecorum, Gallorum, Germanorum, Britannorum, quorum provincias olim in plurima regna, plureſque civitates, ſciſſas fuiſſe, ex *Geneſ. XIV, 1. Joſ. XII. 7. Jud. I, 7.* Strabone *Geogr. XVI. p. 519.* aliiſque ſcriptoribus conſtat. Sed paullatim plures civitates, vi oppreſſae, majorem cum aliis civitatem conſtituere coeperunt: aliae, imminente a vicinis periculo, foedere junctae in ſyſtema aliquod rerumpublicarum majus coaluerunt. Ita Amphictyonum concordia Medorum potentiam concuſſit & Achaiae res, alioquin ſatis exiguae, ſolo ſociorum conſenſu valuerunt. Vid. Jo. Henr. Boecler. *de concilio Amphictyonum.*

Aliae denique aequales, aliae inaequales.

§. XIX. Denique, qui in unum finem eademque media conſentiunt, vel aequales ſunt, vel inaequales. 53. Illi tamquam pares, media, ad communem finem adſequendum neceſſaria, communi conſenſu inveniunt, adeoque 54 inde naſcitur ſocietas AEQUALIS. In his 55. uni pluribusve id negotii datur, ut de fine mediiſque, ad finem adſequendum neceſſariis, ſoli diſpiciant, & tunc 56. ea ſocietas eſt INAEQUALIS, quam & RECTORIAM vocant. Res ipſa autem & ingenii humani indoles unumquemque convincet, 57. quo major eſt ſocietas, eo minus fieri poſſe, ut tanta ſociorum multitudo media neceſſaria communi conſenſu & ſuffragio inveniat, adeoque, 58. quo major eſt ſocietas, eo magis eam eſſe debere rectoriam ac inaequalem (*).

(*) Hinc experientia docet, quo majora ſunt imperia, eo minus juxta illa conſiſtere libertatem, &, gliſcente nimis imperio, prolatiſque civitatis finibus, ſaepe ipſam neceſſitatem ſubigere homines, libertatis alioquin amantiſſimos, ut adductius regi ſe patiantur. In magna enim, at libera & aequali ſocietate, quia pars major meliorem vincit, non poſſunt non ſaepe prava conſilia capi; fieri etiam vix poteſt, ut non procax libertas civitatem miſceat, ſociique in plures factiones di-

ſtra-

ſtrahantur. Tunc vero *diſcordantis patriae plerumque non aliud remedium eſt, quam ut ab uno regatur*, ceu de republica Romana, jam ab Auguſto occupata, judicabant prudentiores apud Tacit. *Annal.* I, 9.

Omnis ſocietas eſt una perſona moralis.

§. XX. Ceterum, cujuſcumque generis ſit ſocietas, ex ipſa definitione patet, eam ad adſequendum eumdem finem, eademque adhibenda media, eſſe comparatam. (§. XIV.) Quum vero conſentire in eumdem finem, eademque media non poſſint, niſi qui idem volunt, nec idem velle poſſint, niſi qui finem bonum, mediaque fini accommodata eſſe, intelligunt: (Lib. I. §. XXXII, 8.) conſequens eſt, 59. ut ſingularum ſocietatum concipienda ſit una voluntas, unuſque intellectus, adeoque 60. ſingulae veluti unam perſonam, quam ad differentiam ſuppoſitorum phyſicorum *moralem* vocamus, conſtituant (*).

(*) Sic Cicero *de Offic.* I, 17. obſervat, per omnem amicitiam, adeoque & ſocietatem *ex pluribus fieri unum*, idque ideo omnes *unum & idem ſentiant*. Add. *Catilin.* IV, 7. At luculentiſſime Apuleius *de habit. doctr. Plat. Lib.* II. *p.* 25. *Civitatem eſſe, coniunctionem inter ſe hominum plurimorum, in quibus ſint regentes alii, alii deteriores, coniuncti inter ſe concordia, atque inde ſibi opem atque auxilium deferentes, iiſdem legibus, rectis tamen officia ſua temperantes, unamque civitatem iiſdem moribus illam futuram, &* EADEM VELLE *atque* EADEM NOLLE *incolarum mentes adſueverunt*. Ceterum, naturam perſonae moralis diſces ex Senecae *Epiſt.* CII. itemque ex *l.* 10. *D. de uſurpat. & uſucap.*

Ergo eadem ſocietatum jura & obligationes ſunt, ac ſingulorum hominum.

§. XXI. Si vero unaquaeque civitas veluti unam perſonam conſtituit: (§. XX, 60.) conſequens eſt, 61. ut & iiſdem legibus, ac homines ſinguli, vel perſonae phyſicae, regantur (*), adeoque 62. officia omnia, quae jus naturae hominibus ſingulis praeſcribit, a ſocietatibus quoque, tum majoribus, tum minoribus, religioſe ſint obſervanda. 63. Ut contra, quae perſonis ſingulis competunt, jura etiam ſocietatibus competant, & ſocii res juraque, quae ad ſocietatem pertinent, communia habeant: immo 64. & adfectiones perſonarum & corporum non incommode tribuantur ſocietatibus, adeoque 65. illae eleganti ſatis metaphora & VIVERE & AEGROTARE, immo & MORI & INTERIRE dicantur. Vid. Koehler. *Spec. jur. gent.* I. §. *XX. ſequ.*

(*) Hoc ipſo confirmatur, quod iam ſupra oſtendimus, JUS GENTIUM nihil aliud eſſe, quam ipſum ius naturae vitae hominis ſociali, negotiiſque ſocietatum & integrarum gentium adplicatum. (Lib. I. §. XXI, 44.) Et recte ius gentium *jus naturale ſocietatum* vocat laudatus Koehler. *ibid.* §. *XXXIV.* Ex quo ſimul patet, quam male ii ſubducant rationes, qui ſocietates maiores, veluti imperia & reſp. ab obligatione iuris naturalis veluti abſolvunt, omniaque iuſta putant imperantibus, quae illis vel reip. conducant. Unde merito execrandum illud Caeſaris apud Ciceronem *de offic.* III, 21.

Si violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Plura de peſtilentiſſimo hoc pſeudopoliticorum principio dixit Hert. *Polit. paed.* §. *XIII. p.* 22. *ſequ.*

Sociorum obligatio ratione ſocietatis, & ſocietatis jus ratione ſociorum.

§. XXII. Ex eodem principio merito colligimus, 65. unumquemque ſocium obligatum eſſe ad actiones ſuas communi ſocietatis fini attemperandas, adeoque 66. illum injuriam facere ſociis, qui ex eorum incommodo fructum capit, vel 67. aliquid agit, quod fini ſocietatis adverſatur, vel 68. reliquos ſocios laedit, ac proinde nec injuriam illi fieri, ſi & ad reſarciendum damnum, & 69. ad officia ſocii in poſterum accuratius obſervanda, malo quodam paſſionis, quod poenam vocant, adigatur. (Lib. I. §. CCXI, 120.) Denique 70. non poſſe vitio verti ſocio, ſi vel ſocium, tam male conciliatum, a ſe ſegreget, vel 71. ipſe excedat ſocietate, in qua

qua nec finis communis, nec mediorum, ad hunc finem neceſſariorum, ratio habetur.

Ratione aliorum.

§. XXIII. Denique ex eodem principio patet, 72. ſocietatem quidem NEMINEM LAEDERE, & 73. SUUM CUIQUE TRIBUERE; non tamen 74. alterius privati, vel alterius ſocietatis, utilitatem ſuae anteponere debere. Qûum enim quaelibet ſocietas unam perſonam moralem conſtituat, (§. XX, 60.) eique idem jus, quod ſingulis perſonis phyſicis, competat, (§. XXI, 63.) nulla autem perſona phyſica alteram magis, quam ſeipſam amare, (Lib. I. §. XCIV, 65.) vel ei officia humanitatis, quae ſibi, vel amicis, noxia futura ſint, praeſtare teneatur: (Lib. I. §. CCXVIII, 13.) etiam ſocietas alteri hujuſmodi officia cum detrimento ſuo praeſtare, vel utilitatem alienam propriae anteponere, non tenetur (*).

(*) Ita inhumanos non dixeris unius ſocietatis mercatoriae contribules, ſi alteri ſocietati, vel privato, monopolium concedere nolint. Id enim cum manifeſto totius ſocietatis ſuae detrimento eſſet coniunctum. Nec quiſquam iuſtum piumque bellum geſſiſſe dixerit Cimbros, Teutones, Helvetios, qui novas quaeſituri ſedes, quaſi iure quodam ſuo poſtulabant, ut Romani illis loco cederent, certoſque terrae tractus, quos ipſi occuparent, adſignarent. Id enim ſine maximo propriae reip. detrimento illis concedere non poterant Romani. *Quas enim terras daret populus, agrariis legibus intra ſe dimicaturus?* inquit Florus III, 3. Et Tencteris atque Uſipetibus, ſimilia petentibus, recte reſpondit Caeſar: *Nullos in Gallia vacare agros, qui dari tantae praeſertim multitudini ſine injuria poſſint.* Caeſar. *de bello Gall. IV*, 8.

Ratione ſocietatum majorum.

§. XXIV. Similiter demonſtrari poteſt, 75. in compoſitis ſocietatibus minorum utilitatem majorum fini non repugnare, immo eamdem cedere debere utilitati majorum. Quia enim minores ſocietates tunc conſiderantur tamquam ſinguli ſocii, (§. XVII, 50.) ſocii vero ſinguli in unum eumdemque finem communem eademque media conſentire, (§. XIV.) nec propriam utilitatem fini communi ſocietatis anteponere tenentur: (§. XXII. 66.) etiam minores ſocietates, quae in majorem, magiſque compoſitam ſocietatem coaluerunt, nihil, quod majori illi ſocietati manifeſto refragetur, agere ſalva juſtitia, poſſunt (*).

(*) Sic familiae non parum prodeſſet immunitas a tributis & muneribus quibuſcumque perſonalibus. At, quia haec utilitas ſocietatis ſimplicioris cum detrimento majoris, puta reipublicae, eſſet coniuncta: nemo hujus rectores dixerit injuriam facere familiae, ſi immunitatem flagitanti repulſam det: quum contra reprehenſionem prudentum procul dubio incurrant principes & magiſtratus, qui ſingulis hominibus familiiſve conſulturi, nervos reip. incidere non dubitant. Hinc quum Nero dubitaret, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret: *impetum ejus attinuere ſenatores*, DISSOLUTIONEM IMPERII *dicendo*, *ſi fructus, quibus reſpublica ſuſtineretur, deminuerentur.* Tacit. *Annal.* XIII, 50.

De officiis ſociorum axiomata generalia.

§. XXV. Poſtremo, quum in ſocietatibus ſociorum omnium officia ex ipſo cujuſque ſocietatis fine aeſtimanda ſint: (§. XV, 43.) ſatis patet, 76. eſſe hanc veluti omnium legum, quibus ſocietates continentur, ſummam: AD OMNIA EA AGENDA OBSTRICTOS ESSE SOCIOS, SINE QUIBUS FINIS, QUEM SOCIETAS INTENDIT, OBTINERI NEQUEAT: contra 77. EA OMNIA, QUAE FINI SOCIETATIS ADVERSENTUR, OMITTENDA ESSE; adeoque 78. recte dici, ſocietatis cujuſque ſalutem ſupremam ſociorum legem eſſe debere.

CAP.

Digitized by Google

C A P U T II.

DE OFFICIIS, IN SOCIETATE CONJUGALI OBSERVANDIS.

§. XXVI.

Conjugium eſt ſocietas licita & ſimpliciſſima.

VElle Deum, ut genus humanum propagetur, eorumque numerus, qui quotidie debitum naturae reddunt, nova prole ſuppleatur (*), vel inde patet, quod alias finis, quem ille in producendo genere humano intendit, non obtineretur. (Lib. I. §. LXXVII. 31.) Qui ergo illum finem ob oculos habent, finem bonum intendunt, ſimulque media, per quae ille finis obtineri poteſt, adhibere tenentur. Quum vero obtineri finis ille non poſſit, niſi maſculus & femina in concubitum conſentiant: conſequens eſt, 1. ut conjugium ſit ſocietas, (§. XIV.) eaque, 2. quia ad finem bonum & Deo gratum comparata eſt, licita & honeſta, (§. XV, 41.) &, 3. quia ex pauciſſimis hominibus diverſi ſexus conſtat, ſimpliciſſima dicenda ſit. (§. XVIII, 50.)

(*) Hinc Graeci ſocietatem conjugalem recte vocarunt *τὴν στοιχειωδεστάτην τῶν κοινωνιῶν*, *exordialem reliquarum ſocietatum*, & quaſi quoddam generis humani ſeminarium, quia ſine ea genus humanum fuiſſet *unius aetatis*, uti de populo Romano ab uxoribus deſtituto loquitur Florus *Hiſt.* *I*, 1. Rem plane *φιλοσοφικῶς* expreſſit Seneca tragoedus *in Hippolyto v.* 466.

Providit ille maximus mundi parens,
Quum tam rapaces cerneret fati manus,
Ut damna ſemper ſobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quae ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus:
Orbis jacebit ſqualido turpis ſitu.

Et paucis interiectis *v.* 478.

Caelibem vitam probet
Sterilis juventus: hoc erit, quidquid vides,
Unius aevi turba, & in ſemet ruet.

Ejus finis non modo procreatio, ſed & educatio ſobolis.

§. XXVII. Quum tamen finis Dei, tamquam auctoris humani generis, non ſolum in eo conſiſtat, ut homines exſiſtant, ſed & ut verae felicitatis ſint participes: (Lib. I. §. LXXVII, 31.) ſequitur, 4. ut non ſolum procreanda, ſed & ita educanda ſit ſoboles, ne potius in inutilia terrae pondera, quam in idonea membra humani generis, adoleſcat. Quumque officium iſtud educandi ſobolem nemini incumbere poſſit, quam parentibus, quibus ipſe Deus ideo tenerrimum ejus amorem impreſſit (*): merito inde colligimus, 5. eos non modo procreationem ſobolis, verum etiam commodam ejuſdem educationem, tamquam finem matrimonii, ſibi ob oculos ponere debere, adeoque *6.* genuinum conjugii finem eſſe PROCREATIONEM COMMODAMQUE EDUCATIONEM SOBOLIS.

(*) Adeo *ipſe naturalis ſtimulus parentes ad liberorum ſuorum educationem hortatur* obſervante Juſtiniano *l. un.* §. 5. C. *de rei uxor act.* immo non homines tantum, ſed & ipſa bruta animalia quae curam foetus non abjicere, prius animadvertimus, quam ipſe victum quaerere, ſeque adverſus aliorum animalium injurias defendere poſſit. Quum ergo Deus, tamquam ens ſapientiſſimum, nihil omnino fruſtra faciat, & hic inſtinctus, quem in hominibus brutiſque deprehendimus, non alium finem habere poſſit, quam ut illo parentes ad educandam curandamque ſobolem impellantur: illam curam nobis demandare voluiſſe Deum, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Recte ergo Euripides *in Medea v.* 1098.

Οἷσι δὲ τέκνων ἔστιν ἐν οἴκοις
Γλυκερὸν βλάστημ', ἐσορῶ μελέτῃ
Κατατρυχομένους τὸν ἅπαντα χρόνον.
Πρῶτον μὲν, ὅπως θρέψουσι καλῶς,
Βίοτόν θ' ὁπόθεν λείψουσι τέκνοις.
Sed quibus in aedibus eſt liberorum
Dulce germen, eos, video, curis
Confici omni tempore:
Primum quidem, quo pacto illos bene educent,
Et unde victum relinquant liberis.

§. XXVIII.

Definitio conjugii, de eoque axiomata.

§. XXVIII. Itaque CONJUGIUM eſt ſocietas ſimplex perſonarum diverſi ſexus, procreandae educandaeque ſobolis cauſſa inita. Ex eaque definitione patet, 7. nuptias contrahi non poſſe ſine perſonarum utriuſque ſexus conſenſu: (§. XIV.) 8. Ad ea omnia obſtrictos eſſe conjuges, ſine quibus procreatio commodaque educatio ſobolis obtineri nequit (*), 9. eaque omnia omittenda, quae huic conjugii fini adverſantur. (§. XXV, 76. 77.)

(*) Sane enim aliquando ſatius eſſet, non procreare liberos, quam procreatos male educare. Leve hoc generis humani diſpendium eſt, ſi non omnibus annis idem ſit proventus hominum. At maximum ſaepe detrimentum illud capit ex uno vel altero homine, nato in generis ſui dedecus, quia inſtitutione bona, commodaque educatione caruit. Quam infelix fuit humanum genus, quod uno Nerone fuit numeroſius? Recte & graviter Juvenalis *Sat. XIV. v. 70.*

Gratum eſt, quod patriae civem populoque dediſti,
Si facis, ut patriae ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas.

Add. Senec. *de Benef. III*, 30.

Nuptias faciunt conſentientes.

§. XXIX. Quia ergo nuptiae ſine conſenſu contrahi non poſſunt: (§. XXVIII, 7.) facile patet, 10. ratas non eſſe nuptias inter raptorem & raptam, (Lib. I. §. CIX, 43.) niſi vi rapta ex poſtfacto ultro conſenſerit (*): (§. XVI. *) nec magis 11. eas conſiſtere, ſi alterutri vis atrocior facta, (ibid.) vel 12. dolo malo aliquis implicatus ſit nuptiis, a quibus, ſi abfuiſſet dolus, omnino abhorruiſſet. (Lib. I. §. LVII, 53.) Quamvis vero conſenſus hic conjugum nuptialis omnino ſit neceſſarius: quia tamen ſocietas non eſt, ubi quis in finem tantum, non item in media, conſenſit, 13. ſolum conſenſum in finem futurum jure naturae nondum efficere nuptias, ſed 14. conſenſum praeſentem in ipſam communicationem corporum requiri, arbitramur.

(*) Dummodo vera antea vis adhibita fuerit. Saepe enim olim vim gratam experiebantur virgines, non quod nollent alicui nubere, ſed ne velle, & ruere in virorum amplexus viderentur. Morem hunc iam antiquiſſimis temporibus inoleviſſe, teſtatur Romulus apud Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. II. p.* 100. ubi apud Sabinas raptum, ſuo imperio factum, ita excuſat: *οὐκ ἐφ' ὕβρει τὴν ἁρπαγήν, ἀλλ' ἐπὶ γάμῳ γενομένην. ἑλληνικόν τε καὶ ἀρχαῖον ἀποφαίνων τὸ ἔθος, καὶ τρόπον συμπάντων, καθ' οὓς συνάπτονται γάμοι ταῖς γυναιξὶν ἐπιφανέστατον. Raptum hunc non ad contumeliam, ſed ad conjugium, pertinere: morem hunc Graecorum eſſe antiquiſſimum, & qui maximum decus adferat expetitis ad nuptias mulieribus.* Idem & aliarum gentium moribus probatum eſſe, novimus, quod honeſtius eſſet, virginem rapi, quam ultro in manum viri convenire. Hanc vero vim, mulieribus male repugnantibus illatam, non adverſari conſenſui, facile unuſquiſque animadvertit.

Quae differentia ſit conſenſus ſponſalitii & nuptialis?

§. XXX. Ex quo ſimul patet, 15. conſenſum in futuras nuptias potius SPONSALIORUM, quam CONJUGII, nomine venire, adeoque 16. ſubtiliorem eſſe canoniſtarum diſtinctiunculam inter ſponſalia DE PRAESENTI & DE FUTURO, quam ut ea ex recta ratione poſſit defendi. Quia tamen ſponſalia ſunt pactum, pactaque omnia jure naturae perfecte obligant: (Lib. I. §. CCCLXXXVII. ſequ.) nemo dubitaverit, 17. quin & ſponſalia ſint adimplenda (*), niſi 18. ea, quibus & alia pacta vitiari obſervavimus, (Lib. I. §. CCCXCII. ſequ.) vel animorum diſſimilitudo, vel aliae juſtae cauſſae, dirimi potius hoc pactum, quam per male conciliatum infeliciſſimis auſpiciis jungi, ſuadeant.

(*) Mi-

Digitized by Google

(*) Mira ergo diſpoſitio iuris Romanorum, ut ſponſalibus neutra pars perfecte obligetur. Quum enim reliqui Latini inde ſaltim actionem ex ſponſu darent, ad id, quod intereſſet, pactum hoc non fuiſſe ſervatum. Gell. *Noct. Att. IV*, 4. Romani quemque ſuo arbitrio & impune renunciare conditioni ſtatuebant. *l.* 1. C. *de ſponſal. l.* 2. C. *de repud.* Sed cum ipſis coniugibus ſumma eſſet divertendi libertas: fieri vix poterat, ut vinculum, quod ſponſum ſponſamque continet, firmius exiſtimarent: ac proinde non potuerunt non & repudia apud eos eſſe liberrima.

Habilitas conjugum ratione aetatis.

§. XXXI. Quumque finis matrimonii ſit procreatio commodaque educatio ſobolis, (§. XXVII, *6.*) eaque omnia, ſine quibus hic finis obtineri non poteſt, facienda, quae illi adverſantur, omittenda ſint: (§. XXVIII, 8. 9.) ſequitur ſane, 19. ut, qui ad nuptias adpellunt animum, ea aetate eſſe debeant, ut ſperari poſſit, eos & procreationi ſobolis, & ejuſdem educationi ſufficere: & hinc 20. merito arcendi ſint infantes, immo 21. & adoleſcentes, quorum nondum eſt vel tantus vigor, ut genus humanum nova vegetaque ſobole augere (*), vel tanta virtus & prudentia, ut & alimenta uxori liberiſque parare, & eorum actiones, pro eo, ac decet, regere poſſint (*).

(*) Hinc ea in re pleroſque legislatores prudentia ſuperavit Lycurgus: Quum enim is vulgo iuvenum ac iuvencularum nuptias quam maxime probari, animadverteret: ipſe, teſte Xenophonte *de rep. Lacd. Cap. I. §. 6.* *ἀποπαύσας τοῦ ὁπότε βούλοιντο ἕκαστοι γυναῖκα ἄγεσθαι, ἔταξεν, ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο συμφέρον τῇ εὐγονίᾳ νομίζων*, poteſtate adempta, ne quivis uxores ducerent, quum ipſis lubitum eſſet, *juſſit, ut, dum vigerent corpora, matrimonia contraherent, idque non minus ad rectam procreandi rationem conducere putabat.* Deinde quum plerique parentes ad procreandam, quam educandam, ſobolem ſint aptiores: Lycurgus hanc curam publicam eſſe voluit, omnibuſque Laconum adoleſcentibus praefecit: *ἄνδρα ἐξ ὧνπερ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται. τοῦτον δὲ κύριον ἐποίησε καὶ ἀθροίζειν τοὺς παῖδας, καὶ ἐπισκοποῦντα, εἴ τις ῥᾳδιουργοίη, ἰσχυρῶς κολάζειν. virum ex illorum numero, qui ſummos magiſtratus obeunt, cui paedonomi eſt inditum nomen, cuique plenam poteſtatem colligendi pueros conceſſit, & eoſdem puniendi graviter, inſpectanti, an quis nequiter agat.* Vid. Xenoph. *ibid. Cap.* II. §. 2. Digna profecto res, quam non negligerent aliae reſpublicae.

An & ſenes nuptias recte contrahant?

§. XXXII. Ex quo facile intellectu eſt, quid judicandum ſit de ſenum nuptiis. Quemadmodum enim 22. ob indiſſolubilitatem hujus ſocietatis, de qua paullo poſt dicendi locus erit, non divellendi ſunt conjuges, qui in illo ſtatu conſenuerunt, 23. tolerandumque etiam videtur matrimonium viri declivioris aetatis, ſed adhuc vegeti, cum muliere juvene, quum adhuc ſperare liceat, par illud finem matrimonii adſequuturum: ita 24. nemo ſanus probaverit nuptias ſenis cum ſene, vel 25. adoleſcentuli cum anu effoeta ac decrepita, quale par male compoſitum ſine turpiſſima impudicitia nec in finem, nec in media matrimonii, conſentire poteſt (*).

(*) Quid enim turpius, quid impudentius fingi poteſt femina, quae, *quum ſint tres capilli, quatuorque dentes, gaudet octoginta nupturire poſt mortes, virumque demiras cineribus ſuis quaerit prurire?* uti loquitur Martial. *Epigr. III*, 93. Tolerantur in civitatibus hujuſmodi nuptiae, quae nuptiarum nomen vix tuentur, quia, judice Quinctiliano *Declam. CCCVI. quaedam & nubendi impudicitia eſt*, Eleganter, uti ſolet, de hujuſmodi matrimonio Puſendorffius *de jure nat. & gent. VI*, 1, 25. *Quae matrimonia fortaſſe non incommode vocare poſſis* HONORARIA: *eo ſenſu, quo honorarii quandoque dicuntur, quibus titulus muneris ſine functione datur. Apud Suetonium Ner. Cap. XXXV. uxoria ornamenta vocantur, eo ſenſu, quo triumphalia ornamenta dici ſueverunt.*

An ſpadones & eunuchi?

§. XXXIII. Multo minus ergo 26. iis permittendum eſt matrimonium, quos vel ipſa natura, vel 27. hominum malitia, potentia procreandi ſobolem

lem privavit, adeoque 28. impudiciſſimae ſunt non modo eunuchorum; ſed & ſpadonum nuptiae, quamvis eas exemplis non carere, ſatis conſtet (*), niſi 29. occulta & incerta ſit maſculi impotentia ſterilitaſve ſeminae, nec omnis ſpes curationis evanuerit, alterque conjux hoc Catone contentus eſſe, & meliora ſperare, velit.

(*) Abſurda ergo matrimonia ſpadonum apud Aegyptios, de quibus Grot. *ad Deut.* XXIII, 2. Abſurda itidem eunuchorum apud Turcas, de quibus Ricaut *dans l'Etat preſent de l'Empire Ottoman*, II, 21. Et tamen inter ipſos Chriſtianos, quod mireris, diſceptatum novimus, licitumne ſit caſtrato uxorem ducere? qua de quaeſtione ſingularis exſtat libellus Hieronymi Delphini *de eunuchi conjungio*, quod ipſe lepide vocat *die Capaunen-heyrath*, recurſus *Jenae MDCCXXXVII.* Id vero merito retuleris inter portenta ſaeculi, de quibus jam ſua aetate Juvenalis *Sat.* I. v. 22.

Quum tener uxorem ducat ſpado, Maevia Tuſcum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma:
Difficile eſt, ſatyram non ſcribere.

An omnes natura habiles obligati ſint ad matrimonium?

§. XXXIV. Quamvis vero ex eodem principio recte colligere liceat, 30. eos easve, qui quaeve obtinendo matrimonii fini ſe ſatis idoneos idoneaſve eſſe, animadvertunt, recte & ordine facere, ſi matrimonium contrahant: non tamen 31. talis eſt obligatio ad ineundum matrimonium, ut is contra jus naturae egiſſe videatur, qui caſtum caelibatum inauſpicato praeferre matrimonio ſtatuit (*). Quum enim nemini imputanda ſit omiſſio actionis, ſi agendi defuerit occaſio, (Lib. I. §. CXIV, 56.) & ſaepe contingat, ut tum res ipſa, tum tempus, locus, aliaeque circumſtantiae turbent conſilium contrahendi matrimonium, adeoque illud ineundi deſit occaſio: vitio ſane tunc ei verti non poteſt caelibatus, cui divina providentia conditionem honeſtam non obtulit.

(*) Eſt haec ſententia Judaeorum, quam ex eorum magiſtris pluribus deſcribit Jo. Selden. *jur. nat. & gent. ſecund. diſcipl. Hebr.* V, 3. Neque enim illud recte probant ex loco *Geneſ.* I, 28. qui non legem, ſed benedictionem divinam, comprehendit. Et abſurdum eſt, illos, qui caelibatum ex juſta cauſſa praeferunt matrimonio, coargui, quod generi humano male conſulant, quaſi ideo interiturum ſit genus humanum, ſi unus vel alter ex juſta cauſſa ad nuptias non adpellat animum. Hinc parum memores praeceptorum Paulli, apoſtoli, 1. *Cor.* VII. eſſe videntur ii, qui ex Chriſtianis pedibus in illam Judaeorum ſententiam ire non dubitant.

Extra matrimonium vetitum omne genus libidinis.

§. XXXV. At id tam certum eſt, quam quod certiſſimum, quum medium ſit propter finem, adeoque concubitus propter procreationem educationemque liberorum, omniaque, quae huic fini adverſantur, ſint omittenda, (§. XXVIII, 9.) 32. graviter peccare omnes, qui medio illo, quod Deus ad certum finem deſtinavit, abutuntur ad explendam tantum libidinem, adeoque 33. omnem nefandam Venerem, quam ſcire non proficit, 34. omnia adulteria & 35. ſtupra, 36. omnes furtivos amores, qui inſuper cum maxima aliorum injuria conjuncti ſunt, denique 37. omnes foedas pollutiones aeque, ac 38. quaeſtum nefandum & 39. lenocinium rectae rationi omnino adverſari: neque adeo 40. aliud eſſe propagandi ſupplendique generis humani legitimum medium, praeter ſocietatem conjugalem, quam adhuc deſcripſimus (*).

(*) Omnes enim hae impuriſſimae commixtiones non fiunt procreandae ſobolis cauſſa, ſed ii, qui his libidinibus indulgent, potius hunc finem, quantum in ipſis eſt, impedire ſtudent. Et ſi vel maxime natura hoc pravum illorum conſilium alio vertit, ut ſoboles, etiam invitis parentibus, naſcatur: his tamen alter finis, puta, educatio ejuſdem, minime omnium ob oculos eſt, & maxime patri,

Digitized by Google

patri, qui prolem, tamquam incertam & vulgo quaeſitam, plerumque negligit. Ex quo deinde plerumque ſequitur, ut infeliciſſimi hi liberi ad omne ſcelus adoleſcant, & generi humano oneri potius ſint, quam ornamento. Quod quum omnino prohibendum ſit: facile patet, non injuſte agere magiſtratus, qui & adulteros & ſtupratores ad ſuppeditanda liberis alimenta; & hos, ſi feminas, injecta ſpe matrimonii, ad ſtuprum pellexerint, etiam ad ducendas ſtupratas adigunt.

An πολυανδρία & communio uxorum ſit licita?

§. XXXVI. Ob eamdem cauſſam 41. πολυανδρίαν, id eſt, unius feminae cum pluribus viris conjunctionem, rectae rationi omnino refragari, adoque & 42. communionem uxorum, quam in republica ſua Platonem civibus permiſiſſe, aiunt, plane eſſe reprobandam, liquet. Ariſtot. *Polit.* *II.*, 2. Quum enim utroque caſu incerta futura ſit paterna prolis origo, eaque incertitudo commodam liberorum educationem vel maxime impediat (§. XXXV. *) tantum abeſt, ut foedas has commixtiones probet recta ratio, ut ne ii quidem populi, quos alioquin πολυγυνίαν, id eſt, unius viri cum pluribus uxoribus conjugium, permiſiſſe conſtat, ulli feminae facultatem dederit, cum pluribus maritis uno eodemque tempore in manum conveniendi (*).

(*) Non igitur acutis Papirius Praetextatus eludere potuiſſet curioſitatem matris, quid rei magnae in ſenatu eo die conſultatum eſſet, paullo compreſſius ac violentius ſciſcitantis, quam dum actum in ſenatu dixit: *utrum videretur utilius magiſque e republica eſſe, unuſne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta eſſet?* Quum enim nulli in mentem veniſſet, alterutrum legibus permittendum eſſe: matronae Romanae, a matre Praetextati de periculo monitae, poſtero die nudare animi ſententiam non dubitarunt, adeuntes ampliſſimum ordinem, & non ſine lacrymis orantes, *una potius duobus nupta fieret, quam ut uni duae*. Gell. *Noct. Att.* I, 23. Sed tantum abeſt, ut πολυανδρίαν tolerarint Romani, ut ne barbari quidem eam umquam admiſerint, quamvis promiſcuum uſum uxorum aliqui probarint, veluti Taprobanenſes, Ichtyophagi, Hylophagi, Nomades, Garamantes, Troglodytae, Agathyrſi, Gindani, Britanni, de quibus videndus Puſendorff. *Jur. nat. & gent. VI*, 1, 15.

Argumenta pro πολυγυνία.

§. XXXVII. Paullo altioris indaginis eſt quaeſtio, an πολυγυνίαν, ſeu unius mariti cum pluribus uxoribus connubium, jus naturae permittat? Neque enim I. hujuſmodi conjugium vel procreationem ſobolis impedit, vel II. efficit, ut proles incerta videatur. Praeterea III. multae gentes, ipſeque Dei populus, & probarunt hanc cum pluribus uxoribus ſocietatem, & ſibi non infelices viſi ſunt, dum plures feminas domum duxerunt; ut jam non dicamus, IV. Turcarum, aliorumque populorum orientalium, exempla argumento eſſe, non pejus ſe habere liberorum procreationem atque educationem, ſi unus plures, quam ſi unam quiſque domum ducat: itemque V. ſaepe vel mariti vigorem, vel uxoris intolerabiles mores, vel ejuſdem ſterilitatem, vel ipſius reipublicae ſalutem, aliaſque juſtas cauſſas videri ſuadere, ut polygamia ſimultanea monogamiae praeferatur (*).

(*) Eo redeunt praecipua, quibus polygamiae patroni utuntur, argumenta, ex ſola ratione depromta. Quae enim ex ſcriptura ſacra addunt, ea huc non pertinent. Magno argumentorum utriuſque generis adparatu cauſſam hanc egerunt Hulderícus Neobulus, de cujus libro *de digamia* videndus Seckend. *Hiſt. Lutheran.* *III*, 79. *Addit. III. litt.* x. *p.* 281. Bernardinus Ochinus, ex inſtituto refutatus a Theod. Beza *libro de polygamia* & Jo. Gerardo *de conjug.* §. CCVII. de quo videndus Petr. Bael. *Dict. hiſt. & crit. ſub Ochinus*. Jo. Lyſerus, qui ſub fictis Theophili Alethaei, Vinc. Athanaſii: Gottl. Wahrmundi nominibus latitans, plures libellos ea de re ſparſit in vulgus, de quibus fuſius egit Vinc. Placcius *Theatr. pſeudonym. n.* 97. 277. 2867. Adverſus eum calamum ſtrinxerunt Jo. Brunsmannus, Jo.

Muſaeus, Diekmannus, Feltmannus, Geſenius, at in Pufendorffium injurius, Jo. Meyerus, & alii. Denique polygamiae patrocinium ſuſcepit vir, quem ſtudia ſua, melioribus litteris conſecrata, hoc ingenii foetu interrumpere non decebat, Daphnaeus Arcuarius, in libro Germanice ſcripto, *von Ehe-ſachen*: ut jam non dicamus de noviſſima controverſia, quae nuper a jureconſulto Dantiſcano, majore fortaſſis eccleſiae damno, quam fructu, excitata, plures libellos eriſticos peperit, quos, utpote ubivis obvios, recenſere hic nihil attinet.

Ea rectae rationi non convenit.

§. XXXVIII. Enimvero, quum conjugium ſit, ea omnia, quae conjugii fini adverſantur, omittere, (§ XXVIII, 9.) fini vero illi, quia conjugium eſt ſocietas, vel maxime adverſetur diſcordia circa finem & media, (ibid.) denique illa diſcordia eo minus evitetur, quo major eſt ſocietas (*): (§. XIX, 57.) merito colligimus, 43. πολυγυνίαν quoque rectae rationi minus convenire, quam unius cum una matrimonium, & proinde, 44. quum natura nos obliget, ut ex pluribus bonis id, quod optimum eſt, eligamus (Lib. I. §. XCII. *) potius nos ad monogamiam, quam ad polygamiam eligendam eſſe obligatos.

(*) Hoc tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Plures unius viri uxores invidia, zelotypia, aemulatio, & mille aliae cauſſae quotidie collidunt. Jam enim mulier mulieri vetuſtiori, juvenculae, foecundiori, magiſque amabili: jam plures earum marito, unam vel alteram ſibi praeferenti; jam eaedem alterius liberis erectioris ingenii, vel patri paullo carioribus, ſuccenſent. In hoc vero inteſtino bello quae poſſet locum habere concordia? quis conſenſus in educationem tam diſſortium liberorum? Viderunt tam triſtia exempla familiae Abraami & Jacobi, quum in iis floreret virtus & pietas. *Geneſ. XVI*, 5. *XXI*, 9. *ſequ. XXIX*, 30. *ſequ. XXX*, 1. *ſequ.* Quid non evenire poſſe credimus aliis qui pro mulieribus probis & modeſtis Medeas vel furias aliquot domi alterent?

Reſponſio ad argumenta primum, ſecundum & tertium.

§. XXXIX. Nec tanti ſunt rationes, paullo ante recenſitae, ut earum cauſſa deſerere velimus vadimonium. Ponamus I. procreationem ſobolis non impediri πολυγυνία; at tanto magis impeditur finis alter, puta, commoda liberorum educatio, (§. XXXVIII. *) quae a procreatione non eſt ſejungenda. (§. XXVII.) II. Quamvis proles etiam in πολυγυνία certa ſit: haec tamen certitudo non impedit, quo minus quaelibet mater ſuis tantum liberis faveat, reliquarum prolem odio plus quam Vatiniano proſequatur, vel eam ſaltim novercalibus inſtigationibus patri exoſam reddere ſtudeat. III. Populis orientalibus, quibus clima ferventius, ipſaque naturalis laſcivia πολυγυνίαν perſuaſit, facile opponi poſſunt tot gentes humaniores, quibus eadem diſplicuit. Nec mos Judaeorum pro norma eſt, quum ipſe Servator ea omnia, quae a primaeva Dei inſtitutione diſcrepent (*), in Judaeis tolerata magis, quam adprobata a Deo eſſe, doceat, *πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, propter duritiem cordis eorum*. *Matth. XIX*, 8.

(*) Nulla autem oſtendi poteſt ratio, cur in quaeſtione de divortiorum licentia magis ad primaevam matrimonii inſtitutionem reſpiciendum ſit, quam ubi de πολυγυνίᾳ diſputatur. Immo ab ipſo divortio, quod Servator primaevae inſtitutioni refragari, ac proinde παρεκτὸς λόγου πορνείας illicitum eſſe docet, recte ducimus argumentum ad prohibitionem πολυγυνίας. Si enim is, qui, repudiata injuſte priore uxore, aliam ducit, adulterii reus eſt: multo magis adulterii reus erit, qui conſtante matrimonio uxori aliam ſuperinducit, quia ratio, a Chriſto adducta, quod nempe Deus, inſtituens matrimonium, voluerit, *ut duo ſint caro una*, *Matth. XIX*, 5. non minus polygamiae, quam divortio, obſtat.

Nec non ad quartum & quintum.

§. XL. Ejuſdem commatis & reliqua ſunt argumenta, in quibus polygamiae adſertores cauſſae ſuae praeſidium quaerunt. Nam IV. quae de Tur-

carum

earum aliorumque populorum orientalium felicitate, tranquillitateque domeſtica jactant, partim annalibus eorum, ipſique experientiae repugnant, partim iis mediis obtinentur, quae naturae atque indoli ſocietatis matrimonialis plane repugnant (*). Et quid, quaeſo, V. incredibilius eſt, quam uni non ſufficere unam? quid incertius, quam eum, cui inverecunda vel immodeſta obtigit uxor, alteram, quam illi ſuperinducit, verecundiorem modeſtioremque, vel cui jam infaecunda domi eſt, alteram faecundiorem habiturum? Quid ſi pro una furia duas treſve inveniat? Immo totum hoc argumentum non niſi iis alicujus ponderis eſſe videbitur, quibus

Sola eſt utilitas juſti prope mater & aequi,

id eſt, qui falſum juris naturae & gentium principium pro vero adoptant. (Lib. I. §. LXXVIII. *)

(*) Notum eſt, orientales populos, qui plures uxores alunt, eaſdem gynaeceo, tamquam carceri perpetuo incluſas habere, nec meliorem earum, quam ancillarum, pati eſſe conditionem. Hinc Ariſtotel. *Polit.* I, 2. Ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. *Apud barbaros autem femina & ſervus eumdem ordinem habent*. Adde de Perſis inſignem locum Plutarchi *in Themiſtocl. p.* 125. Praeſto iis eſt eunuchus aliquis, qui illas cuſtodiat, & ab omni aliorum hominum conſuetudine plane avertat. Liberi etiam, maxime dignioris ſexus, raro matris, plerumque autem eunuchi alicujus, vel ſervi diſciplinae traduntur. Quae omnia an naturae hujus ſocietatis conveniant, facile intelliget, quiſquis uxorem vitae fortunaeque ſociam, non captivam, non ancillam, eſſe debere, cogitaverit.

§. XLI. Non minus difficilis eſt quaeſtio, an ex juris naturae praeſcripto & ſanguini habendus ſit honor, adeoque nuptias & cognatio, & adfinitas impediat? Enimvero, quum matrimonii fini adverſari non videatur hujuſmodi conjunctio: (§. XXVIII, 8. 9.) ſatis conſtare arbitror, 45. eam ex hac cauſſa juri naturae haud adverſari. Attamen quia nuptiae, inter adſcendentes & deſcendentes contractae, cum maxima turpiſſimaque reſpectuum, qui inter has perſonas intercedunt, confuſione conjunctae ſunt 46. ipſa recta ratio, illas omnino inhoneſtas eſſe, agnoſcit, & 47. eatenus JCti Romani non male ſtatuerunt, hunc eſſe *inceſtum juris gentium* (*): *l.* 38. §. 2. *D. ad leg. Jul. de adult.* quin & 48. in linea collaterali nuptiis inter proximos cognatos cognataſque pudorem impedimento eſſe, exiſtimarunt. *l.* 68. *D. de rit. nupt.*

An jus naturae certos gradus prohibeat?

(*) Quum enim natura probare non poſſit contradictoria, tales vero verae ſint obligationes uxoris & matris, patris & fratris, matris & ſororis, quae in una perſona vix conſiſtere ſine ſumma confuſione poſſunt: nec poſſunt hae nuptiae conſiſtere, quibus hi reſpectus in una eademque perſona manifeſto confunduntur, veluti in nuptiis Herſili & Marullae, de quibus vetus epigramma,

Herſilus hic jaceo, mecum Marulla quieſcit:
Quae ſoror, & genitrix, quae mihi ſponſa fuit.
Me pater e nata genuit: mihi jungitur illa:
Sic ſoror & conjux, ſic fuit illa parens.

Sunt haec ſane ita comparata, ut & paganis turpia viderentur, ex quorum numero Ovidius *Metam. X. v.* 9. Myrrham ita loquentem inducit:

Tune ſoror nati, genitrixque vocabere fratris?
Nec, quod confundas & jura & nomina, ſentis?

Inter collaterales confuſio tanta non metuenda, at confuſio tamen quaedam reſpectuum & obligationem evitari non poteſt, ſi eadem ſoror, eadem uxor ſit. Hinc honeſtius putamus, has quoque nuptias non permitti, niſi eas abſoluta excuſet neceſſitas. Et ſic facile reddideris rationem, cur Adami liberi ſine inceſtus crimine inter ſe contraxerint nuptias, quum inceſtuoſi procul dubio hodie dicendi ſint, qui eorum exemplum imitari non dubitarent. Pertinet enim haec graduum prohibitio ad officia erga alios,

quo-

Digitized by Google

quorum ea eſt natura & indoles , ut , ſi neceſſitas ab ipſo Deo objiciatur , quaeli- bet ſit honeſta ratio expediendae ſalutis . (Lib. I. §. CLXII, 64.)

An ritus & ſollemnitatis nuptiales probet ?

§. XLII. Quum porro omnes commixtiones extra matrimonium, quippe ad ſolam explendam libidinem comparatae , rectae rationi adverſentur , nec aliud legitimum ſit genus humanum propagandi medium , quam ſocietas conjugalis : (§. XXXV.) conſequens eſt, 49. ut & ipſorum conjugum, & liberorum inde natorum interſit , animum hanc ſocietatem contrahendi ſigno quodam externo teſtatum fieri , juſtamque uxorem a concubina , maritum a ſtupratore vel concubinario , liberos legitimos ab illegitimis diſcerni . Quod quum commodius fieri non poſſit , quam ſi nuptiae publice & ſollemniter contrahantur : facile reddideris rationem , 50. cur omnes paene gentes , certos ritus nuptiales , arbitrarios illos quidem , aſt ad declarandum conſenſum nuptialem officiaque conjugum ſignificanda idoneos , adhibendos exiſtimarint (*) .

(*) Nulla paene fuit gens tam barbara, quae non ritus quoſdam adhibuerit in contrahendis nuptiis , multoque magis gentes humaniores , veluti Hebraei , Graeci , Romani hujuſmodi ſollemnitatibus utendum putarunt , de quibus tanto adparatu agunt viri docti , qui antiquitates Hebraeorum , Graecorum , Romanorum , aliarumque gentium ex inſtituto deſcripſerunt, ut propoſiti immemor eſſe viderer, ſi de ritibus illis vel verbum addendum putarem . Id tantum moneo , Romanos , oblangueſcente paullatim vetere illa diſciplina , eo demum deveniſſe , ut nullum paene ritum amplius adhiberent , eoque factum eſſe , ut ſaepenumero dubitaretur , juſtaene uxoris , ac concubinae locum in aedibus teneat femina , idque aliquando ex inſtrumentis dotalibus , §. *ult. Inſt. de nupt.* aliquando ex ipſa feminarum conditione qualitateque adfectiones eſſet dijudicandum , *l.* 24. *D. de ritu nupt. l.* 31. *pr. D. de donat.* Quam facile vero ſuperſediſſent his quaeſtionibus , ſi more majorum certo ritu contraxiſſent nuptias?

Officia conjugum mutua , quae ex natura pacti fluunt .

§. XLIII. De officiis utriuſque conjugis omnia ſunt certa & perſpicua . Quum enim natura hujus ſocietatis requirat conſenſum , (§. XXXIII. 7.) is vero ſine amore ac concordia ſperari nequeat : conſequens eſt , 51. ut conjuges mutuo amore ſeſe complecti , 52. & non modo communem rem familiarem (*) communi conſilio adminiſtrare & curare , ſed & 53. alter alteri pro virili adjumento eſſe , immo & 54. communem utramque fortunam habere , in primis vero 55. in liberorum educatione ope & conſilio ſe invicem juvare debeant .

(*) Equidem , an communio illa bonorum , mortuo alterutro conjuge , effectum habere , & quanta pars ſubſtantiae communis ſuperſtiti , quanta defuncti heredibus , obvenire , debeat , vel pactis , vel legibus , definiendum eſt . Conſtante tamen matrimonio communia omnia habere conjuges , etiam recta ratio agnoſcit . Quum enim ſocii ob unitatem voluntatis ſint una perſona , (§. XX , 60.) ac proinde res & jura , quae ad ſocietatem pertinent , communia habeant : (§. XXI , 63.) manifeſtum eſt , idem etiam inter conjuges obſervandum eſſe , adeo , ut & Romani , quamvis , exoleſcente in manum conventione , ab uſu recederet illa *κοινωνία ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν* , *omnium bonorum & ſacrorum communio* , quam inter conjuges eſſe voluerat Romulus , teſte Dioniſio Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. II. p. 95.* tamen communem utrique conjugi bonorum uſum eſſe ſtatuerent . *l.* 1. *D. rer. amot. l.* 5. *C. de crim. expil. hered.* Ex quo facile patet , cur Modeſtinus , retenta vetere definitione , nuptias , quales & ſua aetate erant , dixerit *conjunctionem maris & feminae , conſortium omnis vitae , divinique & humani juris communicationem* , *l.* 1. *D. de ritu nupt.*

Itemque , quae ex fine matrimonii .

§. XLIV. Et haec quidem communia ſunt utriuſque conjugis officia , quae ex conſenſus ac ſocietatis natura prono alveo fluunt . Ex fine porro matrimonii (§. XXVII , 6.) colligimus , 56. conjuges merito cohabitare , ſibi-

Digitized by Google

ſibique ſolis 57. invicem corporis uſum praebere, adeoque 58. ab adulteriis, aliiſque furtivis impuriſque amoribus, abſtinere, (*) 59. liberos pari amore complecti, nec 60. alterum alterius curam & ſollicitudinem, qua liberos commode educare cupit, inutilem atque infructuoſam reddere debere.

(*) Sunt, qui hoc officium tantum ad uxorem, non item ad maritum pertinere exiſtimant, ex ea ratione, quod, eo neglecto, incertitudo prolis uxori non ſit metuenda. Enimvero uti omnino vetita eſt commixtio, qua fit, ut incerta ſit origo ſobolis: ita non ſequitur, ut licitus ſit congreſſus, ex quo illa incertitudo non ſit metuenda. (§. XXXIX, 11.) Vid. Gundlingii *diſſ. an major a feminis, quam a viris, caſtitas requiratur.* Nos ex regula principali juſtitiae naturalis hoc argumentum ducimus: Quod ſibi quiſque non vult fieri, id nec alteri facere debet. (Lib. I. §. CLXXVII, 6.) At maritus non vult, ut uxor alterum majore amore, quantumvis innoxio, quam ſe complectatur, vel ulli alii, quam ſibi, corporis uſuram praebeat: hinc ad idem officium obſtrictus eſt maritus. Recte itaque Chryſoſtom. *homil. XIX. in 1. Cor. VII. In aliis ſit praerogativa viri, non in pudicitia.* Et Greg. Nazianzenus: Πῶς ἀπαιτεῖς, ὃ ἐκ ἀντιδίδως? *quo jure exigis, quod non rependis?* Add. Lactant. *Inſt. div. VI,* 3. Hieronym. *ad Ocean* & c. *in.* 20. *Cauſſ. XXXII. quaeſt. V.* Quamvis uxoris impudicitiam fini matrimonii magis, quam viri incaſtitatem, repugnare, facile largiamur.

§. XLV. Satis porro manifeſtum eſt, imperfectam admodum fore hanc ſocietatem, ſi tam eſſet aequalis, ut penes neutrum conjugem aliqua negotia communia dirigendi, facultas relinquatur, quia in pleriſque contingere poſſet, ut in eligendis mediis quam maxime diſſentirent, adeoque, quum inter duos ne numerus quidem ſuffragiorum vincere poſſit, res non habeat exitum. Quamvis vero tunc prudentius conſilium praeferendum videatur: (Lib. I. §. XCII. *) tamen, quia aeque incertum futurum eſſet, uter conjugum magis altero ſapiat, merito ad id, quod plerumque fit, attendendum, adeoque 61. marito aliqua praerogativa concedenda erit circa negotia, quae ad ſocietatis communis ſalutem utilitatemque pertinent (*). (§. XXVIII, 8.). An marito in uxorem aliquod imperium ſit.

(*) Quum enim ad ea omnia obſtricti ſint conjuges, ſine quibus procreatio commodaque educatio ſobolis obtineri nequit: (§. XXVIII, 8.) obſtricti etiam erunt ad alterutrius praerogativam ferendam, ſine qua ſperandus non eſſet in eadem media conſenſus. Quia vero in ſocietate inter pares praerogativa illa merito debetur prudentiori, eique, cui plus oneris incumbit, is vero in ſocietate conjugali ut plurimum eſt maritus: uxor obſtricta erit, ad praerogativam mariti ferendam. Martial. *Epigr. VIII,* 12.

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fuerint femina virque pares.

Et Plutarch. *conjugial. praecept. p.* 139. Ὥσπερ ἂν φθόγγοι δύο σύμφωνοι ληφθῶσι, τοῦ βαρυτέρου γίνεται τὸ μέλος, οὕτω πᾶσα πρᾶξις ἐν οἰκίᾳ σωφρονούσῃ πράττεται μὲν ὑπ' ἀμφοτέρων ὁμονοούντων, ἐπιφαίνει δὲ τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἡγεμονίαν, ἢ καὶ προαίρεσιν. *Sicut, quum ſumuntur duae conſonae voces, cantus graviori adſcribitur: ita in familia recte inſtituta omnes res quidem geruntur conſenſu conjugum, viri tamen vel* IMPERIUM *vel* CONSILIUM *elucet.*

§. XLVI. Quum vero ea praerogativa, marito conceſſa, non niſi ad negotia, quae ad ſocietatis ſalutem utilitatemque pertinent, porrigatur: (§. XLV, 61.) conſequens eſt, 62. ut illa maritalis poteſtas degenerare non debeat in imperium herile, quale apud barbaros pleroſque invaluiſſe, jam ſupra obſervavimus, (§. XL. (*) nec adeo 63. conſiſtere in jure vitae & necis, quod leges quorumdam populorum maritis indulſerunt, Gell. *X,* 23. Tacit. *Annal. XIII,* 32. Caeſ. *de bell. Gall. VI,* 19. Tacit. *de mor. Germ. Cap. XIX.* multoque minus 64. in jure uxores aliis vel vendendi, vel commodandi, a quo more ii populi, apud quos uxores tamquam res in com- Ejus indoles.

commercio fuerunt, ipſique Romani non abhorruerunt. Plutarch. *in Catone p. 770.* Tacit. *Annal. V*, 1. Dio Caſſ. *Hiſt. Lib. XLVIII. p. 384.* ſed 65. in facultate uxorum actiones prudente conſilio regendi, 66. eaſdem defendendi, 67. immodeſtas modice, & pro conjugum conditione & dignitate caſtigandi (*), (§. XXII, 69.) immo & 68. ob cauſſas graviores, de quibus paullo poſt erit dicendi locus, matrimonio mulctandi. (§. XXII, 70.)

(*) Dico caſtigationem illam conditioni dignitatique utriuſque conjugis debere accomodari. Quum enim conjuges, tamquam ſocii, ſint veluti una perſona: (§. XX, 60.) ignominioſa caſtigatio uxoris cum ipſius viri ignominia eſt conjuncta. Quia vero unumquemque decet exiſtimationem ſuam pro virili conſervare: (Lib. I. §. CLIII, 44.) contra officium faciet maritus, ſi uxorem contra dignitatem tractando, & illius & ſui ipſius exiſtimationem laedit. Unde elegans Germanorum paroemia: *Wer ſich die naſe abſchneidet, ſchændet ſein angeſicht.* Eleganter virorum hujuſmodi imprudentum diſciplinam reprehendit Plutarch. *in praecept. conjugial. p. 139.* Οἱ τοῖς ἵπποις ἐφάλλεσθαι μὴ δυνάμενοι, δι' ἀσθένειαν ἢ μαλακίαν, αὐτοὺς ἐκείνους ὀκλάζειν καὶ ὑποπίπτειν διδάσκουσιν. οὕτως ἔνιοι τῶν γαβόντων εὐγενεῖς ἢ πλουσίας γυναῖκας, οὐχ ἑαυτοὺς ποιοῦσι βελτίους, ἀλλ' ἐκείνας περικολούουσιν, ὡς μᾶλλον ἄρξοντες ταπεινῶν γενομένων. Δεῖ δέ, ὥσπερ ἵππου τὸ μέγεθος φυλάττοντα, καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς γυναικὸς χρῆσθαι τῷ χαλινῷ. *Qui ob imbecillitatem aut mollitiem non poſſunt inſilire in equos, illos condocefaciunt, ut ſe ſubmittant, ac ingeniculent. Eodem modo quidam, ducendo nobiles & opulentas uxores, non ſeſe meliores reddunt, ſed uxores deprimunt, ut humilibus facilius imperare poſſint, quum oporteat, ratione habita, ut magnitudinis in equo, ita* DIGNITATIS IN MULIERE, *fraeno uti.*

An id jus mariti pacto mutari poſſit?

§. XLVII. Quia vero haec praerogativa marito ob praeſumtam duntaxat majorem prudentiam & onera matrimonii, ei incubentia, debetur, (§. XLV. *) & ſaepe tamen contingit, ut virilis animi femina viro ingenii minus perſpicacis, opulentior pauperi, regina privato nubere cogatur: 69. omnibus his caſibus pacto ſibi praerogativam illam ſtipulari poſſe feminam, (*) nemo negaverit, exemplaque docent, 70. reginas, nuptas principi, cui nihil in uxoris regno imperii eſt, priores in ſocietate, etiam conjugali, partes tenere, niſi 71. uxor, regni heres, ipſum imperium in maritum transſcribere malit, ſola dignitate contenta.

(*) Sic ſane quod referunt Ariſtotel. *Polit. V*, 11. & Sophocl. *in Oedipo Colon. v.* 354. apud Aegyptios uxorem imperare marito, id ex pacto eſſe, docet Diodor. Sicul. *Biblioth. I*, 27. De *reginae marito*, quae dici poſſunt, omnia jam occupavit doctiſſimus Jo. Philipp. Palthenius diſſertatione ſingulari, edita Gryphiſv. MDCCVII. ubi & varia, quae huc pertinent, pacta dotalia, & natas inde controverſias illuſtres accuratius explicavit. In primis notabile eſt exemplum Jacobi Boduelli, Ducis Orcadum, qui ducturus Mariam Scotorum Reginam, conceptis verbis juravit, *ſe nullam inde praecellentiam, aut ſupremi gradus faſtigium ſpectare, ſed id unum, ut perinde Reginae, atque adhuc fecerit, quoad viveret, pareret atque inſerviret.* Buchanan. *rer. Scot. Hiſt. Lib. XVI. p. 674.* Ad ea, quae ex jure divino poſitivo *Geneſ. III.* 16. 1. *Cor.* XI, 7. 1. *Tim.* II, 11. *Eph. V*, 23. *Coloſſ.* III, 18. 1. *Pet.* III, 1. his omnibus opponi ſolent, plura regeſſit laudatus Palthenius *ibid.* §. *XXX. ſequ.* quae tamen nos, alio plane innixi fundamento, in medio relinquimus.

Mariti officium in ferendis matrimonii oneribus.

§. XLVIII. Quum vero ordinarie maritus priores in ſocietate connubiali partes teneat: (§. XLV, 61.) non poteſt etiam detrectare officium 72. alendi uxorem & liberos, 73. oneraque matrimonii ferendi: quamvis, 74. quia communes ſunt liberi, communiſque rei familiaris cura utrique incumbit, (§. XLIII, 52.) merito & uxor partem iſtorum onerum, quantum opes ejus ferunt, in ſe ſuſcipiat, eaque 75. procul dubio ſit origo dotium apud Graecos & Romanos, quas & illae uxores adferebant maritis, quae ab hereditate parentum non excludebantur (*).

(*) Apud

Digitized by Google

(*) Apud reliquas pleraſque gentes ideo dotem accipiebant feminae, ne plane exſortes eſſent bonorum paternorum, quippe alias a ſucceſſione excluſae. Idem iis temporibus obtinebat apud Romanos, quibus lex Voconia nondum exoleverat. At dotare tamen Romani ſolebant filias, etiam antequam lata eſſet lex Voconia, idemque, ea jam ſubverſa, faciebant, quamvis hereditatem paternam maternamque aequa lance cum fratribus dividerent. Rem omnem eleganter expoſuit Jac. Perizon. *diſſert. de lege Voconia*, noſtris auſpiciis recuſa Halae MDCCXXII. Hinc ipſi Romanorum jureconſulti dotem *ad ferenda matrimonii onera dari*, fatentur. *l. 7. pr. l. 56. §. 1. l. 76. fin. D. de jure dot. l. 20. C. eod.*

§. XLIX. Denique, quum omnia omittenda ſint, quae matrimonii finem impediunt, (§. XXVIII, 9.) educatio vero liberorum, quae non minus, quam procreatio eorumdem, finis matrimonii eſt, perpetuam conjugum ſocietatem requirant: facile patet, 76. ei fini omnino adverſari divortiorum licentiam, qualis apud pleraſque gentes olim invaluerat. At, quia tamen 77. intolerabiles alterutrius conjugis mores hunc finem magis impediunt, quam divortium, & 78. ſocio, cui tam injurioſus ſocius obtigit, non poſſit vitio verti, ſi illum abs ſe ſegreget: (§. XXII, 70.) divortium etiam non illicitum cenſemus, quoties alteruter conjux ita ſe gerit, ut finis matrimonii obtineri nequeat (*). Poſtremo, 79. ſoluta quocumque legitimo modo hac ſocietate, alterum ad ſecunda vota tranſire poſſe, eo minus dubitari poteſt, quo minus ſocio, ſoluta ſocietate, jus eſt, alterum impediendi, quo minus novam ſocietatem cum alio contrahere poſſit. **Matrimonium quatenus indiſſolubile ſit.**

(*) Huc ergo referimus non modo adulterium & malitioſam deſertionem, quas cauſſas & jus divinum juſtas eſſe docet: *Matth. V*, 32. *XIX*, 9. 1. *Cor.* VII, 15. ſed & omnes, quae impedimento ſunt, quo minus finem matrimonii adſequi liceat. Equidem an loquutio Chriſti παρεκτὸς λόγου πορνείας *Matth. V*, 32. idem ſignificet, quod *rem turpitudinis* vocavit Moſes, *Deut. XXIV*, 1. adeoque tam laxa ſit vocabuli πορνεία notio, ac viſum eſt Seldeno *Ux. Hebr. III*, 23. & 31. nos quidem in medio relinquimus, certo perſuaſi, non idem eſſe πορνείαν & λόγον πορνείας. λόγον enim pro ratione vel conditione rei accipi notum eſt, uti in formula notiſſima: τὸν αὐτὸν λόγον ἔχουσι, *ejuſdem ſunt conditionis*, vel *eamdem rationem habent*. Synes. *Epiſt. ad Joannem*: Νῦν δὲ τὰ ἁμαρτήματα λόγον ἔχει πρὸς τὰς ἀνεκπλύτους κηλῖδας. *Peccata vero ejuſdem* NATURAE *ſunt*, vel, *peccatorum* EADEM RATIO EST, *ac macularum, quae elui nequeunt*. Hoc ſenſu accepto vocabulo, ſenſus erit, non aliam divortii cauſſam ſufficientem eſſe, quam quae ſimilis adulterio, ejuſdemque cum hoc naturae ſit, vel, quod perinde eſt, quae cum fine matrimonii non minus pugnet, quam adulterium (*a*).

(a) Divortium aliud cohabitationis & thori, aliud ipſius vinculi conjugalis norunt omnes: nemo diffitetur allatis cauſſis fieri divortium poſſe cohabitationis & thori; at vinculi conjugalis, etiam ſolo naturae jure, non dixerim. Qui fieri poſſe concedunt, non ſatis diſtinguunt contractum qui a legibus unice pendet, quique ut mutuo conſenſu coaleſcit, mutuo conſenſu diſſolvi poteſt, & contractum quem natura ipſa perſuadet, & ratio dictat: hic enim naturali, proinde immutabili lege firmatur, quem nulla ſuperveniens cauſſa infirmat.

Futilis ſane argumentatio illa eſt quae ab injuria ſocii petitur, nam 1. quam late patet injuriarum genus, quod concordiam turbet? at quis eouſque divortii libertatem protrahet? quis fines ad arbitrium figat? quis menſuram ponet? cujus judicio ſtet? non arbitrio ſed certo canone natura ſtat. 2. quid ſi ſterilis uxor? quid ſi impotens caſu ſubſequente matrimonium ad tempus vir? an eo quod tunc Matrimonii finis obtineri nequeat, divertendi libertas erit? 3. quae a natura cauſſam perpetuam habent pacta, nonniſi a natura diſcindi poſſunt. Merito Apoſtolus 1. ad Chor. cap. 7. abſoluto canone ſcribit: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat, tantum in Domino*, nimirum natura morte diſſolvit quod natura inſtinctu conciliavit. Non proinde de contractu naturali aeque ac civili agendum eſt: de

Digitized by Google

loco vero Matth. cap. 5. & 19. vide Bellarminum, Eſtium, Juveninium ne actum agam.

Id tantum adiiciam quod & eruditiſſimi Philologi jamdiu adnotarunt, *πορνειας* in Sacris Litteris, niſi quid addatur, niſi quid diſtrahat, adulterium uſitata ubique notione ſignificare; *λογου* vero *πορνειας* cauſſam exprimere: parallelis locis in Lexicis utrumque probari; denique *παρεκτος λογου πορνειας* non ad ductum alterius conjugis, ſed ad dimiſſionem prioris referri, uti ex parallelo loco Marci, ubi id omittitur, liquidum ſit.

Quid ſtatuendum ſit de matrimoniis imperfectis?

§. L. Quamvis vero haec omnia ipſa recta ratio exigere videatur in ſocietate conjugali: facile tamen unuſquiſque intelligit, 80. unum officium altero magis minuſve finem matrimonii attingere, adeoque 81. non ſtatim ſocietatem inter maſculum & feminam matrimonium eſſe deſinere, ſi quid per pacta mutetur. Quamobrem 82. matrimonium, licet imperfectum, eſt, quod ſine ſollemnitate, clam, liberorum tamen quaerendorum educandorumque cauſſa, contrahitur, (*) 83. nec non cui accedit *lex morganatica*, immo & 84. *putativum*, de quo ſingulari diſſertatione egit Jo. Nic. Hertius: quamvis 85. in imperantium ſit arbitrio, quem hujuſmodi conjunctioni effectum in civitate tribuere velint.

(*) Huc pertinet matrimonium, quod vocant *mariage de conſcience*: immo & concubinatus, qualis apud Romanos obtinuit, de quo plura diximus *in commentario ad legem Jul. & Papiam*, *Lib.* II. *Cap. IV.* Neque enim aliter, quam dignitate, ab uxore legitima differebat concubina, quippe cum pellice non confundenda. Unde & *inaequale conjugium* vocatur concubinatus, *L.* 3. *C. de natur. lib.* Contra ne imperfecti quidem matrimonii nomen meretur illud, quod barbare vocant *ad talacho*, *emancibado*, *caſato di media carta*, quod ea lege contrahitur, ut vir, prole potitus, feminam illico a ſe ſegregare, vel uxor, praegnans, maritum pro lubitu deſere poſſit, qualia Amazonum matrimonia fuiſſe, memoriae prodiderunt veteres, quamvis de veritate rei non abs re dubitet Arrianus *in expedit. Alexandri M. Lib.* VII. *pag.* 291. *ſequ.* Conf. Sam. Petiti *Diſſ. de Amazonibus*, & Caſp. Sagitt. *Exercit. ad Juſtin. Hiſt.* II, 4. Quid enim hoc aliud eſt, quam *exire matrimonii cauſſa*, nubere divortii cauſſa? Seneca *de Benef. III*, 6. Quid magis adverſari dixeris educationi liberorum, quam nuptias contrahentibus pro fine eſſe debere, ſupra monuimus?

CAPUT III.

DE OFFICIIS, IN SOCIETATE PARENTUM ET LIBERORUM OBSERVANDIS.

§. LI.

Tranſitio ad ſocietatem parentum & liberorum.

Ex conjunctione maris & feminae, de qua ſuperiore capite diſſeruimus, naſcuntur LIBERI, qui tantiſper cum parentibus in ſocietate vivunt, dum ipſi novas familias conſtituant, & e parentum manu poteſtateque exeant. Quamvis enim liberi, quando in hoc orbis theatrum prodeunt, nec expreſſe, nec tacite, in hanc ſocietatem conſentire poſſint: tamen, quia & ex praeſumto conſenſu aliquando naſci poteſt ſocietas, ſi ex ipſa rei natura, alterum conſenſiſſe, judicamus. (§. XVII, 48.) ipſa vero liberorum adhuc infantum conditio requirit, ut cum aliis in ſocietate vivant: (§. eod. *) 1. nihil obſtat, quo minus parentes liberoſque in eumdem finem, eademque media conſentire, adeoque 2. dari SOCIETATEM INTER PARENTES LIBEROSQUE, ſtatuamus. (§. XIV).

§. LII.

Ejus finis commoda liberorum educatio.

§. LII. Nimirum, quum liberi, adhuc infantes, immo & pueri atque adoleſcentes, non ſint ea ingenii perſpicacia praediti, ut ipſi vel de alimentis ſibi proſpicere, vel, quomodo actiones ſuas ad rectae rationis normam componere debeant, dijudicare poſſint: 3. Deus ſane, qui eos exſiſtere voluit, etiam aliis curam demandaſſe intelligitur, tenellos illos homunculos educandi. Quumque 4. ideo incredibilem amorem erga liberos inſeverit parentibus, non ſolum hominibus, verum etiam brutis animantibus, ut de hoc officio admonerentur, (§. XXVII.) hique praeterea ſobolis procreandae educandaeve cauſſa ſocietatem inierint, aut ſaltim hunc finem unice ob oculos habere debuerint (*): (§. eod.) conſequens eſt, 5. ut id officium primario incumbat parenti utrique, adeoque 6. ſocietatis inter parentes & liberos finis non alius ſit, quam COMMODA horum EDUCATIO.

(*) Quamvis ergo contingere poſſit, ut homines diverſi ſexus non liberorum quaerendorum, ſed ſolius libidinis cauſſa, congrediantur: tamen ideo hac obligatione non liberantur, quod alium ſibi finem propoſuerunt. Quum enim omnes impurae commixtiones extra matrimonium rectae rationi adverſentur: (§. XXXV.) non refert, quem finem ante oculos habeant parentes, ſed quem habere debeant, nec in cujuſquam poteſtate eſt, juri praeceptivo, quod hunc finem ſtatuit, renunciare. (Lib. I. §. XIII, 19.)

Haec obtineri nequit ſine poteſtate parentibus competente.

§. LIII. Quia ergo finis hujus ſocietatis eſt commoda ſobolis procreatae educatio, (§. LII.) ea vero ſine actionum directione conſiſtere nequit, conſequens eſt, 7. ut parentibus liceat liberorum actiones dirigere, (*) ac proinde 8. iis competat POTESTAS in liberos, adeoque 9. haec ſocietas omnino ſit inaequalis & rectoria. Quemadmodum vero ex fine cujuſque ſocietatis officia ſociorum ſunt aeſtimanda: (§. XV, 43.) ita 10. & haec PARENTUM POTESTAS ex fine aeſtimanda eſt, adeoque 11. eſt jus, parentibus competens, ea omnia agendi, ſine quibus liberorum actiones ad obtinendum hujus ſocietatis finem dirigi non poſſent.

(*) Habes ergo originem poteſtatis illius, qua parentes iure naturae in liberos utuntur. Vult Deus, ut liberi exſiſtant, id eſt, ut & conſerventur, & feliciter vivant. (Lib. I. §. LXXVII. ſequ.) Conſervari & felices eſſe non poſſunt, niſi commode educentur (§. LII.) Educari commode nequeunt, niſi eorum actiones dirigantur. Vult ergo Deus, ut ab iis, qui liberos educant, eorum actiones dirigantur. Quumque jus dirigendi actiones liberorum ſit poteſtas in liberos: (§. LIII, 11.) voluit ſane, ut parentes poteſtatem in liberos exerceant. Faceſſere ergo jubemus Hobbeſium *de cive* IX, 3. hanc poteſtatem ex occupatione derivantem. Nec Puſendorffius ſatisfacit, qui *Lib.* VI. *de jur. nat. & gent. Cap.* II. §. IV. eam partim ex vitae ſocialis natura, partim ex praeſumto liberorum conſenſu, explicare voluit. Conſenſus enim praeſumtus in ſocietatem hanc, quem ipſi agnoſcimus, fundamento aliquo niti debet, quod non aliud eſſe poteſt, quam hoc, quod paullo ante expoſuimus.

Poteſtas haec penes utrumque parentem eſt.

§. LIV. Quumque hoc officium communes liberos educandi utrique parenti incumbat: (§. LII, 5.) conſequens eſt, 12. ut & poteſtas haec utrique ſit communis, adeoque 13. ex jure gentium repeti non poſſit patria illa poteſtas: ſoli patri propria, quam jus Romanum inculcat. Attamen quum patris, tamquam mariti, in ipſa ſocietate conjugali regulariter primae ſint partes: (§. XLV, 61.) facile eſt ad exiſtimandum, 14. diſſentientibus parentibus, paternae magis, quam maternae, voluntatis habendam eſſe rationem, niſi 15. pater aliquid, quod maniſeſto turpe, liberiſque noxium ſit, jubeat. Ad id enim, tamquam moraliter impoſſibile, nec matrem, nec liberos obſtringi, facile eſt ad exiſtimandum.

Y 2 §. LV.

Digitized by Google

Immo & in avos, avias, cognatos, tutores, nutritores, adoptantes, tranſit.

§. LV. Quia praeterea officium educandi liberos, eo quo haec poteſtas naſcitur, aliquando, praemortuis parentibus, vel avi aviaeve, quos pietas excitat, vel cognati occupant: aliquando ipſi parentes id aliis, ad hoc exſequendum magis idoneis, demandant: aliquando extraneus quidam id ſibi, a parentibus cedi, ultro poſcit: ſequitur 16. ut haec poteſtas, quatenus in ſacultate actiones liberorum dirigendi conſiſtit, tunc & AVIS, COGNATISVE, 17. & NUTRITORIBUS & PAEDAGOGIS, & 18. iis, qui quaeve (*) alienos liberos ADOPTANT, vel 19. in TUTELAM recipiunt, denegari nequeat, adeoque 20. hi omnes ea poteſtate eatenus uti poſſunt, quatenus eam ſuſcepta ab iis cura educationis exigere videtur.

(*) ADOPTIONEM ergo jus naturae non improbare ſtatuimus, ſed ex alia ratione, quam ex qua eam Romani derivarunt. Quum enim liberi apud eos eſſent in patria poteſtate, id eſt, in dominio juris Quiritium: *l. 1. D. de rei vind.* inde colligebant, patrem liberos aeque, ac alias res mancipi, in dominio ſuo conſtitutas, poſſe alienare, & mancipare. Et hinc adoptiones fiebant per mancipationes & ceſſiones in jure, ceu alibi oſtendimus. Porro adoptare poterant ſoli maſculi, non feminae, niſi ex indulgentia principis in ſolatium liberorum amiſſorum: §. 10. *Inſt. l. 5. C. de adopt.* quia femina aliquem in poteſtate habere non poterat. Sed nos adoptiones non ex dominio aliquo vel patris, vel utriuſque parentis, ſed ex officio liberos educandi, eorumque actiones ad hunc finem dirigendi, derivamus. Quod officium quum aliquando alii extranei rectius, vel ſaltim aeque commode exſequantur, ac ipſi parentes: nihil obſtat, quo minus hi illud aliis volentibus concedere, adeoque liberos iis in adoptionem dare poſſint. Nec quidquam refert, maſculus adoptet, an femina, nupta, an innupta, quia haec adoptio non imitatur naturam, ſed parentum tantum officia. Et exſtat ſane hujuſmodi adoptionis exemplum non modo apud Aegyptios *Exod. II*, 10. verum etiam apud Romanos, apud quos Valeriam Auguſtam non in ſolatium liberorum amiſſorum, ſed ob ſterilitatem, adoptaſſe Candidianum, refert Lactant. *de mort. perſequ. Cap. L.*

Parentibus tribuit jus jubendi, prohibendi, caſtigandi.

§. LVI. Quemadmodum porro haec parentum poteſtas conſiſtit in jure ea omnia agendi, ſine quibus liberorum actiones ad obtinendum ſocietatis hujus finem dirigi non poſſunt: (§. LIII, 11.) ita facile eſt ad exiſtimandum, 21. parentibus licere & praeſcribere liberis, quae agere eos oporteat, & 22. prohibere, quae ab iis fieri noluit, & 23. immorigeros non modo objurgare, ſed &, 24. prout res exigit, caſtigare, & acrioribus remediis in ordinem cogere: modo 25. id prudenter fiat, ſtatuſque non modo & dignitatis familiae, ſed & 26. aetatis (*), reliquarumque circumſtantiarum ratio habeatur.

(*) Recte Grot. *de jure belli & pac.* II, 5, 2. & Puſendorff. *Jur. nat. & gent.* VI, 2, 7. *ſequ.* obſervant, maiorem eſſe huius poteſtatis vim in primae aetatis liberis quam in adultioribus. Quum enim tantum poſſit pater, quantum requirit finis huius ſocietatis, puta, liberorum educatio, (§. LIII, 11.) liberi autem imperfecti iudicii vix umquam, quid factu optimum ſit, perſpiciant: ipſa res exigit, ut parentes omnes eorum actiones dirigant, eos ad certam addiſcendam artem, nec non ad amplectendam religionem, quam ipſi probant, compellant, immodeſtoſque & immorigeros etiam virga ſcuticaque caſtigent. Id vero bonus pater non fecerit filio adultiori, quem, maturiore iudicio praeditum, auctoritate magis & rationum pondere, quam ſeveritate ac rigidiore imperio, ad quaevis honeſta pertrahere ſtudebit, nec temere quidquam, quod ad futurae vitae rationes pertinet, invito illi per modum imperii iniunget. Sic e. g. puerum parentes recte adigent etiam invitum, ut ſcholam frequentet, at non recte adultum cogent ad ducendam uxorem, ad certum vitae genus, a quo abhorret, eligendum, cetera. Id quod obſervandum contra Caſp. Zieglerum, qui hanc diſtinctionem non putat admittendam *in Notis ad Grot. II.* 5, 2.

§. LVII.

§. LVII. Ex eodem patet, 27. finem hujus ſocietatis non exigere jus vitae & necis in liberos, 28. niſi forte in ſtatu naturali parentes diffuſae familiae, tamquam capita, praeiuerint: quamvis tunc magis ut principes vel imperantes, quam tamquam parentes, id jus exercuiſſe videantur (*). Hinc denuo colligimus, 29. non probare jus naturae rigidum illud jus veterum Romanorum, quod ipſis poſtea Romanis diſplicuit, adeoque 30. vere docuiſſe Juſtinianum, *nullos eſſe alios homines, qui tali in liberos poteſtate utantur, qua uſi ſint Romani*. §. 2. *Inſt. de patr. pot.*

An & jus vitae & necis?

(*) Id vero vel inde patet, quod ius illud vitae & necis magis patri proprium, quam utrique parenti commune fuiſſe, quin ſeſe in ipſas uxores, & nurus etiam viduas porrexiſſe videtur. Exemplum ſane poſterioris obſervationis praebuit Judas, qui, quum intellexiſſet, ſcortatam eſſe Thamarem nurum: *Ducite eam*, inquit, *ut comburatur. Geneſ.* XXXVIII, 24. Ita & hodie Reges, quia in ſtatu naturali vivunt, hoc ius vitae & necis exercent in uxores, liberos, univerſamque familiam, idque & olim ſemper exercuerunt, non tamquam patres, ſed tamquam ſupremi imperantes. Sic inter Perſeum & Demetrium filios iudex ſedit Philippus Macedo apud Liv. XL, 8. Sic a Valeria Meſſalina, uxore adultera, ſupplicium ſumſit Claudius Caeſar apud Sueton. *in Claud. Cap.* XXVI. ut iam non dicam de exemplis recentioribus, quae iam alii cum cura expenderunt. Add. Barbeyrac ad Pufend. *de jure nat. & gent.* VI, 2, 10.

§. LVIII. Multo minus ergo 31. illa parentum poteſtas jure naturae conjuncta eſt cum jure liberos venumdandi, 32. delinquentes noxae dandi, 33. omniaque, quae liberis aliunde obveniunt, adquirendi, quamvis haec omnia antiqua ſaltim Romanorum juriſprudentia probarit. Nihil enim horum ita comparatum eſt, ut ſine eo obtineri nequeat finis hujus ſocietatis. (§. LIII, 11.) Attamen, quum haec poteſtas in facultate dirigendi liberorum actiones conſiſtat: (§. LIII, 7.) 34. parentibus non deneganda videtur facultas, liberis pro conditione ſua certas imperandi operas, ex iiſque lucrum capiendi, immo & 35. adminiſtrandi ea, quae liberis ſive fortunae, ſive hominum beneficio obvenerunt (*).

An jus venumdandi noxaeve dedendi liberos, per eosque adquirendi.

(*) Nam quum ipſi liberi, quamdiu immaturum imperfectumque eſt eorum iudicium, directioni parentum ſubſint: quidni & eorum res ab iis adminiſtrentur? An vero & fructuaria eſt haec adminiſtratio? Non dubito. Quibuſcumque rebus indigent liberi, eas a parentibus iure quodam ſuo exigunt, veluti cibum, potum, veſtes, habitationem, ſumtus diſciplinae. Non ergo indigent fructibus, quibus maxime plerumque indigent parentes ad alendos educandoſque liberos. Et qua fronte fructus a parentibus repeterent liberi, quibus vicem numquam reddere poſſunt, ſe ſuaque omnia redderent? Iſmene apud Sophoclem *in Oedipo Colon. v.* 513.

Φύλαττε πατέρα τόνδε τοῖς τεκοῦσι γὰρ
Οὐδ᾽ εἰ πονεῖ τις, δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν.
Patrem cura: nam parentum cauſſa
Etſi quis laborat, laborum tamen non meminiſſe debet.

§. LIX. Sed haec de poteſtate parentum dicta ſufficiant. Quod ad OFFICIA eorumdem attinet, ea intellectu facillima videntur. Etenim ex fine hujus ſocietatis prono alveo fluunt. Eſt ille COMMODA LIBERORUM EDUCATIO, ac proinde nemo non intelligit, obligatos eſſe parentes, ad ea omnia agenda, ſine quibus finis hujus ſocietatis obtineri non poteſt, & ad ea omittenda, quae cum fine illo pugnant. (§. XXV, 76. ſequ.) Itaque operae pretium fuerit, educationis nationem evolvere paullo accuratius, ut ex ea officia, tum parentum, tum liberorum, tanto facilius certiusque eruantur.

Officiorum parentum erga liberos fundamentum.

§. LX.

Quid educatio, & in quo illa conſiſtat?

§. LX. Obligationem ad educandos liberos parentibus ipſum amorem, quem illis natura inſevit, inculcare, jam ſupra monuimus. (§. XXVII.) Quumque parentes liberos non alio AMORE, quam BENEVOLENTIAE, complecti poſſint, (Lib. I. §. LXXXV.) hic vero in eo conſiſtat, ut entis inferioris atque imperfectioris felicitate delectemur, eamque ſervare, &, quantum in ens illud cadit, amplificare ſtudeamus: (ibid. §. LXXXVI.) conſequens eſt, 36. ut & parentes liberos non modo conſervare, ſed & 37. felicitatem eorum amplificare teneantur: & 38. in hoc ipſo conſiſtat commoda EDUCATIO, per quam adeo 39. nihil aliud intelligimus, quam curam parentum, qua liberos ſuos & conſervare, & felicitatem perfectionemque eorum amplificare, omni ope nituntur (*).

(*) Quid enim adeo magnum eſt, procreaſſe liberos, niſi & conſerventur? & quid conſervaſſe, niſi & ita inſtituantur, ut verae felicitatis participes eſſe poſſint? *Ad bene vivendum*, ait Seneca, *de Benef.* III. 31. *minima portio eſt vivere.* Et paucis interiectis: *Vis ſcire, quam non ſit magnum beneficium, vitam ſic dare? expoſuiſſes: nempe injuria erat, genuiſſe. Quo quidem colligo, minimum eſſe beneficium patris matriſque concubitum, niſi acceſſerint alia, quae proſequerentur hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent.*

Parentum eſt liberorum vitam, ſanitatem & integritatem membrorum conſervare.

§. LXI. Quum ergo parentum ſit, operam dare, ut conſerventur liberi: (§. LX, 39.) conſequens eſt, 40. ut non modo iis alimenta commoda (*), id eſt, victum, amictumque, pro conditione ſua praebere, ſed & 41. eorum valetudinem curare, 42. corpus membraque, quantum in ſe eſt, integra praeſtare, quin & 43. eos a luxu, ingluvie, laſcivia, omnibuſque vitiis, quae ſanitatem ac vires corporis animique proſternunt, avertere, ac proinde 44. non temere ſolos & ſine cuſtode relinquere, teneantur.

(*) Ad quae alimenta praecipue etiam pertinet primi lactis inſtillatio. Ad hanc enim ipſam matrem obligatam eſſe, vel hoc ipſo eas natura admonet, quod illico a partu, ubera illius lacte turgeſcere incipiunt, & inexhauſtus ille fons tamdiu plerumque hoc nectar ſufficit, donec ſolidiorem cibum ferat infantuli ſtomachus. Vere ergo neglecti officii materni reas eſſe, quae vel commoditatis ſuae, vel formae ſervandae cauſa, eam operam nutriculis & ſcortillis delegant, ipſi pagani, ductu ſolius rationis, viderunt, multiſque probarunt argumentis. Pertinent huc Plutarch. *de liber. educ. p.* 3. Gell. *Noct. Att.* XII, 1. At, ſicuti neceſſitas facile unumquemque ſolvit lege adfirmativa: (Lib. I. §. CXIV, 59.) ita nec vitio vertendum fuerit matri delicatiori, infirmae, lacte deſtitutae, ſi nutrici commendet infantem. Qualis vero deligenda ſit a proba & prudente matre, elegante epiſtola ad Phyllida oſtendit Myia apud Thom. Gale *Opuſc. mythol. eth. & phyſ. p.* 750.

Quid huic officio adverſetur?

§. LXII. Huic ergo officio omnino adverſantur 45. procuratio abortus, 46.) expoſitio infantum, 47. eorumdem, nihil tale meritorum, abdicatio vel exheredatio, (*) 48. alimentorum neceſſariorum denegatio, & ſimilia, quae fini hujus ſocietatis repugnant, vitia. In primis 49. reprehenſione digniſſimi, indignique parentum nomine ſunt, qui vel derelinquunt liberos, vel 50. incuria ſua efficiunt, ut vita, ſanitas, ſenſus, membraque eorum aliquid capiant detrimenti. Quin 51. tanto deteſtabilior eſt haec parentum impietas, quo magis ſenſus, ſanitas, integritaſque membrorum non ſolum ad conſervationem, ſed & ad felicitatem liberorum, pertinent.

(*) Parum enim intereſt, ſive quis occidat liberos, ſive iiſdem alimenta deneget, *l.* 4. *D. de agnoſc. & alend. lib.* Alimenta autem liberis ſubtrahunt parentes, qui illos abdicant vel deſerunt, innocenteſve exheredes ſcribunt: immo ne ipſae quidem leges reprehenſione vacant, quae parentibus tantum indulgent, ut liberos

ſuo

ſuo arbitrio tractare poſſint, vel ſaltim maiorem patriae poteſtatis, quam aequitatis naturalis, habent rationem. Quis enim non reprehendat Tarquinienſium leges, ſtare paſſas teſtamentum Damarati, qui *ignorans, nurum ventrem ferre, immemor in teſtamento nepotis deceſſerat, puero poſt avi mortem in nullam ſortem bonorum nato, & poſtea ob inopiam Egerii nomen ferente.* Liv. I, 34. Quis non laudet Auguſtum; qui C. *Tettium, infantem, a patre exheredatum, in bona paterna ire decreto ſuo juſſit, patris patriae nomine uſus, quoniam Tettius in proprio jure procreato filio ſumma cum iniquitate paternum nomen abrogaverat?* Valer. Max. VII, 7.

Liberorum perficiendus eſt intellectus.

§. LXIII. Quum vero praeterea ad parentum officium pertineat, ut liberorum ſuorum perfectionem felicitatemque pro virili amplificare ſtudeant, (§. LX, 39.) ad perfectionem vero eorum vel maxime pertineat intellectus excultus, & viva veri bonique cognitione probe imbutus: (Lib. I. §. CXLVI.) ſane parentum erit, 52. liberis praecepta ſapientiae rerumque divinarum & humanarum ſcientiam a teneris unguiculis inſtillare, vel 53. eos idoneis magiſtris perpoliendos dare, 54. nulliſque ſumptibus parcere, ut & ingenia eorum acuantur, & 55. ipſi ad omnes honeſtas artes, pro conditione facultatibuſque ſuis, inſtituantur. Ex quo porro colligimus, 56. parentes obligatos eſſe ad explorandam liberorum indolem, honeſtumque vitae genus, quod indoli, conditioni, aliiſque circumſtantiis conveniat, eligendum, eo vero ſemel electo, 57. nihil eos reliqui facere debere, ut liberi perſonam, ſibi impoſitam, in hoc mundi theatro aliquando cum plauſu agere poſſint (*).

(*) Quumque unus homo plures plerumque perſonas ſuſtineat, ut ſingulari diſſertatione luculenter oſtendit Hertius: educatio ita attemperanda eſt, ut liberi non modo ad vitae genus, quod electum eſt, apti ſint, ſed & reliquas perſonas decore agant. Hinc, quia liberi aliquando non ſolum boni mercatores, artifices, opifices, ſed & boni cives eſſe debent: educationem liberorum accommodandam etiam eſſe ſtatui ac formae reipublicae patriae, recte monet Ariſtoteles *Polit. V*, 9. addita ratione: *Ὄφελος γὰρ οὐδὲν τῶν ὠφελιμωτάτων νόμων, καὶ συνδεδοξασμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ· εἰ μὲν οἱ νόμοι δημοτικοί, δημοτικῶς· εἰ δ' ὀλιγαρχικοί, ὀλιγαρχικῶς. Εἴπερ γάρ ἐστιν ἐφ' ἑνὸς ἀκρασία, ἔστι καὶ ἐπὶ πόλεως. Nullum enim emolumentum capitur ex utiliſſimis legibus, & quae probatae ſunt judicio cunctorum, qui dant operam reip. ut fuerint adſueti & inſtituti, ſi leges ſint populares, populariter; ſin oligarchicae, oligarchice. Si enim eſt in uno mortali incontinentia, eſt etiam in civitate.*

Et emendanda voluntas.

§. LXIV. Quumque voluntas ſit vera illa amoris, quo cum bono, adeoque & cum felicitate conjungimur, ſedes: 58. nihil agere videbuntur parentes, qui de perficiendo liberorum intellectu ſolliciti, nullam voluntatis rationem habent: nec non 59. qui non id agunt, ut liberorum ſuorum animos ad pietatis virtutiſque amorem inflamment, ſed 60. ut eos vel manifeſtis vitiis, vel 61. calliditati, avaritiae, ambitioni, voluptati, (quibus ipſi prudentiae, frugalitatis, erectioris animi elegantiaeque velum praetendunt,) adſueſaciant, qui denique liberis ad omne ſcelus profligatis, 62. praeeunt exemplo, & ſic aegrotos animos perpetuis vitiorum ſpectaculis turpiter corrumpunt (*).

(*) Sunt haec praecipua errata, quibus & optimam liberorum indolem in praecipitia abripi, animadvertimus. Quemadmodum enim nemo eſt tam exiſtimationis ſuae incurioſus, ut manifeſtis vitiis pollutus videri velit, ac proinde unuſquiſque ſceleribus ſuis aliquod virtutis ac prudentiae velum praetexit: ita & liberos ſuos ita inſtituere ſolent parentes, ut non tam honeſte ac ſapienter vivere, quam alios aliqua virtutum ſpecie decipere diſcant, id eſt,

Ut Curios ſimulent, & baccanalia vivant.

Ad hoc eos praeceptis, ad hoc exemplis ſuis inſtituunt. Quin ſi hi quadam naturae bonitate ad veram laudem contendunt:

dant: cum impetum parentes turpi exemplo reprimunt. Quemadmodum enim, qui nocte illuni iter faciunt, facile a recto tramite aberrant, ſi praeter facem paſſim oberrant ignes fatui: ita & praeclara ingenia plerumque in tranſverſum aguntur, ſi oculis quotidie obverſantur prava parentum facinora, hique ſe ipſos liberis praebent inutilis diſciplinae exempla, parum memores incomparabilis illius ſententiae Juvenalis *Sat.* XIV. *v.* 44.

Nil dictu foedum viſuque haec limina tangat,
Intra quae puer eſt, procul hinc, procul inde puellae.
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

In primis a voluptate revocandus animus.

§. LXV. Quum vero puerorum atque adoleſcentium indoli nihil magis adblandiatur, quam otium & voluptas: parentes operam dabunt, 63. ne nimis delicatam rationem in educandis liberis teneant, 64. neque eos otio obtorpeſcere patiantur, aut 65. nimis exquiſito victu nutriant, ſed 66. ſolem, frigusque ferre, ciboque parabili contentos eſſe, doceant. Ita enim dum educantur ruſticorum liberi, dumque hi inter operas ruſticas, preſſumque lac, & cibos parabiles adoleſcunt, eos & ſanitate & robore ipſis plerumque nobilibus adoleſcentibus antecellere, docet experientia (*).

(*) Exſtat hanc in rem incomparabilis epiſtola Theanus, Pythagoreae ſapientiae filiae, ad Eubulen apud Thomam Gale *Opuſc. mythol. ethic. & phyſ. p.* 741. qua ex inſtituto demonſtrat, διαφθορὰν τῆς φύσεως εἶναι, ὅταν τὰ παιδία φιλήδονα μὲν ταῖς ψυχαῖς, ἡδυπαθῆ δὲ τοῖς σώμασι γίνονται. *Corruptionem & perverſionem naturae eſſe,* (non educationem,) *quum animi ad voluptatis amorem, corpora ad libidinem transferantur.* Nec minus graviter haec praecepta paſſim inculcat Plutarchus toto illo aureo libello *de inſtitutione liberorum*.

Nec non a pravorum conſuetudine.

§. LXVI. Sed praecipue 67. juventutis animum pervertit conſuetudo cum pravis hominibus: adeoque 68. nihil majore cura ac ſollicitudine cavere decet parentes, quam ne liberi ſibi malos ſodales inveniant, ſed 69. paribus & bene educatis colludere malint. Quum enim ad imitationem natura proclives ſint tenelli eorum animi (*), cerei quippe flecti in vitium, monitoribus aſperi: experientia docet, tanto facilius pueros adoleſcentesque abripi in quaevis praecipitia, quanto minus adulatores & paraſitos ab amicis, corruptores a bonis magiſtris, inſtigationes ad vitia a ſalubrioribus praeceptis poſſunt diſcernere.

(*) Quam proclives ſint pueri ad imitandum, argumento ſunt illi, qui inter feras beſtias educati, earum non modo victum & greſſus, ſed & geſtus, vocem & ferociam ita paullatim adſciverunt, ut a beſtiis vix diſcernerentur. Exempla dederunt auctor ſupplementorum Lamberti Schafnab. *ad ann.* MCCCXLIV. Hartknoch. *de Polon. Lib. I. Cap.* II. *p.* 108. Bern. Connor *Evang. med. art. CXV. p.* 181. & *de ſtatu Polon. Part.* I. *Epiſt.* VI. *p.* 388. Sic & puerum ſurdum & mutum, a parentibus in templum frequentius adductum omnes geſtus, quibus inter ſacra alios uti viderat, tam accurate expreſſiſſe ferunt, ut non dubitarent clerici, quin aliquo religionis ſenſu tangeretur, quum tamen ubi auditum caſu recepiſſet, & ſenſim coepiſſet loqui, rei non meminerit, nec ullo indicio vel argumento colligi poſſet, eum religionis ideam ullam animo concepiſſe. Vid. *Act. erud. Lipſ.* MDCCVII. *p.* 507. Si ergo homines in bruta veluti convertit ſolum cum brutis contubernium, & ſi hominem ſurdum & mutum religioſis geſtibus imbuit ſolus aliorum religioſe Deum colentium conſpectus: quis miretur, & pueros aliam naturam induere ex conſuetudine cum aliis, & veluti hauſto Circes poculo in beſtias transformari?

Liberi parentibus debent amorem devotionis & obedientiae.

§. LXVII. Quae contra LIBERIS officia erga parentes incumbant: ex horum ſtatu & jure, ſocietatiſque ipſius indole non difficulter intelligitur. Quemadmodum enim parentibus eſt jus dirigendi liberorum actiones: ita inde

inde patet, 70. eos a liberis non aliter conſiderari poſſe, quam ut ſuperiores & perfectiores, adeoque 71. amandos eſſe amore devotionis & obedientiae (*), Lib. I. §. LXXXV.) Ex quo porro ſequitur, 72. ut liberi eos omni veneratione atque obſequio, (§. LXXXVI.) & 73. tali quidem veneratione, quae eorum perfectionibus digna ſit, (Lib. I. §. LXXXVII, 51.) proſequi teneantur.

(*) Hinc veteres omnes faſſi ſunt, proximum amoris gradum poſt Deum deberi parentibus, quibus nos ipſos debeamus. Sic Gell. *Noct. Att.* VI, 13. officia liberorum erga parentes primo loco ponit inter omnia, quae aliis hominibus debeamus, auctoritate uſus Catonis, Maſſurii Sabini & C. Caeſaris. Multo expreſſius *aureorum Pythagorae carminum* auctor *v. 1. ſequ.*

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκειντα,
Τίμα. καὶ σέβου ὅρκον· ἔπειθ' ἥρωας ἀγαυούς.
Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας, ἔννομα ῥέζων
Τούς τε γονεῖς τίμα, τούς τ' ἄγχιστ' ἐκγεγαῶτας.
Primum immortales Divos pro lege colunto
Et jusjurandum: heroas, clarum genus, inde.
Daemones hinc, terris mixti, ſua jura ferunto:
Inde parentis bonos ſequitur: tum ſanguinis ordo.

Quae explicans ſuo more, Hierocles *p. 50.* θεοειδῆ εἰκόνα. *Deo ſimilem imaginem* in parentibus agnoſcit. Et Simplicius Comment. *in Epicteti Enchirid. Cap.* XXXVII. *p. 197.* Οἱ ἔτι παλαιότεροι τοσοῦτον τοὺς γονέας ἐσέφθησαν, ὡς καὶ θεοὺς αὐτοὺς ὀνομάσαι καλεῖν. εὐλαβηθέντες δὲ τὴν θείαν ὑπεροχὴν τοὺς τῶν γονέων ἀδελφοὺς θείους ἐκάλεσαν, ἐνδεικνύμενοι τὴν τάξιν, ἣν τοὺς γονέας ἔχειν πρὸς τοὺς παῖδας τοὺς ἑαυτῶν ὑπελάμβανον. *Antiquiores* (Romanis *leges ita veneratae ſunt parentes, ut* DEOS *adpellare eos non dubitarint: divinam autem excellentiam reveritae fratres patrum* THIOS *quaſi* DIVINOS *adpellans, ut demonſtrent quam rationem parentum adverſus liberos eſſe exiſtiment.*

§. LXVIII. Quia ergo veneratione proſequendi ſunt parentes & tali quidem, quae eorum perfectionibus digna ſit: (§. LXVII, 72. 73.) nemo ſane dubitaverit, 74. quin liberi parentes aliis omnibus praeferre, 75. cum iis, ac de iiſdem, non niſi honorifice loqui, quin 76. & operam dare debeant, ne vel vultu laedatur pietas. Et quamvis contingere poſſit, ut in parente vel alterutro, vel utroque non reperiantur eae perfectiones, ut inde veneratio vel honor naſci poſſit: (Lib. I. §. LXXXVII. *) boni tamen filii eſt, 77. diſſimulare illa parentum vitia, & 78. patienter potius ferre eorum injurias, quam quidquam eorum, quae a liberis ipſa natura exigit, praetermittere (*).

Veneratio parentibus dubita.

(*) Nam & mali parentes, parentes tamen, id eſt, uti eos recte vocat Simplicius *ibid. p.* 198. αἴτια μετὰ θεὸν τοῦ εἶναι, *exiſtentiae noſtrae poſt Deum auctores*, ſunt: eaque perfectio vel ſola nos ad concipiendam animo pietatem ac venerationem incitare debet. Epictet. *Enchir. Cap.* XXXVII. Ἀλλὰ πατὴρ κακός ἐστι. μή τι οὖν πρὸς ἀγαθὸν πατέρα φύσει ᾠκειώθης; οὐκ· ἀλλὰ πρὸς πατέρα. τήρει τοιγαροῦν τὴν πρᾶξιν τὴν σεαυτοῦ πρὸς αὐτὸν, μηδὲ σκόπει, τί ἐκεῖνος ποιεῖ, ἀλλὰ τί σοὶ ποιήσαντι κατὰ φύσιν, ἡ σὴ ἕξει προαίρεσις. *At pater malus eſt. Numquid igitur natura cum bono patre conjunctus es? Non, ſed cum patre. Tu ergo munus tuum erga ipſum tuere, nec, quid ille agat, conſidera, ſed quibus rebus agendis tuum inſtitutum naturae futurum ſit conſentaneum.*

§. LXIX. Quumque parentibus competat poteſtas dirigendi liberorum actiones, eoſque coercendi caſtigandique: (§. LVI, 23. ſequ.) conſequens eſt, 79. ut parentes non modo amore devotionis proſequendi, ſed & timendi ſint. Ex quo amoris ac timoris temperamento quum naſcatur *timor filialis*: (Lib. I. §. CXXXI. *) inde non poſſumus non colligere, 80. timorem illum ſolum cadere in pios liberos, adeoque 81. objurgationes caſtigationeſque parentum non tam, quod doleant, metuendas, quam quod indignationis paternae, ſuis vitiis provocatae, ſint argumentum.

Itemque metus reverentialis.

Nec non obſequium.

§. LXX. Quandoquidem vero & obſequio proſequendi ſunt parentes: (§. LXVII, 72.) non poſſent profecto reprehenſionem effugere liberi, 82. niſi juſſa eorum promte exſequerentur, ac 83. ne moroſitatem quidem eorum, & duriora imperia, ſeſe ab officio dimoveri patiantur. Quia tamen vel ipſa recta ratio docet, quo major eſt entis alicujus perfectio ac ſublimitas, eo majorem ei venerationem & obedientiam exhiberi oportere: (Lib. I. §. LXXXVII.*) conſequens eſt, 84. ut, ſi turpe quid ac voluntati divinae vel legibus adverſum jubeant parentes, horum potius, quam Dei ac legum juſſa inſuper ſint habenda (*).

(*) Quod enim de magiſtratuum juſſibus dixerunt Petrus & Joannes, Apoſtoli: Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον, ἢ τοῦ θεοῦ, κρίνατε. *Juſtumne ſit apud Deum, vobis potius, quam Deo, auſcultare, ipſi judicate. Act.* IV, 19. Et paullo poſt *Act. V*, 29. Πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις. *Obedire oportet Deo potius, quam hominibus*: idem & ad parentum praecepta pertinet. Quamvis enim ſanctiſſimum eorum ſit imperium: ſanctius tamen eſt ipſius Dei, nec eo uſque porrigitur parentum poteſtas, ut liberos legibus, a ſummis imperantibus latis, poſſint ſolvere. (§. XXIV, 75.) Hierocl. *ad aurea Pyth. carm. v. 4. p.* 53. Εἰ δὲ ἐστιν, ὅτι τῶν θείων νόμων ἀνήκοός ἐστιν ἡ τῶν γονέων προαίρεσις, τί δεῖ ποιεῖν εἰς ἀντινομίαν ἐμπεσόντας τοιαύτην, ἢ τοῦτο, ὃ καὶ ἐπὶ πολλῶν καθηκόντων ἐκ περιστάσεως εἰς ἐναντίωσιν ἐλθόντων προσήκει φυλάττειν, μειζόνων γὰρ καὶ ἐλαττόνων προκειμένων καλῶν, τὰ μείζονα πρὸ τῶν ἐλαττόνων ποιεῖσθαι δεῖ, ὅταν μὴ ἀμφοτέρα ἐξῇ διασώζειν. ἔστι καλὸν μὲν τῷ θεῷ πείθεσθαι, καλὸν δὲ καὶ τοῖς γονεῦσιν· εἰ δὴ πρὸς ταῦτα ἡ ἀμφοτέρων ἄγοι πειθώ, ἕρμαιον ἂν εἴη καὶ ἄμαχον· εἰ δὲ πρὸς ἄλλο μὲν ὁ θεῖος νόμος, πρὸς ἄλλο δὲ οἱ γονεῖς φέροιεν, μαχομένης τῆς αἱρέσεως τοῖς ἀμείνοσιν ἕπεσθαι δεῖ, πρὸς ταῦτα μόνον ἀπειθοῦντας γονεῦσι, πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ τοῖς θείοις νόμοις οὐ πείθονται. *Si divinis legibus repugnat aliquando parentum voluntas: quid eos aliud facere oportet, qui in illam legum colliſionem incidunt, quam quod in multis etiam officiis, quae pro circumſtantiarum ratione ſibi adverſantur, decet obſervare? Honeſtis enim duobus propoſitis, quod majus eſt, minori decet anteponere, quum utroque frui non licet. Verbi gratia: honeſtum quidem eſt, Deo obedire: honeſtum vero & parentibus ipſis. Quod ſi te ad eadem ducat utriuſque perſuadendi vis: lucrum fuerit inopinatum, & ſine controverſia maximum. Sin autem ad aliud te trahat divina lex, ad aliud vero parentes: in hac voluntatum diſſenſione meliora ſequi praeſtiterit, & in iis ſolum parentum juſſa praeterire, in quibus & ipſi divinis legibus non obediunt.*

Quando ſolvatur parentum poteſtas?

§. LXXI. Ceterum uti ea eſt genuina poteſtatis parentum ratio, quod ad finem ſocietatis hujus conſequendum neceſſaria eſt facultas liberorum actiones ad hunc finem dirigendi: (§. LIII, 8.) ita nemo dubitaverit, 85. quin, obtento fine, & medium ceſſare oporteat, adeoque 86. illa parentum poteſtas non demum morte eorum, ſed tunc illico exſpiret, quando liberi maſculi ejus aetatis atque ita inſtituti ſint, ut ipſi ſua quadra vivere, novamque familiam inſtituere poſſint, vel 87. ſi filiae neptesve domo patria vel avita enubant, in aliaſque tranſeant familias. 88. Ut jus naturae non probet rigorem illum juris veteris Romani, quod filios cum uxore & liberis per omnem vitam in patria poteſtate eſſe jubebat, niſi patres vel avi quoſdam, ultro emancipatos, e ſacris ſuis dimitterent (*).

(*) Illud e dominio juris Quiritium, quod patri apud Romanos competiiſſe in liberos diximus, prono alveo fluere videbatur. Neque enim tempore finitur dominium, neque ullus eo ſine facto ſuo excidere poteſt. Hinc & imaginariae illae venditiones in emancipationibus adhibitae. Nihil enim analogiae juris magis videbatur convenire, quam ut res mancipi, intercedente mancipatione, abalienaretur. Vid. V. A. Corn. van Bynkershoek *de jure occid. lib. Cap. I. p.* 145. *ſequ.* Quum vero illud dominium in liberos, tanquam res mancipi, jus naturae & gentium planė ignoret: (§. LV. *) illud etiam rigorem illum, quem in paragrapho deſcripſimus, ignorare certiſſimum eſt.

§. LXXII.

Soluta parentum poteſtate non debet ceſſare amor.

§. LXXII. Quum vero poteſtas tantum parentum, (§. LXXI, 86.) non item amor, quem ipſa natura inſevit parentibus, (§. XXVII.) liberis e familia dimiſſis ceſſet: conſequens eſt, 89. ut honorum parentum ſit, etiam ſeparatorum a ſe liberorum felicitate delectari, 90. eos ope & conſilio pro virili juvare, 91. & non minus his, quam in familia perſeverantibus, quantum honeſte fieri poteſt, lucrari, 92. nihil denique reliqui facere, ut eos reddant quam feliciſſimos. Ex quibus ſimul patet, 93. cur emancipati non minus, quam ſui liberi, parentibus ab inteſtato merito ſuccedant (*).

(*) Itaque ab aequitate naturali diſceſſiſſe videntur gentes pleraeque, quae filias nupturas, oblata certa dote, contentas, exſorteſque eſſe jubebant paternae hereditatis. Equidem haec lex juſtam habuit rationem apud Hebraeos, quorum rempublicam ita inſtituerat ſupremum Numen, ut cuivis tribui ſortem ſuam attribueret, cujus agros & bona in aliam tribum tranſire noluerat. *Num.* XXVII. Sed non aeque laudaveris ſimilem Syrorum morem, cujus veſtigium exſtat *Geneſ.* XXXI. 14. *ſequ.* nec non leges Atheniensium, de quibus plura erudite diſſeruit Jac. Perizon. *de lege Vocon. p.* 119. *ſeq.* Quin multo minus aequam dixeris legem Romanorum, de filiis etiam emancipatis a paterna hereditate excludendis, quum ipſe Praetor ejus rigorem, data illis bonorum poſſeſſione, emolliendum; quin eam plane abolendam dixerit Juſtinianus *Novella* CXVIII. Emancipationem enim poteſtatem tantum parentum tollere oportebat, non amorem, ex quo ſucceſſionem ab inteſtato eſſe derivandam, ſuo loco oſtendimus. (Lib. I. §. CCXCV.)

An in parentum & liberorum arbitrio ſit poſitum, quando poteſtas illa ſolvenda ſit?

§. LXXIII. Ex quo porro colligimus, 94. nec in parentum poſitum eſſe arbitrio, liberoſne cujuſcumque aetatis e poteſtate dimittere, an eoſdem jam adultos invitos in familia retinere malint: nec 95. excuſandos eſſe liberos, qui invitos parentes deſerere, & fraena veluti mordere non dubitant. Quemadmodum enim injuſte agunt parentes, qui quid eorum omittunt, ſine quibus finis hujus ſocietatis obtineri nequit: (§. XXV, 76.) ita liberi ſe, ſalva juſtitia, non poſſunt ſubducere parentibus, quia, quod ſibi quiſque fieri non vult, id nec aliis facere debet. (Lib. I. §. LXXXVIII, 54.)

Liberorum obligatio, ſoluta parentum poteſtate.

§. LXXIV. Quemadmodum porro parentum amorem exſtinguere non oportet liberorum diſceſſum e familia: (§. LXXII.) ita 96. amorem illum venerationis, quo liberi illos proſequi tenentur, multo minus tunc ceſſare debere verum eſt. Immo, quum unuſquiſque ad amandum eum, a quo beneficiis ornatus eſt, obſtrictus ſit, (Lib. I. §. CCXXVI, 37.) iſque amor erga benefactores vulgo GRATITUDO vocetur: (ibid. §. CCXXVII.) conſequens eſt, 97. ut liberi, & finita parentum poteſtate, obligati maneant ad gratum illis animum quavis ratione oſtendendum, 98. eorum benevolentiam verbis ornandam, 99. beneficia beneficiis penſanda, nihilque, quod alicujus momenti eſt, & ad familiae decus pertinet, (veluti conjugium,) ſine eorum conſilio ſuſcipiendum: quin 100. & alimenta indigentibus ſuppeditanda. Quod genus gratitudinis quamvis ad officia imperfecta referendum videatur, 101. ita tamen comparatum eſt, ut leges civiles liberos, officii ſui immemores, jure meritoque in ordinem cogant, (*) (Lib. I. §. CCXXVII, 43).

(*) Si vera ſunt, quae de ciconiis memoriae prodiderunt veteres, eas parentes ſenectute confectos alere: etiam a brutis animantibus in ruborem dantur liberi beneficiorum immemores. Eleganter Aelian. *Hiſt. animal.* III, 23. Τρέφεσι μὲν τὲς πατέρας πελαργοὶ γεγηρακότας καὶ ἐθέλεσι, καὶ ἐμμελέστατα. κελεύει δὲ αὐτὲς νόμος ἀνθρωπικὸς ἐδὲ εἷς τῦτο, ἀλλ' αἰτία τύτε φύσις ἀγαθή. *Magna cura ciconiae exacta aetate parentes alunt, etſi humanis hoc facere legibus nullis jubentur, ſed ſola naturae bonitate ad id impelluntur.* Annon vero recta ratio ad id impelleret homines, ad quod ipſa bruta impellit natura?

Tutorum & pupillorum mutua obligatio.

§. LXXV. Si parentes, antequam liberi ad juſtam aetatem pervenerunt, deceſſerint: res ipſa ſuadet, 102. ut eorum educatio demandetur aliis, quos TUTORES vocant, adeoque 103. TUTELA nihil aliud eſt, quam poteſtas, actiones liberorum vice parentum dirigendi, eorumque bona adminiſtrandi tantiſper, dum ipſi liberi juſtam aetatem attigerint, idoneique ſint, ad ſe ſuaque rite gubernanda. (*) (§. LV. 19.) Ex qua definitione porro colligimus, 104. tutores eadem poteſtate uti, ac parentes, quatenus eam arctioribus limitibus non circumſcripſerunt leges civiles; ſed & 105. ad eamdem fidem eademque officia, quae parentibus incumbunt, teneri: denique 106. pupillos non minus ad amorem venerationis, obſequium & gratitudinem, obſtrictos eſſe, ac liberos: quin 107. hanc obligationem tanto eſſe ſtrictiorem, quo majus eſt beneficium, ab iis praeſtitum, quos non natura, ſed amor benevolentiae, ad benefaciendum excitavit.

(*) Quamdiu pro impuberibus vel minorennibus habendi ſint liberi, jus naturae eo minus definire poteſt, quo magis diverſae ſunt eorum indoles, quum in aliis ſapientia ante pilos ſit, alii ſero, alii vix umquam ſapiant. At, quia tamen legislatores ad id, quod ut plurimum ſit, merito attendunt: (§. XLV, 60.) recte atque ordine fecerunt, dum certos pubertatis ac minorennitatis definierunt annos. Quam variae vero hic fuerint eorum ſententiae, repetitis ex omni aevo teſtimoniis cum cura & ex inſtituto oſtendit vir illuſtris Jo. Petr. a Ludewig diſſertatione ſingulari *de aetate legitima puberum & majorennium*.

CAPUT IV.

DE OFFICIIS, IN SOCIETATE HERILI OBSERVANDIS.

§. LXXVI.

Quid ſocietas herilis, & quae ejus origo?

PRogredimur ad SOCIETATEM HERILEM, natura quidem non tam neceſſariam, ac illae ſimpliciores, de quibus hactenus actum eſt, at inter homines tamen jam inde ab antiquiſſimis temporibus frequentiſſimam, per quam intelligimus, ſocietatem inter dominum dominamve & ſervos ac ancillas, in qua hi ad dominorum utilitatem operis ſuis promovendam, illi ad hos alendos, immo & aliquando ad certam mercedem praeſtandam obligantur. Quum enim ita comparatum ſit, ut alter alterius opera indigeat, nec quidquam obſtet, ut, quod cuique deeſt, id ille alterius operis ſuppleat: (Lib. I. §. CCCXXV. 3.) conſequens eſt, 1. ut aliorum operas, quocumque intercedente contractu, nobis recte ſtipulemur, atque ita 2. inter nos ſervoſque & ancillas naſci poſſit HERILIS SOCIETAS, quam inaequalem vel rectoriam eſſe, facile patet. (§. XIX. 55.)

Quid herus, vel hera, & ſervus, vel ancilla? & quotuplex ſervitus?

§. LXXVII. Itaque per HERUM HERAMVE intelligimus perſonam, quae aliorum operis ad ſuam utilitatem promovendam utitur, & his viciſſim ad alimenta, vel inſuper ad mercedem praeſtandam, obligata eſt. SERVI vero & ANCILLAE ſunt perſonae, quae ad dominorum utilitatem operis ſuis, vel pro certa mercede alimentiſque, vel pro ſolis alimentis promovendam obſtrictae ſunt. Ex qua definitione facile patet, 3. ſervitutem prioris generis eſſe MERCENARIAM, 4. ejuſque fundamentum non aliud eſſe, quam locationem conductionem; 5. poſterioris OBNOXIAM, (*) 6. ejuſque fundamentum eſſe dominium in ipſas perſonas ſervorum, juſto titulo adquiſitum.

(*) Ut

(*) Uti placuit vocabulo, quo uſus eſt Phaedrus *Fab. Lib.* III, *praef. v.* 34.

Servitus OBNOXIA,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas tranſtulit.

Uti enim hic *ſervitutem* dixit pro *ſervo*, Aeſopo, ita eam *obnoxiam* vocavit, quaſi ὑπεύθυνον, quia Aeſopus hujuſmodi ſervitutem ſerviebat. Graeci *obnoxios* δούλους, mercenarios οἰκέτας, vocabant, teſte Athen. *Deipnoſ.* VI, 19. Ceterum utraque ſervitus antiquiſſima eſt. Quemadmodum enim Abraamum jam quarto a diluvio ſaeculo multos ſervos obnoxios domi ſuae aluiſſe, conſtat: *Geneſ.* XI, 5. XIV, 14. XV, 3. 4. XVI, 1. *ſequ.* ita Jacobum Labani mercenarias operas per multos annos praeſtitiſſe, notiſſimum eſt ex *Geneſ.* XXIX, 15. *ſequ.* XXX, 28. Equidem & Noachus iam *Geneſ.* IX, 25. mentionem facit ſervitutis obnoxiae, eique Chanaanem, nepotem, ob illatas ſibi injurias addicit. Sed praedictionem hanc eſſe eorum, quae haud paullo poſt acciderunt, recte obſervavit Jo. Clericus *Comment. in Geneſ. p.* 72.

Obnoxiae ſervituti quidam jure ſeſe addicunt ob hebetudinem ingenii.

§. LXXVIII. Et de prioris quidem generis ſervitute nemo ſanus dubitaverit, quin rectae rationi aequitatique naturali non repugnet. At nec poſteriorem eſſe contra naturam, vel inde patet, quod experientia docet, eſſe homines indole tam ſervili praeditos, ut nec ſe familiamve regere, nec neceſſaria vitae praeſidia ſibi ſuiſque parare poſſint (*). Quum ergo unuſquiſque vitae genus, cui idoneus eſt, eligere teneatur, (Lib. I. §. CXLVII, 21. ſequ.) hi vero homines nulli alii vitae generi idonei ſint, quam ut aliis pro alimentis praeſtent operas: 7. nihil ſane faciunt contra officium, ſi ſeſe aliis in perpetuum hac conditione addicunt.

(*) Obſervaverat hoc Ariſtoteles, qui ideo quoſdam homines φύσει δούλους, natura ſervos eſſe, obſervaverat *Polit.* I, 3. *ſequ.* Quod quamvis recte refellat Puſendorffius *iur. nat. & gent.* III, 28. & VI, 3. 2. ſi ita accipiatur philoſophus, ac ſi ſtupidi illi homines ipſo actu prudentiorum ſervi ſint, vel quaſi his jus perfectum ſit, illos ſine alia cauſſa ſervitute opprimendi, quemadmodum Graeci ſibi huiuſmodi ius in barbaros videntur adrogaſſe: nihil tamen abſurdi ineſt huic ſententiae, ſi de indole ſervili, non de naturae conditione, intelligatur, uti illam intelligendam putavit Dan. Heinſius *in epiſt. ad Ge. Richterum*, apud Jan. Rutgerſ. *Var. Lect.* IV, 3. Sic ſane Aſiaticos homines ἐλευθέρους μὲν κακοὺς, δούλους δὲ ἀγαθούς, *liberos malos, ſervos optimos* eſſe, obſervaverat Ageſilaus. apud Plutarch. *apophth. Lacon. p.* 190.

Alii ob extremam paupertatem.

§. LXXIX. Praeterea alios, quantumvis haud ita ſtupidos, extrema paupertas calamitateſque vel publicae, vel privatae, ſubigere poſſunt, ut ſervire, quam fame perire, malint. Quum enim homo ad vitam conſervandam, evitandamque mortem ac deſtructionem, omnino ſit obligatus, (Lib. I. §. CXLIII. 9. ſequ.) & imminentibus morte vel ſervitute, ipſa recta ratio e duobus malis his phyſicis, id, quod minimum eſt, eligendum eſſe ſuadeat: *Elem. phil. mor.* §. *CLII.*, * 2.) ſequitur ſane, 8. ut ei, quem in hoc articulo fortuna deprehendit, non ſit vitio vertendum, ſi, nullo alio honeſto medio interitum evitandi ſeſe offerente, ſervituti ſeſe addicat (*).

(*) Sic ſane Regi ſeſe tamquam mancipia addicebant Aegyptii, ne diuturna fame conſumerentur, & beneficii loco habebant, quod Pharaoni ſervire liceret pro alimentis. Hinc, accepta ſervitutis lege, Joſepho reſpondebant: *Tu nobis vitam dediſti, gratiam apud dominum inveniamus, & ſimus Pharaonis ſervi.* *Geneſ.* XLVII, 25. Sic & Thracitas mulieres, ingenuae licet ortu, voluntaria tamen ſervitute victum ſibi apud Erythraeos quaeſiviſſe, auctor eſt Pauſanias *Lib.* VII. *Cap.* V. ut iam non dicam de Friſiis, de quibus Tacit. *Annal.* IV, 72. nec non de Gallis, de quibus Jul. Caeſ. *de bello Gall.* VI, 13.

Quidam bello capti hanc conditionem ſubeunt.

§. LXXX. Denique ſervorum numerum 9. in immenſum auxit bellorum furor. Quia enim hoſti in hoſtem omnia licent; licebat etiam hoſtes acie victos occidere. (Lib. I. §. CLXXXIII.) Quum vero, qui vel ſine adgreſſoris laeſione, vel laeviore malo illi repraeſentato, periculo defungi poteſt,

Digitized by Google

teſt, non debeat ad caedem temere provolare: (ibid. §. CLXXXI. 20.) non iniquum ſane eſt, 10. victorem ſervare victos, in captivitatem abducendos, ne noceant, &, ne gratis alantur, in ſervitutem detrudendos: nec 11. reprehendendi ſunt, qui ea lege vitam ſervare, quam perire, maluerunt (*). (*Elem. phil. mor.* §. *CLII.*, * 2.)

(* Vere ergo & haec ſocietas naſcitur ex conſenſu, quamvis non ultroneo, ſed vi iuſta extorto. (§. XVI. *) Vult enim victor victum ſervare, ſed ea lege, ut ſerviat. Victus vult ſervire, ut ſervetur. Nam ſi nollet, nihil impediret, quo minus in victoris arma irrueret. Duarum voluntatum conſpiratio eſt conſenſus. (Lib. I. §. CCCXCI.) Societas ergo inter dominum & mancipia bello capta ex conſenſu naſcitur.

Quidam ſervi naſcuntur.

§. LXXXI. Haec vero ſervitutis obnoxiae genera non potuerunt non aliud producere, in quod quis ipſa naſcendi ſorte detruditur. Quia enim ſervitutis obnoxiae fundamentum eſt dominium, juſto titulo adquiſitum, (§. LXXVII. *6.*) hos vero titulos omnes ſervos adquirendi juſtos eſſe, hactenus oſtendimus: (§. LXXVII. ſeq.) conſequens eſt, 12. ut hi omnes ſervi ancillaeve ſint in juſto dominio herorum. Quumque extra legitimum matrimonium, (quale inter quoſdam hujuſmodi ſervos vix locum habere poterat (*), partus ſequatur ventrem: (Lib. I. §. CCLII. 50.) non minus eſt, 13. partum ancillarum obnoxiarum, tamquam acceſſorium ventris, eamdem cum matre ſubiiſſe conditionem. Unde 14. ubique terrarum innotuit genus ſervorum, quod VERNARUM nomine apud Romanos veniſſe, novimus.

(*) Matrimonium eſt ſocietas ſimplex perſonarum diverſi ſexus, procreandae educandaeque ſobolis cauſſa inita. (§. XXVIII.) Qui in hunc finem conſentiunt, eorum in arbitrio & poteſtate eſſe oportet, ut illum eligant, mediaque ad eum obtinendum neceſſaria adhibeant. At ſervorum ancillarumque obnoxiarum in arbitrio poteſtateque non ſemper eſt potiſſimus finis, quomodo nimirum liberos commode educare velint, ſed ea res plane a dominorum voluntate pendet. Inter quoſdam ergo ſervos ancillaſque vix locus eſt legitimo matrimonio. Inter quoſdam tantum illi locum eſſe negamus, quos nimirum in eam conditionem fortuna detruſit, ut heri iis *Romanorum in morem deſcriptis per familiam miniſteriis utantur*. Ubi enim *ſuam quiſque ſedem*, *ſuos penates regit*, quod apud Germanos obſervavit Tacitus *de mor. Germ. Cap. XXV.* ibi facilius matrimonio locus eſt, ceu & hodie docet experientia. At quamvis & hominibus propriis Germanorum ſit jus connubii: manet tamen apud hos principium, quod ſervilis proles eiuſdem cum parentibus conditionis ſit, & quod partus ventrem ſequatur: niſi quod quibuſdam magis placet alterna vernarum partitio. (Lib. I. §. CCLII. *)

Poteſtas domini in ſervum mercenarium.

§. LXXXII. Poſitis vero his fundamentis, facile intelligitur, quaenam ſint in hac ſocietate dominorum ſervorumque officia, &, qualis dominorum in ſervos ancillaſque poteſtas ſit? Quod enim ad ſervos MERCENARIOS attinet, quum ii tantum ex locato obligentur: (§. LXXVII, 4.) per ſe patet, 15. domino in hos non aliam poteſtatem competere, quam ut operas, ſibi locatas, illis indicere, & 16. ex iis utilitatem capere, quin & 17. eos adigere poſſit, ut per tempus, quod initio placuit, ſerviant: non autem 18. domino licere alias, quam locatas, operas ab illis exigere, multoque minus 19. eos durius caſtigare, quamvis 20. ſi locationi non ſtet ſervus, eum dominus non modo mercede ejuſve parte mulctare, ſed & 21. inemendabilem abs ſe ſegregare omnino poſſit. (§. XXII. 70. ſequ.)

Domini ſervique hujuſmodi officia mutua.

§. LXXXIII. Quemadmodum ergo DOMINI eſt, 22. legi conductionis ſatisfacere, 23. a ſervo non niſi operas locatas exigere, 24. eique alimenta,

Digitized by Google

ta, qualia ejus ſortis hominibus conveniunt, ſufficienter praebere, denique 25. mercedem promiſſam non denegare (*): ita & SERVUS hujuſmodi 26. domino, tamquam ſuperiori, ad reverentiam & obſequium; 27. tamquam conductori ad operas conventas praeſtandas; denique 28. tamquam ſocio ad ejus utilitatem bona fide promovendam eſt obligatus.

(*) At nec alimenta, nec merces debentur, ſi ſervi culpa, vel caſu, contingat, ut operae locatae non praeſtentur. (Lib. I. §. CCCLXI, 150.) Hinc quamvis laudanda ſit humanitas domini, ſervum mercenarium, etiam aegrotantem, alentis: non tamen, quod iubet humanitas, illico iure perfecto poteſt exigi. Contra iniquitas maxima eſt domini, mercedem, praeſtitis operis, ſervo denegantis, vel eam contra leges contractus pro lubitu mutantis, quod decies feciſſe Labanem, conqueritur Jacobus. *Geneſ.* XXXI, 7. Quod adeo Deo iuſtiſſimo diſplicuiſſe novimus, ut auferret Labani opes, easque in Jacobum transferret. *Geneſ.* XXXI, 9.

§. LXXXIV. Servos obnoxios in dominio eſſe diximus (§. LXXVII. *6.*) Quum ergo domino ſit libera de re ſua diſpoſitio: (Lib. I. §. CCCVI.) conſequens eſt, 29. ut dominus ſervo quaſcumque operas, quibus praeſtandis par eſt, imponere, 30. ex eo omnem utilitatem capere, 31. ejus quoque liberos ſibi vindicare, & 32. ipſum vendere, 33. aliiſque quibuſvis titulis alienare poſſit, niſi forte 34. ſervus, qui ſe ultro addixit domino, eam legem adjecerit, ne extra familiam, cui ſeſe addixit, alienetur. Quod 35. & de jure vitae & necis videtur dicendum, quod domino in hos ſervos competere poſſe, nemo negaverit, (Lib. I. §. CCCVIII. 8.) niſi vel conventio, vel lex obſtet. Multo magis ergo 36. hujuſmodi ſervus, prout res exigit, caſtigari & coerceri poterit, dummodo 37. meminerit dominus, eum hominem, ſibique natura aequalem eſſe, (*) (Lib. I. §. CLXXVII. 5.)

Poteſtas domini in ſervum obnoxium, ratione liberae de eo diſpoſitionis.

(*) Quamvis enim fieri poſſit, ut dominus ſervo ſit perfectior, nec negari poſſit, eum ſervo eſſe ſuperiorem: illa tamen perfectionum ſtatuique diverſitas nihil mutat circa hominis eſſentiam, ſed ſervus aeque homo eſt, ac dominus. (Lib. I. §. CLXXVII, 5.) Parum ergo humana eſt jureconſultorum vox, ſervo non fieri injuriam, *l.* 15. §. 35. *D. de injur.* Immo immanis plane illa dominae apud Juvenal. *Sat.* VI. *v.* 223.

O demens, ita ſervus homo eſt? Nil fecerit: eſto,
Sic volo, ſic jubeo, ſtet pro ratione voluntas.

Non excuſatius ergo peccat, qui ſervum, quam qui liberum hominem, injuria laedit.

§. LXXXV. Quumque domino & poſſeſſio rerum ſuarum, & jus illas a quocumque vindicandi competat: (Lib. I. §. CCCVI. 2. & 3.) ex eo ſequitur, 38. ut poſſit ſe in poſſeſſione ſervi ancillaeve quovis modo tueri, &, 39. ſive fuga eos aliquo abſtulerit, ſive 40. ab alio injuſto ſurrepti ſint, a quocumque poſſeſſore cum acceſſionibus fructibuſque pro qualitate poſſeſſionis vindicare, quin 41. priore caſu receptum fugitivum punire pro merito, & 42. ne in poſterum idem capiat conſilium, quovis licito modo prohibere: (*) niſi 43. illi dominii effectus alicubi in civitatibus lege reſtringantur. (Lib. I. §. CCCXVII.)

Ratione poſſeſſionis & vindicationis.

(*) Hinc compedes, ergaſtula, carceres domeſtici, & alia media, quae vel neceſſitas reperit, vel dominorum, omnia ſibi in ſervilia corpora permittentium, truculentia. Quamvis vero & hic habenda ſit aequitatis humanitatiſque ratio: (§. LXXIV, 37.) ipſum tamen jus coercendi non adimendum eſt dominis, maxime in ſervos bello captos, partim, quod fugam anhelant, omnemque ad ſuos revertendi occaſionem ſpeculantur, neque id illis adeo vitio verti poteſt, ceu recte vidit Lorarius apud Plaut. *Captiv.* II, 1. *v.* 14.

LO.

Digitized by Google

LO. *At fugam fingitis*. Sentio, *quam rem agitis*.
CAP. *Nos fugiamus? quo fugiamus?*
LO. *in patriam*. CAP. *apage! haud nos id deceat*,
Fugitivos imitari. LO. *Immo, aedepol, ſi erit occaſio, non dehortor*.

Partim, quod adhuc ſpirare videntur hoſtilem animum, adeo, ut de his ſervis vel maxime verum ſit illud Senecae *Epiſt.* XLVII. & Feſti *in voce: quot ſervi. Totidem quemque domi hoſtes habere, quot ſervos.*

Officia dominorum erga ſervos huiuſmodi.

§. LXXXVI. Praeterea jam haud difficile fuerit, de mutuis dominorum ſervorumque hujus generis OFFICIIS judicare. Quia enim ſervus obnoxius eſt in dominio, (§. LXXVII. *6.*) ac proinde herus ex eo omnem utilitatem capit, (§. LXXXIV. 30.) adeoque ille nihil habet proprii: conſequens eſt, 44. ut dominus obligatus ſit ad alendum ſervum, 45. eaque obligatio non ceſſet, ſi vel maxime ſervus operas praeſtare nequeat (*). Et quandoquidem praeterea ſervus, quod ad naturam attinet, domino eſt aequalis: (§. LXXXIV. *) facile intelligitur, *46.* & peccare dominum, ſi ſervum injuria laedat, & 47. maximam humanitatis laudem ferre, ſi beneficiis potius, quam truculentia, eum ſibi reddat obſequentiorem.

(*) MERCENARIUS SERVUS praeter alimenta & mercedem accipit, (§. LXXXIII, 25.) adeoque habet, unde ſe alat, ſi morbo aliove caſu impeditus operas praeſtare non poſſit. Quum ergo dominus illum alere non teneatur, niſi ex locato: (§. LXXVII, 4.) operas non praeſtantem alere obligatione perfecta non tenetur (§. LXXXIII. *) In SERVO vero OBNOXIO omnia ſe aliter habent. Hic enim non ob operas praeſtitas alitur, ſed quia in heri dominio eſt, & quia nec mercedem accipit, nec quidquam aliud proprium habet. Quumque & extraneo, ipſique hoſti, ſubvenire nos jubeat miſericordia & humanitas: (Lib. I. §. CCXIX, *16.*) qua fronte ſervo noſtro aegrotanti denegaremus alimenta, qui vires corporis nobis inſerviendo detrivit? Hinc recte Claudius Imp. libertate donavit ſervos, qui aegrotantes expoſiti fuerant a dominis, Sueton. *Claud. Cap.* XXV, *l. 2. D. qui ſine manum.*

Servorumque erga dominos.

§. LXXXVII. Quumque tot jura domini totidem OFFICIA SERVORUM tamquam correlata, ponant: (Lib. I. §. VII.) ſequitur, 48. ut ſervitus obnoxia ſervum ad quaſcumque operas, 49. utilitatemque domini pro virili promovendam, 50. diſpoſitionem ejus de ſe ſuiſque, immo & 51. caſtigationem & coercitionem patienter ferendam obliget. 52. Ut contra officium faciat ſervus, ſi ſe ſubducat domino, & furtum ſui ipſius admittat, quum potius 53. manumiſſionem fide ac liberali ſervitute mereri, ſeque dignum tanto beneficio praeſtare deberet.

Servitus utraque quomodo finiatur.

§. LXXXVIII. Ex his omnibus porro intelligitur, quomodo finiatur herilis illa ſocietas. MERCENARIA enim ſervitus, quum contractu locationis nitatur: 54. iiſdem modis, quibus locatio conductio, & 55. in primis elapſo tempore, in quod quis operas locavit, ſolvitur. OBNOXIA 56. manumiſſione potiſſimum definit. Quum enim quiſque ſe dominio rerum ſuarum abdicare vel eas derelinquere poſſit: (Lib. I. §. CCCIX. 11.) nullum eſt dubium, quin eidem liceat dominio in ſervum ſuum renunciare, quam renunciationem veteres MANUMISSIONEM vocarunt. Praeterea, quum renunciatio ſit ſpecies alienationis; in re vero alienanda dominus ſibi aliquid excipere & reſervare poſſit: (Lib. I. §. CCLXXVIII, 41.) 57. manumiſſionem quoque qualibuſcumque honeſtis legibus ac conditionibus fieri poſſe, palam eſt (*).

*) Ita veteres Romani a ſervis manumittendis ſibi ſtipulabantur operas fabriles, dona & munera, *l. 3. pr. l. 5. l. 7. §. 3. D. de oper. libert.* Et maxime majores noſtri, manumittentes ſervos, ſibi pleraque, quae ipſi ſervi, vel homines proprii

dominis praeſtare ſoliti erant, reſervabant, adeo, ut, ſi ab adſcriptitia conditione diſceſſeris, vix ullum diſcrimen inter ſervos & libertinos intercedere videretur. Atque inde eſt, quod Tacit. *de mor. Germ. Cap. XXV.* ſcribit, *libertos Germanorum non multum ſupra ſervos eſſe.*

§. LXXXIX. Quicumque, quum antea juſtam ſervitutem ſervirent, a dominis manumittuntur, LIBERTINI, & manumittentis LIBERTI vocantur. Quum ergo hi ſummum, quod dari poterat, beneficium debeant manumittenti, unuſquiſque vero ad eum, a quo beneficiis ornatus eſt, amandum obſtrictus ſit: (Lib. I. §. CCXXVI. 37.) 58. ingratiſſimi mortalium eſſent liberti, niſi patronos, tanti muneris auctores, venerarentur perpetuo, & 59. non modo ea omnia, quae ſibi hi ſtipulati ſunt, bona fide praeſtarent. (§. LXXXVIII. 57.) ſed & 60. viciſſim illos omni officiorum beneficiorumque genere proſequerentur, vel, 61. ſi deſint vires, ſaltim gratum animum quavis ratione oſtenderent. (*) (Lib. I. §. CCXXVIII. 47.) Quid libertus ejuſque officia.

(*) Libertatem, datam ſervis, pro maximo beneficio imputabant veteres. Simo Terentianus *Andr. I, 1. v. 10.*

Feci, e ſervo ut eſſes libertus mibi,
Propterea, quod ſerviebas liberaliter:
Quod babui, ſummum pretium perſolvi tibi.

Efficiebat enim hoc beneficio patronus, ut ſervus ex re fieret perſona: adeoque loco patris eſſet liberto, qui ideo ejus nomen perinde, ac filius, adſumebat. Lactant. *div. inſt.* IV, 3. Hinc & egenti patrono alimenta non ſecus, ac filius, debebat, *l. 5. §. 18. ſequ. l. 9. D. de agnoſc. & alend. lib.* Et quemadmodum filius, quamvis alias imperfecta ſit ad gratum animum obligatio, tamen patris beneficia beneficiis penſare, eique alimenta ſufficere cogebatur: ita & libertus cogebatur, qui praeterea ob ingratitudinem praegnantem in ſervitutem poterat revocari, §. 1. *Inſt. de cap. deminut. l. un. C. de ingrat. lib.*

CAPUT V.

DE SOCIETATE COMPOSITA, QUAM FAMILIAM VOCAMUS, OFFICIISQUE IN ILLA OBSERVANDIS.

§. XC.

QUemadmodum ipſas ſocietates minores ſimplicioreſque in magis COMPOSITAS coaleſcere poſſe, obſervavimus: (§. XVIII. 30.) ita ejus rei exemplum praebent ſocietates hactenus recenſitae. Quoties enim illae in majorem ſocietatem conſentiunt, naſcitur inde FAMILIA, quae eſt ſocietas, ex conjugali, paterna atque herili compoſita (*). Unde conjuges, parentes, & domini dominaeque ratione hujus ſocietatis PATRESFAMILIAS & MATRESFAMILIAS, liberi FILII FILIAEVE FAMILIAS; ſervi & ancillae SERVI SERVAEVE FAMILIARES adpellantur. Quid familia?

(*) Eodem fere cedit definitio Ulpiani, *l. 195. §. 2. D. de verb. ſignif. Jure proprio* FAMILIAM *dicimus plures perſonas, quae ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut jure ſubjectae, ut puta patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum ſequuntur, ut puta nepotes, & neptes, & deinceps.* Attamen nos paullo latius accipimus vocabulum. Quum enim jureconſultus eo conjuges tantum, parentes, & liberos cujuſcumque gradus, comprehendat; nos & ſervos ancillaſque familiae partem eſſe cenſemus, quos & ipſe paullo poſt familiae nomine venire, obſervat §. 3. *Servitium quoque ſolemus vocare* FAMILIAS. Alias veteribus FAMILIA proprie fuit ſervitium, quaſi *famulia*, ceu ex inſtituto oſtendit Claud. Salmaſ. *Exercit. Plin. p. 1263.* Parentes vero & liberi

Digitized by Google

DOMUS vocabulo denotabantur : veluti apud Apuleium *Apolog. p. 336. edit. Gen. Elmenhorſtii* : *Ipſe* DOMI *tuae rector*, *ipſe* FAMILIAE *dominus* . Nobis ergo FAMILIA eſto, quidquid veteres *domum* & *familiam* vocabant.

Quem penes ſit in hac ſocietate directio.

§. XCI. Quum vero, quo major eſt ſocietas, eo minus fieri poſſit, ut tanta ſociorum multitudo media neceſſaria communi conſenſu ac ſuffragio inveniat : (§. XIX. 57.) nemo non videt, 1. hanc ſocietatem debere eſſe inaequalem & rectoriam, adeoque 2. uni ex his ſociis merito deferendam eſſe poteſtatem, reliquorum actiones ad ſocietatis illius finem dirigendi. Quumque patrifamilias & tamquam marito poteſtas quaedam competat in uxorem, (§. XLV. ſequ.) & ejus, tamquam patris, imperium in dubio materno praevaleat, (§. LIV. 14.) & denique ejuſdem, tamquam domini, indubium ſit imperium in ſervos cujuſcumque generis : (§. LXXXII. & LXXXIV.) fieri non poteſt, 3. quin poteſtatem actiones totius familiae ad ſocietatis hujus finem derigendi PATRIFAMILIAS vindicemus (*), at ita tamen, 4. ut MATERFAMILIAS, tamquam utriuſque fortunae ſocia, illum ope ac conſilio juvare omnino teneatur. (§. XLIII. 53.)

(*) Enimvero id quoque intelligendum eſt de eo, quod fit regulariter. Alias enim id aliquando aliter ſe habere, jam ſupra oſtendimus (§. XLVII.) Quis enim negaverit, Reginam, quae cui extraneo nupſit, eſſe caput familiae ſuae, maritique tunc non alias partes eſſe, quam quae regulariter uxoris eſſe ſolent, nempe, ut ope & conſilio reginae uxori adſit? Docent id exempla, quorum recens adhuc memoria eſt,

Finis hujus ſocietatis in ſtatu naturali & civili.

§. XCII. Ceterum hujuſmodi familia vel in ſtatu naturali vivit, nulli mortalium obnoxia, (§. VI.) vel cum aliis in civitatem coaluit. Priore caſu finis hujus ſocietatis non modo fuit rerum, ad vitam commode tolerandam neceſſariarum, adquiſitio, verum etiam mutua adverſus omnes hoſtes defenſio : ac proinde 5. eatenus recte rationes ſubduxerunt ii, qui hujuſmodi familiam minoris cujuſdam civitatis ſpeciem prae ſe ferre exiſtimant (*). Poſteriore, quia ſingulae familiae adverſus concivium injurias judicum auxilio ; adverſus communes hoſtes reipublicae viribus tutae ſunt, non alius finis eſſe poteſt hujus domeſticae ſocietatis, quam adquiſitio rerum, ad ſuſtentandam beatioremque reddendam familiam neceſſariarum.

(*) Ita vero rationes ſubduxit Ariſtotel. *Polit.* III, 6. ubi fatetur, *patresfamilias ſingulos ſegreges uti* τῇ ἰδίᾳ οἰκίᾳ, ὥσπερ πόλει, *domo ſua, tamquam civitate, & ſibi ipſis, tamquam ſi ſocii bellorum eſſent, auxilium ferre contra injuriam inferentes*. Nec aliter fere philoſophatus eſt Hobbeſ. *Leviath. Cap. XX.* Quamvis vero proprie haec non ſit civitas, ceu ipſe paullo poſt fatetur Ariſtoteles, οὐδ' οὕτως ἂν εἶναι δόξειεν πόλις τοῖς ἀκριβῶς θεωροῦσιν. *Ne ſic quidem eſſe videretur civitas accurate rem contemplantibus* : civitati tamen ſimillima eſt hujuſmodi familia quin ſaepe, ubi in magnam hominum multitudinem excreverit, eam in civitatem vel rempublicam evaſiſſe, tradit Plato *in Politico*, *ſeu de regno Tomo II. Op. edit. Serrani.*

Poteſtas patrisfamilias in ſtatu naturali.

§. XCIII. Quum ergo in ſtatu naturali finis hujus domeſticae ſocietatis non ſolum ſit rerum neceſſarium adquiſitio, verum etiam defenſio adverſus aliorum injurias : (§. XCII.) conſequens eſt, 6. ut paterfamilas omnia jura, ſine quibus hic finis obtineri non poſſet, exercere, adeoque 7. eo modo rem familiarem, prout id commodiſſimum videtur, inſtituere, & 8. quid cuique in familia curandum adminiſtrandumque ſit, praecipere, & quemque 9. ad rationes reddendas compellere, verum etiam 10. omnia principis jura in familia ſua exercere, 11. leges ferre, 12. ſupplicia a ſontibus

tibus ſumere, 13. foedera cum aliis pangere, quin 14. & bellum gerere, 15. pacemque facere cum hoſtibus poſſit (*).

(*) Exemplo erunt Abraamus, Iſaacus, Jacobus, qui tamquam principes familiarum ſegregum, omnia haec majeſtatis jura exercuerunt. Sic Abraamus, Lotho ab hoſtibus abducto, cum regibus victoribus juſtum bellum geſſit, junctis ſibi aliorum patrumfamilias foederatorum auxiliis. *Geneſ.* XIV, 14. *ſequ.* & 24. Idem foedus iniit cum Abimelecho, *Geneſ.* XXI, 22. quod deinde renovavit Iſaacus, *Geneſ.* XXVI, 26. *ſequ.* Sed & Jacobus eodem exemplo cum Labano foedus percuſſit, *Geneſ.* XXXI, 44. *ſequ.* ejuſque familia bellum, licet injuſtum, intulit Chamori, ejuſque filio, Sichemo. *Gen.* XXXIV, 25. Sed & legem de Diis peregrinis amovendis familiae fert Jacobus. *Gen.* XXXV, 2. Judas vero, ejus filius, nurum ad vivicomburii ſupplicium damnat. *Gen.* XXXVIII, 24. 25. Quorum non ignarus Nicolaus Damaſcenus *Excerpt. Peireſc.* p.490. Ἀβράμης ἘΒΑΣΊΛΕΥΣΕ Δαμασκοῦ, ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς, τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης. *Abraamus* REGNAVIT *apud Damaſcum, advena, utpote qui cum exercitu venerit e regione ſuper Babylonem, quae Chaldaeorum dicitur.* Et Juſtin. XXXVI, 2. *Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Iſrahel* REGES *fuere.*

§. XCIV. Contra ea quum familiae, quae cum aliis in civitatem coaluit, non alius finis eſſe poſſit, quam rerum neceſſariarum adquiſitio: (§. XCII.) facile patet, 16. tam eminentia jura hic non competere patribuſfamilias, ſed 17. ea tantum, ſine quibus res neceſſarias adquirere non poſſet familia, quaeque paullo ante (§. XCIII, 6. 7. 8. 9.) deſcripſimus; immo 18. hic etiam matrisfamilias aliquas partes eſſe, quum 19. ad ea jura, quae patrifamilias, tamquam familiae ſuae principi, competunt, eam vix concurrere patiatur verecundia ſexus, patriſqueſamilias prae illa eminentia.

Itemque in ſtatu civili.

§. XCV. Quandoquidem vero porro in ſocietatibus compoſitis ſimplicium vel minorum utilitas majorum fini non debet repugnare: (§. XXIV, 75.) facile patet, 20. ſocietates, conjugalem, paternam, & herilem, ita comparatas eſſe oportere, ut ne fini utilitatique totius familiae ſint impedimento (*), adeoque 21. hinc officia quaedam naſci, ſocietati huic compoſitae propria, quorum alia PATERFAMILIAS & MATERFAMILIAS ſibi invicem; alia UTERQUE reliquis familiae membris; alia haec familiae membra patri matriqueſamilias; alia denique HAEC ipſa ſibi invicem praeſtare tenentur. Cel. Wolff. *de vita ſociali hom.* §. CXCIV.

Simplices ſocietates huic compoſitae non debent eſſe impedimento.

(*) Quia enim unus homo hic plures perſonas ſuſtinet, (§. LXIII. *) idemque e. g. & patrisfamilias & domini, & patris, & mariti officio fungitur: diverſa etiam ſunt ejuſdem jura diverſaeque obligationes. Quum vero ex omnibus his ſtatibus compoſita ſit ſocietas, quam FAMILIAM vocamus: has diverſas obligationes tales eſſe oportet, ut una conſiſtere poſſint. At conſiſtere non poſſunt, quae ſibi invicem repugnant. Non ergo diverſae obligationes debent ſibi invicem repugnare.

§. XCVI. Quum ergo in hac ſocietate primae ſint partes patrisfamilias, (§. XCI, 3.) ſed ita tamen, ut materſamilias eum ope & conſilio juvare teneatur: (ibid. n. 4.) ſequitur, 22. ut PATERSFAMILIAS ſit, praecipere, quid facto opus ſit, 23. familiam univerſam, & ſingula ejus membra, prout cujuſque conditio exigit, alere, 24. eos, qui quid adverſus familiae decus communemque utilitatemque admittunt, pro eo, ac ſocietatis ſimplicioris jura id permittunt, coercere, 25. matrisfam. dignitatem auctoritatemque tueri: HUJUS vero, 26. dare operam, ut a liberis ſerviſque omnia ex praeſcripto fiant (*), 27. abſente marito ejus vice fungi, denique 28. ob-

Officia patris matriſque familias, tum mutua, tum erga familiam.

obſequii & venerationis exemplum praebere univerſae familiae; tanto majorem in domo habitura auctoritatem, quo magis mariti auctoritatem tueri atque amplificare ſtuduerit.

(*) Socrates apud Xenophont. *Occon.* Cap. III. §. XV. Νομίζω δὲ γυναῖκα κοινωνὸν ἀγαθὴν οἴκου οὖσαν, πάνυ ἀντίῤῥοπον εἶναι τῷ ἀνδρὶ ἐπὶ τὸ ἀγαθόν, ἔρχεται μὲν γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν διὰ τῶν τοῦ ἀνδρὸς πράξεων τὰ κτήματα, ὡς ἐπιτοπολὺ, δαπανᾶται διὰ τῶν τῆς γυναικὸς ταμιευμάτων τὰ πλεῖστα, καὶ εὖ μὲν τούτων γιγνομένων, αὔξονται μὲν οἶκοι, κακῶς δὲ τούτων πραττομένων, οἱ οἶκοι μειοῦνται. *Exiſtimo autem, uxorem, quae in domo bona ſit ſocia, tantumdem habere momenti ad utriuſque utilitatem, quantum vir habeat. Nam plerumque viri opera facultates in domum veniunt, & maxima pars earum, uxore promente, conſumitur. Quae quidem ſi recte fiant, amplificantur domus; ſin male, deminuuntur.*

Officia utriuſque ratione ſocietatum ſimpliciorum.

§. XCVII. Quumque ita temperandae ſint ſocietates ſimpliciores, ne univerſae familiae utilitati impedimento ſint: (§. XCV, 20.) facile patet, 28. contra officium facere patremfamilias, ſi matremfam. officio ſuo in educandis liberis functuram, impediat: 29. multoque minus hanc eſſe excuſandam, ſi liberos parum morigeros indulgentia ſua reddat deteriores: denique 30. utroſque peccare, ſi diſcordia ſua efficiant, ut liberi parentum vel incuria, vel exemplo, corrumpantur. Similiter inde intelligitur, 31. male ſe habere ſocietatem domeſticam, ſi ſervorum ancillarumque curae permittantur liberi, vel 32. cum his verſentur pro lubitu (*), vel 33. ſervi ancillaeque heris minoribus conſilium auxiliumque ad quaevis vitia impune praeſtare, vel 34. liberi hos atrocius tractare poſſint.

(*) Quum enim plerique ſervi ancillaeque ex faece hominum, ac proinde male educati ſint: fieri non poteſt, quin liberi eorum exemplo corrumpantur. Immo aliquando adſentari eos videas liberis, & auxilio eſſe ad quaevis nefanda, quales plerique ſervuli a Plauto & Terentio in ſcena fictuntur. Prudenter Plutarchus *de inſtit. lib. p. 4.* commendat proverbium, ὅτι ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ, *ſi cum claudo habites, fore, ut ſubclaudicare diſcas*. Ex quo colligit, *pluſquam ridiculum eſſe, quod pleriſque uſu veniat, parentes, quum, ſervorum quos habeant, probos, alios agriculturae, alios rei nauticae, alios mercaturae, alios adminiſtrationi rei familiaris, alios uſurae exercendae adhibere: ſi quod vero inveniant mancipium ebrioſum ac gulae deditum, & ad omnia inutile negotia, id eos liberis praeficere.* Perinde vero eſſe, patet, ſive liberis praeficiantur malae frugis homines, ſive parentes eos cum illis familiariter verſari patiantur.

In familia bene conſtituta omnia redeunt ad ordinem.

§. XCVIII. Ex eodem patet, 35. rem omnem redire ad ordinem, in univerſa familia cum cura ſervandum. Quum vero tunc omnia ORDINE fieri dicantur, ſi omnia fiant, iis obſervatis circumſtantiis, quas negotii indoles exigit: conſequens eſt, 36. ut ſingulis in familia certa munia deleganda, ab iiſque 37. penſum ſevere exigendum, quin 38. ſinguli ita adſuefaciendi ſint, ut partes ſuas non modo ea, qua par eſt, cura ac diligentia, verum etiam 39. juſto tempore, 40. locoque, quo decet, exſequantur, denique, 41. ut quodlibet inſtrumentum & quaelibet ſuppellex non modo nitida & integra ſit, ſed & 42. eo loco, quo oportet, reperiatur (*).

(*) Omnia haec ex inſtituto demonſtravit Xenophon in aureo *Oeconomici* libello, ubi ſiſtit Iſchomachum, de recta rem familiarem adminiſtrandi ratione cum uxore ſermocinantem, & *Cap.* VIII. hanc facientem cogitationum ſuarum ſummam, quemadmodum in choro, exercitu, nave, ita & in ſocietate domeſtica, primum, ſecundum, ultimum eſſe ORDINEM, ejus vero perturbationem evertere omnia, quin & maximum rerum pretioſiſſimarum adparatum inutilem reddere. Quo in primis pertinent, quae §. VIII. differit: Ἡ δ' ἀταξία ὅμοιόν τι μοὶ δοκεῖ εἶναι, οἷον εἰ γεωργὸς ὁμοῦ ἐμβάλλοι κριθὰς, καὶ πυροὺς, καὶ ὄσπρια, κἄπειτα, ὁπότε δέοι ἢ μάζης, ἢ ἄρτου, ἢ ὄψου

ἢ ὄψου διαλέγειν δέοι αὐτῷ, ἀντὶ τοῦ λαβόντα διατεταγμένοις χρῆσθαι. *Ordinis autem perturbatio quaedam mihi ſimile videtur eſſe, ac ſi agricola eodem loco conjiciat hordeum, triticum, legumina. Deinde, ſi vel offa, vel pane, vel obſonio ſit opus, neceſſe ſit eum ſingula ſeligere, pro eo, quod jam ſecreta ſumere ad uſum debebat.*

§. XCIX. Denique ex his omnibus, quae totius FAMILIAE officia ſint, facile intelligitur. Quum enim omnes a patrefamilias exſpectent alimenta, conditione ſua digna: (§. XCVI, 23.) conſequens eſt, 42. ut omnia ad utilitatem ejus referre, 43. quiſque, quod ſibi delegatum eſt, diligenter curare, 44. patri matrique familias reverentiam & obſequium praeſtare, &, 45. quod primum ac praecipuum erat, nihil agere debeant, quod vel conjugum concordiam turbare, vel educationi liberorum impedimentum objicere, vel lucrum, quod ex ſervorum operis jure exſpectare poterat paterfamilias, intervertere poſſit. Officia inferiorum membrorum familiae.

C A P U T VI.

DE SOCIETATIS CIVILIS ORIGINE, FORMA ET ADFECTIONIBUS.

§. C.

Quamvis ſocietates, quas adhuc deſcripſimus, ſufficere potuiſſe videantur hominibus ad vitam bene beateque tranſigendam: fuit tamen hominibus ratio conſultiſſima, cur in maximas illas ſocietates, quas CIVITATES vel RESPUBLICAS vocamus, coaleſcere mallent, conſenſuque tam communi hunc ſtatum civilem praeferrent naturali, ut vix ullam hodie reperias gentem tam barbaram, apud quam non aliquod ſaltim civitatis vel reipublicae ſimulacrum reperias (*). Status civilis fere omnibus gentibus placuit.

(*) Teſtes ſunt ii, qui terras olim ignotas tum ſeptentrionales, tum Americanas, luſtrarunt, & pleraſque in iis gentes vel regi cuidam parere, vel communi conſilio de negotiis publicis decernere animadverterunt. Quae enim quidam auctores de Cafris, populiſque in monte Caucaſo habitantibus, immo & inſulanis quibuſdam Americanis narrant, (Vid. Hert. *Elem. prud. civ.* I, 1. *p.* 45. Becmann. *Hiſt. geogr.* IX. 8.) ea ita ſunt comparata, ut parum explorata retuliſſe videantur, nulla ibi imperia eſſe ſuſpicati, ubi non viderent palatia regia, ſatellitia, aulaeque ſplendorem. Sane Cafros Petrus Kolbius, qui diutius in illo Africae angulo commoratus eſt, deſcriptos eſſe ait in XVII. nationes, quarum ſingulis praeſit princeps, quem *Kouqui* vocent, quemadmodum ſingulis pagis, quos *Kralle* adpellitent, aliquis praefici ſoleat, quem penes & jus ſit, delinquentes puniendi. Addit, de negotiis publicis omnes pagorum praefectos conſulere in medium, praeſide principe nationis, qui & exercitui praeeſſe ſoleat. Vereor, ne aeque falſa ſint, quae de Aboriginibus & Gaetulis refert Salluſt. Catil. *Cap.* VI. & *Jugurth. Cap.* XVII. de Numidis Strabo *Geogr. Lib. XVII. p.* 1191. *edit. nov.* de Bebricis Valer. Flacc. *Argonaut. Lib.* IV. *v.* 102. de Troglodytis Plin. *Hiſt. nat. V*, 8. de Siculis denique Homer. *Odyſſ. Lib. decimo v.* 112. ubi & ſtatum illum naturalem ita elegantiſſime deſcribit.

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες.
Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι· θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων· οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Nec fora conciliis fervent, nec judice: tantum
Antra colunt umbroſa; aliiſque in montibus aedes
Quiſque ſuis regit uxorem natoſque, nec ulli
In commune vacat ſocias extendere curas.

§. CI. Quamvis vero permulti ſint, qui de civitatum rerumpublicarum origine ſolliciti, rerum plurium indigentiam homines ad ſocietates civiles incun- An ob rerum indigentiam?

Digitized by Google

ineundas impuliſſe, cenſeant: Plato *de rep. Lib. II.* vel ideo tamen id minus opinabile eſt, primo, quod civitatis veſtigium jam *Geneſ. IV*, 17. exſtat, (§. XIII. *) quum nondum ea hominum multitudo impleſſet mundum, ut adeo magna eſſe potuerit rerum neceſſariarum indigentia: deinde: quod nihil obſtitit, quo minus & extra civitates locus eſſet commercus, (§. XI, 30.) denique, quod multo major rerum omnium indigentia fuit, ex quo, inſtitutis civitatibus, luxus & libido gliſcere coepit (*).

(*) Sic Abraamum, Iſaacum, Jacobum, quos aliquamdiu extra ſocietatem vixiſſe diximus, (§. XCIII.) quamvis non niſi agriculturae & rei pecuariae darent operam, commode tamen & ſuaviter vixiſſe, maximaſque opes adquiſiviſſe, nullaque re indiguiſſe, animadvertimus. *Geneſ.* XXIV, 35. XXXIII, 11. Et ſane quum ſatis mature familiae etiam ſegreges agros colere, vites plantare, quin & aurum, argentumve noſſe, arteſque utiliſſimas invenire coeperint: *Geneſ.* XIII, 2. XXIV, 35. quid deſiderare ultra potuiſſent magnopere homines, etiam extra civitates viventes, ſi luxus abfuiſſet?

An ob vitae elegantiam cultumque morum?

§. CII. Deinde, elegantia vitae morumque cultus homines priſcae frugalitatis vix potuit ſubigere, ut libertati naturali ſtatum civilem praeferrent. Praeterquam enim, quod illa morum elegantia plerumque vanitatem ſapit, & adfectatum adulandi ſtudium fere pro morum cultu venditatur: (§. XII. *) nihil etiam impedit, quo minus & homines, in ſtatu naturali viventes, & rationem excolere, & morem ad elegantiam componere poſſint. Quin exempla Abraami, Iſaaci, & Jacobi, qui cum familiis ſuis ſuas ſibi res ſolis habebant, nec in ſocietatem civilem coaluerant, denuo docent, & in naturali ſtatu viventes homines omnem barbariem deterſiſſe moribus, & decori fuiſſe obſervantiſſimos (*).

(*) Argumento eſſe poteſt morata Abraami oratio ad Melchiſedecum: *Geneſ.* XIV, 22. *ſequ.* ejuſdem inſignis humanitas in excipiendis hoſpitibus: *Gen.* XVIII, 2. *ſequ.* colloquium ejuſdem plane inſigne cum filiis Cheth. *Geneſ.* XXIII, 7. *ſequ.* Quin & ſervos ita inſtituiſſe Abraamum, ut decori morumque elegantiae eſſent ſtudioſiſſimi, vel illa Eleaſaris legatio ad Nachorem probat. *Geneſ.* XXIV. 22. *ſequ.* Nec barbarorum hominum eſt ille Jacobi, ex Meſopotamia redeuntis, cum Eſavo congreſſus, quando fratres inter ſe velut certabant non modo verbis humaniſſimis, ſed & donis, aliiſque amoris ſignificationibus. Si porro verum eſt, quod tradit Joſephus *Antiqu. Jud.* I, 9. Abraamum fuiſſe non modo arithmetices, verum etiam τὰ οὐράνια ἐμπειρον, *ſideralis ſcientiae peritum*, nec non, quod alii addunt, ὀνειροκριτικὴν in familia ejus magnopere excultam ac ad ſummam paene perfectionem perductam eſſe: Vid. Suid. *voce* Ἀβραάμ. Juſtinus *Hiſtor.* XXXVI, 2. nemo dubitaverit, quin artium ac ſcientiarum culturae etiam in ſtatu naturali fuerit locus, neque ideo in civitates fuerit diſcedendum.

An utilitatis juſtitiaeque fruendae cauſſa?

§. CIII. Tales & reliquae cauſſae ſunt, ob quas in civitates coaluiſſe homines, exiſtimant. Nam quod alii juſtitiae fruendae cauſſa, Heſiod. *Theogon. v.* 87. alii τῶ συμφέροντος χάριν, *utilitatis cauſſa*, Ariſtot. *Ethic. VIII*, 11. alii denique veluti idem Ariſtot. *I*, 1. & 2. incitante natura, conſtitutas eſſe civitates, exiſtimant: id omne ita comparatum eſſe, arbitramur, ut quidem aliquid ex vero trahat, nec tamen ἀμέσως impuliſſe videatur homines, ad ſtatum libertatis aequalitatiſque cum civili commutandum (*).

(*) Quid enim obſtitiſſet, quo minus & patresfamilias ſegreges jus dicerent familiis? (§. XCIII, 11. 12.) Deinde cur non ad utilitatem ſuffeciſſe dicamus ſocietates ſimpliciores, maxime quum liberum cuique eſſet, adquirere, quidquid vellet, & contra plane ceſſarent vectigalia, tributa, aliaque munera perſonalia ac patrimonialia, quae nunc ſaepe civium facultates exhauriunt? Et ſane ſi natura a ſolitu-

litudine abhorret, eumque ſtatum tamquam miſerrimum depinxit Pufendorffius: an Abraamum vixiſſe in ſolitudine credimus, quem praeter uxorem, pellicem, & utriuſque liberos tam numeroſa ſervorum caterva ſtipabat, ut trecentos & octodecim vernas armatos in aciem educere poſſet? *Geneſ.* XIV, 13. Sane, ſi homines natura feruntur in ſocietatem, non illico feruntur in ſocietates illas maximas, quas multa habere, a quibus natura hominis quam maxime abhorret, ex inſtituto docuit Pufendorffius *jur. nat. & gent.* VII, 1, 4. Verum tamen eſt, in ſtatu civili & juſtitiam rectiſſime adminiſtrari, & eum ad publicam privatamque utilitatem, ſi bene ac prudenter ſit inſtitutus, permultum conducere, & hunc naturae hominis quam maxime eſſe conſentaneum. Sed haec conſequi magis hunc ſtatum dixeris, quam ut ad cauſſas *προκαταρκτικὰς* referri poſſint.

Vera cauſſa, quae homines movit, fuit vis improborum.

§. CIV. Quare, ſi rem omnem paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione, conſideres: ii demum rem acu tetigiſſe videntur, qui VIM improborum & originem & occaſionem conſtituendis civitatibus dediſſe ſtatuunt. Quum enim in ſtatu naturali omnes ſint aequales ac liberrimi, (§. V. & VI.) & ea tamen ſit hominum improborum indoles, ut aliis dominari, eoſque ſub jugum mittere, rebuſque ſpoliare, mirifice cupiant: 1. fieri profecto non potuit, quin plures patresfamilias ejuſdem ingenii vires unirent, alioſque ſibi obnoxios redderent. Quumque magna ſocietas non poſſit non eſſe inaequalis & rectoria: (§. XVIII, 58.) conſequens eſt, 2. ut illa latronum turba ſibi ducem elegerit, certamque ei formulam imperii praeſcripſerit, atque inde 3. nata ſit SOCIETAS CIVILIS vel RESPUBLICA (*), quippe, quae nihil aliud eſt, quam inſignis hominum multitudo, nulli alii mortalium obnoxia, & ſub communi imperante ſecuritatis ſuae cauſſa certis legibus conſociata.

(*) Ita ipſa recta ratio nos ad civitatum originem inveniendam veluti manuducit. Sed ei maximum omnino pondus accedit ex antiquiſſima hiſtoria, quam e ſacris litteris, tamquam ex limpidiſſimo fonte, hauriendam eſſe, inter omnes conſtat. Sane enim ante diluvium non בני אלהים *filios Dei*, uti vocantur *Geneſ. VI*, 1. ſed Caini poſteros primos civitatem condidiſſe, ſatis manifeſtum eſt ex *Geneſ. III*, 17. Et ſi vel maxime largiamur Jo. Clerico *Comment. p. 40. tenuem* hanc fuiſſe *caſarum collectionem*, *maceria forte*, *aut ſepe viridi cinctam*, (quod tamen non adeo certum & exploratum eſt,) multarum tamen familiarum ſocietas ſine qualicumque civili regimine intelligi vix poteſt. Deinde poſt diluvium primus Chuſi filius, Nimrodus, *in terris potens eſſe*, regnumque Babyloniae condere, id eſt, alios opprimere, &, ut imperata facerent, cogere coepit, *Geneſ. X*, 8. *ſequ.* nec antiquioris regni apud Moſen ſit mentio, quum tamen aliquot ſaeculis poſt Abraami temporibus, plurium regum ac dynaſtarum nomina ac res geſtae occurrant. Et quis dubitet, quin principio rerum ex violenta illa hominum oppreſſione natae ſint civitates & reſpublicae, quum id multo poſt ſaepiſſime contigerit? Sane enim occaſione latrociniorum potentiſſima regna nata eſſe, petitis ex omni hiſtoria exemplis, ex inſtituto demonſtravit Hertius *Elem. prud. civ.* I, 3, 4. *p.* 77. *ſequ.*

Quae coegit & innocentes, ut & ipſi conſociati vim vi repellerent.

§. CV. Tot ergo conglobatorum veluti hominum vim metuentibus etiam juſtiſſimis patribusfamilias, non aliud occurrere potuit remedium, quam ut vim vi repellerent. (§. X, 24.) Quumque, ubi pauciores non ſufficiunt fini obtinendo, ipſa neceſſitas hominumque malitia homines in ſocietates coaleſcere cogat: (§. XIII.) conſequens eſt, 4. ut & probos & juſtos patresfamilias, improborum metu, vires jungere, & ſub communi imperio certis legibus conſociari, adeoque 5. in ſocietatem civilem, vel rempublicam coaleſcere oportuerit (*). (§. CIV, 3.) Ex quo porro colligimus, 6. in ſtatu integritatis nullas futuras fuiſſe reſpublicas, adeoque 7. nugas agere, qui vel tales futuras fuiſſe, tamquam ex tripode pronunciarunt, vid. Bec-

Becmann. *Meditat. pol. XI*, 5. vel 8. ſtatum illum integritatis, tamquam principium juris naturae & gentium obtrudere eruditis conati ſunt. (Lib. I. §. LXXIV., 26.)

(*). Facile ergo jam tranſigent, qui cauſſam civitatum dicunt eſſe vim & metum, uti Bodin. *de r. p.* I, *6.* II, *6.* Hobbeſ. *de cive* I. nec non qui, ut ſua tenerent, homines civitates conſtituiſſe contendunt, veluti Cicero *de Offic.* II, 21. qui denique infirmitatem familiarum ſegregum homines putant ſubegiſſe, ut libertatem illam naturalem cum ſtatu civili permutarent, quod in mentem venit Grotio *de jure belli & pacis proleg.* §. XIX. & *Lib.* I. *Cap.* IV. §. VII. Omnia enim haec, licet verbis videantur diſcrepare, eodem tamen redeunt, hominesque metu hominum, & ſui tuendi cauſſa, civitates conſtituiſſe, ſatis perſpicue oſtendunt.

Duplex civitatum origo.

§. CVI. Itaque 9. duplex eſt civitatum origo. Aliae enim 10. ad vim aliis inferendam, opprimendoſque innocentes; 11. aliae ad vim vi repellendam, civeſque defendendos coaluerunt. 12. Illarum finis injuſtiſſimus; harum juſtus eſt. Unde 13. illas rectius LATRONUM COETUM; has 14. JUSTAS RESPUBLICAS dixeris. Sed, quemadmodum, ſaepe contingit, ut quarum rerum vitioſa origo eſt, eae deinde, animadverſo errore, emendentur, & contra, quae recte ſe habent, paullatim in pejus ruant: ita & fieri poteſt, 15. ut latronum coetus, poſito illo alios opprimendi conſilio, in juſtas reſpublicas: 16. hae vero, relicta poſt tergum humanitate, in latronum coetus abeant: attamen 17. & in illis, & in his, ratione civium, finis idem ſit, puta, eorum SECURITAS (*).

(*) Sic, quamvis piraticae illae Afrorum reſpublicae magis ad opprimendos ſpoliandoſque alios, quam ad ſolam mutuam defenſionem, ſint comparatae, & eatenus parum a latronum coetibus differant: tamen aeque ſecuritatem civium, tamquam finem, ſibi ponunt ob oculos, ac aliae juſtae reſpublicae, ac proinde non modo quaevis praeſidia ſibi adverſus exterorum vim circumponunt, ſed & laeſis jus dicunt rigidiſſime, poeniſque acrioribus efficere conantur.

Ne vaga proſiliat fraenis natura remotis.

Itaque communis quidem hic finis eſt omnium rerumpublicarum, ſed ita, ut priores, ſi illum finem obtineant, jus ac virtutem parum curent; hae ideo finem illum intendant, ut utroque bono ſine impedimento fruantur, vel, uti rem exprimit Apoſtolus, *ἵνα ὑπὸ βασιλέων καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι*, *ut ſub regibus, & omnibus in eminentia conſtitutis, tranquillam & quietam vitam ducant cum omni pietate & honeſtate* 1. *Tim.* II, 2.

Finis civitatum ſecuritas civium.

§. CVII. Quum ergo finis omnium civitatum rerumque publicarum ſit SECURITAS civium, (§. CVI. 17.) ex fine vero ſocietatum de mediis, ipſiſque ſociorum juribus & officiis judicandum ſit: (§. XV. 42. 43.) conſequens eſt, 18. ut ea omnia agenda ſint ab iis, qui in civitatem coaleſcunt, ſine quibus finem illum communem, puta ſecuritatem, obtinere non poſſent. Quumque vis illa ſecuritati inimica, in conglobatis improborum hominum viribus conſiſtat: (§. CIV, 1.) fieri non poteſt, 19. quin & alii, qui ſe adverſus illos ſecuros praeſtare cupiunt, vires unire, adeoque 20. tot homines in ſocietatem majorem ac maxime compoſitam coaleſcere debeant, quot probabiliter ſufficere videantur, ad vicinorum vim vi juſta repellendam (*).

(*) Hinc otioſa quaeſtio, quot perſonae conſtituant civitatem vel rempublicam? Quamvis enim quindecim liberi homines populum conſtituere videantur Apuleio *Apolog. p.* 304. alii tres familias paullo diffuſiores ſufficere exiſtiment ad rempublicam: Valer. Max. IV, 4, 8. IV, 6, 5. auctores tamen harum opinionum vix rationem habuiſſe videntur finis civitatum, puta SECURITATIS, ea vero, junctis perſonis quindecim, vix obtinetur, ſed numerus debet intendi pro multitudine

eorum,

eorum, a quibus nobis metuimus. Hinc & univerſa hiſtoria docet, initio minimas fuiſſe civitates, minima imperia, quae plerumque patriae limitibus finirentur. Neque enim in vicinia potentiora imperia erant, quae illis metum incuterent. Simulac vero potentiores, oppreſſis vicinis, majora imperia conſtituerant: minores reſpublicae paullatim in ſyſtemata civitatum, vel majores reſpublicas, coaluerunt, ut pares eſſent vicinis potentioribus. Quod in Graecia poſt Perſicam cladem; in Germania poſt Druſi & Germanici victorias, contigiſſe, ſatis conſtat.

§. CVIII. Non ergo 21. civitas, ceu recte animadvertunt Nicias *apud Thucydidem VII.* 14. & Themiſtocles apud *Juſtin. Hiſt. II*, 12. in territorio, urbibus, moenibus, tectis, ſed in hominibus, conſiſtit: nec 22. opus eſt, ut integrae familiae, ex utriuſque ſexus perſonis compoſitae, conſocientur, ſed 23. ſufficit, ſi vires animoſque jungant plures, quibus vel ſatis virium ſit ad hoſtes debellandos, vel ſatis ingenii ad eoſdem circumveniendos: quamvis 24. negari nequeat, unius aetatis fore reſpublicas, quas non familiae, ſed perſonae ſingulae, quantacumque ſit earum multitudo, conſtituunt (*). Flor. I, 1. **Reſpublica in hominum multitudine conſiſtit.**

(*) Poſſe rempublicam ſine territorio, urbibus, moenibus, tectiſque conſiſtere, argumento eſſe poterit reſpublica Hebraeorum, ſine exemplo ſanctiſſima, quae quadraginta annos per deſerta Arabiae loca ſine certa ſede, ſine lare certo, ſine moenibus & tectis, oberravit, donec in promiſſa Palaeſtina certum veluti domicilium ſibi conſtitueret. *Num. XIV*, 33. Deinde fieri poſſe, ut reſpublica ſine familiis conſtet, nemo negaverit, qui monarchiam papalem, a Pufendorffio & Thomaſio accuratiſſime deſcriptam, paullo accuratius fuerit contemplatus. Neque enim ad Amazonum regnum jam provocare auſim, de quo, quae dicuntur, pleraque multi graviſſimi auctores in dubium vocant. Relinquitur ergo id unum, rempublicam conſtituere congruam hominum multitudinem, nec eam exſtinctam videri poſſe, occupato licet territorio, quamdiu populus, hoſtibus profligandis haud impar, ſuperſtes fuerit. Sic ſane perſtitit Athenienſium reſpublica, quamvis Attica terra univerſa a Perſis teneretur; quoad perſtitit claſſis, in quam ſeſe Themiſtocles cum univerſo populo, omnibuſque, quae moveri poſſent, contulerat. Nepos *Themiſtocl. Cap.* II. & ſtulta erat oratio Adimandi, jus dicendi ſententiam adimentis Themiſtocli, *τῷ μὴ ἐστι πατρίς*, *quippe cui non ſit patria*, quum contra recte reſponderet Themiſtocles, *ὡς εἴη καὶ πόλις, καὶ γῆ μέζων, ἤπερ κείνοισι, ἔστ' ἂν διηκόσιαι νέες σφι ἔωσι πεπληρωμέναι· οὐδαμοὺς γὰρ Ἑλλήνων αὐτοὺς ἐπιόντας ἀποκρούσεσθαι*; *ſibi eſſe & ſolum, & urbem multo majorem, quam illis, tantiſper, dum eſſent illis ducentae naves armatae. Nullos enim ex Graecis illos invadentes poſſe propulſare*. Herodot. *Hiſt. Lib.* VIII. *p.* 305. *edit. Henr. Steph.*

§. CIX. Quum ergo civitas conſiſtat in conſociatione tantae hominum multitudinis, cujus vires junctae non ſint impares vicinorum potentiae, (§. CVI, 20.) ſine conſenſu vero non intelligatur ſocietas: (§. XIV.) conſequens eſt, 25. & civitates vel reſpublicae, interveniente pacto, conſtituantur, ſive 26. homines ultro in hanc ſocietatem conſenſerint, ſive 27. is conſenſus initio vi fuerit extortus, ſive 28. aliqui conſtitutae jam reipublicae ſive ultro, ſive coacti, acceſſerint: ſive 29. prognati ex civibus, eo ipſo, dum in ea, tamquam parentibus aliquando ſucceſſuri, educantur, conſenſiſſe praeſumantur (*). (§. XVII. 46. ſequ.) **Eam oportet conſentire in finem & media.**

(*) Sic Albanorum coloni & illa paſtorum praedonumque colluvies, quae Romulum ſectata, juxta Tiberim tuguriola poſuit, initio, ſtatim in hanc novam rempublicam ultro conſenſit. Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Lib.* I. p. 72. Sic populo Romano, poſteaquam jam inſtituerat reip. formam, ultro & per modum foederis acceſſere Sabini. Liv. I, 13. Inviti contra, diruta patria urbe, Romanam civitatem auxere Albani. Liv. I, 29. Nec poſtea umquam dubitatum, prognatos ex civibus Romanis cives eſſe, niſi vel ultro ſolum verterent, vel aqua & igni interdictis etiam invitis eſſet in aliam civitatem migrandum.

Eorum, qui ultro civitatem conſtituunt, pactum primum.

§. CX. Ex eo ergo patet, 30. civitates quoque, uti alias ſocietates, vel conſenſu ULTRONEO, vel VI & COACTIONE interveniente, ſive conſtitui, ſive augeri. (§. XVI.) 31. Ubi ultroneo conſenſu coaleſcit illa multitudo, fieri non poteſt, quin *primum* ac praecipuum *pactum* praecedere debeat, nempe quo omnes conſentiunt in rempublicam aliquam ſeu civitatem conſtituendam. Quumque hoc pactum 32. & liberum eſſe debere, & 33. ſub conditione iniri poſſe, nemo non intelligat: per ſe patet, 34. eum, qui non conſentit, vel cujus conditioni non ſatisfit, extra ſocietatem hanc manere, reſque ſuas ſibi habere poſſe (*).

(*) Id circa primum pactum & hodie obſervandum eſſet, ſi nova reſpublica per conſenſum conſtitueretur. At id paullo rarius, aliquem conſtituta jam republica ſibi ſtipulari, ut ei cum familia rem ſuam ſibi habere liceat, quia forma reip. democratica, quam ipſe ſuaſerit, non placuerit. Exemplum tamen Otanis, Perſae, eſt apud Herodot. *Hiſt. Lib.* III. *p.* 124. Quum enim occiſis Magis, qui furtim regnarant, principes Perſarum de republica conſulerent in medium, & ſententia Otanis de populari inſtituenda republica, reliquis omnibus diſpliceret: demum ita loquutus fertur: Ἄνδρες στασιῶται, δῆλα γὰρ δὴ, ὅτι δεῖ ἕνα γέ τινα ἡμέων βασιλέα γενέσθαι ἤτοι κλήρῳ γε λαχόντων ἢ ἐπιτρεψάντων τῷ Περσέων πλήθει τὸν, ἂν ἐκεῖνοι ἕλωνται, ἢ ἄλλῃ τινὶ μηχανῇ. ἐγὼ μέν νυν ὑμῖν οὐκ ἐναγωνιεῦμαι, οὔτε γὰρ ἄρχειν, οὔτε ἄρχεσθαι ἐθέλω· ἐπὶ τούτῳ δὲ ὑπεξίσταμαι τῆς ἀρχῆς ἐπ' ᾧ τε ὑπ' οὐδενὸς ὑμέων ἄρχομαι, οὔτε αὐτὸς ἐγὼ, οὔτε οἱ ἀπ' ἐμεῦ αἰεὶ γινόμενοι. *Viri factioſi, quoniam conſtat, neceſſe eſſe, unum aliquem e nobis regem fieri, ſive per ſortem, ſive permiſſu Perſarum per multitudinis electionem, ſive qua alia ratione: equidem ego vobis non refragor, quippe qui neque praeeſſe cupio, neque ſubeſſe: At hac lege vobis jus meum imperii cedo, ut nulli veſtrum aut ipſe ego, aut ullus meorum, ſubſit.* Addit Herodotus, ceteros ejus poſtulatis adſenſiſſe, & inde factum eſſe, ut ſola haec familia inter Perſas in ſtatu naturali viveret, nulli mortalium obnoxia: Καὶ νῦν αὕτη ἡ οἰκίη διατελέει μούνη ἐλευθέρη ἐοῦσα Περσέων, καὶ ἄρχεται τοσαῦτα ὅσα αὐτὴ θέλει, νόμους οὐκ ὑπερβαίνουσα τοὺς Περσῶν. *Atque ad hunc uſque diem ſola haec familia inter Perſas libertatem retinet, ne, imperio, niſi quantum ei viſum fuerit, paret, leges Perſarum non tranſgrediens.*

Eorumdem ſubſequens decretum.

§. CXI. Quum vero ſocios non modo in eumdem finem, ſed & in eadem media conſentire oporteat, (§. XIV,) iſque conſenſus in magna hominum multitudine magnaque ſocietate ſperari non poſſit, niſi ſit rectoria, adeoque regimen aliquod inſtituatur, cujus a voluntate totius populi voluntas pendeat: (§. XIX, 58.) conſequens eſt, 35. ut multitudo illa decernere debeat, quale ſit futurum illud regimen (*), &, 36. quamvis illi reliquorum decreto ſtare non teneantur, qui ſub conditione certi regiminis in futuram ſocietatem conſenſerunt, ſi alia reip. forma, quam velint, placeat populo: (§. CX, 34.) 37. ii tamen, qui pactum illud primum pure inierunt, ſuffragiis plurium ſeſe ſubmittere omnino debeant.

(*) Magnopere falluntur, qui tale decretum umquam factum eſſe negant. Nam hos vel ſola Romanae reip. origo erroris convincet. Quum enim inter illam urbis Albanae ſentinam, quam exhauriendam putabat Numitor, nec non paſtorum & praedonum turbam, quae ſe jam antea in Latio crebris excurſionibus locupletaverat, conveniſſet, ut in communem rempublicam coaleſcerent: Romulus, vocata concione, populum rogavit, ecquam reipublicae formam reliquis anteferendam exiſtiment? Dionyſius vero Halicarnaſſeus, qui rem omnem accuratiſſime deſcripſit *Antiqu. Rom. Lib.* II. *p.* 80. obſervat, populum, intellecto Romuli conſilio, illico reſpondiſſe: Ἡμεῖς πολιτείας μὲν καινῆς οὐδὲν δεόμεθα, τὴν δ' ὑπὸ τῶν πατέρων δοκιμασθεῖσαν εἶναι κρατίστην παραλαβόντες οὐ μετατιθέμεθα, γνώμῃ τε ἑπόμενοι τῶν παλαιοτέρων, οὓς ἀπὸ μείζονος οἰόμεθα φρονήσεως, αὐτὴν καταστήσασθαι καὶ τύχῃ ἀρεσκόμενοι, οὐ γὰρ τήνδε μεμψαίμεθ' ἂν εἰκότως, ἣ παρέσχεν ἡμῖν βασιλευομένοις τὰ μέγιστα τῶν ἐν ἀνθρώποις, ἀγαθῶν, ἐλευθερίαν τε καὶ ἄλλων ἀρχήν· περὶ μὲν δὴ πολιτείας ταῦτα ἐγνώκαμεν. *Nobis nova reipublicae forma non eſt opus, nec a majoribus probatam, & per manus traditam*

tam mutabimus; *ſed & priſcorum conſilium ſequemur, quos non ſine inſigni prudentia illam reip. formam inſtituiſſe credimus, & praeſenti fortuna contenti ſumus. Cur enim illam incuſemus, quum ſub Regibus nobis contigerint bona, quae apud homines habentur praecipua, libertas, & imperium in alios? Et haec eſt noſtra de republica ſententia.*

Nec non alterum pactum.

§. CXII. Denique, ubi de reip. forma convenit, 38. nihil populo deeſt ad perfectam rempublicam, quam ut eam easque perſonas, quas ſibi imperare velit, eligat (*), & ei iiſve 39. certam imperii formulam, jam tum ſuperiore decreto expreſſam, praeſcribat, quae formula tunc 40. recte LEGIS fundamentalis nomine venit, quum & ea, quae pactis caventur, paſſim leges appellentur, ac proinde 41. imperantes ſive unum, ſive plures, non minus, quam cives obligat, adeo, 42. ut nihil actum merito cenſeatur, ſi quid contra legem hanc reipubl. primariam, vel πόλεως συνθήκην κοινήν, actum ſit.

(*) Denuo hunc ordinem in inſtituenda Romanorum republica ſervatum eſſe, ex laudato Dionyſii Halicarnaſſ. loco intelligimus. Quum enim imperium regium, cui jam Albae plerique adſueverant, retinere decreviſſent: illico de eligendo Rege ſolliciti, ſubjiciunt: τὴν δὲ τιμὴν ταύτην οὐχ ἑτέρῳ τινὶ μᾶλλον, ἢ σοὶ, προσήκειν ὑπολαμβάνομεν, τοῦ τε βασιλείου γένους ἕνεκα καὶ ἀρετῆς, μάλιστα δ᾽ ὅτι τῆς ἀποικίας ἡγεμόνι κεχρήμεθά σοι, καὶ πολλὴν συνίεμεν δεινότητα, πολλὴν δὲ σοφίαν οὐ λόγῳ μᾶλλον, ἢ ἔργῳ μαθόντες. *Ceterum eum honorem non alii magis, quam tibi, convenire perſuaſum nobis eſt, tum ob genus regium ac virtutem, tum vero maxime, quod te hujus coloniae ducem habuimus, multamque in te gravitatem ac ſapientiam animadvertimus, non tam verbis, quam factis, edocti.* Similiter paullo poſt populo in curias & tribus deſcripto, electiſque centum patribus, cui ſenatum & commune reipublicae conſilium conſtituerent, ipſe Romulus, teſte eodem *p.* 87. inter eos ita partitus eſt reipublicae adminiſtrationem, ut penes REGEM eſſet cura ſacrorum, legum & conſuetudinum patriarum cuſtodia, iudicia de criminibus gravioribus, jus referendi ad ſenatum, & populum in concionem convocandi; penes SENATUM ius, de rebus omnibus, quas rex ad eum referret, de plurium ſententia decernendi: denique penes plebem ius, auctore ſenatu, magiſtratus creandi, leges ſanciendi, & de bello, ſi Rex permitteret, decernendi. En formulam novi imperii, vel legem fundamentalem, quam accuratius, quam quiſquam alius, deſcripſit auctor πολιτικώτατος, quaeque tamdiu Romae viguit, donec Tarquinius adfectaret tyrannidem.

An eadem pacta interveniant, ſi coacti in civitatem coaleſcant?

§. CXIII. Hoc modo naſci oportet civitatem, quoties populus ultro illam inſtituit. Quoties vero ille, perdomitus a populo potentiore, cum illa victrice gente in unam rempublicam coaleſcit: 43. in primum quidem pactum de communi conſtituenda republica procul dubio conſentit, quia, ſi diſſentiret, non acciperet oblatas a victoribus conditiones, ſed perire, quam ſub jugum mitti, mallet: at 44. de forma reipublicae vix audietur deditiorum ſententia, nec 45. in eligendis perſonis regnatricibus ullae eorum partes ſunt, quibus in ſolo obſequio gloria relicta eſt (*).

(*) Res tamen omnis redit ad deditionis leges, quae aliquando duriores, aliquando mitiores eſſe ſolent, prout vel certa, vel ambigua eſt victoria. Ita ſane, quum Sabini & Romani aequo paene Marte pugnaſſent: viſum eſt utriſque bellum foedere finire, cuius leges has cenſet Dionyſ. Halic. *Lib.* II. *p.* 111. *Ut Romae pari poteſtate, parique honore regnarent Romulus & Tatius: ut urbs deductum a conditore ſervaret nomen; & ſinguli cives Romani, ſicut antea, vocarentur, univerſi autem a Tatii patria, communi adpellationis complexu Quirites denominarentur: ut Sabinis jus civitatis Romanae daretur, quicumque id cuperent: utque hi cum ſuis ſacris reciperentur in tribus & curias.* Tale fuit hoc foedus, ex cuius legibus Sabini & ad conſtituendam rempublicam quodammodo admittebantur.

Nec non ſi victor po-

§. CXIV. Aliquando 46. contingit, ut victo populo nova obtrudatur forma reipublicae (*), ſimulque 47. victor ſibi ſtipuletur, ut haec nova reſpubli-

pulo victo novam reipubl. formam obtrudit?

blica, tamquam inaequali foedere juncta, ſe comiter veneretur. Quo caſu res ipſa docet, 48. & pacta illa; quae ſupra deſcripſimus, (§. CX. CXII.) & decretum de reipublicae forma, (§. CXI.) intervenire debere: at 49. populum victum non ultro, ſed coactum, in haec omnia conſentire.

(*) Mos hic erat Athenienſium, ut civitatibus omnibus, a ſe perdomitis, ſtatum popularem; Lacedaemoniorum, ut regimen optimatium obtruderent, cuius inſtituti rationem reddit Xenophon *de republ. Athen. Cap.* I. §. XIV, & *Cap.* III. §. X. *ſequ.* Exempla paſſim collegit Ubbo Emm. *vet. Graec. Tomo* III. ſed ſufficerit unicum *p.* 249. *ſequ.* Apud Samios ſtatum popularem inſtituerant, everſumque aliquoties, inſtauraverant Athenienſes. A Lyſandro vero, Lacedaemonio, expugnata urbe, pro populari imperio δεκαρχία illic inſtituta eſt. Quas fortunae viciſſitudines & aliae viderunt Graecae civitates, prout vel penes Athenienſes, vel penes Lacedaemonios erat maris imperium. Id vero ſine vi & coactione contingere non potuiſſe, facile unuſquiſque animadvertit.

Omnes cives voluntates ſuas ſubmittere debent voluntati imperantium.

§. CXV. Ceterum, quemadmodum omnium ſocietatum una voluntas, unuſque intellectus concipi debet: (§. XX, 59.) ita 50. idem dicendum eſt de civitate vel republica, ita conſtituta. Quum vero plures ſocii eumdem finem eademque media intelligere & velle non aliter poſſint, quam ſi uni pluribusve id negotii detur, ut de fine, mediiſque ad finem adſequendum neceſſariis diſpiciant: (§. XVIII, 55.) conſequens eſt, 51. ut idem fieri oporteat in civitate (*). Denique, quum aliis id negotium dare idem ſit, ac VOLUNTATEM SUAM ALTERIUS, vel ALIORUM VOLUNTATI SUBMITTERE: per ſe patet, 52. cives reipublicae omnes voluntates ſuas uni pluribuſve ſubmittere debere, adeoque 53. eum eoſve imperare, cui quibuſve cives voluntates ſuas ſubmiſerunt.

(*) Non aliter fieri poteſt, ut plures idem velint, quam vel per CONSPIRATIONEM, ut omnes idem ſentiant & velint, vel per SUBMISSIONEM, ut plures voluntates ſuas unius vel plurium voluntati ſubmittant. Prius nunquam ſperandum eſſe, facile ii intelligent, quibus perſpecta ſunt contraria hominum ſtudia, ingeniorum ſtupor, diverſaeque voluntatum inclinationes. Seneca *Epiſt.* CII. *Putas tu, poſſe ſententiam unam eſſe omnium? non eſt unius una.* Itaque ſupereſt modus poſterior, ut plures voluntates ſuas alterius vel plurium voluntati ſubmittant. Quemadmodum enim periret procul dubio navis, repleta quantacumque hominum turba, niſi illa multitudo communem ſalutem permitteret uni gubernatori, perito rei nauticae, & omnia acturo, ut navem ex hieme marique ſcopuloſo ſervet: ita fieri non poteſt, ut tot hominum myriades, quae in tam magnam ſocietatem coaleſcunt, ex tam gravibus procellis civilibus, quae quotidie ingruunt, ad incolumitatem perveniant, niſi ab uno pluribusve regerentur. Recte ergo Arrianus *Diſſ. Epict.* I, 12. τοὺς ἀγαθοὺς πολίτας τὴν αὑτῶν γνώμην ὑποτάττειν τῷ νόμῳ τῆς πόλεως, *bonos cives voluntates ſuas ſubmittere legi civitatis*, obſervat.

Inde naſcuntur respublicae vel monarchicae, vel ariſtocraticae, vel democraticae.

§. CXVI. Ex eo vero porro conſequitur, ut, quum voluntates ſuas cives ſubmittere poſſint vel UNI, vel PLURIBUS, vel UNIVERSAE MULTITUDINI, 54. non poſſint inde plures, quam tres regulares reip. formae naſci. Nam 55. quoties omnes cives voluntates ſuas unius perſonae phyſicae voluntati ſubmittunt, naſcitur inde MONARCHIA, REGNUM vel PRINCIPATUS (*). Sin 56. plurium voluntati ac decreto; ARISTOCRATIA. Denique 57. ſi id, quod univerſa civium multitudo communi ſuffragio decrevit, pro totius civitatis vel reipublicae voluntate habetur, ea reipublicae forma POPULARIS, vel DEMOCRATICA adpellatur.

(*) Equidem Polybius *Hiſt.* VI, 2. diſtinguit inter μοναρχίαν & βασιλείαν, & utriuſque differentiam ita deſcribit: Πρώτη μὲν ἀκατασκεύως καὶ φυσικῶς συνίσταται μοναρχία· ταύτῃ δ᾽ ἕπεται, καὶ ἐκ ταύτης γεννᾶται μετὰ κατασκευῆς καὶ διορθώσεως βασιλεία. Pri-

Prima, MONARCHIA, *ſine ulla arte & naturae impetu conſtituitur: hanc vero ſequitur, atque adeo ex ea originem habet; quum acceſſit ars & emendatio*, REGNUM. Sed quum ea, quae magis minuſve expoſita ſunt, ſpecie non differant: id diſcrimen hic inculcare nihil attinet.

Quibus opponuntur tyrannicae, oligarchicae, & ochlocratiae.

§. CXVII. Enimvero, quum, ſive unus, ſive plures, ſive omnes, imperent, non alio jure praeſint reipublicae, quam quod reliqui cives eorum voluntati voluntates ſuas ſubmiſerunt: (§. CXV, 53.) conſequens eſt, 58. ut injuſte imperent, quibus ſuam voluntatem non ſubmiſerunt cives. Hinc, 59. ſi unus injuſte occupat rempublicam, monarchia in TYRANNIDEM; 60. ſi loco collegii optimatium pauci imperium invadunt, ariſtocratia in OLIGARCHIAM; denique, 61. ſi loco totius populi turba quaedam vel faex hominum omnia pro lubitu decernit, democratia in OCHLOCRATIAM degenerat (*). 62. Quas reipublicae formas vitioſas regularibus admodum ſimiles eſſe, & proinde 63. has in illas facile degenerare, recte obſervavit Polyb. *Hiſt. VI*, 1. idque ipſa experientia ſatis confirmat.

(*) Id quoque eleganter vidit ſcriptor πολιτικώτατος Polyb. *ibidem p.* 629. Διὸ καὶ γένη μὲν ἓξ εἶναι ῥητέον πολιτειῶν· τρία μὲν, ἃ πάντες θρυλλοῦσι, καὶ νῦν προείρηται· τρία δὲ τὰ τούτοις συμφυῆ· λέγω δὲ μοναρχίαν, ὀλιγαρχίαν, ὀχλοκρατίαν. *Itaque genera rerumpublicarum ſtatui ſex debent: tria, quae omnium ore jactantur, quaeque modo poſita ſunt a nobis: tria cognatae cum his naturae; dominatum dico unius, paucorum, & turbae vulgaris*. Pro tyrannide quidem hic ponit monarchiam, quippe quam illum a regno diſtinguere, diximus: (§. CXVI. *) ſed ipſe paullo poſt ſubiicit: μεταβαλλούσης δὲ βασιλείας εἰς τὸ συμφυὲς κακὸν, λέγω δ' εἰς τυραννίδα, κ. τ. λ. *Regnum ubi ad congenita mala degeneravit, nempe* TYRANNIDEM. Talis & reliquorum civilis prudentiae auctorum philoſophia eſt, quam hic pluribus inculcare non opus eſt. Cui non dictus Hylas?

Quid reſpublicae mixtae?

§. CXVIII. Quum vero tres illae regulares rerumpublicarum formae in totidem vitioſas oppoſitas facillime degenerent: (§. CXVII, 63.) non mirum eſt, 64. pauciſſimas ſemper repertas fuiſſe civitates, quae ex tribus illis unicam eligerent: ſed 65. pleraſque vel omnes illas formas veluti in unam conflaſſe (*), vel 66. duas certe ita commiſcuiſſe, ut una alteram veluti in officio contineret. Quumque 67. a potiore fieri ſoleat denominatio: inde non poſſunt non varia naſci regnorum, ariſtocratiarum, & democratiarum genera, quae 68. RERUMPUBLICARUM ne MIXTARUM, an irregularium nomine venire debeant, noſtra parum refert. Add. HERT. *Elem. prud. civ.* I, 11, 8. *p.* 2320. *ſequ.*

(*) Et hanc quidem optimam omnium rerumpublicarum formam eſſe, obſervat Polyb. *Hiſt.* I. 1. *p.* 628. Δῆλον γὰρ, ὡς ἀρίστην μὲν ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν. *Manifeſtum eſt, eam rempublicam cenſeri debere optimam, quae ex omnibus iſtis, quas diximus, formis ſit compoſita*. Et *Cap.* VIII, *p.* 638. magnopere laudat Lycurgum, quod οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ μονοειδῆ πολιτείαν; *non ſimplicem atque uniformem conſtituerit rempublicam*: ſed optimarum quarumque rerumpublicarum virtutes omnes ac proprietates in unum copulavit, ne, ſi qua iſtarum ſupra modum augeretur, ad vitia congenita deflecteret, ſed, dum cuiuſque vis mutuo omnium niſu in contrarium retrahitur, nulla pars illarum vergat uſquam, aut nimium propendeat, verum aequis ponderibus librata & aequa lance ſuſpenſa quam diutiſſime reſpublica duret, non ſecus ac fieri ſoleat in navibus, quas hinc inde par vis ventorum impellat. Sic & Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiq. Lib.* II. *p.* 82. ubi rempublicam Romanam a Romulo eodem fere modo inſtitutam fuiſſe, refert, illam mixturam vocat κόσμον τῆς πολιτείας, additque: ὃν ἐγὼ πάντων ἡγοῦμαι πολιτικῶν κόσμων αὐταρκέστατον ἔν τ' εἰρήνῃ καὶ κατὰ πολέμους, *hanc ego concinnam reipubl. formam ceteris omnibus reip. conſtitutionibus, praefero, ut paci aeque, ac bello, idoneam*. Omitto iam eiuſdem generis teſtimonia Zenonis apud Laert. VII, 131. Ciceronis apud Non. Marcellin. *de verb. propr.* IV, 292. Tacit, *Annal.* IV, 33.

Quid civitatum ſyſtemata?

§. CXIX. Denique, quum & totae ſocietates in unam majorem coaleſcere poſſint: (§. XVIII, 49.) conſequens eſt, 69. ut & plures reſpublicae, ſalva cujuſque forma & independentia, icto foedere, in unam majorem ita coaleſcere poſſint, ut, quae ad communem omnium ſalutem ſecuritatemque pertinent, communi conſilio junctiſque viribus exſequantur (*). Quales conſociatae reſpublicae 70. FOEDERATAE, ACHAICAE, itemque SYSTEMATA CIVITATUM adpellantur.

(*) Puſendorffius tum ſingulari *de ſyſtematibus civitatum* diſſertatione, quae inter eius *Diſſ. acad. ſelectas p.* 210. *ſequ.* occurrit tum de *jur. nat. & gent.* VII, 5, 16. *ſequ.* exiſtimat, civitatum ſyſtemata emergere vel *mediante communi rege*, quando plura ſeparata regna vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hereditatis, aut victoriae unum & eumdem habeant regem, ita tamen, ut ideo in unum regnum non coaleſcant, ſed ſingula iuxta ſuas leges fundamentales a communi rege adminiſtrentur, vel *per foedus*: eademque principia fere ſequitur Hert. *Elem. prud. civ.* I, 12, 6. *ſequ.* Enimvero aut unum regnum alteri ita ſubiicitur, ut in communi imperio nullae ſint eius partes: veluti olim regna Macedonicum, Syriacum, Aegyptiacum, Romanis ſubiecta: aut ſuas quodlibet res ſibi habet, ut hodie imperium Romano Germanicum, Hungaria & Boemia: aut ita coaluerunt, ut veluti unum regnum conſtituant, uti hodie Anglia & Scotia, Polonia & Lithuania. Primo caſu regnum perdomitum in provinciae formam redigitur, nec cum altero ſyſtema aliquod conſtituit. Nec altero caſu dici poteſt, duo regna coaluiſſe in σύστημα, quum nihil commune inter ſe habeant, ſed princeps tantum duas perſonas ſuſtineat. Supereſt ergo tertius tantum caſus, ubi duo illa regna vel duo populi, quum voluntates viresque ad communem defenſionem univerint, unam omnino ſocietatem maiorem conſtituunt, adeoque ſyſtematis nomen ob definitionem, hoc paragrapho datam, iure meritoque ferunt. Addatur G. G. Titius ad Puſend. *de offic. hom. & civ.* II, 8, 13. *ſequ.*

Monarcha titulum quemcumque honoris recte adſciſcit.

§. CXX. Quum ergo MONARCHIA naſcatur, quoties omnes cives voluntates ſuas unius perſonae phyſicae voluntati ſubmittunt: (§. CXVI, 55.) conſequens eſt, 71. ut perinde ſit, quo dignitatis vocabulo, Imperatoris, Regis, Ducis, an Principis utatur. 72. Ut, quum neminem ſuperiorem agnoſcat, qualecumque dignitatis nomen recte de novo adſciſcat (*), quamvis 73. non aeque facile cogere poſſit exteros reges ac reſpublicas, ut ei novum illud dignitatis nomen tribuant, adeoque 74. ipſae prudentiae regulae ſuadeant, ut, priuſquam majus illud ἀξίωμα adſumat monarcha, aliorum regum rerumque publicarum audiat ſententias, ſibique novos illos titulos honoris diſerte ſtipuletur.

(*) Quum enim ſummi imperantes ſecum invicem vivant in ſtatu naturali, (§. IV, 3.) isque ſit ſtatus libertatis & aequalitatis: (§. V. & VI.) ſequitur, ut monarcha monarchae ſit aequalis, nihilque eum impediat, quo minus pari cum aliis dignitate in republica ſua frui velle, adeoque novum titulum, cui tuendo ſe parem eſſe intelligit, adſciſcere poſſit. Vidit noſtra aetas duo exempla, quae & poſteritas venerabitur. FRIDERICI I. Pruſſiae Regis, & PETRI I. Ruſſorum Imperatoris, quorum alter primus Regii nominis, alter Imperatorii dignitatem genti ſuae intulit, uterque poſtea ab aliis Imperatoribus Regibusque his inſignibus nominibus ornatus. Equidem intolerabilem faſtum ſuum eo tempore, quo coronam ſibi impoſuerat ſempiterna gloria digniſſimus princeps, FRIDERICUS I. prodere non dubitaverat Clemens Papa XI. ſuae poteſtatis ſuique arbitrii eſſe ratus, Reges creare: ſed doctrinam illam Hildebrando aliquo, quam Clemente, digniorem, & ipſis Romanae eccleſiae alias deditiſſimis principibus abominabilem, magno adparatu profligavit illuſtris academiae noſtrae Cancellarius, Jo. Petr. a Ludewig, qui & totam hanc quaeſtionem variis opuſculis *de auſpicio regio* editis, praeclare illuſtravit, quibuſcum & V. C. Everardi Ottonis diſſertationem elegantiſſimam *de titulo Imperatoris Ruſſorum*, quia eius *diſſertationibus juris publici & privati Part.* I. *p.* 135. inſerta eſt, merito coniungendam cenſemus.

§. CXXI.

Digitized by Google

Jura omnia majeſtatis ſolus exercet.

§. CXXI. Ex eodem patet, 75. monarcham omnia agere ſuo arbitrio, & 76. quamvis prudentiores merito adhibeat in conſilium, eorum tamen ſuffragia non ſententias, ſed conſilia eſſe. 77. Eumdem agere ubique & ſemper, adeo, ut vere dici coeperit a temporibus Hadriani Imperatoris: *ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπου πότ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ*. *Roma eſt, ubi Imperator eſt*. Herodian. *Hiſt. I, 6.* 78. Nullum denique eſſe jus majeſtatis, quod non exerceat princeps: (§. CXII, 18.) immo 79. monarchiae nomen vix tueri regnum, in quo ullus alius jus quodcumque majeſtatis independenter a rege exercet (*).

(*) Reipublicae enim, tamquam unius perſonae moralis, unus debet eſſe intellectus, unaque voluntas: (§. CXV, 50.) Jam ſi praeter monarcham alius quodcumque jus maieſtatis independenter a rege exerceret: non eſſet totius reip. unus intellectus & voluntas. Ergo nec futura eſſet reipublica: ſed reſp. in republica. Salvum ergo fuit Meroueidarum imperium, quamdiu perſtitit regum auctoritas. Ea ſubruta, & ius belli & pacis ad ſeſe trahentibus maioribus domus, precario veluti imperabant reges, donec Pippino placuit regni decus genti ſuae inferre. Adeo eo ſenſu verum eſt dictum Homeri *Iliad. β.*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
Non bonum eſt multos imperare; unus eſto imperans,
Unus rex.

quamvis tyrannos ſaepe eo abuſus eſſe, non ignoremus. Vid. Sueton. *Calig. Cap. XXII.*

Quid interſit inter monarcham & tyrannum?

§. CXXII. Quamvis vero omnia ſuo arbitrio agat monarcha: (§. CXXI, 75.) non tamen agere aliud debet, quam quod finis civitatis, (§. CVII, 18.) puta ſecuritas civium, (§. CVI, 17.) requirit. Ex quo conſequitur, 80. ut populi ſecuritas, & ſalus ſuprema monarchae lex eſſe debeat, 81. eoque ipſo hic differat a tyranno, qui ad ſuam tantum ſecuritatem utilitatemque omnia refert, 82. quumque ſcelere quaeſita bonis artibus retineri nequeant, parum penſi habet civium ſuorum perniciem, dum ipſe ſtatum ſuum conſervet (*).

(*) Huc pertinent omnes artes tyrannicae, de quibus accuratiſſime Ariſtot. *Polit. V, 10. ſequ.* Quum enim omnes tyranni, conſcii ſibi odii civium, meticuloſiſſimi eſſe ſoleant; non poſſunt, quin omnem eminentem virtutem opprimant, virorum excellentium, tamquam eminentium papaverum, capita demetant; ſeveriſſime animadvertant in innocentes ſub obtentu laeſae maieſtatis, criminis fere unius eorum, qui crimine vacant: inimicitias ac diſcordias inter cives ſerant: litterarum omnem ſplendorem exſtinguant: peregrinos praeferant civibus: hos denique dignitatibus, opibuſque ſpolient, & redigant ad incitas. Quae omnia quam iniuſta, quamque fini civitatis contraria ſint, facile unuſquiſque animadvertit. Unde recte Polyb. *Hiſt. II, 59. p. 202.* *Αὐτὸ γὰρ τοὔνομα (τυράννου) περιέχει τὴν ἀσεβεστάτην ἔμφασιν καὶ πάσας περιείληφε τὰς ἐν ἀνθρώποις ἀδικίας καὶ παρανομίας. Nam ipſum tyranni nomen ſummae impietatis ſignificationem conjunctam habet, injurias ſceleraque omnia complectens, quae inter homines ſolent verſari.*

Quomodo jura majeſtatis exerceantur in ariſtocratia?

§. CXXIII. Deinde ex ARISTOCRATIAE definitione (§. CXVI, 56.) colligimus, 83. penes totum optimatium collegium eſſe debere majeſtatis jura omnia, eaque adeo 84. non aliter explicari poſſe, quam de communi totius collegii ſententia. 85. Opus ergo eſſe certo loco, ubi frequentes conveniant, & de republica conſulant in medium, nec non 86. certo definitoque tempore, quo ſenatus ordinarius habeatur, niſi, 87. quae quotidie ex improviſo incidere ſolent, negotia ſenatum extra ordinem indictum poſtulent. Praeterea, quum plurium conſenſus ſperari non poſſit, niſi per ſubmiſſionem: (§. XVIII, 55.) conſequens eſt, 88. ut & in ariſtocratia pauciores ſe ſubmittere debeant voluntati plurium, adeoque 89. plurium ſenten-

Digitized by Google

tentiae vincant pauciores, 90. in pari vero ſententiarum numero, nihil actum videatur, niſi vel is, qui praeſidet collegio, pondus addat alterutri parti, vel 91. talis ſit cauſſa, ut locus ſit CALCULO MINERVAE (*). Denique, quum vitioſa forma, oppoſita ariſtocratiae, OLIGARCHIA vocetur, (§. CXVII, 63.) illaque in hanc facile degeneret: (ibid. n. 60.) res ipſa exigit, 92. ne quid decerni valide poſſit, niſi maxima optimatium parte, e. g. duabus tertiis, praeſente.

(*) CALCULUS MINERVAE dicitur, quando in pari condemnantium atque abſolventium numero reus a poena criminis liberatur. Nam, quum Oreſtes, parricidii accuſatus, in Areopago cauſſam diceret, iique, qui damnandum cenſebant reum, uno calculo vincerent abſolventes, Minerva his unum calculum adieciſſe fingitur, ut in pari ſuffragiorum numero abſolveretur. Quae poſtea lex paene omnibus gentibus placuit, uti praedixiſſe Minervam fingit Euripides *in Iphigen. Taur. v.* 1268.

Καὶ τοῖσι λοιποῖς ᾗ δὲ νόμος τεθήσεται,
Νικᾶν ἴσαις ψήφοισι τὸν φεύγοντ' αἰεί.

Et ceteris lex iſta promulgabitur,
Ut uſque paribus calculis vincat reus.

Conf. Boecleri *diſſert. ſingularis de calculo Minervae*, & viri celeberrimi, Henr. Coccii *diſſ. de eo quod juſtum eſt circa numerum ſuffragiorum, & de calculo Minervae. Cap.* II. ubi vir doctiſſimus §. X. hanc naturalem adfert rationem huius iuris, quod prior rei ſtatus condemnatione mutetur, abſolutione maneat, adeoque tunc vere nihil agatur. Quum ergo maior tantum pars novi aliquid facere, & ſtatum priorem mutare poſſit: ſequitur, ſi pares ſint, ut nihil agatur, ſed prior rei ſtatus maneat, iſque adeo abſolvatur.

Quomodo in democratia? §. CXXIV. Nec aliter ſeſe res habet in DEMOCRATIA. Quum enim in ea, quod univerſa civium multitudo communi ſuffragio decernit, pro totius civitatis vel reipublicae voluntate habeatur: (§. CXVI, 57.) ſequitur ſane, 93. ut majeſtas hic ſit penes totum populum, iſque 94. tunc omnia jura majeſtatis exerceat. Quumque id aliter fieri non poſſit, quam ſi populus confluat in comitia, & de negotiis obvenientibus conſulat in medium: per ſe patet, 95. hic quoque certum locum, ubi coeat populus, 96. ſtatoſque dies, quibus comitia habeantur, definiendos eſſe, 97. ratumque haberi, quod populus ſive curiatim, ſive tributim, ſive viritim, pluribus ſuffragiis decreverit. Denique 98. facile in OCHLOCRATIAM degeneraturam eſſe democratiam (*), ſi minori parti populi, abſentibus vel excluſis reliquis, ſuffragii jus permittatur, ex ipſa ochlocratiae definitione (§. CXVII, 61.) facile intelligitur.

(*) Tunc vero miſerrima eſt reſpublicae conditio, maxime ſi accedant demagogi; quorum incitata ſtimulis tribuniciis plebs furit, omniaque ſurſum deorſumque verſat, donec demagogorum aliquis tyrannidem occupet, idemque contingat, quod Athenis contigiſſe refert Phaedrus *Fab.* I, 2.

Athenae, quum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Fraenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc, conſpiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat, Piſiſtratus.

Ceterum de demagogorum artibus videndus eſt Hertius *Elem. prud. civ. Part.* II. *ſect.* XXIV. §. XXIII. *p.* 496.

Quomodo in rebuspublicis mixtis? §. CXXVI. Quum vero & MIXTAE, quas vocant, reſpublicae aliquando optimae, & ideo inventae, ſint, ut una forma alteram veluti in officio contineat: (§. CVIII.) res ipſa docet, 99. jura majeſtatis vel omnia, vel quaedam, in his civitatibus ita communicari debere vel cum optimatium collegio, vel cum multitudine populi, ut ordo unus, inconſulto altero, decernere nihil poſſit: non vero 100. ita dividi poſſe illud jurium majeſtatis exercitium, ut unus, altero inſcio vel invito, aliquid agat. Siquidem ita impediri non poſſet, quo minus reſpublica in republica naſceretur (*).

(*) Hinc

Digitized by Google

(*) Hinc informis omnino erat reipublicae Romanae ſtatus, quum eo delapſa eſſet, ut plebs, tribuniciis inſtincta furoribus, inconſulto reliquo populo, leges ferre, & de capite civium Romanorum jus ſuo arbitrio dicere, & omnia patrum magiſtratuumque decreta turbare poſſet, quum ſine plebe populus nec leges ferret, nec iudicaret, nec de bello ac pace decerneret. Quum vero, ubi loco totius populi turba quaedam vel faex hominum pleraque pro lubito decernit, in *ochlocratiam*, adeoque vitioſam reip. formam degeneret civitas: (§. CXXIII., 61.) Romanam remp. tum parum ab ochlocratia abfuiſſe, facile eſt ad intelligendum.

§. CXXVII. Quod ad SYSTEMATA CIVITATUM attinet, quum illa vel ex duobus pluribusve regnis, quae ſub communi capite veluti in unum regnum coaluerunt, (§. CXIX. *) vel ex pluribus civitatibus, foedere junctis, (§. eod.) oriantur: facile patet, 101. priore caſu regna iſta, niſi plane ſint παμβασιλεῖαι, praeter communem regem communia etiam habere debere comitia, 102. ad eaque utriuſque regni ordines, certo numero, pro virium ratione eſſe evocandos. Poſteriore vero caſu 103. civitates ſingulas immanentia majeſtatis jura ſuo arbitrio; 104. tranſeuntia, quae ad communem ſecuritatem pertinent, communi conſilio exercere, ac proinde 104. delegatos a ſingulis homines collegium aliquod, ſive perpetuum, ſive temporarium, debere conſtituere, quod de rebus ad communem ſecuritatem pertinentibus conſulat in medium, &, quid facto opus ſit, re prius cum civitatibus ſuis communicata, decernat (*). Quomodo in ſyſtematibus civitatum?

(*) Talis olim Amphyctionum, nec non civitatum Achaicarum, ſenatus, de quo plura Boeckl. diſſ. *de Amphyction.* & Ubbo Emm. *vet. Graec. Tom.* III. *p.* 305. Sed quum hodie exemplum huiuſmodi ſyſtematis, ſenatuſque in eo neceſſarii, praebeant florentiſſimae Belgarum Helvetiorumque reſpublicae, quas Joſ. Simlerus, Templeus aliique viri docti accuratiſſime deſcripſerunt: non eſt, quod hic actum agere velimus.

§. CXXVIII. Enimvero cum pleraque ad foederis leges, quibus coaluerunt, redeant: (§. CXIX, 69.) fieri non poteſt, 105. quin hae reſpublicae ſint diverſiſſimae, 106. aliaeque arctiore, aliae paullo laxiore vinculo ſint conjunctae, 107. aliae plus, aliae minus inter ſe commune habeant: immo & 108. quibuſdam communia aeraria, officinae monetariae, armamentariaque ſint, quibuſdam non ſint: denique 109. quaedam praeſidem quemdam, communiſque foederis veluti cuſtodem, ſenatui praeficiant, aliae ab hoc inſtituto adhorreant: denique 110. nec jus ſuffragii, nec modus ea, quae ad communem ſecuritatem neceſſaria ſunt, contribuendi, nec reliqua inſtituta eodem ubique modo ſeſe habere poſſint. Magna eſt ſyſtematum civitatum diverſitas.

CAPVT VII.

DE SUMMA POTESTATE, EAMQUE ADQUIRENDI MODIS.

§. CXXIX.

Quum, qui coaleſcunt in rempublicam, antea in ſtatu naturali vixerint, (§. III.) iſque fuerit ſtatus aequalitatis & libertatis: (§. V. & VI.) conſequens eſt, 1. ut civitas & poſtea nemini mortalium ſubjecta ſit, 2. omniaque, quae conſervando ſtatui ſuo neceſſaria eſſe exiſtimat, libere peragere, nec 3. ab ullo in exercitio jurium ſuorum turbari, Imperium omne ſummum & ἀνυπεύθυνον.

Digitized by Google

vel 4. ad reddendas geſtorum rationes adigi poſſit. Quum ergo haec omnia, conjunctim accepta, vocentur IMPERIUM SUMMUM & ΑΝΥΠΕΥΘΥΝΟΝ: conſequens eſt, 5. ut in omni civitate vel republica ſit imperium ſummum & *ἀνυπεύθυνον* (*).

(*) Loquimur de REPUBLICA proprie ſic dicta, quam ſupra definivimus, quod ſit multitudo hominum, nulli alii mortalium obnoxia, & ſub communi imperante ſecuritatis ſuae cauſſa conſociata. (§. CIV, 3.) Quamobrem populus, ab alio victore in poteſtatem redactus, non rempublicam conſtituit, ſed PRAEFECTURAM vel PROVINCIAM, quia aliis eſt obnoxius. Ex eadem ratione non reip. ſed MUNICIPII nomine venit multitudo, ſub communi quidem imperante, conſociata, ſed regno tamen, vel reipublicae majori ſubjecta. Unde, quamvis jureconſulti municipia ſaepe vocent reſpublicas, & hinc mentionem faciant reipublicae Antiochenſium, *l.* 37. *D. de reb. auct. jud. poſſid.* Heliopolitanorum, *l.* 4. *C. qui pot. in pign.* Theſſalonicenſium, *l.* 23. *C. de evict.* Tuſculanorum, *l.* 38. §. 5. *D. de legat.* III. Sebaſtianorum, *l.* 21. §. 3. *D. de ann. leg.* Arelatenſium, *l.* 24. *D. de uſu & uſufr. leg.* Sardianorum, *l.* 24. *D. de ann. legat.* tamen, ubi accuratius loquuntur, eos, *qui pro civitate legatione funguntur* negant REIP. *cauſſa abeſſe. l.* 26. §. *ult. D. ex quib. cauſſ. maj.* Multum ergo refert, quo ſenſu accipias reip. vocabulum.

Monarchomachorum error.

§. CXXX. Quum ergo in omni civitate vel republica ſit imperium ſummum & *ἀνυπεύθυνον*, (§. CXXIX, 5.) & cives tamen voluntates ſuas vel uni, vel pluribus, vel univerſo populo ſubmiſerint: (§. CXV, 52.) conſequens eſt, 6. ut quibuſcumque voluntates ſuas ſubmiſerunt cives, ii & imperio illo ſummo & *ἀνυπευθύνῳ* gaudeant, adeoque 7. illi a nemine, praeterquam a Deo, judicari, multoque minus 8. a populo ſupplicio aliiſque poenis, adfici poſſint; adeoque 9. peſtilentiſſimum ſit illud dogma monarchomachorum, quod populus ſit ipſo rege vel principe ſuperior, & 10. penes illum *realis*; penes hunc *perſonalis* tantum *majeſtas* reperiatur (*).

(*) Eſt haec doctrina Franc. Hotomani, Stephani Junii Bruti, cujus ſub nomine alii Hub. Languetum, alii Ge. Buchananum, alii alios latitare contendunt, Sidney, Althuſius, Pareus, Jo. Milton, & alii, de quibus praeter *Obſ. Halenſ.* VI. 1. legendus eſt Jo. Franc. Budd. *Hiſt. jur. nat. & gent.* §. LII. Ceterum *πρῶτον* illud *ψεῦδος*, quo in transverſum acti hi viri doctiſſimi populo omnia permittunt in reges & principes, in eo conſiſtit, quod conſtituentem ſemper ſuperiorem eſſe exiſtimant conſtituto, quodque adeo populus, qui ſibi regem & principem conſtituerit, (§. CXII, 38.) non poſſit non rege vel principe illo a ſe conſtituto eſſe ſuperior. Sed id non minus abſonum eſt, ac ſi ſervus, qui ſe ultro domino alicui in ſervitutem obnoxiam addixit, (§. LXXIX, 8.) ſeſe domino ſuperiorem dicere vellet, quia ſibi ipſe dominum conſtituerit. Vid. Grot. *de jure belli & pac.* I, 3. 8. V. A. Zach. Huber. *Diſſ. Lib.* II. *p.* 124. *ſequ.* Potius ratio ipſa ſatis agnoſcit, eum non poſſe dici ſuperiorem, qui alterius voluntati voluntatem ſuam ita ſubmiſit, ut voluntati ſuae veluti renunciarit. Quod quum faciat populus, ubi coaleſcit in rempublicam: (§. CXXIX, 5.) qua, quaeſo, fronte is ſe rege ſuperiorem dicet?

Nec non Machiavelliſtarum.

§. CXXXI. At, quia tamen eatenus tantum voluntati ſummorum imperantium voluntates ſuas ſubmiſerunt cives, quatenus id exigit finis ſocietatis civilis, vel reipublicae, (§. XV, 42. ſequ.) id eſt, communis, ob quam potiſſimum in civitatem coaluerunt, ſecuritas: (§. CVII.) non poſſumus non inde colligere, 11. nefarie illos blandiri ſummis poteſtatibus, qui illis perſuadent, licere, quod libeat, 12. nec civibus ab imperantibus fieri poſſe injuriam, immo 13. illorum vitam, exiſtimationem, facultates, ipſamque conſcientiam, ita in principum poteſtate ac arbitrio eſſe, ut illis in ſolo obſequio relicta ſit, gloria. Ex quo fonte quum promanent omnia, quae magna adſeveratione humano generi obtrudere conati ſunt Nic. Machia-

Digitized by Google

chiavellus, Thomas Hobbeſius, & quicumque poſtea *obedientiam paſſivam* defenderunt in Britannia (*): 14. haec principia omnia non minus peſtilentia eſſe, ac monarchomachorum dogmata, nemo temere negaverit.

(*) De Machiavello & Tho. Hobbeſio omnia nota ac pervulgata ſunt. Nec quiſquam eſt, qui non meminerit, quid inter auctores librorum, quos *Julianum* & *Jovinianum* inſcripſerunt, alioſque viros doctos, contrariis ſtudiis agitatum ſit in Britannia. Quin & Grotium *de jure belli & pac. I*, 3, 8. *ſequ.* quodammodo praeluſiſſe huic doctrinae de paſſiva, quam vocant, obedientia, non pauci cenſent, quamvis ſecundum eum vindicias dederit vir laudatiſſimus, Zach. Huberus *ibid. p.* 222. *ſequ.* Sane ſive vi aliquis ſibi ſubjecerit populum, ſive hic ſibi imperantem ultro elegerit: nefas erit principi, injuriis adficere populum ſuum, eumque hoſtili animo opprimere. Priore enim caſu, dum in deditionem accepit populum, hoſtilem animum depoſuit. Poſteriore nihil poteſtatis habet, niſi quantum ei in ſe detulit populus: quem ſane principi dediſſe facultatem, civibus, tamquam mancipiis abutendi, nemo dixerit. Nec jus ſceleri datur loco 1. *Sam.* VIII, 11. Sive enim illud משפט המלך vel *jus regis*, de more & facto explices, uti *jus latronis*, *l.* 5. *D. ad leg. Pomp. de parricid.* ſive de dominio eminente, quod magiſtri Judaeorum faciunt, & cum eo celeberrimus Thomaſ. *ad Huberi de jure civit.* I, 2, 7, 13. *pag.* 58. ſive denique de jure, eatenus obligatorio, ut illi reſiſti nequeat, uti jus accipit Paullus *l.* 11. *D. de juſt. & jure*, & hunc ipſum locum erudite interpretatur V. A. Zach. Huberus *ibid. pag.* 237. inde ſane demonſtrari non poteſt, jus tale eſſe imperantibus, quale illis Machiavellus & Hobbeſius eorumque imitatores, ſervum pecus, attribuere auſi ſunt. Non ſane tale jus ſibi adrogabit princeps bonus,

Οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε ἐ μεθ' ὑμετέροις τοκεῦσιν,
Οὐδέ τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον, οὐδέ τι εἰπὼν
Ἐν δήμῳ, ἥτ' ἐστὶ δίκη τοίων ἀνθρώπων.
Qualis apud veteres divus regnabat Ulyſſes,
Qui nulli civi dicto factove nocebat.
Scilicet hoc hominem Dis immortalibus aequat.

§. CXXXII. Quia ergo ſummi imperantes a nemine, praeterquam a Deo, judicari, multoque minus ſupplicio adfici poſſunt a populo: (§. CXXX, 6. 7.) merito inde colligimus, 15. ſacroſanctum eſſe omne ſummum imperium, 16. ſacroſanctos & ipſos imperantes, adeoque 17. maximum crimen merito habendum eſſe illud, quod perduelles, rebelles & ſeditioſi admittunt. Quin, 18. quamvis forte in theſi concedendum ſit, iis, qui hoſtilem animum adverſus populum oſtendunt, tamquam tyrannis, poſſe reſiſti: 19. in hypotheſi tamen illam regulam fere inutilem eſſe, certiſſimum eſt, quia imperantes a nemine, praeter Deum, judicari, adeoque & ab illo ſolo decidi poteſt, verene hoſtilem animum adverſus populum gerant, nec ne (*). **Imperantes ſacroſancti.**

(*) Plura eam in rem dixit Thomaſ. ad Huber. *de jure civ.* I, 9, 2. 20. *p.* 316. *ſequ.* Exemplum ſane Henrici IV. Imp. ſi paullo accuratius expendatur, ſatis ſuperque unumquemque convincet, quam periculoſum ſit populo ea de re permittere judicium. Erat ille princeps fortiſſimus, cujus id unum conſilium erat, ut jura imperii poteſtatemque regiam, ſibi impuberi paene extortam, vindicaret. Ringebantur epiſcopi & clerici, in quos ſaba illa cudi videbatur, quibus nihil facilius erat, quam juvenem ferociorem, juriumque ſuorum curioſiſſimum, tamquam hoſtem eccleſiae ac reipublicae traducere, & non modo plebi, ſed & principibus imperii, quos ſaeculares vocant, immo & Gregorio Papae perſuadere, eum hoſtili animo adverſus eccleſiam & rempublicam furere, ita denique inſtruere ſcenam, ut princeps optimus, quantumvis manu fortis & plerumque victor, ab ipſo demum filio regno opibuſque, tamquam hoſtis eccleſiae & reip. ſpoliaretur. Adeo periculoſum eſt, non modo plebi infimae, ſed & proceribus, judicium permittere de principum actionibus (*a*).

(a) Tantum abeſt ut Epiſcopatus & Clerus Henricum IV. velut hoſtem traduxerint, quin & votis & precibus, & omni apparatu ſupplicationis tam aſſidue vocarint ad fidem, ut tandem impetrarint; & ipſe Gregorius adeo cunctatus ſit nego-

negotium illud totum, etiam exteris ſollicitationibus reſiſtendo, ut tandem ad umbilicum rem perduxerit, ſalvo Regis & Regni incolumis ſtatu: non negaverim factionem Guiſiorum obſtitiſſe, ut merito in eam vitium quiſque refundat; at immunis ab ea labe tum Epiſcopatus, tum Clerus Gallicanus, cum eoque Pontifex.

Nec tamen quidquid illis libet, licet.

§. CXXXIII. Quum tamen nec omnia promiſcue liceant principi: (§. CXXXI.) conſequens eſt, 20. ut ille vim inferre non poſſit civium conſcientiis, nec 21. quidquam iis imperare, quod voluntati Dei, tamquam ſupremi legiſlatoris, refragetur. (Lib. I. §. LXXXVII. *) 22. Nec jure ſuo aliquem injuſte & ſine praegnante ratione privare, quum cives potius rerum ſuarum ſecure fruendarum cauſſa in ſocietatem civilem coierint. (§. CVI, 17.) 23. Ut civibus, in ſumma calamitate conſtitutis, liceat quidem omnia experiri, ut jus ſuum obtineant, immo &, 24. imminente majore periculo, patriam dulciaque linquere arva: (§. XXII, 71.) non tamen 25. arma corripere adverſus principem vel rempublicam. (Lib. I. §. CCXXXII, 19.)

Quid ſi regnum illis datum ſub lege commiſſoria?

§. CXXXIV. Quamvis vero haec generatim de imperantibus dicenda ſint: contingere tamen poteſt, 26. ut imperium alicui tradatur, certis pactis adſtrictum, additaque lege commiſſoria, ſi pactis illis non ſatisfiat. Tunc vero 27. injuriam non fieri imperantibus, ubi ſubinde moniti civium libertatem opprimere non deſinant, ſi illis abrogetur imperium: ex natura pactorum facile intelligitur, quemadmodum 28. & vitio non verti poteſt civibus, ſi eos, qui ſibi imperium ſine juſto titulo adrogarunt, & quibuſcum nondum tranſegerunt, depactive ſunt (*), imperare prohibeant.

(*) Hinc male Brutus & conjurati occiderunt Caeſarem. Quamvis enim hic imperium uſurparet in civitate libera, idque ſine juſta cauſſa extorſiſſet civibus ſuis: hi tamen jam pridem in eo adquieverant, ac veluti renunciaverant libertati ſuae. Et ſane quum Brutus ipſe apud Ciceronem *Epiſt. ad Brut.* IV. non audeat Antonium, hoſtilis animi erga rempublicam manifeſtum, praejudicare, neque ad ſuum arbitrium tracta, eum tamquam hoſtem adgredi: quo jure interimere potuit Caeſarem, quem tantum abeſt, ut ſenatus populuſque Romanus hoſtem judicarit, ut potius ei ſollemniter dederit fidem? Quare nec rectae rationi ſatis convenit illud Caeſaris apud Lucan. *Pharſal. Lib. I. v.* 351.

Detrabimus dominos urbi, ſervire paratae.

Si enim urbs, id eſt, tota civitas dominos habere cupit: quo jure Caeſari aut cuicumque alii civi licuit bello civili illi *dominos detrahere*?

Imperium ſe exſerit per jura maieſtatis. Ea quid? & quotuplicia?

§. CXXXV. Quum vero omne imperium ſit ſummum atque *ἀνυπεύθυνον*: (§. CXXIX, 5.) conſequens eſt, 29. ut cum illo conjuncta ſint omnia jura, ſine quibus finis ſocietatis civilis, puta ſecuritas, obtineri non poſſet, quaeque conjunctim MAJESTAS, vel MAJESTATIS JURA adpellantur. Quum vero duplex ſit illa ſecuritas, INTERNA, qua cives a concivibus ſecuri praeſtantur, & EXTERNA, qua ab hoſtium vi atque armis defenditur reſpublica: facile patet, 30. duorum etiam generum eſſe jura majeſtatis, quorum 31. alia, quae ratione civium competunt, IMMANENTIA; alia, quae erga exteros exerceri poſſunt, TRANSEUNTIA adpellantur (*).

(*) Omnia haec turbarunt prudentes noſtri, qui, poſtquam ad jus publicum animum adpulerunt, id ſibi negotii crediderunt ſolum dari, ut, tamquam coqui Plautini, diverſiſſima jura miſcerent. Quum enim II. *Feud.* 56. de JURIBUS REGALIBUS, quae cum feudis conjuncta eſſe ſolent, quaedam legerent: eadem illa eſſe exiſtimarunt cum majeſtatis juribus; quum tamen multum interſit, utrum regalia quis, tamquam vaſallus, *dependenter*, uti vocant; an jura majeſtatis, tamquam ſummus imperans, *independenter* exerceat. Deinde, quum eo juris feudalis lo-

co

eo non omnia jura, quae alias ab imperantibus exercentur, recenſeantur: crediderunt doctores, ibi tantum agi de juribus, quae ſalva majeſtate communicari cum vaſallis poſſint, atque hinc ea vocarunt REGALIA MINORA, quibus MAJORA, id eſt, uti illis viſum, incommunicabilia oppuſuerunt. Ita adhuc plerique ſubduxerunt rationes, quos ſolite refellit celeberrimus Thomaſ. *ad Huberi de jure civ.* I, 3, 6, 3. *p.* 91. *ſequ.* Quum ergo hic non ſit quaeſtio de jure clientelari, ſed publico univerſali, ſeu gentium: ſatius viſum eſt, cavere ab illa confuſione JURIUM MAJESTATIS & REGALIUM, & naturam jurium majeſtatis eorumque diverſa genera potius ex reipublicae vel ſocietatis civilis indole; id eſt, ex ipſo fonte, quam ex Henningii Arniſaei, Regn. Sixtini, aliorumque ejuſdem commatis, auctorum, lacunis derivare.

Quaenam ſint immanentia?

§. CXXXVI. Si ergo INTERNA SECURITAS in eo conſiſtit, ut cives a civibus ſecuri praeſtentur: (§. CXXXV.) neceſſe ſane eſt, 32. ut cum ſummo imperio conjuncta ſint jura LEGES FERENDI, 33. eademque ad facta adplicandi, quam SUPREMAM JURISDICTIONEM vocare licebit, nec non jus 34. iis, qui quid contra leges admiſerunt, malum aliquod repraeſentandi, vel POENAS infligendi, 35. TRIBUTA & VECTIGALIA pro reipublicae neceſſitate EXIGENDI, 36. ADMINISTROS & MAGISTRATUS CONSTITUENDI, denique 37. circa ſacra aeque ac 38. COMMERCIA aliaque, quae ad decus civitatis pertinent, operam dandi, ne quid reſp. detrimenti capiat.

Quaenam tranſeuntia?

§. CXXXVII. Quumque & EXTERNAM SECURITATEM ab hoſtium vi & armis intendant ii, qui in communem coaluerunt rempublicam: (§. CXXXV.) conſequens eſt, 39. ut a ſummo imperio ſejungi non poſſit jus FOEDERA percutiendi, 40. LEGATOS mittendi, 41. BELLUM gerendi, 42. faciendi PACEM, quippe ſine quibus fieri non poſſet, ut ſalva ſit civitas. Niſi enim foedera pangendi jus haberet: impar ſaepe eſſet reſpublica impotentior potentiori. Si legatos mittendi facultas denegaretur: foedera non pangerentur. Si belli paciſque jus ceſſaret: non ullum eſſet medium vim vi repellendi, adeoque nec obtineri poſſet finis, qui in ſecuritate conſiſtit.

An dividua ac communicabilia?

§. CXXXVIII. Haec vero jura majeſtatis, quum ex ſummi imperii indole manifeſto fluant, 43. ab illo divelli nequeunt, ut non ſtatim unitas voluntatis tollatur, & naſcatur reſpublica in republica. (§. CXXI.*) At, quum tamen ſaepe ita miſceantur vel omnes, vel plures rerumpublicarum formae, ut una veluti alteram in officio contineat: (§. CXVIII, *66.*) contingere poteſt, 44. ut vel omnia, vel pleraque majeſtatis jura non ab una perſona unove collegio, ſed communiter a pluribus, vel ab univerſo populo exerceantur; & tunc 45. opus ſit comitiis, in quibus ſummus imperans de communi ordinum ſententia haec jura exerceat (*).

(*) Exemplo eſſe poteſt florentiſſimum Britanniae regnum, in quo, ſalvis potentiſſimo Regi praerogativis circa bellum & pacem, nec leges novae feruntur, nec tributa & onera nova indicuntur, nec alia, quae ad totius regni decus ac ſalutem pertinent, ſtatuuntur, niſi in regni comitiis, quae ibi *Parliamentum* vocant. Ita & in Germania nihil, quod ad univerſum imperium pertinet, niſi de communi Imperatoris, Electorum, Principum ac Ordinum ſententia decerni, idemque fere in Polonia, & hodie in Suecia obſervari, ſalvis tamen auguſtiſſimo Imperatori regibuſque potentiſſimis praerogativis, quae in Germania *reſervata* adpellantur, in vulgus notum eſt. Immo in ipſis ſpecialibus Germanici imperii rebuſpublicis ſimile quid obſervavit Hert. *de legib. conſultat. & judic. in ſpecial. Imp. Rom. Germ. rebuſpubl.*

Imperium adquiritur,

§. CXXXIX. Ceterum, quia & forma reipublicae initio totius populi con-

vel per electionem vel per ſucceſſionem.

conſenſu conſtituta, & ipſae perſonae imperantes ab eodem populo electae, iiſque certae leges fundamentales praeſcriptae ſunt : (§. CXI. ſequ.) facile patet, 46. neminem adquirere ſibi imperium poſſe in republica, niſi volente populo, & ſecundum fundamentales reipublicae leges. Secundum eas vero 47. aut ELECTITIA eſſe imperia, aut 48. SUCCESSIVA, 49. eamque diviſionem non modo ad *monarchias*, ſed & ad *ariſtocratias* & quodammodo ad *democratias* pertinere (*).

(*) Sic quando intra paucas familias ita veluti concluſum eſt imperium, ut illis ſolis, qui ex illis prognati ſunt, jure ſanguinis competat jus in ſenatu dicendae ſententiae : ARISTOCRATIA illa procul dubio eſt ſucceſſiva. Quales ariſtocratias hodie fere Venetiis, Januae, Epidauri, Noribergae, florere obſervavit Heit. *Elem. polit.* I, 10, 16. *p.* 212. *ſequ.* Contra, ſicubi optimates vel a populo cum plena poteſtate eliguntur, vel ab ipſo collegio cooptantur, ELECTITIA erit ariſtocratia. Vid. Huber. *de jure civit.* I, 8, 1, 17. *p.* 292. Sic & ſi in qua DEMOCRATIA non aliis jus ſuffragii daretur, quam civibus ORIGINARIIS : illa quodammodo ſucceſſiva eſſet ; ſin & *adſcititiis* ; ELECTITIAE ſimilis.

Quid juſtum circa electionem imperantis?

§. CXL. Imperium ELECTITIUM eſt, quando populus, incidente interregno, ſibi imperantem creat, & in eum conſentientem confert imperium. Quumque populus jus illud eligendi vel ipſe in comitiis exercere, vel certis perſonis in perpetuum dare poſſit : conſequens eſt, 50. ut is, qui ab illis, quibus eligendi jus eſt, pluribus ſuffragiis eligitur, pro legitimo imperante ſit habendus (*), dummmodo 51. oblatum ſibi imperium accipiat, & 52. ſecundum leges fundamentales habilis ſit ad regendam rempublicam, quin & 53. ipſa electio eo ritu ac ordine facta ſit, quem leges publicae vel mores civitatis ac reipublicae exigunt.

(*) Itaque vix legitimos dixerit principes, qui per ſeditionem a turba, vel ab exercitu, cui eligendi jus non eſt, ad imperium ſunt evecti. Quod poſtremum rempublicam Romanam ſaepenumero tantum non peſſumdediſſe, vel exempla Othonis, Vitellii, Veſpaſiani, nec non Peſcennii Nigri, Clodii Albini, & Septimii Severi docent. Hinc Plutarchus *in Galba p.* 1053. loquutus de tempore, quo, ut ait Tacit. *Hiſt.* I, 4. *evulgatum fuerit imperii arcanum, poſſe principem alibi, quam Romae, fieri*, quaſſatam, inquit, convulſamque tunc eſſe rempublicam Romanam, quaſi fabuloſis Titanicis motibus (τοῖς λεγομένοις Τιτανικοῖς πάθεσι καὶ κινήμασι,) quum eodem paene tempore hinc inde transferretur principatus ex avaritia & licentia militum, qui largitione & praemiis corrupti imperatores imperatoribus, tamquam clavum clavo pepulerint. Vid. Petri Cunaei *Orat.* IX. *p.* 188. Adeo multum intereſt reipublicae, in qua electitium eſt imperium, perſonas eligentes, eligendaſque, & ipſum modum formamque eligendi certis legibus ita definire, ne ſimilia Titanicis illis motibus contingant.

Quid interregnum in republica electitia?

§. CXLI. Ex qua imperii electitii definitione (§. CXL.) porro patet, 54. in hujuſmodi imperio toties incidere INTERREGNUM, id eſt, ſtatum civitatis, a ſummo imperante ordinario deſtitutae, quoties ſummus imperans vel moritur, vel ipſe ſeſe abdicat, vel a populo illi abrogatur imperium, 55. niſi populus, vivo ac volente imperante, alium elegerit, ipſi ſucceſſurum 56. Deſignatum illum ſucceſſorem nihil juris habere vivo imperante, niſi quantum, volente illo, ei detulerit populus, vel 57. quantum ipſe ei delegare velit imperans, ſive abſens, ſive alia juſta cauſſa impeditus, quo minus ipſe praeſit reipublicae (*).

(*) Quum enim aliud ſit, imperanti abrogare imperium aliud, eidem ſucceſſorem deſignare : fieri non poteſt, ut ſucceſſori deferatur facultas imperium reipſa capeſſendi, quin ſimul abrogatum eidem imperium videatur. Hinc animadvertimus

regi-

Digitized by Google

regibus Romanorum, quos, vivo Imperatore, aliquando eligunt Germani, nihil poteſtatis reipſa dari, niſi Imperatores abſentes iis aliquam delegent, quod Carolum V. aliquando feciſſe, novimus. Similis paene eſt *coadjutorum*, quos vocant, conditio, quibus, vivis epiſcopis ac praelatis, nihil omnino poteſtatis competit, ſed certum tantum tribuitur jus ſuccedendi, ſi ſedem vacare, uti loquuntur, contigerit, ut adeo coadjutorum nomen ſine omine ferant. Illuſtr. Boehmer. *Jur. eccleſ. proteſt.* III, *6*, *23*.

An tempore interregni adhuc ſuperſit reſpublica?

§. CXLII. Quum vero hoc interregnum ſit ſtatus civitatis, a ſummo imperante ordinario deſtitutae, (§. CXLI, 54.) nec tamen populus tunc ceſſare velit rempublicam, dum de novo eligendo principe conſultat: conſequens eſt, 58. ut interea reipublicae praeeſſe debeant magiſtratus extraordinarii, quocumque nómine veniant, iique 59. vel nova electione, ordinum ſuffragiis, conſtituendi, vel, *60*. quod conſultius eſt, in anteceſſum lege publica deſignandi, *61*. quorum tamen ceſſare oportere poteſtatem, novo imperante electo, facile unuſquiſque intelligit. Quum vero hi imperantium vice fungantur ad tempus: mirum omnino eſt, *62*. diſputare viros doctos, an tempore regni vera ſuperſit civitas vel reſpublica? quaeque illi forma adſignanda ſit (*)?

(*) Puſendorff. *de jure nat. & gent.* VII, 7, 7. de hoc ſtatu ita philoſophatur: Quia per poſterius pactum, regem inter & cives initum, interna civitatis perfectio & ſummum imperium actu provenit: inde, ſubjecto proprio imperii ſublato, ad imperfectam formam regnum delabi, ſic, ut primigenio tantum pacto cohaereat, de quo ſupra pluribus dictum. (§. CX.) Illi tamen pacto tempore interregni non parum firmitatis addere vocabulum communis patriae, ſimulque quod plurimorum fortunae iſti loco ſint adnexae. Itaque interregni tempore regnum recte quidem cum Livio I, 17. vocari poſſe *civitatem ſine imperio*, *& quaſi exercitum ſine duce*: imperium tamen, quod & a Grotio *de jure belli & pac.* I, 3, 7. obſervatur, redire ad univerſum populum, adeoque formam quamdam democratiae prae ſe ferre. Ita Puſendorffius, quem in plerisque & Hertius ſequitur *Elem. prud. civ.* I, 12, 14. & Houtuyn. *Polit. gener.* §. C. *n.* VI. *ſequ.* Enimvero, quum plerumque vel in anteceſſum deſignatus ſit interrex, vel aliquis, vel plures, communi ordinum ſuffragio eligantur, qui ad tempus eadem cum poteſtate, immo & aliquando multo majore, praeſint reip. quam ipſe imperans, juraque majeſtatis ſaltim ea, quae circa res moram non ferentes verſantur, exerceant: vix excogitari poteſt ratio, cur non perfecta dici poſſit haec, licet temporaria, reipublicae conſtitutio, & monarchica, quidem, ſi uni, dyarchica, ſi duobus, ariſtocratica, ſi pluribus, tamquam principibus intercalaribus, reipublicae cura demandetur.

Succeſſio qualis in regnis, ubi populus nihil in ſpecie diſpoſuit?

§. CXLIII. Succeſſivum imperium eſt, quando populi decreto electa eſt familia quaedam regnatrix, ut ex ea perſona aliqua ſemper praeſit imperio, quamdiu ex poſteris aliqua ſupereſt, quae per leges publicas praeeſſe poſſit. Quale imperium ſi conſtituere placuit; aut certum ſuccedendi modum definivit populus, aut nihil ea de re diſpoſuit. Poſteriore caſu *63*. omnino praeſumitur, eum jus commune de ſucceſſionibus ab inteſtato probaſſe. At, quia tamen nec tanta prudentiae praeſumtio cadit in feminas, quanta in maſculos, (§. XLV.*) & praeterea facile contingere poſſet, ut per feminas regnum, veluti dotale, ad extraneos perveniret: hinc ſane *64*. feminae non niſi in ſubſidium, & deficientibus demum maſculis, ad ſucceſſionem vocandas patet (*). Denique, quum & unitas voluntatis ſit veluti vita & anima reipublicae, (§. CXV, 50.) ea vero ſperari non poſſit, ſi duo pluresve regnum monarchicum vel pro indiviſo adminiſtrent, vel illud inter ſe partiantur: conſequens eſt, *65*. ut e pluribus, regi ultimo aeque propinquis, primogenitus vel primogenita praerogativa jure meritoque donetur. (Lib. I. §. CCXCVII.*)

(*) Sunt,

Digitized by Google

(*) Sunt, qui feminas ad imperia plane ineptas atque inhabiles exiſtimant, veluti Jo. Bodinus, ſed ex juris tantum Romani principiis, quae non ſtringunt gentes liberas. Et ſane quum in ipſa Hebraeorum theocratia judicis officio cum laude functa ſit Debora, & omnium fere gentium annales celebrent reginas, quae ſibi immortalem gloriam prudentia regnandi rerumque geſtarum magnitudine pepererunt: quis feminas indignas habeat imperio? Attamen, quum natura ut plurimum maſculos prae feminis quadam praerogativa donarit: non abſurdum eſt, exiſtimare, has tantum in ſubſidium eſſe ad ſucceſſionem vocandas. Ariſtotel. *Polit.* I, 8. τότε γὰρ ἄῤῥεν φύσει τῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, εἰ μὴ πῦ συνέστηκε παρὰ φύσιν. *Mas enim natura magis aptus eſt ad regnandum, quam femina, niſi in hac aliquid praeter naturam exſtiterit.*

Qualis ibi, ubi populus diſpoſuit?

§. CXLIV. Ubi populus de ſucceſſionis ordine diſpoſuit, facile patet, *66.* ſtandum eſſe populi voluntati. (§. CXII, 39.) Et hinc *67.* ſive Francicam, quae feminas excludit, *68.* ſive CASTELLANAM, quae eaſdem admittit in ſubſidium, praeferat: *69.* ſive lineae, ſive *70.* gradus propioris habere malit rationem: ſive denique *71.* extraordinariam plane & inſolitam ſuccedendi rationem lege publica firmet (*): rata erit populi voluntas, & ſacroſancta habebitur lex illa fundamentalis & publica. Ex quo porro colligimus, *72.* poſſe etiam populum imperanti poteſtatem facere, ſucceſſorem, quem velit, ſibi deſignandi, nec non, *73.* gliſcentibus de jure ſuccedendi litibus, partes ſuas interponere: quamvis experientia doceat, de cauſſa tam ardua plerumque, ut verbis Ennii utamur, non in jure manum conſeri, ſed mage ferro rem agi.

(*) Exempla quam plurima jam attulit Pufend. *de jure nat. & gent.* VII, 7, 14. Modus tamen maxime regularis eſt linealis, ut patri ſuccedat primogenitus, ejuſque poſteri primogeniti, quoad aliquis ex illa linea ſuperſit. Hinc, exſtincta linea regnatrice, admittatur ex proxima primogenitus, & ſic porro, quamdiu aliquis ex primi adquirentis poſteris ſupereſt. Quaeſitum etiam olim novimus, utrum is, qui primus liberorum, ſed ante regnum natus eſt, an is, qui, jam regnante patre, in lucem prodiit, primogeniturae juribus gaudere debeat? Sed quum in primogenitura tantum ordinis natalium habeatur ratio, nulla ratio eſt, cur frater natu minor ideo excludere debeat natu majorem, quod illum, vagientem in purpureis incunabulis, aula audivertit.

Interregnum ordinarium & extraordinarium.

§. CXLV. Itaque per electionem tantum perſona electa; (§. CXL.) ex jure SUCCESSIONIS tota familia regnatrix jus regnandi conſequitur. (§. CXLIII.) Quumque adeo prius jus cum perſona exſpiret, poſterius tamdiu duret, quamdiu durat regnatrix familia: conſequens eſt, *74.* ut, exſtincta perſona electa, INTERREGNUM ORDINARIUM; *75.* exſtincta familia regnatrice, EXTRAORDINARIUM (*) incidat, & tunc *76.* in arbitrio populi ſit, cui genti hoc decus de novo conferre, & *77.* utrum illam iiſdem legibus, imperio praeficere, an arctioribus limitibus ſuccedendi ordinem, ipſamque imperantium poteſtatem, circumſcribere malit.

(*) Tale incidiſſe ferebant Franci poſt annum DCCCCLXXXVII. mortuis Lothario & Ludovico, Carolingicae ſtirpis regibus. Hinc teſte Glabro Radulpho *Hiſt.* II, 1. *convenientes totius regni primates Hugonem, Ducem Pariſienſem, in regem ungi fecerunt.* Add. Aimon. *de geſt. Franc.* V, 44. Sed & Ruſſi, exſtincta Joannis Baſilidis prole, & principibus quibuſdam tragicis, Boriſio Gudenovio, Theodoro, Boriſii filio, Demetriis falſis, & Joanne Zuskio, miſere pereuntibus, electione quoque Uladislai Poloni male cedente, novam elegerunt domum regnatricem Michaelis, Theodori, patriarchae, filii, ex qua poſtea ad noſtra uſque tempora Alexius, Joannes, Petri duo & Anna, vaſtiſſimo illi imperio praefuerunt. Quod enim ad Catharinam imperatricem attinet, eam non ſucceſſionis jure, ſed extremo mariti, Petri I. judicio ad illud faſtigium evectam eſſe, nemo ignorat.

§. CXLVI.

Quomodo vi adquiratur imperium?

§. CXLVI. Tales ſunt imperium adquirendi modi, quoties ipſe ſibi populus imperantes conſtituit. Saepe enim vi & armis ſibi aliquis viam munit ad imperium. Quo caſu 78. populus devictus, licet coactus, tamen in novum illud imperium procul dubio conſentit: (§. XVI, 45.) ac 79. ſive victor ſe eadem lege, qua antea principes uſi ſunt, imperium ſuſceptu- rum, polliceatur, ſive 80. novas ſibi ac ſucceſſoribus conditiones & plus poteſtatis ſtipuletur, ſive 81. quaedam, quae ſibi priores principes adrogarunt, victis remittat, id poſteris pro lege eſſe oportet (*).

(*) Hinc recte Grotius *de jure belli & pac.* III, 8, 1, 3. *Poteſt*, inquit, *imperium victori adquiri, vel tantum, ut eſt in rege vel alio imperante, & tunc in ejus tantum jus ſucceditur, non ultra: vel etiam ut in populo eſt; quo victor imperium habet ita, ut & alienare poſſit, ſicut & populus poterat*. Poſtremum tamen, quod de alienatione addit, paullo accuratiorem meretur inſpectionem. Nos dicimus, aut victorem cum rege tantum debellaſſe, aut cum ipſo populo. Si prius: eum in jura victi principis ſuccedere, nihilque mutare debere circa formam imperii, quemadmodum e.g. Guilielmus Arauſionenſis, uxoris nomine bello cum Jacobo confecto, nihil circa formam regni Britannici mutavit. Sin poſterius: eumdem ſuo jure tranſigere cum populo perdomito, adeoque in ejus arbitrio eſſe, velitne civitatem in provinciae formam redigere, quod Romani plerumque faciebant, an ei durioris imponere jugum, an clementiae edere ſpecimen, & quaedam iis remittere malit. Sic Alexander, clementiſſimus initio victor, Sidoniorum occupato regno, nihil mutavit circa imperii formam, illud Abdolonymo reſtituiſſe contentus. Curt. IV, 1. Turcae contra perdomito a ſe imperio Byzantino, jure victoriae multo duriorem conditionem impoſuerunt, idem ſentientes, quod apud Caeſarem *de bello Gall.* I, 36. Arioviſtus, *jus eſſe belli, ut, qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent*. Denique Ageſilaus, teſte Xenophonte de *Ageſilao Rege Cap.* I. §. 22. *quaſcumque civitates in poteſtatem ſuam redigebat, iis adimebat ea*, ὅσα δοῦλοι δεσπόταις ὑπηρετοῦσι, *quae ſervi dominis praeſtant*, προσέταττεν, ὅσα ἐλεύθεροι ἄρχουσι πείθονται· *eaque tantum imperabat, in quibus homines liberi magiſtratibus parent*. Sed id quidem hodie rariſſime fiet, multoque rarius id, quod de temporibus ante Ninum refert Juſtin. *Hiſt.* I, 1. eos, qui bella geſſerint, *non imperium ſibi, ſed gloriam quaeſiſſe, & contentos victoria abſtinuiſſe imperio*.

Diviſio regnorum in patrimonialia & uſufructuaria.

§. CXLVII. Quae quum ita ſint, omnes utique modi adquirendi imperium a populi conſenſu, ſive ultroneo, ſive vi, eaque vel juſta, vel injuſta, extorto, pendent. Ex eoque recte colligere nobis videmur, 82. non adeo firmo talo ſtare diſtinctionem inter imperia PATRIMONIALIA & USUFRUCTUARIA. Quamvis enim eam primus invenerit Grotius *de jure belli & pac.* II, 6, 3. & I, 3, 12. eumque deinde magno agmine ſequuti ſint viri docti: tot tamen difficultatibus tota illa doctrina premitur, ut, quae imperia ſint patrimonialia, quae uſufructuaria, ſciamus juxta cum ignariſſimis. Vid. Thomaſ. *ad Huber. de jure civit.* I, 3, 2, 15. *pag.* 69. *ſequ.*

An recte ſe habeat haec diviſio?

§. CXLVIII. Nimirum Grotius exiſtimat, quaedam regna ita eſſe in imperantium dominio, ut inter vivos, & mortis cauſſa, libere poſſint alienari: eaque ille PATRIMONIALIA vocat. Quaedam contra ita eſſe comparata ſtatuit, ut illa alienandi facultas adempta ſit imperantibus, quae ipſe USUFRUCTUARIA vocat, quamvis Thomaſius *Juriſprud. div.* III, 6, 135. ea commodius FIDEICOMMISSARIA dici poſſe, moneat. Sed quum I. res, quae in patrimonio alicujus eſt, non amplius ſit communis, (Lib. I. §. CCXXXV.) adeoque nec publica, quippe quae communionem, ſaltim poſitivam, ponit: (Lib. I. §. CCXXXVII, 13.) facile patet, regnum deſinere eſſe rempublicam, & in familiam degenerare, (§. XC.) ſi ſit in

unius dominio vel patrimonio. Praeterea II. quum omnes civitates non imperantis, ſed ſecuritatis communis cauſſa ſint conſtitutae: (§. CVI, 17.) ex hac quoque cauſſa regnum non poteſt eſſe patrimoniale, ut non ſtatim deſinat eſſe reſpublica. Vid. perilluſtris hujus provinciae praeſidis, Jo. Gothofredi de Cocceiis, *diſſertatio de teſtamentis principum Part. II. §. XVI. ſequ.*

(*) Itaque vere contradictionem involvit regnum patrimoniale, quia regnum ſpecies reipublicae: (§. CXVI.) regnum vero patrimoniale res privata eſt. At praeterea plerumque in circulum abit illa tot virorum doctiſſimorum ſuffragio probata doctrina de regnis PATRIMONIALIBUS & USUFRUCTUARIIS. Si enim quaeras, an princeps quidam gaudeat facultate alienandi imperium, nec ne? reſpondent, permultum intereſſe: ſitne regnum *patrimoniale*, an *uſufructuarium*. At, ſi porro inſtes, rogeſque, quid ſit *regnum patrimoniale*, quid *uſufructuarium?* per illud ſe intelligere, quod alienari poſſit, per hoc, quod non poſſit, reſpondent. Criterium vero certum, unde conſtet, quaenam regna in patrimonio ſint, quae non ſint, adhuc deſideramus. Nam & deſpotica, & bello adquiſita, inalienabilia eſſe, nihil vetat, ceu recte obſervat Huber. *de jure civ.* I, 3, 2, 18.

Regni alienatio, niſi conſentiente populo, illicita.

§. CXLIX. Ex quo recte colligere nobis videmur, 83. non poſſe ullum imperantem regnum vendere, 84. donare, 85. permutare, 86. dividere, 87. teſtamento alicui legare, vel 88. aliis modis, quibus alias de patrimonio ſuo inter vivos & mortis cauſſa diſponere ſolent homines, in alios transferre, 89. niſi vel conſentiat populus, vel 90. hic eam de regno diſponendi illudque alienandi facultatem in regem vel principem diſerte tranſtulerit (*).

(*) Neque obſtant exempla, quae ex omnis aevi hiſtoria magno numero adcumularunt Grotius, Puſendorffius, & alii. Jam enim alios regna diviſiſſe, jam teſtamentis eadem in alios tranſtuliſſe, legimus. Praeterquam enim, quod non exemplis, ſed rectae rationis principiis, aeſtimanda eſt harum alienationum juſtitia: recte jam reſpondit perilluſtris Baro de Cocceiis *de teſtam. princ.* Part. II. §. XVII. *Vel effectum non habuere illae alienationes: vel eum conſenſu populi, ſive tacito, ſive expreſſo, factae ſunt: vel etiam vis praevaluit.*

CAPUT VIII.

DE JURIBUS MAJESTATIS IMMANENTIBUS, QUIDQUE CIRCA EA JUSTUM SIT.

§. CL.

Securitas interna in juſtitia externa poſita eſt.

JURA MAJESTATIS IMMANENTIA ſunt jura, cum ſummo imperio inſeparabili nexu conjuncta, & ſine quibus cives a civibus ſecuri praeſtari non poſſent. (§. CXXXVI.) Quum ergo illa ſecuritas in eo conſiſtat, ut nemo ab altero cive laedatur, ſuumque cuique tribuatur, quod jure perfecto poteſt exigi: conſequens eſt, 1. ut ea praecipue poſita ſit in JUSTITIA EXTERNA, per quam intelligimus conformationem actionum externarum cum lege (*), adeoque 2. non male ratiocinentur ii, qui, civitates etiam juſtitiae fruendae cauſſa conſtitutas eſſe, contendunt, *ut data legibus vi, judiciis auctoritate, cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa rerum ſuarum poſſeſſio cuique conſtaret*: Vellei. Pat. *Hiſt. II*, 80. ac proinde 3. actum eſſe aiunt de republica, ex qua exſulat juſtitia, qua civitates continentur. Ariſtot. *Polit. I*, 2.

(*) Quam-

(*) Quamvis enim nemo non faſſurus ſit, multo praeſtantiorem eſſe JUSTITIAM INTERNAM, quae in conſtante ac perpetua laedendi neminem, ſuumque cuique tribuendi, voluntate conſiſtit: eam tamen in tot hominibus, qui in eamdem civitatem coaleſcunt, optandam magis, quam ſperandam, eſſe, facile eſt ad intelligendum. Suffecerit itaque, legibus ita in officio contineri homines, ut actiones externas ad legum normam componant, & nec alteri denegent quidquam, quod jure perfecto poſſint exigere, nec aegre cuiquam faciant contra jus & aequum. Attamen nihil reliqui facere decet bonos imperantes, ut & internam juſtitiam accurata civium inſtitutione ac diſciplina promotum eant. Iſocrat. *in Areopagit. pag.* 27. Δεῖ δὲ τοὺς εὐπολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον· Οὐ γὰρ τοῖς ψηφίσμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἤθεσι, καλῶς οἰκεῖσθαι τὰς πόλεις, καὶ τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους καὶ τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους τολμήσειν παραβαίνειν· τοὺς δ᾽ ἀσφαλῶς πεπαιδευμένους καὶ τοῖς καλῶς κειμένοις θελήσειν ἐμμένειν. *Decere prudentes magiſtratus, non porticus implere legibus, ſed efficere, ut cives animis inſitum habeant juſtitiae ſtudium. Non enim ſenatusconſulta & plebiſcita, ſed praeclara inſtituta felicem efficere civitatem. Nam homines male inſtitutos leges etiam exquiſitiſſimas negligere audere: recte autem educatos demum bonis legibus obtemperare velle.*

§. CLI. Quumque juſtitia externa, ad internam civium ſecuritatem comparata, in conformatione actionum externarum cum lege conſiſtat: (§. CL, 1.) conſequens eſt, 4. ut ad officium ſummorum imperantium pertineat, bonis LEGIBUS armare rempublicam, adeoque 5. illis non poſſit non competere JUS vel POTESTAS LEGES FERENDI, 6. earumdem ſuſcipiendi cuſtodiam, 7. quin & eas attemperandi fini, formae, utilitatique reipublicae (*), adeoque 8. aliquid iis adſtruendi; demendive, quin & capita quaedam vel plane abrogandi, vel ſaltim mutandi, prout id e republica futurum eſſe, animadvertunt: quod jureconſultis Romanis, formae reipublicae ſuae ſtilum adcommodantibus, eſt, ROGARE, OBROGARE, DEROGARE, ABROGARE, SUBROGARE. Ulpian. *Fragm. I, 3.*

Hine imperantibus competit jus ferendi leges.

(*) Quia enim in eo poſitum eſt juris naturalis ac civilis diſcrimen, quod illud ad actiones natura bonas malaſque internas ac externas; hoc ad indifferentes atque externas, quatenus ſaluti populi cujuſque vel reipublicae attemperandae ſunt, pertinet: (Lib. I. §. XVIII, 36.) fieri non poteſt, ut uniformes ſint omnium gentium civitatumque leges. Et hinc judicatu difficillimum eſt, quaenam diverſarum gentium leges civiles ſint reliquis praeferendae, & recte potius Herodotus *apud Stobaeum Serm. XXI. pag.* 180. Εἴ τις προθείη πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἐκλέξασθαι κελεύων νόμους τοὺς καλλίστους, ἐκ τῶν πάντων νόμων διασκεψάμενος ἀνελέσθαι ἕκαστος τοὺς ἑαυτοῦ· οὕτω νομίζουσι πολύ τι καλλίστους τοὺς ἑαυτῶν νόμους ἕκαστοι εἶναι. *Si quis omne genus legum proponeret hominibus, & optimas ſibi, conſideratis omnibus, deligere juberet: ſinguli ſuas recepturi eſſent. Ita quilibet, omnium longe praeſtantiſſimas ſuas eſſe leges, exiſtimat.* Quae enim leges optimae ſunt uni genti pro ſuo fine, ſuaque reipublicae forma: eae alteri parum commodae eſſent futurae, & uni reip. noxiae, alteri eſſe poſſent utiliſſimae.

§. CLII. Nimirum, quum unum in republica intellectum, unamque voluntatem eſſe oporteat, (§. CXV, 50.) tunc demum vero unus intellectus unaque voluntas ſit, ſi omnes eumdem finem eademque media perſpiciant, ad eaque actiones ſuas referant, quod tamen pro ingenii humani indole aliter quam voluntatibus omnium imperantium voluntati ſubmiſſis conſequi non licet: (§. CXV. (*), ſequitur, 9. ut imperantem oporteat oſtendere, ad quid ſuas actiones externas, alioquin indifferentes, referre, & ad quam normam eas componere debeant. Quod quum fiat praeſcriptis legibus civilibus: facile patet, 10. LEGES CIVILES eſſe praecepta generalia ſummi imperantis de actionibus externis indifferentibus, ad decus utilitatemque reipublicae componendis, adeoque 11. poteſtatem illam legiſlatoriam ſe eo uſque

Quid lex civilis, & quod ejus objectum ſit?

 non

Digitized by Google

non extendere, ut leges divinas evertere poſſit. (Lib. I. §. XVII, 33.)

Quid imperanti liceat circa leges divinas.

§. CLIII. Dicimus, leges civiles verſari in actionibus civium externis ac indifferentibus ad decus utilitatemque reipublicae attemperandis, (§. CLII, 10.) Quamvis enim ſaepe ipſa neceſſitas jubeat, imperantem 12. leges divinas, tum naturales, tum poſitivas, repetere, 13. eaſque extendere (*), 14. interpretari, 15. contra illas laeſis actiones & remedia civilia dare, immo & 16. poenas & ſupplicia comminari illis, qui leges, ab ipſo Deo immortali profectas, tam proterve violare auſi fuerint: res ipſa tamen docet, 17. tunc non ipſas has leges ſummo imperanti debere originem, ſed hunc, 18. veluti cuſtodem divinarum legum, dare operam, ut ſancta ſit earum in republica auctoritas.

(*) Equidem legi divinae & addi & detrahi quidquam vetuit ipſum ſummum Numen. *Deut.* IV, 2. Sed prius intelligendum procul dubio de laciniis legi divinae contrariis, vel de ἐθελοθρησκείᾳ, ad quam maxime proclivia erant Hebraeorum ingenia. Id vero non impedit, quo minus imperans prohibitionem divinam poſſit ulterius ad caſus, lege non expreſſos, proferre, ut velut eo major cuſtodia circumponatur legi divinae. Solent id Hebraeorum magiſtri vocare סיג לתורה *ſepimentum legis*, quo longius arcentur homines, legem violaturi, & ipſi veluti primi aditus occluduntur. De hoc legis ſepimento vid. Schickard. *jur. reg. Cap. V. theor.* XVIII. *p.* 391. & ibi Carpz. *in Notis* Jo. Selden. *de uxor. Hebr.* I, 2.

Legis partes.

§. CLIV. Quum vero leges civiles ſint praecepta ſummi imperantis de civium actionibus externis indifferentibus, ad decus utilitatemque reipublicae attemperandis, (§. CLII, 10.) tale vero ſit hominum ingenium, ut ſola obligatione interna parum moveatur: (Lib. I. §. VIII.) quin leges civiles, quae ad actiones indifferentes pertinent, ne poſſint quidem internam obligationem producere: (Lib. I. §. VII.) conſequens eſt, 19. ut omnes leges civiles ſanctione quadam poenali munitas eſſe oporteat, adeoque 20. duae ſint legis perfectae partes, PRAECEPTUM & SANCTIO poenalis, 21. praemia autem legi parentibus a republica non deberi, niſi aliquid non omnibus promiſcue civibus praecipiatur, ſed quidam eorum lege excitentur ad aliquid, publico bono, extra ordinem faciendum (*).

(*) Eſt hoc obſervandum contra Rich. Cumberlandum *de leg. nat. proleg. Cap.* XIV. *& Cap. V.* §. XL. ubi praemiorum promiſſionem non minus ad integritatem legis pertinere, ſtatuit, quam comminationem poenae. At legislator non debet praemia iis, qui faciunt, quod ſine crimine omittere non poſſent, ſed iis, qui quid extra ordinem faciunt reipublicae bono. (Lib. I. §. XCIX. *) Hinc fruſtra exſpectaret praemia, qui non occidit, adulterium non admiſerit, non furatur, quum id facientem poena potius maneret. At jure exigit praemium, qui a legiſlatore, praemiis propoſitis, excitatus, commeatum navibus advexit, qui ſuis impenſis novas fabricas armorum inſtituit, vel ſimile quid, ad quod non omnes & ſinguli tenentur, fecit. Ceterum inde inſignis Dei clementia elucet, quod, quum ſuo jure uti, hominibuſque, legem ſuam tranſgreſſis, poenam tantum minari potuiſſet, tamen & praemia polliceatur obtemperantibus, & quidem in mille generationes duratura. *Exod.* XX, 6.

Quintuplex ſanctio illa poenalis?

§. CLV. Quandoquidem porro per poenam intelligimus effectum malum actionis legi repugnantis: (Lib. I. §. XCIX, 7.) 22. ille effectus malus conſiſtere poteſt non modo in malo quodam paſſionis, quod vitam, ſenſum, exiſtimationem, fortunaſque hominis, adficit, verum etiam 23. in nullitate actus, contra leges ſuſcepti, immo & 24. in utroque: qualem legem, quae & actum contrarium irritum pronunciat, & tranſgreſſori legis malum ali- quod

quod paſſionis irrogat, jureconſulti Romani ſolam PERFECTAM: 25. reliquas modo IMPERFECTAS, modo MINUS, QUAM PERFECTAS, adpellabant. Ulpian. *Fragm.* I, 1. Qûum porro factum illicitum aliud determinatum, aliud indeterminatum, & ob inſignem circumſtantiarum varietatem diverſum eſſe poſſit: (Lib I. §. C, 9.) conſequens eſt, 26. ut poena vel DEFINITA eſſe poſſit, vel INDEFINITA, ſeu ARBITRARIA.

§. CLVI. Quum vero fruſtraneae futurae eſſent leges, niſi adplicarentur factis, id eſt, niſi inquiratur, imputandumne homini ſit factum, nec ne; (Lib. I. §. XCV.) conſequens eſt, 27. ut in republica eſſe aliquem oporteat, quem penes ſit cognitio de imputatione actionum. Et, quia haec cognitio nihil aliud eſt, quam judicium de aliorum actionibus: (Lib. I. §. XCVII, 3.) facile patet, 28. neceſſariam omnino in republica eſſe POTESTATEM JUDICIARIAM. Denique, quia inter aequales nec magiſtratus, nec poena intelligitur: (§. VI, 11. ſequ.) 29. haec poteſtas in republica competere non poteſt, niſi ſuperiori, id eſt, ſummo imperanti (*), adeoque 30. illa inter immanentia jura majeſtatis recte refertur. (§.CXXXVI, 33.) *Imperanti competit etiam poteſtas judiciaria?*

(*) Equidem in ſtatu naturali & patremfamilias jus dicere poſſe familiae ſegregi, jam ſupra obſervavimus. (§. XCIII, 10. ſequ.) At in civitate id fieri non poteſt, niſi quatenus id patrifamilias indulgent leges. (§. XCIV, 16.) Competit ergo in rebuſp. iudiciaria illa poteſtas ſummis imperantibus, quos etiam vel maxime ob id conſtitutos eſſe, obſervant veteres. Heſiod. *Theogon.* v 88.

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι, μετάτροπα ἔργα
τελεῦσι.
Hac una reges ſapienti lege creantur,
Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.

§. CLVII. Quum vero judicis ſit, leges ad facta adplicare, (§. CLVI.) facta vero, contra leges admiſſa, vel privatis, vel ipſi reipublicae detrimentum inferant: ſequitur, 31. ut omnia judicia vel PRIVATA ſeu CIVILIA, vel PUBLICA ſeu CRIMINALIA ſint, 32. illaque in diſtrahendis civium controverſiis; haec in puniendis maleficiis conſiſtant: Cic. *pro Caecin. Cap. II.* Et 33. quamvis vitio verti non poſſit principi, ſi hanc judicandi poteſtatem viris prudentibus juriumque peritis (Lib. I. §. CI, 11. ſequ.) demandet, adeoque ubique magiſtratus & judices conſtituat: ſemper tamen 34. ad imperantem iis patere oportet viam, qui, ſeſe injuſta ſententia oppreſſos, conqueruntur, adeoque penes illum eſſe debet ſuprema cauſſarum dubiarum *ἀνάλυσις* (*). *Quotuplex illa, & quomodo exerceatur?*

(*) Hinc in rebuspublicis MONARCHICIS ad reges & principes; in ARISTOCRATICIS ad ſenatum optimatium; in DEMOCRATICIS ad ipſum populum provocandi ius eſt: nec temere conſtituendus eſt magiſtratus ſine provocatione: quod ne in Regibus quidem dictatoribuſque ſuis diu tulerunt Romani. Liv. *I*, 26. II, 8. III, 55. X, 9. Attamen, quum & provocationum abuſus haud exiguus ſit: non mirum videri poteſt, varia inventa eſſe remedia, quibus nimia provocandi temeritas coerceretur. Qualia ſunt privilegia de non adpellando, quibuſdam magiſtratibus conceſſa, certa ſumma, quam adpellabilem vocant, lege definita, iusiurandum calumniae, pecunia quaedam, a provocante in caſum, ſi ſuccubuerit, deponenda, & ſimilia, quae an profint reip. magis in civili prudentia, quam in iuriſprudentia naturali, diſquiritur.

§. CLVIII. Quia judicis eſt, leges factis adplicare, &, an factum aliquod facienti imputandum ſit, diſquirere, (Lib. I. §. XCV.) imputatio vero conſiſtit in declaratione, utrum effectus, quem lex actioni adſignat, locum habeat, nec ne: (Lib. I. §. XCIX.) ſequitur ſane, 35. ut impe- *Itemque jus poenas infligendi?*

ran-

ranti, cui ſumma eſt poteſtas judiciaria, competat etiam JUS POENAS INFLIGENDI. Et quandoquidem negari nequit, ei, qui legem fert, jus etiam eſſe, eidem ob juſtas cauſſas derogandi, quin eam plane abrogandi: (§. CLI, 8.) multo magis 36. eidem licebit, aliquem delinquentem ob juſtas & graves cauſſas ita lege ſolvere, ut ei gratiam poenae faciat (*).

(*) Negabant id Stoici, quorum pervulgatum erat illud dogma: *μηδέποτε συγγνώμην ἔχειν τὸν σοφόν. Sapientem non dare veniam, nec ignoſcere*. Diog. Laert. VII, 123. Sen. *de clement.* II, 6. 7. Sed quum & Deus ipſe, iuſtiſſimus, gratiam delictorum faciat, ſalva iuſtitia: quidni & ſapiens? quidni & imperans, qui, uti leges poenales fert, ita eas plane tollere, ac proinde & uni alterive veniam dare poterit? Sed *ob juſtas cauſſas*: quum, quemadmodum non niſi ob graves iuſtasque cauſſas, leges feruntur, ita nec, niſi ob iuſtas cauſſas, quidquam contra illas indulgeri poſſit. Quid vero, ſi poena ſit iure divino conſtituta? Tunc, ſi probetur, talem legem poenalem exſtare, in eam principi nihil licere, non diffitemur. (Lib. I. §. XVII, 33.) An vero exſtet, de eo dudum certant viri docti, & adhuc ſub iudice lis eſt. Vid. Thomaſii *Diſſ. de jure adgrat. princ. circa poenam homicid.*

An hoc jus & inter pares obtineat?

§. CLIX. Ex eo vero porro colligimus, 37. inter pares nullum eſſe jus puniendi (*), & 38. nec integritatem vitae, nec 39. alterius inveteratam peccandi conſuetudinem ulli aequali jus dare poenas infligendi, adeoque 40. naturam poenae non exhaurire definitionem vel Grotii, cui POENA *eſt malum paſſionis, inflictum ob malum actionis*, vel Becmanni, qui per illam *dolorem, propter delictum illatum*, intelligit: immo 41. non poenam, ſed *vindictam privatam* eſſe malum illud paſſionis, ab ipſo laeſo inflictum; 42. *laeſionem*, ſi a tertio, non ſuperiore, infligatur. 43. Neutrum vero permittendum eſſe in ſtatu civili, vel inde patet, quod poteſtas judiciaria ſoli imperanti, iiſque, quibus hic illam demandavit, competat. (§. CLVI, 29. §. CLVII, 33.)

(*) Loquimur enim hic de POENA CIVILI, proprie accepta, & ex lege irroganda, adeoque non de *conventionali*, ad quam ſe quis ipſe ſua ſponte obligat: nec de *ultione*, qua quis alterum ob flagitia beneficiis privat, ei amicitiam renunciat, ab eius familiari conſuetudine ſe ſegregat: nec de *malis naturalibus*, quae ſibi quiſque peccando ſuo iumento invenit, veluti de morbis, doloribus, infamia. Denique multum intereſt inter *caſtigationem*, quam infligendi ius & parentibus, & aliquando marito, ac domino, concedunt leges. Haec enim ex arbitrio, per modum diſciplinae; poena proprie ſic dicta ex praeſcripto legum, per modum iuriſdictionis, irrogatur. Inde vero ſua ſponte conſequitur, ut par parem punire nequeat, ſed is, qui fert legem, eamque factis adplicat. Quod quum ſolus imperans faciat: (§. CLIII. & CLVI.) huic quoque ſoli puniendi ius eſſe, manifeſtum eſt. Mira ergo eſt philoſophia Grotii *de jure belli & pac.* II, 20, 3, 1. ſatis indicare naturam, convenientiſſimum eſſe, poenas exigi a ſuperiore, non tamen demonſtrari poſſe, hoc eſſe neceſſarium, niſi vox *ſuperioris* eo ſumatur ſenſu, ut is, qui male egit, eo ipſo ſe quovis alio inferiorem cenſeatur feciſſe, & quaſi ex hominum cenſu detruſiſſe in cenſum beſtiarum, quae homini ſubiacent: quod a theologis quibuſdam ſit proditum. Quaſi vero ſuperioritas vel praeſtantia quaedam moralis ulli mortalium det ius puniendi, ac non potius exigatur ſuperioritas imperii. Thomaſ. *jurisprud. div.* III, 7, 31. Quare ſi laedens punitur a laeſo, non poena haec eſt, ſed vindicta, ſin a tertio, eſt nova laeſio. Utramque vero in ſtatu civili prohibitam eſſe, ipſe non diffitebitur Grotius. Quanto rectius ergo apud Terentium *Adelph.* II, 1. v. 34. Sanio, leno:

Leno ſum, fateor pernicies communis adoleſcentium:
Perjurus, peſtis: tamen tibi a me nulla orta eſt injuria.

Quotuplex poenarum finis?

§. CLX. Nec difficile erit, ex ipſa poenarum inventarum ratione de fine earumdem judicare. Quum enim poena proprie dicta nata ſit, ſtatu civili invecto, (§. VI, 12.) & jus illam infligendi, inter jura majeſtatis imma-

immanentia ſit, (§. CXXXVI, 34.) quorum non alius finis eſt, quam ſecuritas civium : (§. CXXXV.) conſequens eſt, 44. ut idem ſit poenarum finis. Quum vero ſecuri praeſtentur cives, ſive eo redigantur peccantes, ut nolint amplius delinquere, ſive, ut non poſſint, id eſt, ſive illi emendentur, ſive in poſterum iis adimatur peccandi facultas : facile patet, 45. priorem finem intendere poenas, quae, ſalva vita, infliguntur, 46. poſteriorem ſupplicia, quae cum animae amiſſione conjuncta ſunt (*), uti loquitur Juſtinianus §. 11. *Inſt. de publ. jud.* Et quia non conſultum eſſet ſecuritati reipublicae, ſi ii tantum, qui deliquerunt, delinquere deſinerent, ab aliis vero idem eſſet metuendum : facile patet, 46. eadem opera & alios hoc exemplo moneri, ut delinquere vereantur, ac proinde 47. publice ſumenda eſſe a ſontibus ſupplicia, niſi alia gravior cauſſa id impediat.

(*) Hinc ad poenas humanas non pertinet finis, quem vulgo iactant, expiatio pura reatus & ſatisfactio, quam iuſtitiae divinae fieri debere, aiunt. Neque enim crudelitatis abſolveris Phalaridis ſimiles, qui ideo tantum delinquentes puniunt, ut miſeri dolores ſentiant. Nec iuſtitiae divinae infinitae ſatisfieret nocentis hominis doloribus, niſi illi alia vere infinita ratione fuiſſet ſatisfactum. Sed talia qui iactant, vix rationem habere videntur poenarum originis, quippe quae eas in ſtatu tantum civili neceſſarias eſſe vitas, abunde doceret; immo nec inter iuſtitiam divinam & humanam, poenaſque civiles & ſempiternas, quae impiis imminent, ſatis videntur diſtinguere.

§. CLXI. Quibus poſitis, facile etiam intelligitur, an in delinquente ſit obligatio ad poenam ſubeundam? Quum enim, qui in republica vivit, ad ea omnia obligatus ſit, ſine quibus reipublicae finis, id eſt, publica ſecuritas, ſperari non poſſet : (§. CVII, 18.) procul dubio 48. & delinquens obligatus erit ad poenam, quam lex definivit, ſubeundam, ſed non ad ſeipſum puniendum, adeoque 49. non tenetur quidem quiſquam, ut atrociſſimis ſuppliciis ſponte ſeſe offerat (*), nec tamen 50. ei fit injuria, ſi convictus peccati juſtas det poenas, nec 51. fas ulli eſt, reſiſtere poteſtati ſupremae, poenam ex legis praeſcripto irrogaturae. An delinquens obligatus ſit ad poenam?

(*) Immo, quum poena ſit malum paſſionis, a quo natura omnium hominum abhorret, ne poena quidem foret, quae volenti infligitur. Quinctil. *Declam.* XI. *Fallitur, quisquis humana tormenta ſola hominum atrocitate metitur : nulla poena eſt, niſi invito. Non habemus ullum, niſi ab impatientia, dolorem, &, ut aliquid crudele ſaevum ſit metus facit. Supplicium quiſquam vocat, ad quod proſilitur? quod expoſcitur? Illo trahite damnatos, quo non ſequuntur.* Hinc barbarus mos eſt, cogere homines, ut ipſi ſibi manus inferant, abdomen incidant, venenum ſumant, vel aliud quodcumque mortis genus eligant. Non enim, ad quod malum aequo animo patiendum obligatus ſum, id mihi ſtatim ipſe ultro arceſſere iubeor.

§. CLXII. Ex fine vero poenarum (§. CLX.) colligimus, 52. poenas attemperandas eſſe fini reipublicae, ac proinde 53. ita comparatas eſſe debere, prout eas eſſe jubet interna civium ſecuritas. Ex quo porro ſequitur, 54. ut imperans, ad ea delicta punienda, ſit obſtrictus, quae ſecuritatem reipublicae turbant, aut efficiunt, ut cives commode & tranquille ſecum invicem vivere nequeant : non vero 55. puniri neceſſe ſit actus vitioſos mere internos, 56. nec lapſus minutiſſimos, a quibus nemo fere mortalium immunis eſt, 57. nec omiſſionem officiorum humanitatis, niſi 58. haec omnia in dedecus ac periculum reip. vergant, ac proinde ipſa neceſſitas & haec vitia coerceri jubeat (*). An delicta omnia & quae punienda ſint?

(*) Sic ſane in crimine maieſtatis vel ſolam cogitationem & ſcientiam ; apud gen-

gentes quaſdam & inhumanitatem, veluti inhoſpitalitatem, punitam animadvertimus. Exempla quaedam iam ſupra vidimus. (Lib. I. §. CCXVI. *) Jam addimus, & Germanos quondam humanitatem erga peregrinos legibus poenalibus ſanxiſſe. Sunt ſane ſanctiones tales in *lege Burgund.* XXXIII, 1. *Capitular.* I, 75. quibus trium ſolidorum multa irrogatur iis, qui hoſpiti advenienti tectum forumve negaverint. Quin Gothi aedes eorum, qui viatores tecto ter arcuerant, ex legis praeſcripto flammis conſumebant, teſte Joanne Magno *hiſt. Goth.* IV, 1. Add. *Elem. jur. Germ.* I, 18, §. 420. *

Qui puniendi?

§. CLXIII. Ex ipſa porro poenae definitione (Lib. I. §. XCIX.) ſatis patet, 59. puniendos tantum eſſe, qui malum actionis commiſerint, 60. non eorum heredes, 61. multo minus totas familias (*), vel 62. vades, qui ſe ad ſupplicium pro alio ferendum praeter jus & fas obligarunt. (Lib. I. §. CXLVI, 15.) Denique, quum totae ſocietates unam veluti perſonam moralem conſtituant, (§. XX, 60.) adeoque & eas obligent leges, civibus reliquis praeſcriptae: (§. XXIV, 57.) nemo non videt, 63. univerſitates quoque & ſocietates delinquentes poſſe puniri, quamvis 64. ipſa humanitas ſuadeat, poenam ita temperari, ne eadem ſit noxiorum & innocentum conditio, & 65. ne ex infirmitate conſilii vel per errorem lapſi eamdem imperantium ſeveritatem ſentiant, ac ii, qui faces ac tubae fuerunt eorum tumultuum. Quin *66.* in poenis univerſitatum, ne remedium ipſo morbo ſit gravius, id in primis agendum eſſe, *ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniat.*

(*) Fuit haec Perſarum truculentia, de qua ex inſtituto Barn. Briſſon. *de regno Perſ.* II, 227. *p.* 591. *ſequ. edit. Lederl.* Eius veſtigia etiam exſtant *Dan.* VI, 24. *Eſther.* IX, 14. Sed & hodie hanc crudelitatem paſſim imitari gentes orientales, iam pridem obſervatum eſt ab iis, qui illarum mores ac inſtituta paullo accuratius deſcripſerunt. Enimvero uti hic mos rectae rationi omnino refragatur: ita caveri nulla prudentia poteſt, quo minus indirecte poena, parentibus inflicta, etiam liberis detrimento ſit, maxime, ſi bona ex lege publicentur. Quod & moviſſe arbitramur legislatores humaniores, ut rariſſime locum eſſe voluerint huic poenae, & non niſi in crimine maieſtatis bona omnia a fiſco occupari iuſſerint, ut, quantum in ipſis eſſet, ne indirecte quidem poenam ad liberos innocentes proferre viderentur.

Fundamenta de quantitate poenarum definienda.

§. CLXIV. Quales denique & quantae irrogandae ſint poenae, ex fine poenarum ſatis patet. Quum enim ille in ſecuritate civium poſitus ſit: (§. CLX.) conſequens eſt, 67. ut tantam eſſe oporteat poenam, quanta ſufficit ad metum hominibus incutiendum, reprimendamque peccandi libidinem. Quumque ea ſit ingenii humani indoles, ut infixa pectoribus cupiditas non aliter, quam propoſito majore malo bonove, cohibeatur; (Lib. I. §. LII, 45.) merito inde colligimus, 68. metum non incuſſuram eſſe ſanctionem poenalem, niſi majus malum judicent homines, poenam legibus propoſitam ſubire, quam delictum omittere, voluptateque vel lucro, quod inde ſperant, carere (*).

(*) Exemplo eſſe poterit poena iniuriarum, legibus XII. Tabularum ſancita, quae tam parum metus incutiebat hominibus protervis, at bene numatis, ut voluptatem, quam ex aliorum contumelia capiebant, tam tenui multa libentiſſime redimerent. Rem omnem refert Gellius *Noct. Attic.* XX, 1. quem locum, utut longiuſculum, hic totum legiſſe non poenitebit: *Nonne tibi quoque nimis videtur eſſe dilutum, quod ita de iniuria puniendo ſcriptum eſt:* SI INJURIAM FAXIT ALTERI, VIGINTI QUINQUE AERIS POENAE SUNTO. *Quis enim erit tam inops, quem ab injuriae faciendae lubidine XXV. aſſes deterreant? Itaque Q. Labeo quoque veſter in libris, quos ad* XII. *Tab. conſcripſit, non probaret. Quidam, inquit*

L. Ne-

L. Neratius, fuit, egregie homo improbus atque immani vaecordia, is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuae palma verberare, eum ſervus ſequebatur, crumenam, plenam aſſibus, portitans, &, quemcumque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum XII. Tab. viginti & quinque aſſes jubebat. Propterea, inquit, praetores poſtea hanc aboleſcere & relinqui cenſuerunt, iniuriiſque aeſtimandis recuperatores ſe daturos, edixerunt. Tantum ergo abeſt, ut hujuſmodi dilutior ſanctio hominum vaecordiam cupiditatemque reprimat, ut eam irritet magis, & ad peccandum veluti invitet.

§. CLXV. Ex his vero principiis jam porro colligimus, *69.* non ferre reipublicae ſecuritatem, ut poena talionis peccantibus irrogetur (*), adeoque 70. nec ſufficere regulam, poenarum debere eſſe proportionem cum delictis, niſi illa non tam de ipſis factis illicitis, quam de libidine hujuſmodi facinora patrandi intelligatur. Praeterea, quum unum delictum altero magis noxium ſit reipublicae, unumque altero magis gliſcat in dedecus publicum: facile reddideris rationem, 71. cur, quo magis delictum laedit ſecuritatem publicam, eo acrioribus poenis ab eo deterreantur homines, & 72. cur, gliſcente delicto, poena quoque intendi ſoleat. Concluſiones inde elicitae.

(*) Probaſſe talionem videtur ipſe Deus, *Exod.* XXI, 23. *Lev.* XXIV, 50. *Deut.* XIX, 19. Notum quoque eſt illud Decemvirorum: SI MEMBRUM RUPSIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO, apud Gell. *Noct. Att*, XX, 1. Sed uti legem divinam ipſi Hebraeorum magiſtri ita interpretantur, ut tales noxas pecunia potuiſſe expiari contendant: Conf. Joſeph. *Antiqu. Jud.* IV, 8. ita & apud Romanos hanc legem umquam in uſu fuiſſe, negat Caecilius, iureconſultus apud *Gellium ibid.* Et ſunt fortaſſis talia *παροιμιώδη*, quibus indicatur, non fieri iniuriam illi, qui, quale alteri intulerit, tale ipſe quoque malum ferat, quamvis non ſemper idem ſuſtineat. Vid. Jo. Cleric. *ad Exod.* XXI, 22. Quo ſenſu & Pythagoras poenam *ἀντιπεπονθὸς* ſeu *parem paſſionem* eſſe dicebat. Utcumque ſeſe res habeat, talionem non ſemper locum habere, inde probatur, 1. quod aliquando vix poenae nomen meritura ſit huiuſmodi talio, e. g. ſi ei, qui mihi decem numos in via publica vi rapuit, totidem numos rapere iubear: ſi homo nullius dignitatis, qui magiſtratum percuſſit, ipſe quoque percutiatur, 2. Quod aliquando ne fieri quidem poſſit, ut idem patiatur delinquens, quod fecerat, e. g. ſi luſcus alteri utrumque oculum excluſerit, 3. Quod aliquando ita ſervari non poſſit aequalitas, ut non plus patiatur qui deliquit, quam is, in quem delictum admiſſum eſt. Sic e. g. ſcio noctuvagum occurrenti ſibi homini ita gladium adegiſſe per corpus, ut cuſpis ex tergo emineret, & hunc tamen, nullo inteſtino laeſo, brevi convaluiſſe. An vero vel omnes medici iunctis conſiliis ita gladio traieciſſent illum hominem, ut ſalvus evaderet.

§. CLXVI. Quandoquidem tamen, uti in reliquarum actionum humanarum, ita & in delictorum imputatione, omnium circumſtantiarum habenda eſt ratio, earumque una ſaepe totam rem mutat: (Lib. I. §. C, & 9.) contingere ſane poteſt, 73. ut ob idem delictum in unum gravius, quam in alterum animadvertatur, adeoque 74. in definienda poena ratio ſit habenda non modo perſonae delinquentis, ſed & 75. ejus, cui delicto nocitum eſt, itemque 76. objecti, 77. effectus, immo & 78. loci, temporis, ſimiliumque *περιστάσεων* (*). In poenis definiendis circumſtantiarum habenda eſt ratio.

(*) Sic, quod ad perſonam delinquentem attinet, maiorem omnino poenam meretur is, quem cognatio, prudentia, officium, aetas, dignitas a delicto revocare debuiſſet, quam extraneus, ſtupidus, nullo ſpeciali vinculo obſtrictus, puer vel adoleſcens, plebeius. (Lib. I. §. CXIII, 52.) Maiorem quoque poenam feret robuſtus, quam infirmior, &, ſi mulcta irrogatur, plus merito imperandum erit homini pauperi, quam pecunioſo alicui Neratio. Ita & ſi perſonae in dignitate conſtitutae, vel ipſi magiſtratui, illata ſit iniuria, quis eam ſeverius vindican-

dam. neget, quam ſi quis ex faece hominum contumelioſius habitus ſit? Praeterea, ſi privati res lucrifaciendi cauſſa contrectare delictum eſt, poena digniſſimum: quanto magis peculatum admittere, vel ſacrilegio ſeſe polluere? Ita acrius puniri animadvertimus deſertionem militis, e ſtatione ſeſe proripientis, quam ex hibernis aufugientis ob effectum triſtiorem. Denique iniuriam, alicui in templo & inter ſacra illatam, deteriorem videri, quam quae in loco privato alioque tempore facta ſit, omnes aequi rerum arbitri cenſent. Ut adeo non ſit publici ſaporis dogma illud Stoicorum, ἴσα τὰ ἁμαρτήματα εἶναι, *omnia delicta eſſe paria.* *Cic. Paradox.* III. Diog. Laert. VII, 120. Contra quos diſputans Horat. *Serm.* I. 3. *v.* 115.

Non vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque,
Qui teneros caules alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus divum ſacra legerit. Adſit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Poenae, emendationis cauſſa infligendae, non debent famoſae eſſe.

§. CLXVII. Sed ne id quidem praetermittendum videtur, quod, quum non omnes poenae ad deſtruendum hominem facinoroſum ſint comparatae, ſed ſaepe & id agatur, ut, qui deliquit, emendetur, & cautius mercari in poſterum diſcat, (§. CLX, 45.) caveri debeat, 79. ne omnes, qui poenas dant delictorum, infamia notentur, ſiquidem eo ipſo fit, ut non amplius idonea reipublicae membra habeantur, adeoque illis vix occaſio ſit, victum amictumque ſibi honeſtis artibus comparandi.

Principi competit jus imperandi tributa, & dominium aliquod eminens.

§. CLXVIII. Inter immanentia majeſtatis jura eſt etiam jus TRIBUTA & VECTIGALIA imperandi civibus, quin & eorum bona, exigente neceſſitate, reipublicae uſibus adplicandi, quod jus DOMINIUM EMINENS adpellare mos eſt (*). Quum enim ea omnia licita eſſe oporteat ſummis imperantibus, ſine quibus finem reipublicae, puta internam externamque ſecuritatem, obtinere non poſſent, (§. CXXXV, 29.) ſecuritas autem illa obtineri vix poſſet, niſi cives conferrent pecunias, ferendis reip communis oneribus neceſſarias, & aliquando eorum bonis uterentur imperantes: conſequens eſt, 80. ut imperantibus competere debeat jus exigendi collatitiam pecuniam, & 81. dominium aliquod eminens exercendi.

(*) Fatemur tamen, non ſatis commode hoc adhiberi vocabulum, quum diverſi ſint DOMINII & IMPERII conceptus, & non illud, ſed hoc, competat imperantibus. Unde quod Grotius *de iure belli & pac.* I, 1, 6. primus vocavit *dominium eminens*: id Seneca *de benef.* VII, 4. rectius denominavit *poteſtatem*. *Ad Reges*, inquit POTESTAS *omnium*, *ad ſingulos proprietas pertinet*. Add. V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. iur. publ.* II, 15. *p.* 290. Hinc non male quidem Wittebergenſes JCti poteſtatem illam ex imperio, non dominio quodam, derivandam eſſe, contendunt adverſus Jo. Fr. Hornium: (Vid. Guil. Leyſeri collectionem ſcriptorum eriſticorum, quam *pro imperio contra dominium eminens* inſcripſit, ediditque *Witteb.* MDCLXXIII.) Sed dum lis eſt de vocabulo reique origine, & de ipſo iure imperantium bona civium urgente neceſſitate reip. uſibus adplicandi, nemo dubitat, cur vocabulum ſemel receptum plane proſcribendum putaremus, nullam omnino idoneam rationem vidimus.

Jus ejus circa bona civium in ſtatu reip. ordinario.

§. CLXIX. Quia ergo imperanti competit jus bona civium, urgente neceſſitate, reipublicae uſibus adplicandi: (§. CXXVIII, 81.) facile intelligitur, 82. eidem etiam, nondum urgente neceſſitate, jus eſſe, cuſtodiam veluti ſuſcipiendi bonorum privatorum (*), ut illa, urgente neceſſitate, in promtu ſint, ſufficiantque reipublicae, adeoque 83. & jus leges ferendi de bonis recte utendis, transferendis, & alienandis, (Lib. I. §. CCCXVII.) & 84. commercia tum foederibus firmandi, tum 85. certis legibus, prout e republica eſſe videtur, reſtringendi, quin &, 86. quae exportari e territo-

torio, quaeque invehi liceat, definiendi, 87. leges ſumtuarias ferendi, 88. opificia provehendi, 89. agendique omnia, quibus effici poſſit, ut gliſcant opes civium, & reip. uſibus ſufficiant.

(*) Quo fundamento etiam nititur jus imperantium ſupremum, ut & tutores curatoreſve conſtituere pupillis, minoribus, morbo aliquo ſontico laborantibus, furioſis, prodigis, abſentibus, feminis, deinde his adminiſtratoribus certas leges praeſcribere, eos ad rationes reddendas adigere, & non ex fide gerentes removere poſſint. Intereſt enim reipublicae, rem horum hominum, qui ipſi ſupereſſe rebus ſuis nequeunt, ſalvam eſſe. Unde Plato *de Legib. Lib. XI.* pupillos non ad privatorum, ſed publicam civitatis curam pertinere ſcribit, eoſque vocat *παρακαταθήκην μεγίστην καὶ ἱερωτάτην*, *depoſitum maximum & ſacratiſſimum* reipublicae. Quin ea re factum eſt, ut Germani iam inde ab antiquiſſimis temporibus ipſis imperantibus & magiſtratibus vindicarent ſupremam aliquam tutelam, de qua nos olim differere meminimus in exercitatione *de ſupremo principum & magiſtratuum tutela*.

§. CLXX. Et talia quidem ſunt jura, quae imperanti in ſtatu reipublicae ordinario competunt. Quum vero dominium illud eminens potiſſimum ſeſe exſerat in ſtatu extraordinario, vel urgente neceſſitate: (§. CLXVIII.) conſequens eſt, 90. ut imperanti fas ſit, tempore belli privatorum agros caſtris occupare, 91. iiſdem munimenta operaque publica imponere, *l. 9. C. de oper. public.* 92. ſegetes pabulando colligere, 93. vias publicas novas, deficientibus vetuſtioribus, per civium fundos munire, *l. 14 §. 1. D. quemadm. ſerv. amitt.* 94. aedes ſuburbanas, ubi Hannibal ante portas eſt, deſtruere, & quae ſunt hujus generis alia. Nec non in extraordinario.

§. CLXXI. Quandoquidem vero id fieri tantum poteſt urgente, NECESSITATE, (§. CLXVIII.) neceſſarium vero eſt, ſine quocumque reip. ſalus, quae ſuprema lex eſſe debet, (§. XXV, 78.) libertas, & ſecuritas, ſalva eſſe non poteſt: merito inde colligimus, 95. hanc poteſtatem non ſolum ſeſe exſerere, ſi quando id extrema reipublicae *neceſſitas* exigit, verum etiam, 96. quoties id vere eſt reipublicae *utile*: maxime, quum plerumque utilitas in neceſſitatem incidere ſoleat. V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid.* p. 292. Attamen 97. ei juri vix locus eſt, quando privata tantum principis utilitas in eo vertitur, ſi alicui jus quaeſitum auferatur, multo minus, 98. quando aliquid non neceſſitatis utilitatiſque, ſed voluptatis cauſſa, occupatur. Quin 99. hoc ipſum jus dominii eminentis ita comparatum eſt, ut bonus princeps facile patiatur, ejus fines regi, & illo non niſi modeſtiſſime uti velit (*). Bynkersh. *ibid.* Quando dominio illi ſit locus?

(*) Limitationes has merito adiunximus, ne hoc ius abeat in ſummam iniuriam. Hinc graviter Deum indignatum eſſe animadvertimus Achabo Regi, Nabotho extorturo vineam, tamquam palatio proximam, tantum, ut eam in hortum olitorium converteret. 1. *Reg.* XXI, 2. Nam & ad privatum regis improbi commodum, & ad voluptatem magis, quam ad utilitatem, pertinebat illa poſtulatio. Sed & Senatus Romanus litem ſecundum praetores, & contra M. Licinium Craſſum, dare noluit quum illi per huius fundum derivare vellent aquaeductum, qui ornatus & voluptatis magis, quam utilitatis, cauſſam habere dicebatur. Liv. XL, 51. Ita ſane cauſſam repraeſentavit Marc. Zuer. Boxhorn. *Diſquiſit. polit. caſu* XXXI. Et tamen laudatiſſimus Bynkershoek attulit diploma Guilielmi Arauſiaci, quo magiſtratui Leidenſi facta eſt poteſtas, areas privatorum, ſoluto poſſeſſoribus pretio, occupandi, & quidem non modo neceſſarias, ſed &, quae ad ornatum aedium academicarum, voluptatemque ſtudioſorum facere videantur, (*tot cieraat derzelve, en de recreatien der Studenten eenig ſins dienlyk.*) Ubi tamen vir illuſtris prudenter addit: *Hac iuris publici prudentia ego non uterer, nec uſus eſt Senatus Romanus in cauſſa Craſſi, nec etiam uſus eſſet Auguſtus*, de quo Sue-

ton. *Aug. Cap.* LVI. *Forum anguſtius fecit, non auſus, extorquere poſſeſſoribus proximas domos.*

Qua conditione illo uti poſſint imperantes? §. CLXXII. Enimvero, quum communis reipublicae onera communibus erogationibus ferenda eſſe, ipſa aequitas doceat: (§. CLXVIII.) conſequens eſt, 100. ut unus civis prae reliquis non ſit onerandus, adeoque 101. ei, cui re ſua communis ſalutis utilitatiſve cauſſa carendum eſt, ex aerario vel arca publica ſatisfieri debeat (*), &, 102. ſi vel maxime id non in continenti fieri poſſit, id tamen poſtea ſuo jure exigant illi, qui re ſua exciderunt, niſi forte 103. contra legem prohibitivam aedificaverint, & aedificium illud, vel qualecumque opus, urgente reipublicae utilitate, deſtructum ſit. Tunc enim tantum abeſt, ut pretii refuſionem recte petant, ut & in poenam incidant, legibus expreſſam. V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid. p.* 297.

(*) Agnoſcunt hoc Grot. *de iure belli & pac.* II, 14, 7. Puſend. *iur. nat. & gent.* VIII, 5, 7. Huber. *de iure civit.* I, 3, 6, 44. & quicumque de hoc dominio paullo fuſius egerunt, inter quos palmam merito concedimus laudatiſſimo Corn. van Bynkersh. *ibid.* qui & Romanos id principium ſequutos eſſe, probat ex Tacito *Annal.* I, 75. & *l.* 9. *C. de oper. publ.* Et ſane pro eo eadem militat aequitatis ratio, quam pro lege Rhodia de iactu profert Paullus *l.* 1. *D. ad leg. Rhod. ut omnium contributione farciatur, quod pro omnibus datum eſt.*

An illud & ad res exterorum non hoſtium proferri poſſit? §. CLXXIII. Praeterea ex eadem definitione patet, 104. jus hoc tantum exercendum eſſe circa civium bona, non 105. circa bona extraneorum non hoſtium, apud nos reperta, adeoque 106. vix excuſandos eſſe principes, qui amicarum etiam gentium rebus & mercibus manus injiciunt, 107. dominos invitos ad pecunias ſibi credendas adigunt, 108. naves amicorum, in portubus ſuis repertas, ſiſtunt, iiſque ad trajiciendas copias ſuas, vel commeatum avehendum, utuntur. Quamvis hae angariationes, quas vocant, & frequentes ſint, & eo colore excuſentur, quod naves etiam alienae, in alterius principis imperio repertae, quodammodo ſubditae ſint (*) eaque angarientur ex recepta palam conſuetudine, qua civitates & imperia continentur.

(*) Quo colore quum ne uti quidem poſſent Graeci, a Cyri expeditione reduces, eorum facinus tanto videtur iniquius, quamvis id improbare non videatur Grotius *de iure belli & pac.* II, 2, 10. Auctor militibus fuerat Xenophon, uti ipſe teſtatur, *de expedit. Cyri V*, 1, 6. ut acceptis a Trapezuntiis navibus longis, ſubducerent naves tranſeuntes, eaſque, detractis gubernaculis, cuſtodirent, donec tantum habeant iſtorum numerum, ut iis vehi poſſint, ita tamen, ut ii, quos cum navibus ſubducturi eſſent, communi impenſa alerentur, quamdiu militum cauſſa manſerint, & mercedem pro vectura acciperent. Quod ſane facinus quodammodo excuſaſſet neceſſitas, ſi publicis auſpiciis militaſſent. Jam vero vix ullam perſpicere poſſum rationem, ob quam huiuſmodi ius competere potuerit manui militum, qui, invitis civitatibus ſuis, expeditionem cum Cyro fecerant, rebus potius praeclare geſtis, quam juſtitia cauſſae memorabilem.

Quid fiſcus & aerarium. §. CLXXIV. Haec de DOMINIO EMINENTE. Ad TRIBUTA & VECTIGALIA quod attinet, reipublicae dupliciter intereſt, quam maximam pecuniae vim in promtu eſſe: primum, ut non deſit, unde imperantes pro dignitate ſuſtententur: deinde, ut & belli & pacis temporibus ſuppetat pecunia, nervus rerum gerendarum, quo adeo opus eſt, ut ſine eo fiat nihil, quo opus eſt. Itaque in rebus publicis duplex eſſe ſolet arca publica, in quam opes publicae influant, quarum altera pecuniam imperantium, deſtinatam ſuſtentationi, continens, FISCUS, altera, pecuniae publicae deſtinata, AERARIUM adpellatur (*), quam utramque eſſe quam locupletiſſimam, reipublicae omnino intereſt.

(*) Me-

Digitized by Google

(*) Merito haec diſcernimus, quamvis aliquando in monarchiis adeo ſibi omnia vindicare ſoleant principes, ut inter FISCUM & AERARIUM vix diſcrimen aliquod deprehendas. Auctor ſane eſt Dio Caſſ. *Hiſt.* LIII. *p.* 506. Auguſtum & pecuniam & milites in poteſtate habuiſſe, addita ratione: *Λόγῳ μὲν γὰρ τὰ δημόσια ἀπὸ τῶν ἐκείνου ἀπεκέκριτο, ἔργῳ δὲ ταῦτα πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ ἀνηλίσκετο*. *Nam licet pecunias ſuas dicis cauſſa ab aerario ſeparatas haberet; re ipſa tamen his quoque ſuo arbitrio utebatur*. Sed quum hic non, quid fiat, diſpiciamus, ſed quid fieri oporteat: merito diſtinguimus utramque arcam publicam, quam & in ariſtocratiis, aliiſque rebuſpublicis, accurate diſcerni, animadvertimus.

§. CLXXV. Quum ergo in FISCUM inferantur pecuniae, imperantium ſuſtentationi deſtinatae: (§. CLXXIV.) aequum viſum eſt gentibus pleriſque, 109. non modo certa praedia, certoſque terrarum tractus, adſignari imperantibus, e quorum reditibus dignitatem tuerentur, quae hodie vocant DOMANIA, vel DOMANIALIA, verum etiam 110. iiſdem relinqui portoria aliaque vectigalia: at 111. praecipue omnia *ἀδέσποτα*, intra reipublicae territorium, cedere imperantibus. (Lib. I. §. CCXLIII. ſequ.) Quam poſtremam fiſcum locupletandi rationem eo magis placuiſſe animadvertimus pleriſque gentibus (*), quo minore cum ſingulorum diſpendio eſt conjuncta. Quod ad locupletandum fiſcum fit excogitatum?

(*) Maxime gentes originis Germanicae, de quibus Grot. *de iure belli & pac.* II, 8, 5. *Germaniae populi, quum principibus ac regibus bona quaedam eſſent adſignanda, unde dignitatem ſuam ſuſtinerent, ſapienter exiſtimarunt, ab illis rebus incipiendum: quae ſine damno cujuſquam tribui poſſunt, cuiuſmodi ſunt res omnes, quae in dominium nullius pervenerunt. Quo iure uſos & Aegyptios video. Nam & ibi Regum procurator, quem ἴδιον λόγον vocabant, vindicabat res eius generis*. Enimvero, quae de Aegyptiis refert Grotius, petita ex Strabon. *Georg. Lib.* XVII. *p.* 1148. *edit. noviſſ.* ea non tam ad Aegyptios, quam ad Romanos, Aegyptiorum dominos, pertinent. Ἴδιος enim λόγος non alius eſt, quam *procurator Caeſaris*, vel *rationalis*, & de eo refert Strabo, *αὐτὸν τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστὴν εἶναι*. *Illum in ea inquirere, quae in nullius dominio ſint, & ſeorſum Caeſari cedant*, id eſt, in bona caduca & vacantia, ceu recte ad eum locum notavit Caſaubonus.

§. CLXXVI. Quandoquidem ergo bona domanialia ad tuendam imperantium dignitatem ſunt comparata: (§. CLXXV, 109.) facile intelligitur, 112. ea eſſe inalienabilia, ac proinde 113. alienata a ſucceſſore, ſive univerſali, ſive ſingulari, poſſe revocari, nec 114. quidquam intereſſe, ſive pro parte, ſive univerſa ad alios privatos translata ſint, ſiquidem, quod noſtrum non eſt, ejus nec exiguam partem alienare poſſumus, uti recte ait Grot. *de jure belli & pac.* II, 6, 11. ubi tamen 115. alienationes illas, cum conſenſu populi factas, ſubſiſtere (*), & 116. fructus hujus patrimonii ab ipſo patrimonio diſtinguendos eſſe, recte monet. Jura bonorum domanialium.

(*) Sive initio conſenſerit populus, ſive alienationem poſtea demum ratam habuerit. Cuius rei exempla innumera vidit Germania noſtra. Quum enim tam profuſa fuerit veterum Imperatorum & regum liberalitas in bonis domanialibus, maxime in eccleſias transferendis, ut ex iis hodie vix quidquam ſuperſit: nemo tamen dixerit, licere imperatori, ea vindicare, quum eas alienationes iam pridem ratas habuerint Imperii ordines. Immo quamvis Imperator promittere ſoleat, ſe Imperii iura & reditus recuperaturum, *Capitul. Caroli VI. art. X.* id tamen ita intelligendum eſſe, monent ii, qui ius publicum Imperii Romano-Germanici exponunt, ut id ſalvis legibus publicis fiat. Et male res ceſſit pleriſque, qui de recuperandis imperii ſolliciti fuerunt, imperatoribus & regibus, veluti Henrico V. Rudolpho I. Alberto I. & aliis. Conf. Schwederi *Diſſ. de domanio imperii*.

§. CLXXVII. Quia praeterea & *ἀδέσποτα* imperantibus adſignare placuit: Jus fiſci circa ἀδέσποτα.

cuit: (§. CLXXV, 111.) non difficile erit, reddere rationem, 115. cur fiſcus ubique paene ſua eſſe contendat ea, quae jure Romano vel communia, vel publica habentur, veluti 116. marium, quae territorium adluunt, commoda (*), 117. flumina, 118. ſilvas majores, adeoque 119. & jura piſcandi, venandique, nec non 120. jus fodiendi mineralia & metalla, 121. bona vacantia occupandi, 122. gemmas & lapillos mari ejectos colligendi, 123. adluviones, 124. novas inſulas, 125. alveos derelictos, quin alicubi 126. & theſauros, 127. & errones ac ſpurios vindicandi. Tametſi haec omnia ſecundum uſus gentium aliter aliterque ſeſe habere, recte obſervet Huber. *de jure civ. II*, 4, 4, 48 1 *p.* 468.

(*) Nota ſunt, quae inter viros doctiſſimos Hug. Grotium, Jo. Seldenum, Rub. Jonſtonum, Petr. Baptiſtam Burgum, Guil. Welwodum, Jo. Iſaacum Pontanum, Theod. Graſwinckelium, & noviſſime inter Puſendorffium, Huberum, Jac. Gothofredum, Jo. Henr. Boeclerum, Corn. van Bynkershoek & Chriſt. Thomaſium, alioſque de dominio maris diſceptata ſunt, quae iam repetere nihil attinet. Nos, uti mare nullius eſſe nemo negat, ita, quin illud occupari poſſit, occupantique cedat, nulli dubitamus, (Lib. I. §. CCXLI, 37.) maxime, quum id & olim eſſe factum, & hodie fieri, ipſa nos convincat experientia. At, quum occupari non ſoleant res inexhauſti uſus, nec earum uſu alios excludere fas ſit: (Libr. I. §. CCXXXV, 9.) in mari vero quaedam ſint exhauſti uſus, veluti captura piſcium maiorum, & unionum, vectigalia, ſimiliaqoe emolumenta: quaedam inexhauſti uſus, veluti navigatio: illis alios excludi poſſe, his non poſſe, merito ſtatuimus. Multo magis ergo iis, qui certas terras transmarinas, tamquam ſuas, poſſident, licebit alios navigatione, quam vel occupationis, vel commerciorum cauſſa eo ſuſcipiunt, excludere, niſi pactis & foederibus aliud cautum ſit, quum unius cuiuſque gentis in arbitrio ſit poſitum, utrum commercia cum extraneis permittere velit civibus, nec ne. At navigatione, quae ad provincias transmarinas, non noſtras, commerciorum cauſſa inſtituitur, non magis quis alios ſine iniuria prohibere poteſt, quam uſu viae publicae, niſi navigantibus obſtent pacta & foedera. Talis eſt noſtra de quaeſtione illa ſententia, qui tamen ſuo quemque ſenſu abundare facile patimur, maxime quum de maris dominio armis potius & ſolida vi, quam verbis & argumentis, diſceptari ſoleat. Adeo verum eſt, quod cecinit Horat. *Carm. I. 3. v.* 21.

Necquidquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabiles
Terras, ſi tamen impiae
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Alia fiſci jura. §. CLXXVIII. Quum porro omnino interſit reipublicae, fiſcum eſſe quam locupletiſſimum: (§. CLXXIV.) non mirum eſt, 128. & alia jura, quae ad quaeſtum, conſervationemque rerum pertinent, fiſco concedi, in primis 129. jus cudendae monetae, 130. jus mulctas, 131. commiſſa, & 132. quaevis ſcelere quaeſita occupandi, & quae ſunt hujus generis alia, quae vulgo, licet parum commode, regalibus minoribus accenſentur. (§. CXXXV. *) At hic quoque mores variant, prout quaevis civitas plus minuſve concedit imperantibus ſuis, vel hi plus minuſve longo uſu ſibi adrogarunt.

Aerarium locupletant tributa & vectigalia. §. CLXXIX. Quod ad AERARIUM attinet, illud fere tributis & vectigalibus locupletatur, niſi tantum ſit agri publici, ut ejus fructibus reſpublica poſſit ſuſtineri. Quum enim per (§. CLXXIV.) imperantes nihil ſine pecunia pace belloque recte gerant, Tacit. *Hiſt. IV*, 74. &, non ſufficiente agro publico, illa non aliunde, quam a civibus peti poſſit: conſequens eſt, 133. ut rectores civitatum poſſint civibus imperare tributa & vectigalia, 134. ſive ſoli, ſive reliquorum ordinum conſenſu, prout id reipublicae forma exigit. 135. Ut ea poſſint imponere perſonis, fundis, mercibus

cibus

Digitized by Google

cibus importandis & exportandis, rebus fungibilibus, opificiis & commerciis, prout id commodiſſimum videtur, 136. dummodo & facultatum habeatur ratio (*), & 137. cives non ita opprimantur, ut ſe tamquam ſervos, omnia imperantibus, non ſibi, adquirere, jure conquerantur.

(*) Aequiſſimum hoc viſum eſt Ser. Tullio Romanorum regi, quem magnam eo ipſo gratiam a populo iniiſſe novimus, quod apud Dionyſ. Halic. *Antiqu. Rom. Lib.* IV. *p.* 215. permiſſurum ſe negaret, pauperes tributorum gravatos onere, aes alienum contrahere cogi, ac proinde ſe potius cenſurum bona omnium, & pro ſuo quemque cenſu conferre iuſſurum, prout in magnis & bene inſtitutis civitatibus fieri ſoleat, addita ratione. Δίκαιόν τε καὶ συμφέρον τῷ κοινῷ τὸ αὐτὸ ἡγοῦμαι, τοὺς μὲν πολλὰ κεκτημένους πολλὰ εἰσφέρειν, τοὺς δ' ὀλίγα ἔχοντας, ὀλίγα. *Juſtum enim exiſtimo, & reipublicae utile, ut, qui multum poſſident, multum conferant, parum vero, qui ſunt in re tenui.*

Quid circa illa juſtum ſit?

§. CLXXX. Quod ſi ergo in imperandis tributis & vectigalibus facultatum habenda eſt ratio, nec cives his oneribus ſunt plane opprimendi: (§. CLXXIX, 136. ſequ.) per ſe profecto patet, 138. non exigi debere, quod a civibus praeſtari nequit, nec 139. eos pacis temporibus ita enervandos eſſe, ut in re trepida nihil conferre poſſint: praeterea 140. nemini temere concedendam eſſe immunitatem, niſi tanti ſit ejus opera, ut haec pars publici oneris illa facile penſetur. Denique 141. collatitiam iſtam pecuniam & ſine nimia acerbitate colligendam, & 142. bona fide adminiſtrandam, & 143. iis rebus, quibus deſtinata eſt, impendendam eſſe, vel ipſe finis, ad quem comparata eſt haec collatio, ſatis oſtendit.

Jus principis conſtituendi miniſtros & magiſtratus.

§. CLXXXI. Porro inter jura majeſtatis immanentia etiam eſt JUS ADMINISTROS & MAGISTRATUS CONSTITUENDI. (§. CXXXVI.) Ubi per ADMINISTROS intelligimus, qui partem reipublicae, ſibi creditam, nomine imperantium adminiſtrant: per MAGISTRATUS, qui illam partem, nomine proprio, at dependenter a ſummo imperante, adminiſtrant. Quum ergo & adminiſtri vice imperantium; & magiſtratus dependenter ab iis rempublicam capeſſant: conſequens eſt, 144. ut ii a ſolo imperante conſtituendi ſint, 145. niſi hic vel aliis eligendi praeſentandive, vel 146. integro collegio cooptandi jus dederit. 147. Ut eidem obligentur ſpeciatim, ac proinde 148. illi & rationes reddere teneantur, & 149. ſi male fungantur munere, ab eo dignitate merito priventur, quin & 150. poenas dent, pro eo, ac merentur, ſi doli culpaeve majoris rei ſint (*).

(*) Non vero puniendum conſilium non fraudulentum, quod eventus deſtituit, quum hunc nemo praeſtet. Nec poenam meretur, qui principis ſui aut reipublicae mandatum exſequutus eſt, ſi illud in ſe iuſtitiae, aut bonis moribus, non repugnat. Conf. V. A. Corn. van Bynkershoek. *Quaeſt. jur. publ.* II, 2. *p.* 196. *ſequ.* Barbarus ergo mos fuit Poenorum, praeſtantiſſimos duces mittentium in crucem, ſi quid praeter animi ſententiam accidiſſet. Nec minus deteſtabilis eſt Turcarum aliarumque gentium orientalium conſuetudo, qui & ipſi conſilium ex eventu aeſtimantes, capitis damnant omnes, quorum conſilium caruit eventu. Quia non modo iuſti regulis refragatur haec truculentia, verum etiam prudentiae. *Si quis*, inquit vir laudatiſſimus, *rebus in arduis conſilium deſideret: plures ſunt, qui dare poſſunt, ſed nemo unus eventum praeſtiterit; ſi & hunc exigas, ecquis erit, qui conſilio ſuo tibi adeſſe velit? vel duo, vel nemo.*

Officia imperantium & ipſorum miniſtrorum & magiſtratuum.

§. CLXXXII. Quemadmodum vero adminiſtris aeque, ac magiſtratibus, pars aliqua reipublicae creditur: (§. CLXXXI.) ita 151. & principis erit virtus maxima, noſſe ſuos, & dare operam, ut non niſi idoneos munerique pares eligat: 152. civium contra, non ambire munera, quibus ſeſe impares

Digitized by Google

res eſſe intelligunt, multoque minus 153. ea largitionibus aliiſque turpiſſimis artibus aucupari, niſi 154. ipſis imperantibus e republica videatur, ut & officia ſint in commercio. Praeterea res ipſa docet, 155. quemlibet adminiſtrum & magiſtratum omnem fidem ac diligentiam praeſtare, & reipublicae ſalutem ſibi ſupremam legem ducere debere: tantoque magis 156. in eam curam incumbere decere adminiſtrum ſummum ac primarium, cujus humeris imperans univerſam reipublicae molem impoſuit (*).

(*) Vocari hi ſolent MINISTRISSIMI, & de iis quaeri ſolet, primum an e republica ſit, univerſae reipublicae curam uni demandari? deinde, an id ſalvo iure fieri poſſit? Prior quaeſtio ad prudentiae civilis ſcriptores pertinet, inter quos hic legi merentur Hert. *Elem. prud. civ. I*, 10, 11. nec non Guil. Schroeteri & Jac. Thomaſii ſingulares de eo argumento diſſertationes. De poſteriore facile tranſigent, qui iuris gentium principia paullo accuratius expenderint. Quum enim nihil vetet, quo minus aliis mandemus id, cui ipſi nos non ſufficere animadvertimus: quidni & princeps vices ſuas aliis mandet, maxime quum aetas, imperii magnitudo, aliaeque iuſtae cauſſae, eum ad id faciendum impellere poſſint? Et ſi in ſe iniuſtum non eſt, tutorium eſſe aliquod regnum, quando rex per aetatem illud capeſſere nondum poteſt: cur iniuſtum ſit, illud adminiſtro ſummo demandari? Attamen iniuſte ageret princeps, ſi ideo conſtitueret talem adminiſtrum, ut genio tantum indulgeat, nullamque reip. curam animum ſubire patiatur, quum illo tamquam adminiſtro uti, non ipſum imperium in eum transferre, debeat. Praeclare hoc mihi videntur vidiſſe Perſae, dum primarios rerum adminiſtros eleganter τοὺς βασιλέως ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰ βασιλέως ὦτα, *& oculos & aures* Regis adpellarunt, teſte Xenoph. *Cyropaed. VIII*, 2, 7. p. 483. de quibus plura Barn. Briſſon. *de regno Perſ. Lib. I. §. CXC. p. 264.*

Jus circa ſacra imperantibus competens. §. CLXXXIII. Inter praecipua quoque majeſtatis jura, quae ſummus imperans intra rempublicam exercet, eſt etiam JUS CIRCA SACRA, ſeu circa ECCLESIAM particularem, per quam hic intelligimus ſocietatem ſeu collegium, religionis gratia initum. Quum itaque omnia collegia & ſocietates ſimpliciores magis compoſitis ita ſint ſubordinata, ut nihil, quod majori illi ſocietati manifeſto refragetur, agere, ſalva juſtitia, poſſint: (§. XXIV, 66.) conſequens eſt, 157. ut & eccleſiam ſubordinatam eſſe oporteat reipublicae, adeoque 158. imperanti etiam competere debeat jus dirigendi res eccleſiae (*). Quod & inde ſolide probatur, quod reipublicae unam eſſe voluntatem oporteat, (§. CXV, 50.) talis vero non eſſet futura, ſi eccleſia particularis non ſubeſſet imperio, ſed ſinguli, alias imperio ſubjecti, eo ipſo, dum in hanc ſocietatem coaleſcunt, collegium liberum, & a ſummo imperante independens, conſtituere poſſent. Accedit, quod quum ea omnia jura cum majeſtate conjuncta ſint, ſine quibus ſecuritas civium obtineri non poſſet, (§. CXXXV, 29.) experientia vero doceat, ſecuritatem hanc, tum internam, tum externam, vel maxime turbaſſe homines obtentu religionis: quis principi deneget jus ſacra ita moderandi, ne quid reſpublica detrimenti capiat?

(*) Itaque hoc ius competit imperanti, qua imperanti, non qua epiſcopo, quod vulgo ſtatuunt, quorum ſomnium erudite profligavit illuſtris collega, Juſt. Henn. Boehmer. *diſſ. de jure epiſcopali Principum evangel.* Ac proinde otioſa ferre eſt quaeſtio de epiſcopatu, quem Conſtantinus M. apud Euſebium *in vita IV*, 24. in convivali ſermone ſibi tribuit, τῶν ἔξω τῆς ἐκκλησίας, *eorum, quae extra eccleſiam contingunt*, quemadmodum ſacerdotes ſint epiſcopi τῶν ἔσω. Nec magis rem acu tangunt, qui illud ius circa ſacra imperanti, vel tamquam primario eccleſiae membro, vel ex ſola conventione vindicant: quorum prius a Iaegero *de jur. ſuprem. poteſt. circa ſacra Cap. III. p. 44. ſequ.* factum novimus. Quum enim ius ſit majeſtatis:

non

Digitized by Google

non alio titulo indigebit imperans, quo fretus illud exerceat, quam ſummi imperantis, unde & ipſi Romani, *jus publicum etiam in ſacris & ſacerdotibus conſiſtere*, iam pridem monuerunt, *l.* 1. §. 2. *D. de juſt. & jur.* (*a*).

(a) Aliud ſane ſpectat Civile Imperium, aliud Religioſa Societas. Ad Imperium pertinet cura publicae tranquillitatis, ac perinde ſecuritatis internae & externae, quae omnia nonniſi humanae vitae curriculum comitantur. Ad Religionem vero integritas fidei ac morum ad vitam aeternam conſequendam: ergo terrena felicitas Imperii ſcopus eſt, aeterna vero Religionis. Quid ergo Imperanti ad terrenam felicitatem ſubjicias Eccleſiam adſpirantem ad aeternam? Una ſane voluntas Reipublicae ad bene beateque vivendum, ut fieri in hac vita poteſt; & una manet, etiamſi Eccleſiam in iis, quae ad alteram vitam ducunt, Imperio ſubtrahas; ne ſubtrahas tamen in iis quae ad civilia rediguntur; at immunem putes in iis quae altius eriguntur, & humanam vitam tranſcendunt. Imo vero & hoc Imperanti concedas, ut eos coerceat, qui Religionis obtentu publicam pacem perturbant; nihil enim Religioni repugnantius, quam veram Reipublicae pacem infringere: ſed hoc Imperium non in ſacra, ſed in abutentes ſacris extenditur: externus hic Epiſcopatus Imperantium fit, & intra publici juris cancellos etiam circumſcribatur, ſed in iis quae extra Eccleſiam contingunt.

§. CLXXXIV. Religio, ob quam homines in ſocietatem illam, quam eccleſiam vocamus, coaleſcunt, (§. CLXXXIII.) duobus conſtat capitibus priore, ut rectas de Deo habeamus ſententias: (Lib. I. §. CXXVII, 16.) poſteriore, ut eumdem perfectiſſimo amore proſequamur. (ibid. §. CXXX. ſequ.) Inde facile patet, 159. circa prius caput nihil poteſtatis competere ſummo imperanti, quum intellectus cogi nequeat, (Lib. I. §. CXXIX. *) adeoque 160. eo uſque non porrigendum eſſe illud jus, ut imperans civibus novos fidei articulos imperare, vetereſque proſcribere, id eſt, 161. ipſis conſcientiis jugum imponere poſſit (*): quamvis, 162. ut illa, quae rationi & revelationi conſentanea eſſe credit eccleſia, recte doceantur, & potius ad pietatem adplicentur, quam 163. in ferales lites & jurgia convertantur, nec non, 164. ut ne hujuſmodi lites in reipublicae eccleſiaeque detrimentum evadant, omnino curare debeat. *An illud ſe exſerat circa articulos fidei?*

(*) Procul dubio ergo proſcribendum eſt Machiavelli & Hobbeſii dogma peſtilentiſſimum, quo ipſa religio & conſcientia imperantium arbitrio ſubiicitur. (§. CXXXI.) Ut enim non urgeamus, quod paullo ante diximus, intellectum, utpote neceſſariam potentiam, coactionem non admittere, eique non magis imperari poſſe, ut, quod non credit; credat, quam oculo, ut, quod non videt, videat: quis non videt, quantam lanienam excitatura ſint haec principia, ſi Nero aliquis, aut Domitianus, aut Diocletianus, rerum potiatur, qui ſibi perſuadeat, religionem Chriſtianam minus prodeſſe reip. quam paganam, aut Mahumedanam, aut qui aliam plane novam comminiſcatur? Immo quis non videt, eam doctrinam, inſuper habito vero religionis fine, eam in inſtrumentum dominationis convertere? (*a*)

(a) Non ex eo quod intellectus cogi non poſſit, ſed ex eo quod Religio virtus animi ſit, non corporis, ideo coactioni non ſubeſt; nec ex eo quod exterius imperans internae, ac neceſſariae potentiae dominari nequeat: ſed ex eo quod extra finem, & ſcopum terreni Imperii egredi non valeat, ideo conſcientiis civium jugum imponere haud poteſt. Ceterum intellectus non adeo neceſſaria potentia eſt in iis, ad quae ſe libere convertere, libere avertere valet: id locum habet tantum in principiis illis, quae uno intuitu clara dilucidaque apparent; non in aliis a quibus & affectu converti, & affectu diverti poteſt.

§. CLXXXV. Quod vero ad cultum divinum attinet, illum ſupra vel INTERNUM, vel EXTERNUM eſſe, obſervavimus. INTERNUS, quum ex ipſis *An circa cultum Dei internum?*

Digitized by Google

ipſis Dei attributis, adeoque ex recta ratione, prono alveo fluat, (Lib. I. §. CXXX. ſequ.) ita comparatus eſt, 165. ut in eum nihil ulli mortalium liceat, (Lib. I. §. XVII, 32. ſeq.) ac proinde, 166. ne imperans quidem illum vel mutare legibus, vel abrogare poſſit: quamvis, 167. quum omnes homines ad gloriam ſummi numinis pro virili provehendam obſtricti ſint, (Lib. I. §. CXXVIII, 31.) nec principi denegandum ſit jus & officium curandi, ut cives praeclara illa doctrina de interno Dei cultu imbuantur, errantes reducantur in viam, impii, quoad ejus fieri poteſt, ad concipiendam ſummi Numinis reverentiam ſolidis demonſtrationibus & cohortationibus excitentur, immo & 168. dandi operam, ne vel atheiſmus vel ſuperſtitio gliſcat in republica.

An circa externum?

§. CLXXXVI. Externus cultus in actionibus externis, partim ex amore, timore, ac fiducia erga Deum profectis, (Lib. I. §. CXXXV.) partim in actionibus arbitrariis, (ibid. §. CXXXVIII, 58.) conſiſtit. Priorum eadem eſt ratio, ac cultus interni, (§. CLXXXV, 165. ſequ.) adeoque 169. in eum ſibi nihil poteſtatis arrogabit bonus princeps: praeterquam 170. quod eum pro virili provehere ſtudebit (*). Poſteriores, 171. quum a ratione nec improbentur, nec praeſcribantur, (Lib. I. §. CXXXVIII, 61.) omnino ſubjectae ſunt imperantium arbitrio, adeoque 171. ea omnia his circa illas licita ſunt, quae nec rationi, nec revelationi refragantur.

(*) Hinc princeps non poteſt prohibere, quo minus homines de Deo colloquantur, eumdem hymnis celebrent, preces ad eumdem fundant, cetera: at poteſt praeſcribere, quo ordine, quaque ratione id publice fieri debeat. Hinc abſurda erat lex Darii, Medii, ne quis intra triginta dies aliquid petere audeat, ſive a Deo, ſive ab hominibus: *Dan. IV*, 7. at non abſurda cura Davidis, aliorumque piorum regum, ita inſtituentium cultum externum, ut nec hymnis carerent, nec eos cum gravitate decantandi rationem ignorarent.

Juris circa ſacra praecipua capita.

§. CLXXXVII. Quum ergo circa actus cultus divini externi arbitrarios omnia licita ſint imperantibus, quae nec rectae rationi, nec revelationi refragantur: (§. CLXXXVI, 171.) conſequens eſt, 172. ut principi competat jus reformandi eatenus, ut ritus arbitrarios in melius formare, & abuſus, vere tales, tollere poſſit, quatenus ei leges publicae vel conventiones non obſtant: 173. jus publicandi emendandique leges eccleſiaſticas: 174. epiſcopos eccleſiaeque miniſtros conſtituendi, & minus idoneos dimittendi: 175. jus curam gerendi bonorum eccleſiaſticorum, operamque dandi, ut ſuis uſibus adhibeantur: 176. jurisdictio eccleſiaſtica circa perſonas, res, & cauſſas eccleſiaſticas, 177. jus indicendi dirigendique concilia & ſynodos (*): 178. jus coetus diſſentientium vel recipiendi, vel ob cauſſas praegnantes iis ſine injuria imperandi emigrationem.

(*) Poſſunt haec indici ob varias cauſſas: veluti, ut dogmata ab aliis in dubium vocata, novis decretis & ſymbolis ſtabiliantur: deinde, ut patres de ritibus adiaphoris conſulant in medium: demum, ut, quae ad diſciplinam pertinent, communi conſilio ſanciantur. Primi generis ſynodi omnino naturae ac indoli religionis adverſantur, primo, quod non ſemper verum eſt, quod pluribus videtur, & in rebus, ad intellectum pertinentibus, vincere non poſſit ſuffragiorum numerus, ſed pondus & robur argumentorum: deinde, quod decreta illa, formulae, & ſymbola publica auctoritate, adeoque per modum legis, obtruduntur membris eccleſiae, quum tamen leges intellectui ferre nemo poſſit: denique, quod plerumque pars una ſibi iudicium partes adrogat in alteram, adeoque iudicat in propria cauſſa, ac proinde fieri facile poteſt, ut vulnera eccleſiae non ſanentur, ſed potius

Digitized by Google

tius nova infligantur. Quod adeo firmat experientia, ut iam pridem faſſus ſit Gregorius Nazianzenus *Epiſt. LV. ad Procopium: nullum ſe conciliorum exitum felicem, (χρηςὸν) deprehendiſſe, & habuiſſe alia potius προσθήκην κακῶν, ἢ λύσιν, i. e. malum potius iis exaſperatum quam imminutum eſſe*. Reliquae ſynodi poſſunt eae quidem aliquando utiles eſſe eccleſiae: ſed tunc, quia eccleſia non gaudet poteſtate legiſlatoria, decreta non obligabunt, niſi accedat ſummorum imperantium deſtti & auctoritas. (a)

(a) Quam multa heic coacervat Auctor ex parte vera, ex parte falſa, plura ſubdole, plura etiam involute! Interius animarum regimen, quod proprie Epiſcopos, alioſque ſub iis Miniſtros conſtituit, nihil cum Civili Imperio commune habet: alia utriuſque Regiminis origo, alia ratio, alius omnino finis: alia proinde civilium Comitiorum natura & indoles, alia Synodorum Eccleſiae; diverſa utriſque materia, diverſa poteſtas, diverſa adigendi vis; at quod Synodorum in dirimendis Fidei controverſiis auctoritas plurimum valeat, & quidem *irrefragabilis* Oecumenicarum, is negaverit, qui nullos Eccleſiae totius in omnibus gentibus Annales legerit, nulla monumenta ſalutarit: valeat illud: *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: valeat & aliud: *dic Eccleſiae: ſi Eccleſiam non audierit*... & illud: *ibi ſum in medio eorum*: & illud: *vobiſcum ſum omnibus diebus*: & illud: *Portae inferi non praevalebunt adverſus eam: Columna & firmamentum Veritatis*. Quid huc trahis vel nolentem Gregorium, qui de Synodis queritur non Oecumenicis, ſed particularibus, non totius Orbis, ſed Orientis, nec Univerſi, ſed a factionibus Arianorum congregatis, qui quotidie novas Synodos, novaſque formulas exigebant vi metuque, & inſidiis & calumniis ad unam Nicaenam formulam obliterandam? Harum certe *nullum* vidit ille *felicem exitum, & iis exaſperatum potius quam imminutum malum*: ſed qua poteſtate audebant omnia? nonne unius Conſtantii? adeo Imperantium noxia virtus eſt, cum extra propria digreditur, nec ad fidem Eccleſiae ſe exigit, ſed fidem Eccleſiae ad ſui arbitrium attrahere tentat. Ceterum Synodi non *leges* ſanctione poenae corporalis, ſed *Canones* ſanctione Cenſurae conſcientiam illigantis condunt, idque jure Divino. Obvia haec ac trita pluribus differere non vacat: proſtant ubique libri.

§. CLXXXVIII. Eccleſiae aeque, ac miniſtrorum & magiſtratuum, quin & aliorum bonorum civium ſeminaria ſunt SCHOLAE atque ACADEMIAE, quippe quarum iſte finis eſt, ut juvenes ad omnes honeſtas artes, quibus aliquando illis in variis vitae generibus opus futurum eſt, nec non ad probitatem, moreſque elegantes, ſolide inſtruantur. Ex quo fine conſequitur, 179. ut principis ſit, hujuſmodi lycea inſtituere. 180. ea bonis legibus ornare, 181. cathedris viros, ſolide doctos, diligentes, muneriique ſuo pares praeficere, 182. dare porro operam, ne doctrinae reip. noxiae inculcentur, 183. diſciplinae curam gerere, & 184. prudenter cavere, ne turbulenta ingenia lites ex litibus ferant (*), idemque contingat in academiis, quod de Megaricorum ſchola dicere ſolebat Diogenes, eam eſſe οὐ σχολὴν, ἀλλὰ χολὴν, *non ſcholam, ſed meram bilem*. Diog. Laert. VI, 24. Jus imperantium circa ſcholas & academias.

(*) Dici non poteſt, quanto cum ſtudiorum ipſiuſque reip. detrimento coniuncta ſint bella illa ſcholaſtica. Plerumque enim ea movent homines inſulſi & inertiſſimi, quibus aliorum doctrina & induſtria eſt ſudes in oculis. Hi enim quo doctiores ſunt, eo magis ab illis litibus abhorrent. Res deinde geritur calumniis, conviciis, inſidiis, accuſationibus, quibus id ſe conſequuturos eſſe ſperant, ut vel opprimant hoſtem, vel eum ſuſpectum reddant auditoribus. Hinc porro evenit, ut doctores bonas horas, quas auditorum ſtudiis conſecrare debebant, ſcribendis libellis eriſticis impendant, ut auditores quoque, ſaepe totius controverſiae ignaros, trahant in partes, & ſic in ſectas abeat ille litigandi pruritus, aliquando etiam in pugnas & verbera. Quae omnia quam facile evertere poſſint ſcholas etiam florentiſſimas, nemo eſt, quin intelligat.

§. CLXXXIX. Supereſt JUS imperantium CIRCA COMMERCIA, (§. CXXXVI, 38.) Quum enim ſine illis ſubſiſtere vix poſſit genus humanum, Jus eorumdem circa commercia.

num, nedum reſpublica: (Lib. I. §. CCCXXV, 4.) facile patet, 184. in eam quoque curam incumbere debere rectores reip. ut & floreant commercia, & 185. recte omnia circa illa fiant. Et quandoquidem iis jura omnia competunt, ſine quibus finem obtinere non poſſunt: (§. CXXXV, 29.) conſequens eſt, 186. ut poſſint illi leges de commerciis, opificiis, exportandis importandiſque, expungendis accurate nominibus, re quoque monetaria, ferre, 187. negotiis inſtantes privilegiis ornare, 188. mercatoribus peregre negotiantibus foederibus armiſque ſecuritatem praeſtare: 189. ſocietates mercatorum majores munire privilegiis, & 190. generatim ea omnia agere, quibus foedera & pacta, cum aliis principibus rebuſque publicis inita, non refragantur (*).

(*) Totum hunc paragraphum mirifice illuſtrabunt binae diſſertationes, altera Jo. Frid. L. B. Bachovii ab Echt *de eo quod juſtum eſt circa commercia inter gentes*, quae prodiit Ienae MDCCXXX. altera viri celeberrimi, Jo. Jac. Maſcovii *de foederibus commerciorum* Lipſiae MDCCXXXV. Quibuſcum ſi iunxeris ſcripta eriſtica, quibus de controverſia, inter Batavos & Belgas, auguſtae domui Auſtriacae ſubiectos, de ſocietate mercatoria Oſtendenſi diſceptatum, in primis *la Refutation des argumens avances de la part de Mrs. les Directeurs des Compagnies d'Orient & d' Occident des Provinces-unies contre la liberte de commerce des Pais-bas.* Hagae MDCCXXIII. & V. C. Jo. Barbeyrac *Defenſe du Droit de la Compagnie Hollandoiſe des Indes Orientales contre les nouvelles pretentions des Habitans des Paysbas Autrichiens*: nihil erit, quod huiuſmodi de quaeſtionibus poſſis magnopere deſiderare.

C A P U T IX.

DE JURIBUS MAJESTATIS TRANSEUNTIBUS.

§. CXC.

Bellum gerere omnino licitum.

Quia omne imperium eſt ſummum atque ἀνυπεύθυνον: (§. CXXIX.) ſequitur, ut & plura imperia vel reſpublicae nemini mortalium ſubjecta ſint. (§. eod.) Quumque, qui in communi ſocietate civili non vivunt, in ſtatu naturali vivere dicantur: (§. IV, 3.) conſequitur ſane, 1. ut imperia & reſpublicae inter ſe invicem vivant in ſtatu naturali, adeoque 2. in ſtatu aequalitatis, & libertatis. (§. V. ſequ.) Et quia porro in hoc ſtatu laeſis nullum, niſi in ſe ipſis, praeſidium eſſe poteſt, ac proinde unicuique jus eſt, vim omnem atque injuriam a ſe propulſandi, idque, quod alter jure perfecto debet, vi extorquendi: (§. X, 24. ſequ.) nemo non videt, 3. cuivis imperio ac reipublicae JUS BELLI omnino competere (*).

(*) Poteſt id & aliunde luculenter probari. Ipſa enim natura non modo hominibus, & brutis animantibus indidit cupiditatem, ſe ſuaque vi tuendi, ſed & haec armis quibuſdam ad vim propulſandam inſtruxit, Horat. *Serm.* II, 1. v. 50.

Ut, quo quiſque valet, ſuſpectos terreat; utque
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.
Dente lupus; cornu taurus petit. Unde niſi intus,
Monſtratum?

Qualia veterum teſtimonia, complura collegit Grot. *de jure belli & pac. l*, 2, 1, 4. Deinde, quum ipſis, qui in ſocietate civili vivunt, privatis ideo ius ſit, ſe ſuaque vi tuendi, quod ipſis in promtu non eſt aliud praeſidium: (Lib. I. §. CLXXXI, 18.) multo magis id licebit populo libero, quum in ſtatu naturali nullus ſit communis laedentis & laeſi magiſtratus, a quo defendi poſſit. (ibid. §. CLXXXIII.) Plura iuri bellandi argumenta ex ſcriptura ſacra oppoſuerunt veteris eccleſiae patres, uti Tertull. *de idolol. Cap.* XIX.

Digitized by Google

XIX. & de coron. milit. Cap. XI. Origen. *Lib.* VIII. *adv. Celſum p.* 415. Eraſmus *in Milite Chriſtiano* & *Adagior. Chil.* IV. *Cent.* I. *adag.* I. nec non poſtea anabaptiſtae, de quibus Arnoldus *in Hiſt. eccleſ. & haeret. Part.* II. *Libro* XVI. *Cap.* XXI. *n.* XXIV. Sed horum argumenta ſuo more profligarunt Grotius *ibid.* §. *V. ſequ.* & Huber. *de jure civ.* III, 4, 4, 6. *ſequ.*

Quid bellum?

§. CXCI. Per BELLUM vero intelligimus ſtatum liberarum gentium vel hominum, in ſtatu naturali viventium, juris ſibi perſequendi cauſſa vi dolove concertantium, propoſitumve concertandi retinentium (*). Ex qua definitione patet, 4. bellum non in ipſo tantum certandi actu, ſed & in hoſtili ſtatu certandique propoſito conſiſtere, adeoque 5. & inducias non ad pacis, ſed ad belli, ſtatum eſſe referendas: 6. non belli vero, ſed tumultus, vel vis publicae privataeve, nomine venire concertationem hominum, qui non ſuae poteſtatis, ſed ſub imperio ſunt.

(*) Ita definire viſum eſt bellum, quamvis alii definiant aliter. Ciceroni *de offic. I*, 11. omnis certatio per vim eſt bellum. At Grotius *de jure belli & pac. I*, 1, 2, 1. obſervans, uſu obtinuiſſe, ut non actus, ſed ſtatus, belli nomine veniat, eam Ciceronis definitionem ita emendat, ut bellum vocet *ſtatum per vim certantium, qua tales ſunt*. Sed quum haec definitio aeque in tumultum vel vim publicam privatamque, ac in bellum, cadat: paullo melior eſt illa Alberici Gentilis *de jure belli I*, 2. cui bellum eſt *publicorum armorum juſta contentio*, omnium optima vero ea, quam dedit V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I*, 1: *Bellum eſt eorum, qui ſuae poteſtatis ſunt, juris ſui perſequendi ergo, concertatio per vim vel dolum*, quam, quod ad ſenſum attinet, totam retinuimus.

Cui competat jus belli, & in quo conſiſtat?

§. CXCII. Quum ergo bellum gerant liberae tantum gentes, iique homines, qui in ſtatu naturali vivunt: (§. CXCI.) conſequens eſt, 7. ut jus belli poſteriore caſu ſit promiſcue omnibus, quippe inter ſe aequalibus; (§. V. & X.) 8. priore non niſi ſummis imperantibus: (§. CXXXVII, 41.) adeoque horum ſit 9. milites legere, vel conducere (*), 10. urbes & caſtra munire, 11. aerarium militare pecunia; 12. armamentaria tormentis & armis; 13. granaria commeatu; 14. navalia navibus replere; 15. bellum decernere, 16. milites hoſti, etiam cum ſummo periculo, opponere, 17. leges de diſciplina militari ferre, & ſimilia. Quum enim finis & hujus juris ſit ſecuritas externa, (§. CXXXVII.) & imperantibus omnia jura competant, ſine quibus finis obtineri non poſſet: (§. CXXXV, 29.) jura haec omnia cum jure belli conjuncta eſſe oportere, facile unuſquiſque intelligit.

(*) Notum eſt, MILITIAM aliam LECTAM eſſe, quando unuſquiſque civis patriae militat, qualis olim Graecis civitatibus, ipſiſque Romanis, libera adhuc civitate, placebat, hodieque placet Helvetiis: aliam MERCENARIAM, quando miles, etiam extraneus, certa mercede conducitur, quam Auguſtus ex politicis rationibus lectae praeferebat, conſilio Mecaenatis apud Dionem Caſſ. *Hiſt. Lib.LII. p.* 482. & quam hodie probant monarchae omnes, quibus non adductius eſt imperium: aliam denique SOCIAM, quando reſpublicae foederatae vel clientelares certum copiarum numerum ſubmittere tenentur, qualia olim erant Latinorum auxilia, Romanis ſubmittenda: de quibus militiae generibus legenda Herm. Conringii *diſſertatio ſingularis*. De mercenaria incidit quotidiana quaeſtio, an fas ſit principi amico in imperio populi amici militem conducere? Quod adfirmandum eſſe, niſi obſtet interdictum ſpeciale, & niſi conductitii illi iam patriae ſacramentum dixerint, erudite nuper defendit V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ.* I, 22.

An & magiſtratus bellum inferre poſſit?

§. CXCIII. Ex eadem belli definitione (§. CXCI.) ſatis perſpicuum eſt, 18. bellum decernere non poſſe magiſtratum, provinciae cuidam vel munimento praefectum, quamvis 19. eum urbem provinciamque, cui prae-

eſt,

Digitized by Google

eſt, in repentino tumultu, etiam ſine juſſu ſpeciali, adverſus quemcumque adgreſſorem defendere debere, nemo dubitet. Immo & contingere poteſt, 20. ut provincia quaedam tam ſit diſſita a republica, ut praeſes non niſi tardius de imminente periculo certiores facere poſſit imperantes. Quo caſu, ſi jus decernendi bellum generali mandato praeſidi datum eſt, hunc recte etiam injuſſu ſuperiorum bellum gerere, extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur (*).

(*) Hinc iniuſtum erat bellum, quo Cn. Manlius Gallograecos adgrediebatur. Ob quam cauſſam etiam triumphum illi negatum eſſe, refert Liv. XXXVIII, 45. addita ratione, *quod quum nullam ibi cauſſam belli inveniret, quieſcentibus regiis, circumegerit exercitum ad Gallograecos, cui nationi non ex Senatus auctoritate, nec populi juſſu, bellum ab eo inlatum, quod quem umquam de ſua ſententia facere auſum?* Praeterea notum eſt, parum abfuiſſe, quin Senatus Germanis dedendum cenſeret Julium Caeſarem, quod injuſſu populi illis bellum intuliſſet. Sueton. *Jul. Cap. XXIV.* At, qui ab Hiſpanis, Luſitanis, Belgis, cum ſumma poteſtate in provincias Indicas & Americanas mittuntur, ii fere cum liberrima facultate belli pacisque mitti ſolent, adeoque ſaepe contingit, ut prius de confecto, quam de inchoato bello, nuncius domum perveniat.

An privatis ſit jus belli? §. CXCIV. Praeterea ex hac definitione diſcimus, 21. injuſtum eſſe omne ſingulare certamen, niſi juſſu ſummorum imperantium initum (*), adeoque 22. diſtinctionem Grotii inter bellum PUBLICUM & PRIVATUM otioſam eſſe, nec verae belli definitioni quadrare. 23. Multo minus juſti belli nomen mereri illud, quod cives inter ſe, vel cum ipſa republica gerunt, quodque vulgo BELLI CIVILIS nomine venit. Denique & 24. vim, quam piratae & praedones veluti univerſo generi humano inferunt, non bellum eſſe, ſed funeſtiſſimum latrocinium, adeoque 25. hos omnes homines non juribus belli perfrui, ſed 26. tamquam ſecuritatis publicae turbatores puniri debere.

(*) Tale enim ſingulare certamen eſt BELLUM REPRAESENTATIVUM, quo veteres utebantur, dum ſelectos quoſdam ex utroque exercitu homines committebant, ſtipulati ſibi imperium in hoſtes, ſi victoria penes ſuos ſtetiſſet. Complura huius generis exempla ſuppeditant veteres annales, quae iam collegerunt Grot. *de jure belli & pac.* III, 20, 43. *ſequ.* qui tamen, iniqua eſſe illa certamina, exiſtimat, quia nemo ſit vitae membrorumque ſuorum dominus. Sed quum imperanti liceat, totos exercitus opponere hoſti: quidni & unum vel paucos? Alia eſt quaeſtio, an civilis prudentiae regulis conſentanea ſint bella haec repraeſentativa? De eo enim vel ideo licebit dubitare, quod ita aleae exponitur univerſa reſpublica, nec viribus reliquis novam fortunam experiri licet, ceu malo ſuo experti ſunt Albani apud Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiqu. Lib. III.*

Cauſſae belli juſtificae. §. CXCV. Deinde, quum juris ſui perſequendi cauſſa bellum gerant gentes liberae: (§. CXCI.) conſequens eſt, 27. ut non niſi duae ſint CAUSSAE BELLI JUSTIFICAE: altera, ſi quis populus extraneus populum alterum injuſte laedat, vitaque, libertate, & opibus ſpoliare velit; altera, ſi jus perfectum deneget (*). 28. Ut prior ſit juſta cauſſa belli DEFENSIVI; poſterior OFFENSIVI, adeoque 29. tertia cauſſa, quam commentus eſt Grotius *de jure belli & pac.* II, 1. 2, 1. punitio nimirum ſcelerum, eo minus videatur admittenda, quo magis conſtat, parem a pari, adeoque gentem a gente, puniri non poſſe (*). (§. CLIX, 37.)

(*) Nec aliud evincit ratio Grotii *ibid.* n. 1. Ac *plane, quot actionum forenſium ſunt fontes, totidem ſunt belli: nam ubi iudicia deficiunt, incipit bellum. Dantur autem actiones aut ob injuriam non factam, aut ob factum. Ob non factam, ut, qua petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & interdicta alia, ne vis fiat.*

fiat. Ob factam, ut aut reparetur, aut ut puniatur, quos duos obligationum fontes recte diſtinguit Plato, nono de legibus. Quod reparandum venit, aut ſpectat id, quod noſtrum eſt., vel fuit, unde vindicationes & condictiones quaedam, aut id, quod nobis debetur, ſive ex pactione, ſive ex maleficio, ſive ex lege, quo referenda, quae quaſi ex contractu & quaſi maleficio dicuntur, ex quibus capitibus naſcuntur conditiones ceterae. Factum, ut puniendum, parit accuſationem & judicia publica. Hactenus Grotius. Sed quemadmodum a ſtatu naturali ad civilem vix licet ducere argumentum: ita non magis illud procedit, ſi quis ſtatum naturalem ex civili aeſtimare velit. Gens delicto ſuo aut gentem laedit, aut non laedit, e. g. ſi idola colat, carne humana veſcatur: Priore caſu gens laeſa delinquentem juſto ac pio bello adgreditur, non tamen *punitivo*, ſed *defenſivo*. Poſteriore nullum plane jus eſt belli gerendi, quia punire delinquentem non poteſt, niſi ſuperior.

An jure geratur bellum ob denegatum jus imperfectum?

§. CXCVI. Quemadmodum vero juris tantum perfecti denegatio juſtam belli cauſſam praebet: (§. CXCV, 27.) ita ſua ſponte inde ſequitur, 30. ut, ob jus imperfectum vel officium humanitatis denegatum, arma corripere non liceat, (§. X, 26.) adeoque 31. non ſint hae juſtae belli cauſſae, ſi quis alterius exercitui tranſitum neget, novas ſedes quaerentes nolit admittere, commerciorum libertatem petentibus det repulſam, belligerantibus hoſpitia, commeatum, pecuniam ſufficere nolit, niſi 32. talia vel ex pacto antecedente, vel 33. in extrema neceſſitate, petantur, vel ita ſint innoxia, ut ſine omni detrimento praeſtari poſſint (*). (§. X, 27. ſequ.) Talium enim denegatio omnino in laeſionem incidit, ac proinde bello defenſivo cauſſam ſuppeditat juſtiſſimam. (§. CXCV, 28.)

(*) Id raro contingit. Periculum enim vel ab ipſo tranſeunte imminet, vel ab hoſte, qui victoria potitus, malam gratiam referet vicino, qui tranſitum conceſſit. Si tamen vere innoxius ſit tranſitus, quem quis petit, iſque tam neceſſarius, ut alia via non pateat: is omnino laedere videtur, qui iter facientibus reſiſtit. Et huc referimus bellum ab Iſraelitis juſſu Dei geſtum. *Num. XXI*, 21, 22. Idumaeos ob eamdem cauſſam bello non petierunt. *Num. XX*, 21. ſive quod non aeque innoxius futurus fuiſſet ille tranſitus, ſive quod non aeque videretur neceſſarius, quum alia via Kadeſum pateret.

An recte geratur pro aliis?

§. CXCVII. Quum vero aliquando perinde ſit, ſive nos ipſi laedamur, ſive per latus alterius petamur, itemque ſive nobis jus perfectum denegetur, ſive aliis, quibus vel ex pacto, vel noſtrum cauſſa ad opem ferendam obſtricti ſumus: recte inde colligimus, 34. poſſe etiam pro aliis ſociis & foederatis bellum geri, immo & 35. pro vicinis, ſi certis argumentis, aut non levibus certe indiciis, conſtet, illorum ruinis & nos oppreſſum iri. Quis enim vitio vertat vicino, properanti ad reſtinguendum incendium, dum proximus ardet Ucalegon? Quis non veriſſimum putet illud vetus: *Tunc tua res agitur, paries quum proximus ardet?* At, quum ne pro nobis ipſis quidem juſtum bellum geramus, niſi juſta belli cauſſa ſit: (§. CXCV, 27.) 36. multo minus ſanctum piumque erit bellum, quando aliorum cauſſae injuſtae patrocinium ſuſcipimus.

Soli colores non juſtificant bellum.

§. CXCVIII. Ceterum, quamvis hae cauſſae facile diſcernantur a coloribus, quibus & ii, qui injuſtiſſima bella ſuſcipiunt, utuntur: his tamen plerumque plus, quam illis, deferunt homines, qui utilitatis potius ſuae, quam juſtitiae, habent rationem. Quandoquidem tamen ſolae, quas ſupra adduximus, (§. CXCV.) belli cauſſae pro juſtis habendae ſunt: facile patet, 37. injuſta contra eſſe bella, quae vel ſola invitante occaſione, vicino quippe imparato, vel 38. ob utilitatem quamdam inſignem, vel 39. ob glo-

Digitized by Google

gloriam rerum gerendarum, 40. parandumque ampliſſimum imperium, vel 41. odio religionis, ſine alia juſta cauſſa, ſuſcipiuntur (*).

(*) Et neſcio ſane, an non iure huc referri poſſint bella iſta cruentiſſima, quibus medio aevo Mahumedanos laceſſebant Chriſtiani, quibuſque poſtea Americanos, gentem imbellem, & Europaeis nulla iniuria cognitam, opprimere Hiſpani non dubitabant. Illis ſane non quidquam praetexebatur aliud, quam quod loca ſacra, & Hieroſolyma inprimis, illi homines, a Chriſtianae pietate alieni, iniuſte poſſiderent, intereſſetque Chriſtianae religionis, eam hoc modo conſervari ac propagari. His, quod idololatria, immo daemonolatria, ſeſe polluiſſent gentes impiae. Sed quum religionem Chriſtianam armis propagare, locaque, quae ſacra tantum videntur hominibus, bello vindicare, nec ratio nec revelatio iubeat: & praeterea omnia bella, poenae cauſſa indicta, iniuſta ſint: (§. CXCV, 29.) haec quoque bella iniuſtiſſima fuiſſe, ſtatuendum eſt. Unde recte Herm. Conringius *ad Lampad. p.* 242. *Quantumvis interea temporis quamplurima fortiſſime etiam geſta ſint, quaeque aeternam zeli pariter ac animoſitatis mereantur gloriam; ſi tamen, quod res eſt, fateri licet, non poſſunt non expeditiones illae omnes ſummae ejus aevi regum principumque & imprudentiae, & injuſtitiae, & ſuperſtitionis jure merito notari*. Add. Jo. Franc. Buddei *exercit. de expeditionibus cruciatis §. V. ſequ.* Sed & Hiſpanorum ſententiam de Mexicanis, ob delicta adverſus naturam admiſſa, iure punitis, cuius ipſe Grotius *de jure belli & pac. II*, 20, 40. *ſequ.* patrocinium ſuſcipit, ipſi reiiciunt doctores Hiſpani, Victoria *Relat. I. de Indis n. XL.* Vaſquius *Controverſ. illuſtr. I*, 25. Azorius, Molina, & alii.

Diſtinctio belli ſollemnis & minus ſollemnis otioſa.

§. CXCIX. Semel decretum bellum ſollemniter eſſe indicendum, pluribus gentibus viſum eſt, ac proinde notiſſima eſt diſtinctio belli in SOLLEMNE, vel JUSTUM, & MINUS ſollemne, vel INJUSTUM, quorum illud ex plerorumque ſententia eſt, quod a liberis gentibus, praevia ſollemni indictione; hoc, quod ab eo, cui jus belli non eſt, ſuſcipitur, nec indicitur ſollemniter. Enimvero, uti facile largimur, id fere in mores gentium iviſſe, ſplendidioremque pleriſque videri victoriam, quae praevia denunciatione, vel propoſito edicto, vel per faeciales, vel aliis ritibus facta, obtineatur: ita, quia ritus & ſollemnitates ab arbitrio hominum pendent, nec mores hujuſmodi jus gentium conſtituunt, (Lib. I. §. XXII. *) inter bella quoque INDICTA & NON INDICTA, quod ad effectum attinet, nihil omnino intereſt, 42. hanc diviſionem nullius momenti eſſe, merito arbitramur (*).

(*) Magni hanc diſtinctionem faciunt Grot. *de jure belli & pac. III*, 3. & Alberic. Gentil. *de jure belli II*, 1. quos deinde Pufendorffius, Huberus & alii ſequuti ſunt, duplicem interferentes cauſſam: alteram, quod ex hac interpellatione conſtet, alio modo fieri non poſſe, ut noſtrum aut nobis debitum conſequamur: alteram, quia ita conſtet, non privato auſu, ſed voluntate utriuſque populi capitum, geri bellum. Enimvero hae rationes, utilem & honeſtam eſſe indictionem, probant, non item, eandem eſſe neceſſariam, quia de utroque & alio modo, quam ſollemni facta denunciatione, conſtare poteſt. Recte itaque Dio Chryſoſtom. *orat. ad Nicomed.* etiam ex iuris gentium principiis: *πόλεμοι ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀκήρυκτοι γίγνονται. Pleraque bella ſine indictione ſuſcipiuntur.* Cauſſam iam perorarunt Thomaſ. ad Huberum *de jure civit. III*, 4, 4, 27. &, qui de moribus etiam Europaeorum noviſſimis erudite diſſeruit, V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I*, 2. *pag.* 5. *ſequ.*

Cauſſas belli oportet eſſe liquidas.

§. CC. Id vero ipſa recta ratio ſuadet, 43. non illico proruendum eſſe ad arma, ſed tum demum, quando populus hoſtilem animum adverſus nos oſtendit. (Lib. I. §. CLXXXIII, 25.) quum vero is hoſtilem adverſus nos animum oſtendat, qui omnes aequas pacis conditiones pertinaciter reſpuit: (§. eod. *) merito inde colligimus, 44. priuſquam res manu ferroque geratur,

ratur, rem, quam nobis abeſſe, vel deberi credimus, repetendam, 45. cauſſam dubiam, propoſitis utrimque argumentis, ad liquidum perducendam, 46. omniaque media bellum impediendi tentanda eſſe (*). Quo facto, 47. is procul dubio jure arma corripit, qui, juſtis propoſitis cauſſis, nihil aequi ab hoſte impetravit.

(*) Quorum mediorum tria potiſſimum commendant Grot. *de jure belli & pac. II*, 23, 7. *ſequ.* & Puſendorffius *de jure nat. & gent. V*, 13. 3. *& VIII*, 6, 3. colloquium, ſeu diſceptationem amicam, provocationem ad arbitros, & ſortem. Sed ſortis quidem in cauſſis publicis, praeterquam ſi res dividenda ſit, rariſſimus uſus eſt, nec ſolent facile principes & reſpublicae iura ſua fortunae arbitrio permittere. Reliqua media & inter gentes receptiſſima, & rectae rationi admodum conſentanea ſunt, quia nemo ſapiens vi & cum periculo repetere vult id, quod ſine vi conſequi poſſet: (Lib. I. §. CLXXXI, 20. *) ut adeo recte, quamvis ridicula occaſione, dicat miles Terentianus:

Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet.
Qui ſcis, an, quae jubeam, ſine vi faciat?

Ad eumdem finem comparata ſunt ſcripta publico nomine edita, quae hodie vocant *Deductiones* & *Manifeſta*, quamvis poſteriora plerumque, ubi iam veluti intra teli iactum ventum eſt, non tam declinandi, quam indicendi iuſtificandique belli cauſſa, publicari ſoleant. Vid. Jo. Hern. Boecleri *Exercit. de clarig. & manifeſtis.*

Quid hoſti in hoſtem liceat?

§. CCI. Quandoquidem vero juris ſui perſequendi cauſſa bella gerunt principes & gentes liberae: (§. CXCV.) conſequens eſt, 48. ut hoſti in hoſtem liceant omnia, ſine quibus ille jus ſuum obtinere non poſſet. Id vero quum obtinere numquam poſſit, niſi hoſtem in eum ſtatum redigat, ut vel non poſſit, vel nolit amplius hoſtilem animum oſtendere: 49. hoſtem quiſque ſuum & vi, & dolis, recte adgreditur, 50. ſternit, 51. ſpoliat perſonis rebuſque qualibuſcumque, 52. ceſſantibus omnibus officiis humanitatis, quibus hoſtis noſter adverſus nos fieri poſſet validior. (Lib. I. §. CCVIII, 14 *) Quin 53. ne injuſtum quidem dixeris hoſtem, veneno utentem, vel percuſſores immittentem; quamvis illum contra mores gentium humaniorum, quos RATIONEM BELLI vocant, egiſſe, recte dixeris (*).

(*) Diſſentit quodammodo Grotius *de jure belli & pac. III*, 4. 15. & XVIII. Sed non ſtatim, quae magnitudinis animi laudem ferunt, ita ſunt comparata, ut omiſſa pro iniuſtis habeantur. Venenis non uti ſolent gentes humaniores: at utuntur Turcae, Tartari, aliique populi orientales, qui tela & ſagittas venenis inficiunt. Hos ergo parum humanos, at non ideo iniuſtos dixeris, quia hoſti in hoſtem omnia licent. Ita recte ad animi magnitudinem refertur, quod Coſſ. Romani ad Pyrrhum regem ſcripſerunt: *Nobis non placet pretio aut praemio, aut dolis pugnare.* Gell. *Noct. Attic.* III, 8. At ideo non dixeris iniuſtum facinus Ehudi, percutientis Eglonem, *Jud.* IV, 20. *ſequ.* vel Jaelis, tempora Siſſerae clavo transfigentis, *Jud.* IV, 21. vel Judithae, Holofernem obtruncantis. Praeterea mores gentium, quae reliquis humaniores videri volunt, aliquando parum abſunt ab adulatione. Qua de re illuſtr. Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ.* I, 3. *p.* 17. *Adeo adulandi ferax fuit ſaeculum praeteritum, & hoc noſtrum, ut principes neque adulationis obliviſcantur inter ipſa arma. Unde nunc hoſtes hoſtibus precantur omnia proſpera, ſeque invicem vocant amicos, & hoſtium damno quaſi indolent. Atque ita eſt in Epiſtolis Ordinum generalium ad Angliae Regem* 10 *Jul.* 16. *Sept. &* 26. *Nov.* MDCLXVI. *& rurſus Angliae regis ad Ordines generales.* 4. *Aug. &* 4. *Octob.* MDCLXVI. *Quamvis autem utrique tunc temporis in mutuam perniciem accingerentur: attamen inter jus belli & officia amicitiae ſatis convenire ſcribunt Ordines, d. epiſtola* 10. *Jul.* 1666. *Quin & Gallorum rex, qui tunc quoque bellum gerebat contra Anglorum Regem, anno* 1666. *ad eum miſit legatum, qui conflagrationi urbis Londinenſis indoleret. Humanitatem, clementiam, pietatem, ceteraſque animi magni virtutes in bello exercere glorioſum eſt, ſed oppido putidum, ſolis verbis ludere.*

re. Quid enim, niſi verbis ludis, quum indoles conflagrationi urbis, quam ipſe cuperes incendere? En egregia humanitatis ſpecimina. An ideo his iniuſtiorem dixeris C. Popilium Laenatem, qui ſalutatus ab Antiocho rege, eum, niſi amicum, reſalutare noluit, & ne dextram quidem a Rege hoſte porrectam prehendere voluit? Polyb. *Excerpt. legat.* Cap. XCII. Liv. XLV, 12. Duriuſcula haec ſunt; at non iniuſta tamen, immo aliquanto minus indecora, quam hoſtiles illae blanditiae.

An hoſtes foederibus & pactis decipere liceat?

§. CCII. Quum vero adverſus hoſtem tantum vi & dolis uti liceat: (§. CCI, 49.) conſequens eſt, 54. ut idem non liceat adverſus eum, quocum paciſcimur, quippe cui tunc, non tamquam hoſti, ſed tamquam paciſcenti nobiſcum, fidem damus (*). Ex quo patet, 55. turpiſſimam eſſe eorum perfidiam, qui inducias, ſive breves, ſive diuturnas, tempore nondum elapſo, rumpunt: quamvis 56. interea actus mere defenſivos recte ſuſcipere utramque partem, omnino verum ſit. Puſend. *de jure nat. & gent. VIII*, 7, 10. Nec magis 57. excuſanda eſt eorum perfidia, qui leges deditionis, vel 58. pacta de ſecuro commeatu, vel 59. quae de redimendis captivis ineuntur, turpiter violant, hic quoque hoſti in hoſtem omnia licere, ſtolide perſuaſi.

(*) Recte ergo dolum bonum, quo hoſtes cicumveniuntur, a perfidia diſcrevit Ageſilaus apud Plutarchum *in vita p.* 600. ubi hoc elegans eius dictum memoratur: ὅτι τὸ μὲν σπενσάμενον ἀδικεῖν, τῶν θεῶν ἐστι καταφρονεῖν· ἐν δὲ τῷ παραλογίζεσθαι τοὺς πολεμίους, οὐ μόνον τὸ δίκαιον, ἀλλὰ καὶ δόξα πολλὴ, καὶ τὸ μεθ᾽ ἡδονῆς κερδαίνειν ἔνεστι. *Fidem in foedere fallere, nihil aliud eſſe, quam Deos contemnere; hoſtium vero circumventionem non cum juſtitia modo, ſed & cum laude, & jucundo conjunctam eſſe compendio.* Quid ſi vero hoſtis antea fidem fefellerit: an non licet data occaſione, par pari referre? Non videtur. Quamvis enim perfidia paciſcentis unius alterum obligatione liberet: (Lib. I. §. CCCCXIII, *) id tamen intelligendum eſt de eodem pacto bilaterali, cuius conditioni alter ex ſua parte non ſatisfecit. Si vero cum eo, qui pacto non ſtetit, de novo paciſcor: tunc remiſiſſe videor priorem perfidiam, ac proinde obligatus ſum, ad fidem ſervandam.

Quid liceat adverſus alios non hoſtes?

§. CCIII. Ex eodem axiomate colligimus, 60. non poſſe quemquam jure belli adverſus amicos uti, eo obtentu, quod periculum ſit, ne hoſtis ejus caſtella, munimenta, portus, ſit occupaturus: 61. non magis licere hoſtes vel eorum naves intra territorium, vel portus amici populi caedere, vel capere, ſi hi non data opera illis receptum dent, quia haec vis cum injuria populi amici, cujus territorium vel portus vi introitur, conjuncta eſt. V. A. Corn. van Bynkershoek *Quaeſt. jur. publ. I*, 8. Contra 62. nihil obſtare, quo minus eos, qui hoſtem noſtrum armis, commeatu, tormentis, ſimilibuſque rebus juvant, vi prohibeamus, & res iſtas pro commiſſis habeamus (*): Idem *ibid. Cap. IX. ſequ.* quamvis 63. ipſa omnino aequitas ſuadere videatur, ne promiſcue merces licitae cum illicitis, res amicorum cum hoſtilibus, in commiſſum cadant. Idem *I*, 12. *ſequ.* quocum jungenda diſſertatio noſtra *de navibus ob mercium illicitarum vecturam commiſſis*.

(*) Concedit hoc & Grotius *Lib.* III. *Cap.* XVII. §. III. ſed addita reſtrictione, nihil facere debere eos, qui a bello abſtinent, *quo validior fiat is, qui improbam fovet cauſſam, aut quo juſtum bellum gerentis motus impediantur*. Sed quum is, qui neutrarum partium eſt, quaeſtionem hanc, uter iuſtum, iniuſtumve bellum gerat, non poſſit trahere ad arbitrium ſuum, & veluti index ſedere, contra ea vero is, qui neutrarum partium eſt, *nullatenus interponere ſe debeat bello*: Liv. XXXV, 48. facile patet, huic reſtrictioni locum non eſſe. Vid. V. A. Corn. van Bynkersh. *Quaeſt. jur. publ. I*, 9. *p.* 69.

§. CCIV.

Quomodo adquiratur per bellum?

§. CCIV. Supra oſtendimus, hoſtem ab hoſte & perſonis & rebus jure ſpoliari. (§. CCI, 51.) Ex eo vero patet, 64. victoris in arbitrio eſſe, malitne perſonas captas in ſervitutem rapere, an, quod hodie plerumque inter gentes Europaeas obſervari novimus, tamdiu cuſtodire, donec vel permutentur cum aliis, vel, ſoluto lytro, redimantur. 65. Res quoque hoſtium, tum mobiles, tum immobiles, tum corporales, tum incorporales cedere victori, & 66. mobiles quidem ſimul ac in praeſidia victoris perlatae, 67. immobiles & reliquas, ex quo occupatae fuerint: quamvis 68. firmam harum non eſſe poſſeſſionem, priusquam ſuper illis, inita pace, fuerit tranſactum, 69. mobiles vero aeque ac perſonas & fundos, recuperatos, vel in priſtinam libertatem ſeſe vindicantes, jure poſtliminii gaudere, facile unuſquiſque intelligat (*).

(*) Multae hic occurrant quaeſtiones ſpeciales apud Grot. *III*, 5. *ſequ.* Puſend. *de jure nat. & gent. VIII*, 6, 20. *ſequ.* veluti, quomodo res bello captae adquirantur? an & incorporales? an & actiones & credita? quomodo recuperentur? an & quibusnam in rebus locus ſit iuri poſtliminii? Sed quum pleraque haec potius ex moribus gentium decidi ſoleant, quaedam etiam ex principiis hactenus explicatis facile poſſint explicari; illis immorari nolumus. Solide ſuo more & haec tantum non omnia expoſuit V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid. Lib. I. Cap. IV. ſequ.*

Quid repreſaliae?

§. CCV. Sic juſtum bellum eſt, quoties gentes liberae inter ſe, juris perſequendi cauſſa, vi dolove certant, vel propoſitum certandi retinent, (Lib. I. §. CCXCV.) Itaque 70. ſi non inter ipſas gentes & civitates incidit controverſia, ſed, ob denegatam civi noſtro juſtitiam, perſonis aut rebus alterius reipublicae, alias amicae, civium manus injicimus: hoc non belli, ſed REPRESSALIARUM (*) nomine venit: quamvis, 71. quum hujuſmodi exſequutio facile poſſit bello occaſionem dare, eam non a quovis privato, ſed ex decreto ſummorum imperantium, fieri debere, nec 72. ulterius extendendum eſſe, quam ut civi noſtro, cui jus dictum non eſt, ſatisfiat, facile unuſquiſque intelligat.

(*) Ita vocari coepit illud ius, ex quo invaluit. Veteres enim id ignorarunt, adeoque nec vocabulum ſuppeditat Latina lingua, quod eius indolem exprimat. V. A. Corn. van Bynkersh. *ibid.* I, 24. Eius aequitatem ex iure pignorandi, quod ſingulis competere exiſtimant, oſtendere conantur Grot. *de jure belli & pac. III*, 2, 7, 3. & Bodin. *de Rep. I*, 10. Sed hanc ſententiam iure merito reiecit Hert. ad Puſend. VIII, 6, 13. & ante eum Ziegl. *de jure majeſt. I*, 34, 8. ubi hic §. XXXII. ius illud magis ex iure belli derivari poſſe, exiſtimat. Et ſane ſi reſpublica iniuriam ſibi, civibuſque illatam, bello recte vindicat: (§. CCXLV.) poterit etiam procul dubio ob iniuriam uni alterive civium illatam manus alterius rebus iniicere, niſi exiſtimare velis, non id, quod minus eſt, licere reipublicae, quum plus omnino liceat.

An & quomodo imperium in victos adquiratur.

§. CCVI. Ceterum, quum in ſtatu naturali defenſionis jus tantiſper duret, dum hoſtis animum hoſtilem nondum depoſuit, (Lib. I. §. CLXXXIII, 25.) eum vero non depoſuiſſe videatur, qui eo ſe adduci non patitur; ut nobiſcum redeat in gratiam, ſed quaſvis honeſtas pacis conditiones reſpuit: (ibid. *) 73. injuria ſane non fit victo, ſi perſequatur jus ſuum, donec debellatum ſit, 74. ipſumque ſibi imperium in victos vindicet, illudque 75. ſuo arbitrio conſtituat, (§. CXLVI.) & 76. tamdiu exerceat, donec vel inita pace certi quid ſtatuatur, vel 77. gens, vi oppreſſa, re nondum compoſita, ſeſe in priſtinam libertatem vindicet, vel a priore imperante liberali cauſſa manu adſeratur (*).

(*) Et tunc quoque utroque caſu aequiſſimum eſt, ut urbes, provinciae, genteſque recuperatae gaudeant iure poſtliminii: (§. CCIV, *69.*) adeoque priora iura recipiant, ſi illis nulla culpa, cur in hoſtium poteſtatem pervenerint, poſſit imputari, aut certe non admodum liquidum ſit, an hoſti acrius reſiſtere potuiſſent. Hinc, quum reipublicae Ultraiectinae, diſcedentibus Gallorum praeſidiis, de iure *προεδρίας* controverſia mota eſſet a Friſiis, eo, quod illa ſeſe ultro dedidiſſe diceretur: Ultraiectini tamen priorem locum & ſtatum recuperarunt. Huber. *Praelect. ad digeſt. Lib.* XLIX. *tit. XV. §. IX.* Aliud tamen dicendum omnino videtur, ſi urbs, vel provincia, quae immemor fidei, imperantibus datae, ad hoſtes ultro deſciverat, armis recuperetur. Tunc enim indigna omnino eſſet hoc beneficio, ac proinde victoris in arbitrio eſt, cuius illam conditionis eſſe velit. Tale exemplum a Romanis factum novimus in Brutios, Lucanos, Campanos, qui ad Hannibalem defecerant, & maxime in Capuam, quae tantum abeſt, ut priſtina iura receperit, ut iure municipii, magiſtratibus, agro privata, in praefecturae formam redacta ſit. Liv. *XXVI, 16. ſequ.*

Quid foedus, idque vel aequale vel inaequale?

§. CCVII. Alterum jus majeſtatis, quod tranſeuntibus accenſeri poteſt, eſt IUS PANGENDI FOEDERA, per quae intelligimus conventiones gentium liberarum de rebus, ad utriuſque, vel alterius reipublicae utilitatem pertinentibus. Ex qua definitione ſatis patet, 78. eorum alia eſſe AEQUALIA, in quibus par eſt omnium foederatorum conditio; alia 79. INAEQUALIA, in quibus non par & aequum jus omnibus tribuitur, ſed alius foederatus deterioris, alius melioris conditionis eſt: id quod 80. tum ratione PRAESTANDORUM, tum ratione MODI PRAESTANDI, contingere poſſe, exempla quam plurima docent (*).

(*) Sic ſaepe foederatus potentior minus potenti promittit ſubſidia pecuniaria, vel certum copiarum, vel navium, & claſſiariorum numerum, & ſibi vel nihil, vel parum reſtipulatur. Tunc inaequale eſt foedus ratione PRAESTANDORUM. At ſaepe foederibus cavetur, ut reſpublica una alteram comiter veneretur, ne cui bellum iniuſſu alterius faciat, ne claſſem habeat, ut tributum annuum pendat, ne fabros habeat, neque ferro, niſi in agricultura, utatur. 1. *Sam. XIII,* 19, 20. Quod & in primo foedere Porſenae cum populo Romano expreſſum eſſe, monet Plin. *Hiſt. nat. XXXIV,* 14. Quae omnia ſunt foedera inaequalia ratione MODI PRAESTANDI, ſiquidem alter foederatorum alterius veluti clientem ſe hoc praeſtandi modo profitetur.

Itemque vel ſimplex amicitiae vel ſingularis praeſtationis.

§. CCVIII. Quumque gentes liberae de rebus omnibus, quae ad unius, vel utriuſque reipublicae, utilitatem pertinent, paciſci poſſint: (§. CCVII.) ſequitur, 81. ut & ea, quae jam antea ex juris naturae praeſcripto debentur, ſibi ſtipulari queant gentes & reſpublicae: quae foedera SIMPLICIA vel AMICITIAE vocare licebit (*), & 82. alia, ad quae praeſtanda alias gens genti non eſſet obſtricta: qualia foedera SINGULARIS PRAESTATIONIS adpellamus: Et 83. priora quidem ideo non ſunt fruſtranea, quod & non alia eſt certa ratio alterum ad praeſtanda officia humanitatis obligandi, quam per pacta, (Lib. I. §. CCCLXXXVI, 2.) & ſaepe contingit, ut per bellum ceſſent officia humanitatis, (§. CCI, 52.) adeoque vel maxima neceſſarium eſt, ut per pactiones, & foedera redintegretur amicitia.

(*) Ad haec foedera Grotius *de jure & belli pac.* 15, 5. refert etiam ea, quae de iure hoſpitii, & de mutuis commerciis ineuntur, quatenus gentes utraque ſibi invicem iure naturali debeant. Enimvero, quum ius hoſpitii plura complecteretur officia, quae ex ſolo iure naturali non debebantur, de quibus accurate, ſuo more, egit Jo. Schilterus *de jure hoſpitii diſſ.* II. utrum vero extraneis, & quae commercia, concedenda ſint, in cuiuſvis reipublicae ſummorumque imperantium arbitrio poſitum ſit: (§. CLXXXIX, 186.) vix eſt, ut umquam haec foedera

ad

Digitized by Google

ad ea referri queant, quibus ſibi gens a gente nihil aliud, quam quod iure naturali debetur, ſtipuletur. Sane de nullis foederibus difficiliorem eſſe conſultationem, quam de foederibus commerciorum, exemplo ex Jac. Balnagii *Hiſt. Belg. Tom. I. p. 51. & 439.* oſtendit vir celeberrimus, Jo. Jac. Maſcov. *diſſ. de foeder. Commerc. §. VI.* & foederum iſtorum memoriam in numis conſecrarunt Athenienſes, Smyrnaei, Epheſini & Alexandrini, ceu idem vir doctiſſimus probavit ex Ezech. Spanh. *de uſu & praeſt. numiſm. Diſſ.* III. *p.* 143. & *Diſſ. XIII. n.* IV. nec non eiuſdem *Orbe Rom. Cap.* IV. Vaillantjo *de numis Imp. Graec. p.* 221. Quis vero foedus ſimplex amicitiae diuturnam conſultationem requirere, aut dignum videri, quod his monimentis aeternitati conſecretur, dixerit?

§. CCIX. Utile alicui genti aliquid eſſe poteſt vel pacis, vel belli tempore: ex eoque conſequitur, 84. ut foedera alia ad PACEM, alia ad BELLUM pertineant. Quumque plerumque interſit reip. & pacem quam maxime ſtabilem & diuturnam eſſe, & cives fructum inde capere quam uberrimum: ad priorem finem merito referimus 85. foedera fidejuſſoria, quibus, pacis leges ſancte ſervatum iri, fide ſua promittunt, auxiliumque parti laeſae pollicentur ſponſores pacis (*): 86. foedera item de munimentis novis non exſtruendis, vel 87. praeſidiis noſtris in munimenta quaedam tuendorum finium cauſſa admittentis, quae vocantur *barriere tractaten*: 88. de ſubditis militibuſque fugitivis non recipiendis: 89. de receptu hoſtibus non dando, & ſimilia: ad poſteriora 90. foedera, quae commerciorum mutuorum cauſſa ineuntur. Foedera quaedam pacis tempore ineuntur.

(*) De his foederibus legi meretur Ulr. Obrechti *diſſ. de ſponſore pacis*, quae inter academicas ſeptima eſt, & Henr. Cocceii *de guarantia pacis Francof. juxta V. adr.* MDCCII. Praecipua, quae hic moveri ſolet, quaeſtio haec eſt, an qui pro pace tuenda ſpoponderunt, generatim ad ineundam belli ſocietatem obſtricti ſint, ex quacumque cauſſa pacis leges violentur? Id quod recte iam pridem negavit Puſendorffius *de jure nat. & gent.* VIII, 8, 7. ſi ex nova cauſſa pax rumpatur. Uti enim omnes fideiuſſiones ſunt ſtricti iuris, & abſurda futura eſſet creditoris poſtulatio, qui a fideiuſſore exigeret debitum, quod poſt fideiuſſionem demum contraxerit debitor principalis: ita non magis iuſta eſſet poſtulatio principis, vel reipublicae, urgentis, ut pacis ſponſor arma corripiat, ſi bellum ex nova plane cauſſa exarſerit. Neque enim iſte ſpopondit, niſi in eum caſum, ſi pax conventa rupta fuerit. Pax autem, ceu recte obſervavit Grotius *de jure belli & pac.* III, 20, 27. *ſequ.* tunc demum rupta cenſetur, ſi aliquid factum eſt vel contra id, quod omni paci ineſt, vel contra id, quod pacis legibus expreſſum eſt, vel contra id, quod ex cuiuſque pacis natura debet intelligi. Res procul dubio veriſſima eſt, quod ad theſin attinet: quamvis, ubi in hypotheſi quaeritur, ſitne hic *caſus foederis*, nec ne? tota haec quaeſtio innumeris implicata ſit erroribus, ceu exempla recentiſſima ſatis ſuperque oſtendunt.

§. CCX. Sed & belli temporibus varia foedera utilitatis ſuae cauſſa pangunt gentes liberae, ſive cum AMICIS, ſive cum ipſis HOSTIBUS. Uti enim cum illis paciſcuntur, modo 91. de jungendis adverſus communem hoſtem viribus, qualia ſunt illa, quae vocantur *oſund defenſiv-allianzen*, modo 92. de libero tranſitu per territorium, & commeatu concedendo, modo 93. de ſe bello non interponendo, quae foedera dicuntur *neutralitats-tractaten*: ita cum his ſaepe convenitur, modo 94. ſuper tributis pendendis, 95. vel dedendis urbibus, modo 96. de captivis redimendis permutandiſve, de quibus foederibus, quae vocantur *cartels*, ex inſtituto egit Hert. *diſſ. de lytro*: modo 97. de induciis aliquot horarum, dierum, vel menſium, concedendis (*), & ſimilibus, quae in bello incidere, ſolent, negotiis. Quaedam tempore belli.

(*) Ubi quaeri ſolet, a quo momento tempus illud currat? Equidem Grot. *de jure belli & pac.* III, 21, 5. a quo die menſura aliqua temporis incipere dicatur,

Quaedam perſonalia, quaedam realia ſunt.

tur, eum diem intra menſuram non eſſe ſtatuit: ſed eum iam ſolide refellit Pufendorff. *de jure nat. & gent.* VIII, 7, 8. Itaque rectius ac ſimplicius creditur, ſi induciae placuerint a Kalendis Julius ad Kalendas Septembres, utraſque illas Kalendas comprehendi: itemque, ſi a Kalendis Julius per triginta dies factae ſint, Kalendas Julias primum illarum diem eſſe, & pridie demum Kal. Auguſti ius arma corripiendi reviviſcere.

§. CCXI. Praeterea utilitas illa, ob quam foedera iniri ſolent, vel ad perſonam imperantis pertinet, vel ad ipſam rempublicam. Ex quo ſequitur, 98. ut foedera alia PERSONALIA, alia REALIA ſint, & 99. illa cum perſona exſpirent; haec, extinctis etiam populi rectoribus, qui illa inierunt, perdurent. Ex ipſis vero definitionibus, hoc paragrapho datis, facile intelligitur, 100. foedera omnia, quae ad conſervandum tantum principis vel familiae ſtatum ſunt comparata, perſonalia; quaecumque vero ad ipſius reipublicae utilitatem facta ſunt, realia eſſe (*). Ad quam unicam regulam ea omnia, quae Puſendorffius *de jure nat. & gent. VIII, 9. 6. ſequ.* diſſeruit, quam commodiſſime referri poſſunt.

(*) Aliquoties haec quaeſtio incidit, imperio Regibus a Romanis abrogato. Quum enim Sabinis foedus interceſſiſſet cum regibus; ſtatu reip. in popularem commutato, negarunt Sabini, Romanos ex foederibus illis, cum Tarquinio initis, fructum capere poſſe, bellumque indixerunt Romanis, *ὡς λελυμένων σφίσι τῶν σπονδῶν, ἐπειδὴ βασιλεὺς Ταρκύνιος ἐξέπεσε τῆς ἀρχῆς, πρὸς ὃν ἐποιήσαντο τοὺς ὅρκους· quaſi ſoluto foedere, poſt ejectum regno Tarquinium, quocum foedus ictum fuerat*. Dionyſ. Hal. *Ant. Lib. V. p.* 307. Idem poſtea anno ab V. C. CCLXVII. cauſſati ſunt Hernici, negantes, foedus ſibi umquam interceſſiſſe cum populo Romano: quod autem cum rege Tarquinio ictum ſit, id iam finitum exiſtimare, quum is imperio exutus in exſilio ſit mortuus. Dionyſ. *Lib. VIII. p.* 530. Sed quum uterque populus, armis Romanorum victus, foedus hoc iniiſſet, (Vid. Dionyſ. *ibid. Lib. IV. p.* 252. *ſequ.*) nemo dubitare poterat, quin id non cum ſolo Tarquinio, ſed cum ipſa republica Romana eſſet initum, adeoque illud, & expulſo Tarquinio, perdurare oporteret.

An foedera & ſociis proſint?

§. CCXII. Quod reipublicae utile eſt, id & ſociis foederatiſque illius reip. prodeſt: ac proinde 101. foederibus non modo nobis, verum etiam ſociis & foederatis, conſulere ſolemus, 102. ſive illorum generatim fiat mentio, ſive ſpeciatim & nominatim exprimantur. Ubi res ipſa docet, 103. poſteriore caſu non ad alios proferendum eſſe foedus, quam qui nominati ſunt in foederis legibus: 104. priore autem illud omnibus ſociis prodeſſe, qui tempore icti foederis ſocii fuerunt, 105. non illis, qui poſtea demum adſciti ſunt (*), quum pacta ad ea, de quibus non fuit cogitatum, non ſint producenda. (Lib. I. §. CCCXCIII, 21.)

(*) Ex facto haec incidit quaeſtio, quum Hannibal Saguntum obſidione premeret. Romani enim, Hannibalem eos iniuſte adortum, querebantur, quia ex icto cum Carthaginienſibus foedere & a ſociis Romanorum abſtinere tenerentur Carthaginienſes. Hi foedere comprehendi negabant Saguntinos, quia eo tempore, quo foedus eſſet initum, non ſum fuerint ſocii. Polyb. *Hiſt. III*, 29. Liv. *XXI*, 19. Sed quamvis Romanorum cauſſam tueatur uterque ſcriptor: non dubitarem tamen ego accedere Grotio, qui *de jur. bell. & pac.* II, 16, 13. & Carthaginienſibus non obſtitiſſe illud foedus exiſtimat, quo minus Saguntinis bellum inferrent, & Romanis ius fuiſſe, novos ſocios adſciſcere, eoſque adverſus Carthaginienſium vim defendere, ſtatuit. Nam nec Romani futuri, ſociis diſerte caverant, adeoque exigere a Carthaginienſibus non poterant, ut ea, quae expreſſa non fuerant, &, de quibus cogitare vix poterant, ſubintelligerent: nec Carthaginienſes ſibi ſtipulati erant a Romanis, ne novos ſocios adſciſcerent, ac proinde nec obſiſtere poterant Romanis, novorum etiam ſociorum cauſſam ſuſcipientibus.

§. CCXIII.

§. CCXIII. Ceterum per ſe patet, quia foedus eſt liberarum gentium vel rerumpublicarum conventio, (§. CCVII.) 106. foedus neminem pangere poſſe, praeter eos, quibus ut ita paciſcerentur, vel expreſſe, vel tacite, vel praeſumtive, mandatum ſit. Quare 107. quod miniſtri ſummae poteſtatis, ſine ejus mandato, promiſerunt, ratihabitione non ſequuta, non foederis, ſed SPONSIONIS nomine venit. Hinc certum quidem eſt 108. rempublicam non teneri, ut ratum habeat pactum, injuſſu ſuo ictum: 109. certum quoque, miniſtrum reipublicae, quacum pactus eſt, ad ſatisfactionem eſſe obligatum, quae ex faeciali Romanorum jure in eo conſiſtebat, ut nudus, revinctis in tergum manibus, dederetur (*): at 110. certum quoque eſt, plerumque cavillationem ſapere exceptionem non dati a republica mandati, quum reſpublica, quae civem ſumma cum poteſtate praefecit exercitui vel provinciae, eidem merito omnia cenſeatur mandaſſe, ſine quibus exercitus, vel provincia, immo ipſa reſpublica, ſervari non poſſet. Quid ſponſiones, & quid circa eas juſtum ſit?

(*) Exempla duo illuſtria ſunt apud Romanos, ſponſio puta Caudina, & Numantina, apud Liv. IX, 8. *ſequ.* LV, 15. Et Romani quidem tum irritum eſſe volebant foedus, quo Poſtuminus Cos. & alii duces, exercitum ex Furculis Caudinis expediverant, quemadmodum nec ratum habebant turpem Hoſtilli Mancini pactionem cum Numantinis, cauſſam, utramque conventionem ſuo injuſſu factam eſſe. Sed quis dubitet, quin, exercitu in ancipiti periculo conſtituto, ducibus omnia conceſſa ſint, ſine quibus periculo explicari non poſſet, & quae tum e republica, tum e re militum eſſe, animadvertant? Omnino ergo aut ratae habendae ſponſiones illae, aut res in illum ſtatum, in quo ante ſponſionem fuerant, reſtituenda fuiſſet, ſi fidei ſervantiores, quam in excogitandis cavillationibus ingenioſiores eſſe voluiſſent Romani. Vide omnino Chriſt. Thomaſii & Ge. Beyeri *diſſertatione de ſponſionibus Caudina & Numantina*.

§. CCXIV. Quia porro foedera ineunt gentes liberae: (§. CCVII.) facile intelligitur, 111. nihil intereſſe, noſtraene religioni addicti ſint, an alii, quam nos pro impia vel deteſtabili habemus: quia, quemadmodum privato non turpe eſt, cum alio, a religione ſua alieno, paciſci & contrahere: ita nec reipublicae, vel ejus rectoribus, vitio jure vertitur, ſi cum infidelibus ita paciſcantur, prout id exigit reipublicae utilitas. Nec jure divino (*) quidquam circa hanc veritatem, rectae rationis principiis ſubnixam, mutatum eſſe, erudite ac ſolide demonſtravit Grot. *de jure belli & pac.* II, 15, 9. *ſequ.* An foedera pangere liceat cum infidelibus?

(*) Sic ſane conſtat, ante legem Moſaicam foedera cum Abimelecho contraxiſſe Abraamum & Iſaacum, cum Labane, quem idola coluiſſe certiſſime conſtat, Jacobum: *Gen.* XXI, 22. *ſequ.* XXVI, 26. XXXI, 44. Nec legem Moſaicam, iam latam, obſtitiſſe novimus Davidi & Salomoni, quo minus foedus cum Hieromo, Tyriorum rege, facerent. 2. *Sam.* V, 11. 1. *Reg.* V, 12. Et quis, quaeſo, ignorat foedera ϭυμμαχικὰ Abraami cum Eſcole & Anero? *Gen.* XIV, 13. Davidis cum Achiſo, rege Philiſtaeorum? 1. *Sam.* XXVII, 2. *ſequ.* & cum Thoi, rege Hemathenſium? 2. *Sam.* VIII, 10. Aſſae cum Benadado? 1. *Reg.* XV, 18. *ſequ.* Quae obverti ſolent huic doctrinae, ex 2. *Paral.* XIX, 2. XXV, 2. iis iam ſatisfecit Grotius *ibid.*

§. CCXV. Ceterum, quum foedera ſint conventiones: (§. CCVII.) conſequens eſt, 112. ut omnia, quae ſupra de pactis diximus, etiam circa foedera habeant locum: 113. Ut adeo nihil foederibus debeat eſſe ſanctius, 114. nihil foedifragorum perfidia deteſtabilius. 115. Ut tamen, quia nulla ſocietas alienam utilitatem ſuae anteponere tenetur, (§. XXIII, 74.) nec Officia circa foedera.

reſpu-

Digitized by Google

reſpublica foederata alteri ex foedere ſubvenire cogatur, ſi id ejus rationes non ferant, e.g. ſi ipſa bello prematur, vel alio modo periclitetur (*): nec 116. umquam foederatus ad bellum injuſtum, pro ſocio ſuſpiciendum, ſit obligatus.

(*) Attamen id tum demum iuſtam rationem habet, ſi verum eſt periculum, non, ſi huiuſmodi cauſſa perfidiae tantum obtenditur. Id vero plerumque fieri, tum inter rectores civitatum, tum inter privatos, quotidiana querela eſt: eamque amicorum ceſſationem ac tarditatem elegantiſſima fabula de caſſita, avicula, in ſegete nidulante, repraeſentavit Aeſopus apud Gell. *Noct. Attic.* II, 29. qui ideo monet, unicuique in ſe ipſo potiſſimum praeſidium eſſe debere, non in amicis & ſociis, hominibus, inani ſaepe opera, philoſophia ſententia, qui aureos montes plerumque polliciti, vix minima praeſtant. Quod & Ennius in ſatyris monuit apud eumdem Gellium, ubi haec eius ſervatur ſententia:

Hoc erit tibi argumentum, ſemper in promtu ſitum,
Ne quid expectes amicos, quod tute agere poſſis.

Ius ſummorum imperantium circa pacem. §. CCXVI. Haec de foederibus generatim: quorum nobiliſſima procul dubio ſpecies eſt pactum, quo bella inter gentes finiuntur, quodque FOEDERIS PACIS nomine venire ſolet. Quum vero pax ſit ſtatus reip. ordinarius, ac veluti naturalis, bellum ſtatus extraordinarius, & praeternaturalis: nemo non animadvertit, 117. imperantes & ad conſervandam tuendamque pacem, & ad illam, 118. ſi forte rupta ſit, quamprimum reformandam teneri: adeoque 119. ferina eſſe bella, quae non geruntur propter pacem, quae *una triumphis innumeris potior.*

Quid foedus pacis? §. CCXVII. Per FOEDUS PACIS intelligimus conventionem inter gentes, bello mutuo implicitas, qua controverſiae per modum tranſactionis finiuntur. Ex qua definitione patet, 120. pacem omnem ſua natura eſſe debere perpetuam, adeoque, 121. ſi tantum ad certum tempus, quantumvis longum, tranſigatur, non pacem iniri, ſed inducias tantum (*), quia ita nec controverſia, quae gentes illas collisit, finitur, & manet adhuc certandi propoſitum: qualem ſtatum non ad pacem, ſed ad bellum pertinere, jam ſupra obſervavimus (§. CXCI.)

(*) Et tamen ſaepe huiuſmodi induciae pacis nomen adſumunt, quia interea non ſolum actus belli, ſed & ſtatus, plane videtur ceſſare, perinde ac ſi hoſtilem animum plane depoſuiſſent belligerantes. Ita Lacedaemonios in annos L. Romanos in annos C. pacem feciſſe novimus. Juſtin. *Hiſt.* III. 7. Liv. I, 15. Sozom. *Hiſt. eccleſ.* IX, 4. Recentiora exempla Hiſpanorum & Luſitanorum, Suecorum & Danorum, Anglorum & Scotorum, Venetorum & Turcarum, qui vix aliter quam ad certum tempus de pace cum Chriſtianis conveniunt, collegerunt Puſendorff. *de jure nat. & gent.* VIII, 7, 4. *&* *ibi* Hertius *p.* 1249.

An ei obſtet exceptio laeſionis? §. CCXVIII. Quum ergo pax coaleſcat per modum tranſactionis: (§. CCXVII.) conſequens eſt, 122. ut fiat dato aliquo, vel retento, vel promiſſo: nec 123. in pacis conditione requiratur aequalitas: neque adeo 124. alteruter paciſcentium jure conqueri poſſit de laeſione, quantumvis enormiſſima: quum plerumque victor victo conditiones qualeſcumque ferat, & ita natura eveniat, ut hic duriores quaſdam conditiones admittere, quam plane perire, malit (*).

(*) Dummodo ex ipſis pacis legibus, victum has conditiones vere admiſiſſe, conſtet. Si enim per cavillationem calumniolamque interpretationem, aut plane per vim apertam, duriores conditiones, in quas numquam conſenſit, victo obtruduntur: iure hic, ſibi iniuriam fieri, conqueritur, Sic inſignis cavillator erat Q. Fabius Labeo, qui, quum Antiochus rex dimidiam partem navium Romanis tra-

Digitized by Google

tradere deberet, omnes eius naves productas medias diſſecuit, ut Antiochum tota claſſe ſpoliaret. Valer. Max. VII, 3. quam decipiendi artem fortaſſis a Campanis didicerat, quos ipſos quoque arma, ab hoſtibus pro parte dimidia tradenda, diſſecuiſſe, memoriae prodidit Polyaen. *Stratagem. VI*, 15. Et quis non deteſtetur apertam vim, qua victis Romanis, quibuſcum tranſegerant tamen, inſultabant Galli Senones, quum illis mille pondo auri ex foedere adpendentibus, hi non modo pondera iniqua adferrent, ſed & ponderi adderent gladium, dicerentque: *vae victis eſſe*. Liv. *V*, 48.

Nec non exceptio quod metus cauſſa. §. CCXIX. Multo minus ergo 125. paci, paullo durioribus conditionibus initae, recte opponitur exceptio metus. Neque enim illi exceptioni umquam locus eſt, ſi jus cuidam fuit, alterum ad dandum aliquid faciendumque cogendi. (Lib. I. §. CVIII, 42.) Bellum autem inter gentes aeque juſtum eſt cogendi medium, ac judicis auctoritas inter ejuſdem reipublicae cives. (§. X, 24.) Neque obſtat, bellum injuſtum alterum geſſiſſe, adeoque vel eo nomine vim injuſtam adhibuiſſe videri victorem, victo duriſſimas conditiones extorquentem. Praeterquam enim, quod judicium de juſtitia belli neuter belligerantium ſibi jure adrogat, quippe in ſua cauſſa judex futurus: remiſiſſe omnino injuriam illam videtur victus, dum cum victore tranſegit, & ad *ἀμνηστίαν*, quae omnibus hujuſmodi foederibus inſeri ſolet, ſeſe obligavit (*).

(*) Et ita facile intelliges, quid reponendum ſit Puſendorffio, qui, huic exceptioni locum eſſe, contra Grotium (*Lib. II. Cap. XVII. §. XX. & Lib.* III. *Cap. XIX. §. XI.* defendit *in jure nat. & gent.* VIII, 8, 1. Aliud enim eſt, exceptionem quod metus cauſſa paci opponere; aliud, ideo bellum redintegrare, quia pars victrix, uſa occaſione, vi aliquid contra pacis leges egerit. Poſteriore enim caſu iuſtam belli cauſſam naſci, facile largimur: (§. CXVIII. *) prius autem fieri poſſe negamus. Et haec tamen parum diſtinxiſſe videtur Puſendorffius. Immo rem illud ipſum exemplum quod ibi allegat, ſatis illuſtrat. Quaerit Polybius *Hiſt.* III, 30. an juſtum fuerit bellum Punicum ſecundum, quod adverſus Romanos ſuſceperint Carthaginienſes? Idque non obſcure adfirmat, ex ea ratione, quod Carthaginienſes *καιρῷ πεισθέντες ἠμύνοντο τοὺς σὺν καιρῷ βλάψαντας*, *occaſione invitati, ultum iverint eos, qui per occaſionem temporum ipſis nocuerint*. Quod perinde eſt, ac ſi ſcripſiſſet, prodeſſe Poenis debuiſſe exceptionem quod metus cauſſa, quia Romani quondam, iis inter res domi ancipites verſantibus, Sardiniam magnamque vim pecuniae extorſerint. Sed ſane in pacis legibus inter Romanos & Carthaginienſes de Sardinia nihil fuerat cautum, ac proinde iniuſte, & contra pacis leges, eam occupaverant Romani, ſola invitante occaſione, quod Carthaginienſibus domi eſſet, quod agerent, ceu ipſe fatetur Polybius I, 88. Quare non paci, qua bellum Punicum primum compoſitum, exceptionem metus opponebant Carthaginienſes, ſed, pacem illam a Romanis ruptam eſſe, occupata per occaſionem Sardinia, conquerebantur.

An & pax cum civibus rebellibus ſervanda? §. CCXX. Quaerunt Grot. *III*, 19, *6.* & Puſendorffius *de jure nat. & gent. VIII*, 8, 2. an & pax, cum civibus rebellibus inita, ſervanda ſit? Id quod contra Boxhornium *Inſt. polit. I*, 14, 19. & Lipſii ſententiam recte adfirmant. Quum enim pax coaleſcat per modum tranſactionis, (§. CCXVII.) is vero, qui cum eo, a quo laeſus eſt, tranſigit, remiſiſſe illi injuriam, cenſeatur: ſequitur ſane, 126. ut & imperantes his hominibus immorigeris gratiam fecerint delicti, adeoque 127. pax illa, niſi ex nova cauſſa, ſalva juſtitia, reſcindi non poſſit, praeterquam, 128. ſi illa ob inſignem rebellium dolum, vel ſtatum principis, cum illis paciſcentis, ab initio non conſtiterit (*).

(*) Ita quum a. MCCCCLXXXVIII. Brugenſes Maximilianum I. Regem ad ſe in urbem invitatum, inaudita paene perfidia, cepiſſent, & ad pactionem ſatis

turpem adegiſſent: tantum abeſt, ut illa poſtea rata eſſe videretur Friderico Imp. ut Machliniae in procerum conventu decerneretur, Maximilianum promiſſis illis non teneri. Jo. Joach. Muller. *Reichstags-Theatr. in Maximil.* I. *Att.* I. *Cap.* VIII. Et ſane, quum dolo malo iniuſtiſſimaque vi principem in captivitatem redegiſſent cives, eumque non prius dimitterent, quam omnia ex eorum ſententia promiſiſſet: promiſſum hoc vi iniuſtiſſima extortum fuit, adeoque obligare illum non magis potuit, quam quod nobis latro aliquis extorquet.

Obligatio paciſcentium, mediatorum & ſponſorum.

§. CCXXI. Ceterum, quemadmodum aliorum foederum, (§. CCXV, 13.) 129. ita & pacis leges ſumma religione ſervandas, ac proinde 130. & tempus, intra quod illas impletum iri, promiſſum eſt, ſtricte interpretandum, & 131. ne moram quidem purgare licere, facile patet. Vid. Grot. *III*, 20, 25. Sed & id nemo non intelligit, 132. MEDIATORES, qui officium conciliandae inter belligerantes pacis in ſe ſuſceperunt, & SPONSORES, qui, veluti pro paciſcentibus ſpoponderunt, ex pacto obligari paciſcentibus (*), ſiquidem, dum illi in ſe receperunt id officium, etiam ad id, quod exigit hoc officium, ſeſe obſtrinxiſſe cenſentur. Ex quo porro colligimus, 133. mediatorum eſſe, non uni parti favere prae altera, ſed 134. utriuſque cauſſam ſine amore vel odio expendere, 135. & aequa quaevis, atque utiliſſima utrique ſuadere: 136. ſponſorum vero, dare operam, ut pacis legibus ex utraque parte ſatisfiat, & 137. illi parti, quae contra illas laeditur, ope, ac conſilio, quin & copiis promiſſis, ſubvenire.

(*) Idem dicendum de OBSIDIBUS, id eſt, perſonis, pro fide paciſcentis reipublicae veluti oppignoratis, ſive ultro & ſua voluntate acceſſerint, ſive ab eo, qui imperium habet, dati ſint. Grot. *de jure belli & pac.* III, 4, 14. priore enim caſu ex ſuo conſenſu obligantur, poſteriore ex conventione inter imperantem ſuum, & alterum, quocum pax coaluit, inita. Hinc vero colligimus, 1. non eſſe obſidum ſugere, nec 2. reipulicae, obſides veluti poſtliminio recipere. Unde Cloelia obſide fugiente, recte poſcebat Porſena, ut obſes dedatur, ſi non dedita fuerit, pro rupto ſe foedus habiturum, interminatus. Recte etiam Romani hoc pignus pacis ex foedere reſtituerunt. Liv. II, 13. 3. Obſides non eſſe pro ſervis aut bello captis habendos, adeoque 4. nec bona mortuorum, tamquam inteſtabilium, fiſco poſſe vindicari quamvis duro illo ac aſpero iure uterentur Romani. *l.* 31. D. *de jure fiſci*. 5. Eorum obligationem cum perſona exſtingui, ac proinde uno obſidum mortuo, pro altero tantum ἀντὶ τοῦ deberi. 6. Pace rupta, obſides in vinculis haberi libertateque & bonis ſpoliari poſſe, quamvis durius ſit, eoſdem occidere, ſi pax, ſine eorum culpa, rupta ſit. Sed de his plura Grotius *de jure belli & pac.* III, 20, 52. *ſequ.* Puſend. *de jure nat. & gent.* VIII, 8, 6. Schilter, opuſculo ſingulari *de jure obſidum*.

Jus mittendi legatos, eorumque ſanctimonia.

§. CCXXII. Quum imperantibus competat jus pangendi foedera, & pacem cum hoſtibus redintegrandi, (§. CXXXVII, 39. 42.) id vero ſine internunciis fieri non poſſit: conſequens eſt, 138. ut iiſdem competere debeat JUS MITTENDI LEGATOS. Et quum is, qui legatos alterius recipit, eo ipſo illis liberum acceſſum reditumque promittere merito cenſeatur: (Lib. I. §. CCCXCI, 10.) conſequens eſt, 139. ut legati & apud hoſtes debeant eſſe ſacroſancti, & non modo 140. juriſdictione ejus, ad quem miſſi ſunt, exemti, qua de re egregia ſunt, quae commentatus eſt V. A. Corn. van Bynkersh. libello eximio, *de foro legatorum*, verum etiam 141. facultate praediti, ea omnia loquendi, ſcribendi, agendique, quae reſpublica loqui, ſcribere, agere juſſit, dumne 142. hoſtilem animum adverſus principem vel rempublicam, ad quam venerunt, oſtendant (*).

(*) Hujus

(*) Huius hoſtilis animi ſi luculenta argumenta exſtent, nec princeps vel reſpublica legatum admittere cogitur, & finibus excedere eum iure meritoque iubet, quod & tunc fieri ſolet, quando, rupto foedere, bellum cum iis, qui illum miſerunt, exardeſcit. Neque enim tenemur hoſtem intra fines, & veluti domum noſtram, recipere, adeoque nec eius miniſtrum vel mandatarium.

§. CCXXIII. Reliqua, quae de legatis dici poterant, & prolixiſſime traduntur a Marſelario, Wicqueſortio, & aliis, aut ex paucis his principiis fluunt, aut ad mores potius gentium, quam juris gentium praecepta, pertinent. Qualia ſunt, quae de legatorum juriſdictione in familiam ſuam, de eorumdem ſacris domeſticis, immunitate, aedibus, earumque jure aſyli, itemque de ſollemni eorum receptione & dimiſſione, de ſalutationibus eorum, ipſiſque variis eorum ordinibus, honorum titulis, ſimilibuſque quaeſtionibus, diſputantur: nec non quod vulgo in mores ivit, ut tempore belli inviolabilitate gaudeant tubicines & tympanotribae, quemadmodum apud Graecos κήρυκες, quorum jam apud ipſum Homerum *Odiſſ. x. v.* 59. *&* 102. *&* π. *v.* 244. *& Iliad. Libro decimo v.* 14. *&* 178. ſaepius fit mentio. Sed iis nos quidem hic jam immorari nolumus.

Varii gentium mores circa legatos.

CAPUT X.

DE OFFICIIS CIVIUM.

§. CCXXVI.

Quid juris ſummo imperanti tum in republica, tum extra illam, competat, pluribus hactenus diximus. De CIVIUM OFFICIIS nobis eo brevioribus eſſe licebit: quo facilius illa ex ipſis imperantium juribus, tamquam correlata illorum, (Lib. I. §. VII.) derivantur. Nimirum quum cives, vel tamquam cives, vel prout aliquae partes reipublicae illis creditae ſunt, conſiderari poſſint: 1. eorum OFFICIA vel GENERALIA ſunt, vel SPECIALIA, quorum *illa* ex communi obligatione, qua ſummo imperio obſtricti ſunt, *haec* ex peculiari, quo in republica funguntur, munere prono alveo fluunt.

Officia civium vel generalia vel ſpecialia.

§. CCXXV. Officia generalia debentur vel ipſi *reipublicae*, vel ejus *rectoribus*, vel reliquis, quibuſcum in ſocietate vivunt, *civibus*. Quum enim tota RESPUBLICA ſit ſocietas, unuſquiſque vero ſocius obligatus ſit ad actiones ſuas communi ſocietatis fini attemperandas: (§. XXII, 65.) ſequitur, 2. ut civis ſecuritate ac ſalute publica nihil prius, nihilque antiquius habere, & 3. nec vitam, nec opes ea cariores habere (*), ſed 4. ejus commodis, quavis juſta honeſtaque ratione, ſtudere debeat.

Generalia officia erga rempublicam.

(* Et haec illa obligatio erga patriam, quam eo uſque produxerunt veteres, ut eam omnes omnium caritates complecti, neminemque pro ea mortem oppetere dubitare debere, tradant. Cic. *de offic.* I, 17. III, 23. Nam notum eſt πολυτρύλλητον illud: *Dulce eſſe, pro patria mori*. Quod exagitans Jo. Clericus *Art. crit.* II, 2, 5, 16. neſcire ait homines, quid per vocabulum iſtud *patriae* intelligant. *Reipſa enim*, inquit, *quid erat patria Athenienſi aut Romano? Si ſolum intelligas, Italia & Attica; pro quibus cur pulcrum ſit mori, nulla ratio eſt, potius quam pro Africa, aut pro Aſia. Non magis enim ad te pertinet gleba, in qua natus ſis, quam alia quaevis,*

vis, in qua commode vitam degere queas: ſtultumque adeo eſt, mori pro agello in occaſum, aut in ſeptentriones ſpectante, potius, quam vivas, in alio, qui magis ad orientem ſolem, aut ad meridiem vergat. Si homines malis: quae fuerunt reſpublicae Athenienſis & Romana, praeter ſocietates latronum, ſi eas probe introſpiciamus? Itaque qui pro iis moriebatur, latro erat, qui pro latronum globo vilem animam profundebat. At inania haec ſunt; & de quibus vere dicas:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Patriam enim nec agellus conſtituit, ad orientem vel occidentem ſitus, nec coetus hominum, qua hominum, cui plures ineſſe poſſunt latrones, nebulones, & ſtolidi: ſed ipſa illa ſocietas civilis, a cuius ſalute noſtra omnium ſalus pendet, Unde ſatius omnino eſt, ſalva republica mori, quam ruptum videre illud ſocietatis vinculum, quo ſolo vita, libertas, dignitas, & fortuna noſtra continentur. Sane Jeremias, propheta, aliter philoſophatur, quam Jo. Clericus. *Utilitati*, inquit, *ſtudete illius civitatis, in quam ego Deus vos abduci paſſus ſum, & orate pro ea ad Jehovam. Si enim illi bene eſt, & vobis bene erit. Jerem.* XXIX, 7. Nonne hi captivi reponere potuiſſent: an ſtudeamus nos utilitati agri illius potius, quam alterius cuiuſvis? An oremus pro tot latronibus, idololatris, impuris, laſcivis, quibus civitas illa Babylonica diſferta eſt? Sed non eos iubet Deus ſtudere utilitati agri Babylonici, nec hominum, illum colentium, ſed reipublicae, qua ſalva, & ipſi ſalvi futuri ſint.

Erga ſummos imperantes.

§. CCXXVI. Deinde, quum in eo poſita ſit veluti vita reipublicae, ut cives omnes voluntates ſuas voluntati ſummi imperantis ſubmittant: (§. CXV, 52.) conſequens eſt, 5. ut boni cives SUMMIS IMPERANTIBUS, tamquam ſuperioribus, obligentur ad amorem venerationis & obedientiae, (Lib. I. §. LXXXVI.) adeoque 6. non modo ſumma reverentia eos proſequi, (*) ſed & 7. eorum legibus & juſſibus promtum obſequium praeſtare, nec 8. eos, tamquam ſacroſanctos, verbis factisve laedere (§. CXXXII, 15. ſequ.) debeant. Quumque praeterea illis ex pacto ſint obligati: (§. CXII, 38.) facile intelligitur, 9. cives imperantibus obſtrictos eſſe ad fidelitatem, iiſque incumbere, 10. ut nec ſtatum reipublicae convellant, nec 11. novis rebus ſtudeant, nec 12. ulli alii magis, quam imperantibus ſuis adhaereant.

(*) Eaque non modo interna, ſed & externa, quae in certis honorum titulis geſtibusve, in quavis republica receptis, conſiſtunt. Ita apud Perſas cives oportebat προσκυνεῖν, reges appellare *βασιλέας βασιλέων*, iisdem acclamare: *Vivas aeternum*, cetera. De aliis honorum titulis, geſtibuſque, ex inſtituto egerunt alii, inprimis Becmann. *Notit. dignit. diſſ. VI.* Quamvis vero, ut his ritibus verbiſque honoris utantur cives, iure exigant imperantes: non tamen ulla eſt ratio, quamobrem ad eadem cogi poſſint extranei, veluti legati principum & rerumpublicarum, qui, ſi ex ſuae gentis ritu reverentiam exhibuerint principi extero, officio ſuo omnino videntur defuncti. Conf. Corn. Neap. *Conon. Cap.* III.

Erga concives.

§. CCXXVII. Praeterea, quum ſociorum ſit, ita vivere cum ſociis, uti id communis ſocietatis finis exigit: facile patet, 13. bonorum civium eſſe, cives ſuos amare, 14. cum iiſdem pacifice vivere, 15. & non modo ſuum cuique tribuere, ſed & 16. civibus plus humanitatis, quam extraneis, exhibere: denique 17. non obtrectare inter ſe, aut invidere aliis, quos aut natalium ſplendor, aut imperantium benevolentia, aut eximia quaedam merita ad ſublimiorem dignitatem evexerunt, aut 18. qui eminent virtutibus (*), aut qui denique 19. in colligendis opibus fortunam paullo benigniorem, quam alii, experti ſunt.

(*) Eſt hoc vitium potiſſimum democratis admodum familiare: quippe quae nec

Digitized by Google

nec vitia pati, nec virtutes eminentiores ferre poſſunt. Hinc ferale illud Epheſinorum decretum, ob quod eos dignos eſſe aiebat Heraclitus, ut omnes adulti morerentur: Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊστος ἔστω. εἰ δή τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ᾽ ἄλλων. *Noſtrum nemo meritis excellat, quoniam, ſi quis erit talis, alibi degat, & cum aliis.* Diog. Laert. IX, 2. Quot viri praeclari Athenis labefactati ſint illa teſtula, quam ὀστρακισμὸν vocabant, ex hiſtoria eorum ſatis notum eſt. Vid. Corn. Nep. *Themiſtocl.* Cap. VIII. *Ariſtid.* Cap. I. *Cimon.* Cap. III. Sigon. *de republ. Athen.* II, 4.

Specialium officiorum fundamenta.

§. CCXXVIII. Specialia civium officia omnia ex fine illius muneris, quo in republica funguntur, fluunt: ac proinde 20. res ipſa docet, ſingulos obligatos eſſe ad ea omnia facienda, quae fini muneris ſui conveniunt, 21. eaque omnia omittenda, quae fini illi muneris ſui repugnant: ſed & 22. ad nullum ambiendum munus, cui ſe impares eſſe intelligant. 23. Ex quibus paucis regulis, quae ſint officia ducum, conſiliariorum, legatorum, quaeſtorum, magiſtratuum, judicum, miniſtrorum eccleſiae, profeſſorum & doctorum, militum (*), facile unuſquiſque intelligit.

(*) Itaque non neceſſarium fuerit, ad ſingulorum officia ſpeciali deſcendere. De iis tamen ſatis prolixe egit Puſendorff. *de offic. hom. & civ.* II, 18, 7. *ſequ.* quem hic conſuli velim ab iis, qui talia requirunt.

Civis aliquis eſſe deſinit, everſa republica.

§. CCXXIX. Ceterum 24. officia civium generalia tamdiu durare, quamdiu cives ſunt, 25. ſpecialia tamdiu, quamdiu certis muneribus praeſunt, facile intelligitur. Civis autem aliquis eſſe deſinit variis modis. Quum enim reſpublica conſtet ex hominum multitudine, (§. CVIII, 23.) quam *populum* adpellamus: ſequitur, 26. ut, exſtincto diſperſove populo, (quod terrae motu, bello, inundationibus, ſimilibuſque calamitatibus publicis contingere poteſt,) pauci ſuperſtites cives eſſe deſinant, niſi hi ſtatum ſuum tantiſper tueantur, dum in juſti populi numerum iterum excreverint: (*) 27. non autem deſinere quem civem eſſe, ſi populus debellatus alii civitati, tamquam provincia, adcreſcat, quia tunc alterius civitatis, fit civis, nec 28. ſi formam mutet reſpublica, quia tunc idem populus manet.

(*) Paucos illos ſuperſtites ad modum privatorum ſibi adrogare poſſe dominium rerum, quas antea populus poſſederit, non autem imperium illius populi, cenſet Grot. *de jure belli & pac.* II, 9, 4. Sed quamdiu ſuperſtitibus manet animus, habendi communem imperantem, ei ſubmittendi voluntates ſuas vireſque omnes ſecuritatis externae internaeque cauſſa uniendi: quidni maneret reſpublica? Ita ſane manſit Athenienſium reſpublica, quando praelio perditis & deſperatis rebus, ad tantam inopiam redacti fuerant Athenienſes, ut, conſumta militari aetate, peregrinis civitatem, ſervis libertatem, damnatis impunitatem darent, & libertatem ſuam vix tueretur illa hominum colluvies. Juſtin. *Hiſt.* V, 6.

Non mutata reipublicae forma.

§. CCXXX. Quum ergo mutata reip. forma idem maneat populus: (§. CCXXIX, 28.) conſequens eſt, 29. ut ſalva illi maneant foedera realia, quae populo illi antea cum aliis civitatibus interceſſerant: (§. CCXI, 99.) 30. ſalva etiam ſint pacta publica, priore adhuc ſubſiſtente reipublicae forma, cum privatis inita: 31. ſalvae denique obligationes populi iſtius, qui mutavit formam reipublicae. Non autem 32. cives teneri ex factis eorum, qui injuſte invaſerint rempublicam, vel 33. contra leges fundamentales aliquid egerint (*), vel inde patet, quod in horum imperium numquam conſenſerunt.

(*) Hinc

(*) Hinc Athenienſes, excuſſo triginta tyrannorum imperio, legem condiderunt: *ὁπόσα ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη, ἢ δίκη ἐδικάσθη, ἢ ἰδίᾳ, ἢ δημόσια, ἄκυρα εἶναι. Ut quaecumque ſub triginta tyrannis acta, aut judicia facta ſint, ſive privatim, ſive publice irrita eſſent.* Demoſthen. *in Timocrat. pag.* 782. Et ſimilem fere Honorii Imperatoris conſtitutionem de actis Heracliani tyranni damnandis habemus in *l.* 13. *C. Theod. de infirm. quae ſub tyrann.* Attamen moderanda haec videntur, 1. ſi obligatio e re naſcatur, & populus inde fructum ceperit, vel in rem eius verſum ſit, 2. ſi per errorem quis imperium tenuerit, a populo electus, *arg. l.* 3. *D. de offic. praet.* in quam legem diſſertationem elegantem *de electione magiſtratus inhabilis* ſcripſit Jac. Gothofredus, 3. ſi quis initio iuſtum tenuerit imperium, & poſtea demum tyranni perſonam induerit, quo refero *l.* 2. *& l.* 3. *C. Theod. eod.* ubi Conſtantinus M. legitime geſta & reſcripta Licinii rata eſſe iubet.

An ſi diviſum imperium, vel in coloniam quis adſcriptus? §. CCXXXI. Praeterea ex eodem principio (§. CCXXVIII, 28.) colligimus, 34. non deſinere aliquem civem eſſe, ſi per diviſionem ex una civitate plures fiant, vel 35. plures in unum ſyſtema coaleſcant: quamvis 36. priore caſu contingere poſſit, ut quis non prioris, ſed novae civitatis, civis ſit. Si coloniam deducere decrevit reſpublica: permultum intereſt, qualis illa ſit colonia. Quum enim aliae ita exeant majore patria, ut ſingularem conſtituant rempublicam, ad nihil aliud obſtrictam metropoli, niſi ut eam comiter venerentur: aliae, ut pars civitatis matricis maneant (*): facile patet, 37. priore caſu idem contingere, quod, diviſo imperio, fieri diximus, 38. poſteriore autem nullam mutationem circa obligationem priorem civium, qui coloniis adſcripti ſunt, fieri.

(*) Tales colonias mittere ſolebant Graeci veteres. Unde apud Thucydidem. *Lib.* I. *p.* 25. Corcyraei: *Ου γάρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται. Neque enim coloni in colonias mittuntur, ea conditione, ut ſint ſervi: ſed ut iis, qui in antiqua patria relinquuntur, pares ſint.* Quibus reſpondent Corinthii apud eumdem *p.* 28. *Ἡμεῖς δὲ οὐδ' αὐτοί φαμὲν ἐπὶ τῷ ὑπὸ τούτων ὑβρίζεσθαι κατοικίσαι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἡγεμόνες τε εἶναι καὶ τὰ εἰκότα θαυμάζεσθαι· αἱ γοῦν ἄλλαι ἀποικίαι τιμῶσιν ἡμᾶς καὶ μάλιστα ὑπὸ ἀποίκων στεργόμεθα. Nos vero reſpondemus, ne nos quidem idcirco ipſorum coloniam collocaſſe, ut ab ipſis contumelia adficeremur, ſed ut ipſorum duces eſſemus, ac conveniens nobis honor ab illis redderetur. Ceterae enim coloniae nos comiter venerantur, & ab iis maxime diligimur.* Itaque colonorum horum tantum erat *τιμᾷν τὴν μητρόπολιν, καὶ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς γέρα τὰ νομιζόμενα διδόναι, comiter venerari metropolim, eique in ſollemnitatibus conſuetos honores dare*, uti idem loquitur Thucydides *ibid. p.* 18. addens, quod & ſcholiaſtes monet, in eo praecipue conſtitiſſe *τὰ γέρα*, ut in publicis ſacrificiis, diſtribuentes viſcera, civibus metropoleos primam partem, vel *καταρχὰς* darent. Plura de honore, quo huiuſmodi coloni antiquae patriae cives proſequebatur, dixit Henr. Valeſ. *not. ad Excerpta Peireſc. p.* 7. At alia omnia obſervabant Romani, *quorum coloniae iura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii, habebant*, teſte Gellio *Noct. Attic. XVII.* quum tamen ipſi, Albanorum coloni, plane ſui iuris ab ipſa origine fuiſſent, & non tantum non comiter venerarentur veterum patriam, ſed & plane ſub ſuam redigere poteſtatem, non dubitarent. Quod ipſis merito exprobrat Metius Fuſetius apud Dionyſ. Halicarn. *Antiqu. Rom. Lib. III. p.* 143.

An per migrationem. §. CCXXXII. Deinde, quum civis, quis ſit ratione reipublicae, quam cum aliis conſtituit, vel in quam ſe ultro contulit: (§. CIX, 26. & 28.) ſequitur ſane, 39. ut civis quis eſſe deſinat, ſimul ac civitate patria ultro eo conſilio emigravit, ut in alteram ſeſe civitatem conferat, ibique conſtituat Lares fortunaeque domicilium 40. niſi leges publicae vel migrare cives plane

Digitized by Google

plane vetent, veluti apud Argivos, apud quos, ut ait Ovid. *Metamorph. Lib. XV. v.* 28.

Prohibent diſcedere leges,
Poenaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.

vel 41. eam libertatem, non niſi deducta certa bonorum parte, indulgeant, quod apud pleraſque Europae gentes in mores iviſſe, novimus. Ut 42. civitatem quidem, at non obligationem erga patriam mutent ii, qui ad hoſtes transfugiunt, ac proinde 43. retracti ex fuga jure puniantur.

§. CCXXXIII. Denique, quum eos, qui in ſocietate aliqua vivunt, nec ſeſe ſocietatis legibus accommodant, recte abs ſe ſegregent reliqui ſocii: (§. XXII, 70.) 44. idem & civibus procul dubio licebit, adeoque 45. malis civibus exſilium jure irrogatur: eoque facto, 46. illi procul dubio cives eſſe deſinunt, quod tamen 47. non perinde dicendum videtur de relegatis, maxime, qui adhuc fundos poſſident in republica, nec non 48. de interdictis, qui in certum locum, reipublicae noſtrae ſubjectum, deportantur, ut ibi vitam inſuavem ducant, vel certas operas praeſtent. Quin 49. generatim exiſtimarim, eos, qui ob delictum jure civitatis excidunt, privilegiis quidem civium privari, non autem eo ipſo liberari ab obligatione erga patriam rempublicam, eatenus ſaltim, 50. ne illi aegre faciant, aut Coriolanum imitati, cives ſuos infeſtis armis perſequantur. Liv. *II*, 35. *ſequ.* An per exſilium?

F I N I S.

Sequens adnotatio Exercitationi I. Tomi V. *adnectenda eſt, unde ex Typographi negligentia excidit.*

Cum de origine ſacrarum veſtium, aliarumque caeremoniarum multa inter Catholicos etiam diſceptentur, ut Auctor hic, iis non infimi ſubſellii Scriptoribus laudatis, confitetur vel invitus, temere tribuit univerſae Eccleſiae, quae nonnulli e noſtris ſentiunt, aliis contradicentibus: temere quoque id eruit ex Concilii Tridentini verbis, *multa ex Apoſtolica Diſciplina & Traditione: multa*, quippe non omnia repetunt inde Tridentini Patres: temere denique tanquam neceſſaria jure Divino indumenta quaedam nobis imputat Auctor, cum nonniſi ex eccleſiaſtica diſciplina, antiquiſſima ſane, recepta agnoſcamus. Nec id etiam diſtinguit Auctor inter veſtium formam & diſcrimen: forma quae hodiedum recepta eſt, haud Apoſtolis refertur omnis, omniumque indumentorum: at aliquod diſcriminis inter vulgares, quae domi, quae via, quae foro ferebantur, & eas quae in Eccleſiis, Oratoriis, Sacra Synaxi aſſumebantur, longe mundiores, vel Apoſtolica aetate fuiſſe quis neget, tum veterum teſtimoniis, tum & ea ratione, quam ipſa Religio, amplitudo rerum Divinarum, tum & ipſa Majeſtas Sacrificii ſuadebat? actum non agam.

Abſtineat proinde ſarchaſmis, conviciis, injuriis, quas in Eccleſiam Romanam congerit nihil tale merentem, quaeque impudentis animi, non ingenui argumenta jam etiam vulgo cenſentur. Superſedendum ducimus in re confecta, ab iis recenſendis, quae Valeſius, Baluzius, Dupinius, Le Brun aliique recentiores innumeri recenſuere. Sed hoc monitum volumus ad ſingula Exercitationis hujus hac de re ad faſtidium uſque repetita.

605719

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numeri Romani librum, Arabici paragraphum, Aſteriſci * ſcholion indicant.

A

ACADEMIAE, Circa illas jus principis. II. 188
Acceptatio an neceſſaria? I. 284
quotuplex? *ibid.*
Acceſſio quid? I. 250
Quid naturalis, induſtrialis, mixta? *ibid.*
naturalis fundamentum. I. 251
induſtrialis inducit communionem poſitivam. I. 256. 257
fortuita ſpecies occupationis. I. 250 *
Acceſſorium an ſemper ſequatur principale? I. 258
Acclamationes fauſtae plerumque in adulationem abeunt. I. 205 *
Achaicae civitates quae? II. 18. II. 119
Actio quid? I. 25
bona vel mala. I. 1. I. 116
interna & externa. I. 25
humana, naturalis, libera, neceſſaria. I. 29
ſpontanea, invita, ultronea, coacta, mixta. I. 58
juſta & injuſta, honeſta, inhoneſta, turpis, inhumana. I. 118
quae objectum juris naturae? I. 28. ſeq.
an externa tantum? I. 193 *
quae imputetur? I. 112
an invita & coacta? I. 109
an urgente temperamento, adfectu, conſuetudine, edita? I. 110
an de aliorum actionibus judicare ſit cujuſvis? I. 97 *
an quaedam ſua natura juſta? I. 70
Additio in diem quid? I. 357
Adiecora ſibi vindicant imperantes. II. 175
quid circa ea juſtum? II. 177
Adfectionis ratio habetur in acceſſione induſtriali. I. 258
pretium quid? I. 332
ejus quando ratio habeatur in ſatisfactione? I. 212
Adfectus an impediant libertatem voluntatis? I. 55
quibuſnam facilius reſiſtatur? I. 110 *
a ratione regendi. I. 140
Adferruminatio quid? I. 260
Adgratiandi jus principi competens. II. 158
Adgreſſorem quando occidere liceat? I. 185
Adjunctio quid? I. 260
cui res, cui quid adjunctum, adquiratur? I. 260
Adminiſter quis? II. 181
cica eum quid juris ſit principi? II. 181
Adoptio an juris naturae? II. 55
Adpellatio. vid. *provocatio*
Adplumbatura, quid circa eam juſtum. I. 260
Adprobatio ſubſequuta pro conſenſu eſt. I. 263
Adquirendi modi originarii. I. 239
derivativi. I. 240
Adſcendentium ſucceſſio. I. 201
Adſecuratio quid? I. 203
quid circa eam juſtum? I. 204
Aedificium cujus ſit, in alieno ſolo, vel aliena materia extructum? I. 261
Aequalitas hominum, fundamentum officiorum erga alios. I. 272
quaenam ſervanda in ſocietate? I. 381
Aequitas quid? I. 103
fundamentum interpretationis reſtrictivae. I. 103
Aerarium quid? I. 174
in illud influunt tributa & vectigalia. II. 120
Agentis conditio conſideranda in imputatione. I. 113
Agere homo ſemper cupit bene. I. 3
cur aeque facile male, ac bene agat? I. 3
Agri arcifinii & limitati. I. 254 *
Aliena res domino reſtituenda. I. 322
quid ſi ejus dominus non adpareat? I. 324
Alienatio quid? I. 267
neceſſaria & voluntaria, pura & conditionalis. I. 267. 278 *
praeſens & futura. I. 268
Allianzen, foedera offenſiva & defenſiva. II. 210
Alluvio cui adquiratur? I. 254
Alveus derelictus cui adquiratur. I. 255
Ambigue quando loqui liceat? I. 204
Amneſtiae lex omni paci inferi ſolet. II. 219
Amor quid? I. 80
quotuplex? I. 81. & 85
juſtitiae. I. 82
humanitatis & beneficentiae. I. 83
devotionis & obedientiae. I. 86. ſequ.
amicitiae. I. 86. & 88
benevolentiae. I. 86. & 89

purus quid? L. 130 *
Amor erga Deum. L. 91. & 130
erga ſeipſum L. 136 ſequ.
erga alios. L. 172
noſtri, non debet major eſſe amore Dei. L. 155
principium eſt juris naturae. L. 79
ejus objecta. L. 90
Angariationes inter gentes an juſtae? II. 173
Animalia quando fiant capientium? L. 246
vulnerata an intercipi poſſint? L. 246 *
Antichreſis quid? L. 369
quid circa eam juſtum? L. 372. 383
Α'πηλγηκότες, qui? L. 33 *
Arbor in confinio poſita: ex ea quis fructus adquirat? L. 265
Ariſtocratiae origo. II. 116
quomodo in ea exerceantur jura majeſtatis? II. 123
in ejus Senatu ſententiae plurium vincunt pauciores. II. 123
Atheiſmi & ſuperſtitionis comparatio otioſa. L. 133 *
ejus plures falſo ſuſpecti. L. 129 *
Atheus an juſte agere poſſit? L. 14
Auctio quid? L. 359
Averſatio quid? L. 52
Averſio, per illam quando contrahatur? L. 359
Α'υτοχειρία, vid. mors voluntaria.

B

B*Arriere*-Tractaten. II. 209
Bellum gerere licet. II. 190
quid? II. 191
cur ejus jus? II. 192
an & a magiſtratu recte indicatur? II. 193
an & a privatis? II. 194
an recte dividatur in publicum & privatum? *ibid.*
quid civile? *ibid.*
quid repraeſentativum? *ibid.*
ejus cauſſae juſtificae. II. 195
defenſivum & offenſivum. *ibid.*
punitivum an detur? *ibid.*
an ob jus imperfectum denegatum poſſit indici? II. 196
an pro aliis recte ſuſcipiatur? II. 197
injuſti ejus colores. II. 198
ſollemne & juſtum, vel minus ſollemne & injuſtum. II. 199
cauſſae ejus liquidae eſſe debent. II. 200
BELLI RATIO (*la raiſon de guerre*) quid? II. 201 *
per illud quomodo adquiratur? II. 204
ejus jus. I. 183
in ſtatu naturali omnibus competit. II. 10
Benedictio quid? L. 203. 205
Beneficentia. Ad eam obligatio. L. 221
quid? L. 222
unde proficiſci debeat. L. 223
Beneficentiae amor. I. 83
ad eum quomodo obligemur? L. 84
Beneficia quid? L. 113. * L. 222
ſapienter diſpenſanda. L. 224
neceſſitati & conditioni alterius attemperanda. L. 225
in iis obſervandi gradus neceſſitudinis. L. 226
Blaſphemiae crimen. L. 128
inexcuſabile. L. 160 *
Bruta an jure naturae obligentur. L. 20
an ab hominibus jugulari queant? L. 232 *
aliquando digna amore benevolentiae. L. 90 *
an iis certa officia debeamus. L. 90
Buccinatores in bello inviolabiles. II. 223

C

C*Adaverum* oppignoratio. L. 384 *
Caelibatus an contra J. N.? II. 34
Calculus Minervae quid? II. 123
Calumnia quid? L. 154
an eam refellere debeat vir bonus? L. 154
Capti bello in ſervitutem non injuſte detruduntur. II. 80
Carne humana an veſci liceat in extrema neceſſitate? L. 166
Carnifex an vi coactus recte occidat innocentem? L. 168
Cartel quid? L. 210
Caſtigationis a poena differentia. II. 150 *
Caſum fert dominus. L. 211
Cauſſa actionis phyſica & moralis quid? L. 112
Cauterio uſta cur dicatur conſcientia? L. 48 *
Ceſſio quid? L. 266
ejus differentia a delegatione. L. 418
aliquando latius accipitur. L. 266
rei communis quid? L. 373
quid circa eam juſtum? *ibid.*
Cives voluntates ſuas ſubmittere tenentur imperantibus. II. 115
in eorum bona quid juris imperanti? II. 169. ſequ.
officia eorum generalia & ſpecialia. II. 224
generalia erga remp. II. 225
erga ſummos imperantes. II. 226
erga concives. II. 227
ſpecialia. II. 228
Quando eſſe quis deſinat? II. 229. ſequ.
Civitates quomodo oriantur? II. 18. *
earum ſyſtema quid? II. 119
vid. & *Reſpublica*.
Coacta actio. I. 58
eſt actio voluntaria. I. 59
voluntas nihilominus voluntas. L. 59
L. 100 *

Co-

Coactio quando jure fiat? I. 109 *
Cogitatione etiam laedi quis poteſt. I. 103
Collateralium ſucceſſio. I. 302
Colonicarum varia genera. II. 231 *
Commercia circa ea jus imperantium. II. 169. II. 189
eorum origo. I. 325 *
neceſſitas. I. 326
quid? I. 327
per contractus tantum potuerunt inſtitui. I. 327
Commiſſoria lex. I. 357. 130
an jure nat. illicita in pignore? I. 373
ſub ea & imperium dari poteſt. I. 134
Commixtio qualis modus adquirendi? I. 263
Commodantis officia. I. 349
Commodatarii officia. I. 343
Commodatum qualis contractus? I. 342
Communio quid? I. 231
poſitiva & negativa, aequalis, inaequalis, perfecta, imperfecta. I. 231
poſitiva unde nata? I. 237
in negativa initio fuerunt omnia. I. 238
quae in ea permanſerint, introducto dominio? I. 235
cur ex ea diſceſſum? I. 234
cur & ex poſitiva? I. 238
bonorum inter conjuges. I. 238
Communis res dividua vel individua. I. 270
in commune poſcebantur res inventae. I. 248 *
Compenſatio quid? I. 409
quid circa illam juſtum? I. 410
locum tantum habet in debitis liquidis. I. 410
Concilia de rebus eccleſiaſticis. II. 187
Concubina a pellice adverſa. II. 50 *
Conditio quid? I. 401
cur impoſſibilis & turpis jure Rom. in ultimis voluntatibus pro non adjecta habeatur? I. 402 *
ea non exſiſtente obligatio ſolvitur. I. 414
Condonatio quid? & quomodo fiat? I. 408
Conductoris officia. I. 362
Confuſio, modus adquirendi. I. 263
Conjugium ſocietas licita & ſimpliciſſima. II. 26
ejus finis. II. 27
quid? II. 28
an in eo certos gradus prohibeat jus naturae? II. 41
Conjugum habilitas ratione aetatis. II. 31
eorum officia ex fine matrimonio derivata. II. 44
nec non ex pacto. II. 43
Conſcientia quid? I. 33. ſequ.
bona & mala. I. 35
antecedens & conſequens. I. 36
tenera. I. 37
inſtigans, revocans, admonens. I. 38
recta, erronea. I. 39
certa, probabilis. I. 40
dubia vel ſcrupuloſa. I. 51
libera, minus libera. I. 42
dormitans, expergefacta, cauterio uſta. I. 43
tranquilla, rumordens, irrequieta, anxia. I. 44
remordens an ex metu ſupplicii? I. 44 *
an actionum humanarum norma? I. 45
an, dubia illa, actus ſuſpendendus? I. 46
Conſenſus omnium gentium non ſemper juſtitiae argumentum. I. 71 *
nec principium juris naturae. *ibid.*
quid ſit? I. 263 *
paciſcentium. I. 305
Conſervare hominem quid dicatur? I. 2
Conſpiratio. Per eam an conſenſus civium ſperandus? II. 115 *
Contractus quid? I. 385. & 405
oneroſi, benefici, & aleam continentes. I. 328 *
a quibus ineantur? I. 384
de quibus rebus. I. 384
Cordi inſcriptum cur dicatur jus naturae? I. 15 *
Corpus ad hominis eſſentiam pertinet. I. 141 *
aeque ac mens perficiendum eſt. I. 142
150
ejus exercitationes an apud omnes eadem? I. 150 *
alterius non laedendum. I. 190
Correalis obligatio quid? I. 374
ejus effectus. I. 377
Corruptio quid? I. 189
Creatae res, in eas quod jus habeant homines? I. 232
Cultus Dei externus an ex ratione demonſtrabilis? I. 135 *
fluere ille debet ex amore Dei. I. 136
& timore ejus. I. 137
nec non ex fiducia in Deo collocata. I. 138
publicus qualis? I. 138
vid. & *Dei cultus*.

D

Damno cum alterius nemo debet fieri locupletior. I. 257 *
damnum quid? I. 321 *
Debitoris obligatio. I. 366
Decipere quid? I. 199
hoſtem licet, falſo rumore ſparſo. I. 200 *
Deductiones quid? II. 202 *
Defenſio ſui cur licita? I. 182
ejus requiſita. I. 184 ſequ.
pro quibus rebus permiſſa? I. 186. ſequ.
vid. & *Moderamen inculpatae tutelae*.
Deformitas an & quando imputetur? I. 106 *
Defraudatio quid? I. 322
Dejectio violenta. I. 321
Delegatio quid? & quid circa illam juris?

ris? L. 321
Delicta an omnia punienda? II. 162
Delinquens an obligatus ad poenam? II. 161
Demagogi qui? II. 124 *
Democratia quomodo oriatur? II. 116
in ea quomodo exerceantur jura majeſtatis? II. 124
ea in ochlocratiam facile degenerat. II. 117. & 124
Deponentis officium. I. 349
Depoſitarii officia. L. 345
Depoſitum qualis contractus, & quid in eo juſtum? I. 344
Deſtruere quid dicatur hominem? L. 2
Deus. Ad ejus agnitionem ſibi comparandam omnes obligati. L. 126
de ejus exiſtentia gentes omnes perſuaſae. L. 126
de eo recte ſentiendum. L. 127
ejus unitas. I. 128 *
ejus gloria provehenda. L. 129
quomodo colendus? L. 135
amandus? L. 94. 125. L. 130
ei obſequendum. L. 131
Idem timendus. L. 131
in eo collocanda fiducia. L. 134
auctor eſt juris nat. L. 7
ejus jus in res creatas. L. 10 *
eo non exiſtente, futurum non eſſet jus naturae. L. 14
cogitationes etiam hominum perſpectas habet. L. 98
Diſpoſitio libera, effectus dominii. L. 306
ejus effectus. L. 307
Diſſenſus mutuus, modum ſolvendi obligationes. L. 412
Diſſimulatio quid? & an licita? L. 199
Divinatio an licita? L. 133
Diviſio rerum quid & quomodo fiat? L. 266. I. 269
cur ad eam quilibet recte provocet? L. 269 ſequ.
ea vel aequalis, vel inaequalis. L. 271
an aliquis condominorum in ea ſibi praecipuum recte petat? I. 271
rerum imperfecta communium diviſio quomodo fiat? L. 272
Divitiae quid? & an ad eas quaerendas quis obligatus? L. 151
Divortium an, & quando licitum? II. 49
Dolores an morte a ſe amoliri liceat? I. 165 *
Domania quid? & cur inventa? II. 175
Dominium quid? L. 231
communioni negativae oppoſitum. I. 234
cur interdictum? L. 235
aliud in communione poſitiva, aliud in proprietate conſiſtit. I. 235. & 237
plenum & minus plenum. I. 280
directum & utile. *ibid.*
minus pleni ſpecies. I. 281
triplex dominii effectus. I. 306
aliquando per leges civiles reſtringuntur. L. 317
itemque per pacta & diſpoſitiones priorum dominorum. I. 318
eminens quid? II. 168
quando ei locus ſit? II. 161. & 172
an & ad res exterorum, non hoſtium porrigatur? II. 173
Dominus omnem ex re ſua utilitatem merito capit. L. 307
eam & deſtruere & corrumpere poteſt. L. 308
itemque alienare. L. 309
& poſſeſſionem adprehendere & retinere. L. 310
nec non vindicare. L. 311
quatenus ſibi vindicet acceſſiones & fructus? L. 312 ſequ.
in uſu rerum ſuarum non eſt impediendus. L. 319
Dominus qua poteſtate gaudeat in ſervos mercenarios? II. 82. 83
qua in ſervos obnoxios? II. 84 ſequ.
ejus officia erga ſervos mercenarios. II. 83
& obnoxios. II. 86
Donatio quid? I. 383
inter vivos & mortis cauſſa. L. 222
Dotium origo. II. 48 *

E

Ebrietas quae imputetur? L. 106
Ebrius an recte paciſcatur? L. 392
an delinquens duplicem mereatur poenam? L. 50 *
Eccleſia circa eam quodnam jus imperantis? II. 183. 187
Educatio liberorum finis conjugii. II. 27
qualis eſſe debeat? II. 60
Elargiri quando dicamur beneficia? I. 221
Electio imperantis. Quid circa eam juſtum? II. 140
Electitium regnum. II. 139
Emancipatio liberorum qualis apud Romanos? II. 71 *
Emphyteuticum jus. L. 281
Emtio venditio in uſu eſſe coepit invento numo. I. 350
in ea neuter contrahentium laedendus. L. 352
an illam vitiet error. L. 352
ei quaevis pacta recte adjiciuntur. L. 357
in ea & quidvis recte excipitur. I. 358
poteſt ſub quacumque conditione fieri. L. 358
per auctionem, ſub haſta, per averſionem ſpei. L. 359
Eranus quid veteribus? L. 106 *
Epiſcopale jus an imperanti recte tribuatur? II. 183
Error quid? L. 17
an omnis culpabilis? L. 18

cum

cum ignorantia ratione imputationis
convenit. I. 107
juris vel facti quando imputetur? I. 108
an pactum vitiet? I. 303
an emtionem? I. 352
Vid. & guarantia.
Evictio debetur ſocio. I. 274
ut & emtori I. 355
Exheredatio quando juſta? I. 62
Exiſtimatio quid? I. 153
ad eam tuendam, amplificandamque
obligati ſumus. I. 153
an vi defendi poſſit? I. 187
alterius non laedenda. I. 191
ſimplex & intenſiva. I. 191
Exponere infantes impium. II. 62
Expromiſſor quid? I. 374
ejus obligatio. I. 378
Exſecratio quid? I. 203
ea uti non licet. I. 205

F

Fabulis quando uti liceat? I. 200
Facti circumſtantiae in imputatione
conſiderandae. I. 100
Facultates, quae dicantur? I. 151
Falſiloquium quid? I. 201
eo quando uti liceat? I. 200
Famam tueri quiſque tenetur. I. 153
Fames extrema an det homini jus carne
humana veſcendi? I. 166
an res alienas contrectandi? I. 170
Familia quid? II. 90
quem penes ejus directio ſit? II. 91
ejus finis in ſtatu naturali & civili. II. 92
ei impedimento eſſe non debent ſocietates ſimpliciores. II. 95
in ea quae officia patrisfamilias? II. 96
& reliquorum. II. 98
in ea omnia redeunt ad ordinem. II. 98
Felicitas in quo conſiſtat? I. 79
noſtram intendit Deus. I. 77
ad eamque nos obligat. I. 78
Feudi origo. I. 281
Fictio quid? I. 201
quando ea uti liceat? I. 200 *
Fidejuſſio quid? I. 374
pro quibus rebus admittenda. I. 375
Fidejuſſorum obligatio. I. 376
eorum beneficia an juris nat.? I. 376
Fiducia in Deo collocanda. I. 134
ejus judicium apud Romanos famoſum. I. 204 *
Filiae nuptae & dotatae an jure excludantur hereditate paterna? II. 72
Filiusfamilias quis? II. 90
Finis Dei in creatione hominum. I. 77 *
Fiſcus quid? II. 174
eum quid locupletet? II. 175
ejus jura circa ἀδέσποτα. II. 177
Fluminis vis qualis adquiſitio? I. 254
Foedus quid? II. 207
aequale & inaequale. *ibid.*
inaequalia quotuplicia? II. 207
ſimplicia & ſingularis praeſtationis. II. 208
belli & pacis tempore inita. II. 209 ſequ.
perſonalia & realia. II. 211
an ea & ſociis, & quibus, proſint? II. 212
an pangere liceat cum infidelibus? II. 214
circa ea officia. II. 217
Foedus pacis. vid. *pax*.
Foetura animalium, modus adquirendi. I. 252
Fructus ex arbore, in confinio poſita, cui adquirantur? I. 265
Fuga, ad eam num quis obſtrictus ſit, qui ſe adverſus adgreſſorem defendit? I. 185
Fugienti an liceat praeterire obſtantem? I. 169
Fungibiles res quid? I. 364 *
Furtum quid? I. 321
an & ab eo admittatur, qui, urgente extrema neceſſitate, aliquid contrectat? I. 170 *

G

Genere in eodem reddere, quid? I. 364 *
Geſtibus quoque nemo laedendus. I. 195
Gradu non modo, ſed & linea, propiores in hereditate praeferendi. I. 295
Gratitudo quid? I. 227
ad eam obligatio. *ibid.*
de ea regulae. I. 228
Guarantia pacis. II. 209

H

Heredes neceſſarii an jure naturae? I. 304
eorum ſucceſſio in jura & obligationes defuncti. I. 305
propiores non modo ratione gradus, ſed & ratione lineae habentur. I. 296 *
Hereditas. De ea quatenus diſponere liceat jure naturae? I. 291
an ſibi deſtinatam heres accipere teneatur? I. 284
Herilis ſocietatis origo. II. 76
Herus & *hera* qui? II. 77
Homo homini natura aequalis. I. 172
ergo aequaliter tractandus ab aliis. I. 177
Honor quid? I. 87 *
an vi defendi poſſit? I. 187
Hoſpitii jus an ad foedera amicitiae referendum? II. 208 *
Hoſtiles res per fictionem pro nullis habebantur apud Romanos. I. 247 *
Hoſtis. Quid illi in hoſtem liceat? II. 201
an foederibus & pactis decipi poſſit. II. 202
an ei debeantur humanitatis officia? I. 218
Humana carne an veſci liceat in extrema fame? I. 166
Humanitatis amor quid? ejuſque differentia ab amore juſtitiae? I. 83

an

an & amicis & quibus prae reliquis debeatur. I. 220
ad eum quomodo obligemur? I. 84
hoſtibus denegari poteſt, ſi nobis inde damnum imminet. I. 218
Hypotheca quid? I. 283. I. 369
quid circa illam juſtum? I. 283. & 369
an in territorio conſtitui poſſit a gentibus liberis? I. 371

I

Jactus mercium alienarum quando licitus? I. 170
Ignorantia quid? I. 47
an omnis culpanda? I. 48. I. 107
voluntaria, involuntaria. I. 107. 150
juris & facti. I. 108
vincibilis & invincibilis. I. 50. I. 107
juris naturae quando non imputetur? I. 47
principiorum boni & mali inexcuſabilis. I. 49
ex ea ſaepe aliquid boni fit. I. 16
Immunitas a tributis non temere pluribus concedenda. II. 23 *
Imperantes ut eligantur? II. 40
ſunt ſacroſancti. II. 132
iis tamen non, quidquid libet, licet. II. 133
eorum officium circa miniſtros & magiſtratus. *I. 182
jus circa ſacra. II. 183
Imperium quomodo adquiratur. II. 146. & 139
an recte diſtinguatur in patrimoniale & uſufructuarium? II. 147. ſequ.
alienari nequit, niſi populo conſentiente. II. 149
in eo etiam jus naturae obſervandum. II. 21 *
in omni republica eſt ſummum & ἀνυπεύθυνον. II. 170
ejus vis ſeſe exſerit per jura majeſtatis. II. 135
vel electitium vel ſucceſſivum. II. 139
Impietas quid? ea rectae rationi repugnat. I. 128
Impudentia vitanda. I. 106 *
Imputatio quid? I. 95. ſequ.
quomodo differat a conſcientia? I. 97
fit vel in foro divino, vel in humano. I. 98
cujus effectus meritum. I. 99
quando habeat locum? I. 100
quando ceſſet. I. 105
Quae actiones imputentur vel non? I. 105. ſequ.
quid in ea ſpectandum? I. 113. ſequ.
omiſſionis actionum. I. 115
Inceſtus quis juris gentium? II. 41. 42
Incluſio, ſpecies acceſſionis. I. 260
Induciae ad ſtatum belli pertinent. II. 191 & 210
quomodo earum tempus computandum. II. 210 *
Induſtria. Ad eam unuſquiſque obligatus eſt. I. 152
Infamia non omnia delicta ſequi debet. II. 167
Ingratitudo ſimplex & praegnans. I. 227 *
an ob eam detur actio forenſis? I. 227
Inimicis non deneganda humanitas. I. 219
Injuria quid? I. 191
ea laeditur alterius exiſtimatio. *ibid.*
Inſula nova cui adquiratur? I. 253
Intellectus quomodo ad actiones humanas concurrat? I. 30. & 32
ejus imbecillitates. I. 47. ſequ.
ad ejus culturam unuſquiſque obligatus. I. 146. ſequ.
alterius non eſt laedendus. I. 188
Interpretatio legis an in J.N. neceſſaria? I. 101*
ejus fundamenta. I. 102
reſtrictiva, extenſiva, declarativa. I. 103
authentica, uſualis, doctrinalis. I. 104
Interregnum quid? II. 142
ordinarium & extraordinarium. II. 145
an eo durante ſubſiſtat reſpublica? II. 143
Intextura ſpecies acceſſionis. I. 260
Inventio rerum nullius. I. 248
& pro derelictis habitarum. I. 249
Invita actio quae? I. 58
eadem ac involuntaria? I. 159
Inundatı agri dominium non exſtinguitur. I. 255
Judicia privata & publica. II. 157
Judiciaria poteſtas jus majeſtatis. II. 156
Jurare qui & quomodo debeant? I. 207
Juriſdictio in perſonas & res eccleſiaſticas penes principem. II. 157
Juriſprudentia naturalis quid? I. 12
eadem & divina recte dicitur. *ibid.*
Jus & obligatio correlata. I. 7
pro lege acceptum quid? I. 9
ſine lege concipi non poteſt. I. 9 *
Jus civile, quomodo differat a naturali. I. 18
utilitati reip. attemperandum eſt. I. 36*
in eo maxima juris naturae utilitas. I. 19
Jus gentium quid? I. 21
an a jure naturae diverſum? I. 22
an ex moribus gentium aeſtimandum? *ibid.* *
Jus jurandum quid? I. 203
ejus uſus. I. 206
variae ſpecies. *ibid.*
cujuſvis religioni eſt attemperandum. I. 207
ex mente deferentis interpretandum. I. 208
an ſervandum ſemper ab eo, qui juravit, alterum nullius rei a ſe repulſam laturum. I. 208 *
ejus effectus. I. 209
an ei per cavillationem ſatisfiat? I. 209 *

Digitized by Google

Jus majeſtatis, vid. Majeſtas.
Jus Naturae quid? L. 12
ejus actor Deus. L. 10
ejuſdem norma recta ratio. L. 11
an ad actiones tantum externas pertineat? L. 193 *
homines & in ſtatu naturali obligavit. II. 7
praeceptivum & permiſſivum. L. 13.
an futurum eſſet, ſi non exſiſteret Deus? L. 14
cur dicatur cordibus hominum inſcriptum? L. 15
an & in infantibus reperiatur? L. 15
ejus harmonia cum S.S. L. 16
eſt immutabile. L. 17
quomodo differat a jure civili? L. 18
& a jure gentium. L. 22
an ex utilitate naſcatur? L. 18
an & bruta obliget? L. 20
Jus omnium in omnes, an principium juris Naturae? L. 73
an omnes ex pacto oriatur? II. 2
perfectum & imperfectum. L. 107
talionis. L. 190
vitae & necis an competat parentibus in liberos? II. 57
an domin's in ſervos? II. 84
Juſtitia quid? L. 210
diſtributiva. L. 279 *
interna & externa. II. 150
in hac conſiſtit ſecuritas reipublicae interna. II. 150
expletrix & attributrix. L. 119
Juſtitiae amor quid? L. 82
ad eum perfecte obligamur. L. 84
divinae & humanae fundamentum eſt voluntas Dei. L. 65
divinae & humanae differentia. L. 65
Juſtum natura tale. L. 11 *
quid? L. 12

K

KAθῆκον quid Stoicis? L. 119 a
Κήρυκες ſacroſancti & inviolabiles, apud Graecos. II. 223

L

LAbor, ed eum obligati ſumus. L. 152
ab immodico tamen abſtinendum. L. 145
Laedens tenetur ad ſatisfactionem. L. 210
Laedere quid? L. 175
nemo laedendus. L. 128. 78. 194
Largitas quid? L. 221 *
Legatos mittendi jus. II. 222
eorum jura. II. 222. 223
an indemnes illi praeſtandi, ſi quid caſu damni paſſi ſint? L. 349 *
Leges ferendi poteſtas jus majeſtatis. II. 151
civiles quid? II. 152
cicra divinas quid liceat imperanti? II. 153
earum ſapimentum quid? II. 153 *
perfectae, imperfectae, minus, quam perfectae. II. 155
humanae an admittant exceptionem neceſſitatis? L. 159
an divinae adfirmativae? L. 159
an divinae negantes? L. 161. ſequ.
divinae quid & quotuplices? L. 64
naturales Deum auctorem habent. L. 10
Lex imputaturo actionem perſpecta eſſe debet. L. 100
& rite interpretanda. L. 101
ejus, ſi perfecta ſit, quot partes, & quae eſſe debeant? II. 154
ei adnexa ſanctio poenalis definita, indefinita, arbitraria. II. 165
fundamentalis reip. quid? II. 112
ſine ea boni fuiſſe dicuntur primaevi homines. L. 8 *
Liberi parentibus debent amorem devotionis. II. 67. 68. 70
erga eos officia parentum. II. 66
eorum obligatio erga parentes, ſoluta horum poteſtate. II. 72. & 74
eorum ſucceſſio in bona parentum. II. 207. ſequ.
Libertas quid? L. 4. II. 6 *
virtute praeditorum. L. 42 *
voluntatis. L. 53. ſequ.
naturalis, politica, vel civilis & juris gentium. II. 6 *
Libertus quis? II. 87
ejus officia. *ibid.*
Licita non omnia honeſta. L. 38 *
Linea facit heredes propiores. L. 206 *
Litteris loco ſermonis utimur. L. 195 *
Locatio conductio, invento numo, invaluit. L. 350. L. 360
quid circa eam juſtum? L. 360. ſequ.
Locatoris officia. L. 361

M

M*Acchiavelliſtarum* principia. II. 131
Magia ſuperſtitioſa fugienda. L. 133
Magiſtratus qui? II. 181
quid circa eos juſtum? *ibid.* & ſequ.
Majeſtas realis an penes populum in monarchia, perſonalis penes principem? II, 130
ejus jura quis in monarchia, ariſtocratia, & democratia exerceat? II. 23 ſeq.
quis in rebuſp. mixtis? II. 125
quis in ſyſtematibus civitatum? II. 126
ejus jura quid? II. 135
an eadem ac regalia? II. 135 *
immanentia & tranſeuntia. II. 136. ſequ.
an ſiat dividua? II. 138
Maledictio quid? L. 203
illicita. L. 205
Mandantis officia. L. 349
Mandatarii officia. L. 347
Mandati contractus, ejuſque indoles. L. 346
Manifeſta, ſcripta, quid? II. 200 *
Manumiſſio quid? II. 88

Mare

Mare an in dominio? II. 177
Mariage de conſcience. II. 50 *
Maritalis poteſtas qualis? II. 46
an pacto mutari aliquid circa illam poſſit? II. 47
Maritus an caſtigare poſſit uxorem? II. 48
onera matrimonii ferre tenetur. II. 38
an gaudeat imperio in uxorem? II. 45
Maſculi an feminis in ſucceſſionibus praeferendi? I. 297
Mater obligata eſt ad infantes lacte ſuo alendos. II. 61 *
Materfamilias quae? II. 90
Matrimonium quatenus indiſſolubile? II. 40
imperfectum, putativum. II. 50
ſenum veluti honorarium. II. 32
extra id omne genus libidinum vetitum. II. 35
ejus onera ferre tenetur maritus. II. 38
Mediatorum pacis officium. II. 221
Membrum an abſcindi poſſit vitae ſervandae cauſſa? I. 165
Mendacium quid? I. 199
quomodo a falſiloquio differat? I. 201
Mens perficienda pro virili. I. 350
Meritum effectus imputationis. I. 99
Metalla nobiliora cur adhibita, ut pretio eminente fungerentur? I. 335
Militia lecta, mercenaria, ſocia. I. 162 *
Milites an quidam fugientes excludi poſſint caſtello, ne ſimul hoſtes irruant? I. 167 *
Miniſtriſſimus qui dicatur? II. 182
Miſſilia cui adquirantur? I. 249
Mixtae actiones an dentur? I. 58
Moderamen inculpatae tutelae quid? I. 163
166. & 180
ejus limites. I. 181
adverſus quos eo uti liceat? I. 182
quamdiu ei locus ſit in ſtatu naturali? I. 183
& civili? I. 184
Monarcha quemvis honoris titulum ſibi recte adſciſcit. II. 120
in Monarchia ſolus exercet jura majeſtatis. II. 121
quomodo a tyranno differat? II. 122
Monarchiae origo. II. 116
Monarchomachorum error. II. 130
Monetam cudendi jus ad fiſcum pertinent. II. 178
Mores quid? I. 55
an libertatem voluntatis impediant? I. 55
Morganatica lex. I. 50
Mors quid? I. 143
Mors quando intrepide obeunda? I. 143
voluntaria ſemper injuſta? I. 144
Mulctae ad fiſcum pertinent. II. 178
Municipium an ſit reſpublica? II. 129 *
Murſchirung quid? I. 270 *
Mutuum quid? I. 364
in eo transfertur dominium. I. 365

N

Naufragium. In eo quid juſtum pro vita ſervanda? I. 167
Neceſſitas an habeat legem? I. 155
ejus favoris quodnam fundamentum ſit? I. 156
quid & quotuplex? I. 157
quae favorem mereatur? I. 158
regulae de favore neceſſitatis. I. 159 ſeq.
an ea urgente quis contrectare vel perdere poſſit res alienas? I. 170
Negotiorum geſtoris officia. I. 348
Negotiorum geſtio. I. 348
ejus, cujus negotia geſta, officium. I. 349
Nepotes quomodo avis ſuccedant? I. 299 ſeq.
Neutralitats-Tractaten. II. 210
Noachi praecepta an norma J. N.? I. 16. & 72
Nobilitatis gentilitiae origo. I. 105 *
Nolle & non velle an ſynonyma? I. 52
Norma actionum an indigeat homo? I. 4
quid? I. 8
ejus requiſita. I. 5. ſequ.
juris naturae an eadem cum ejuſdem principio? I. 60
non in nobis ipſis, ſed extra nos quaerenda. I. 61
an illa ſit voluntas Dei? I. 62
Novatio. I. 389
quid ſit. I. 418
Nummi definitio Ariſtotelica. I. 329 *
ejus loco variis rebus uſae ſunt aliae gentes. I. 335 *
quantum illi pretii ſtatuendum? I. 336
eo nondum invento, quale commercii genus in uſu fuerit? I. 337
Nuptias facit conſenſus. II. 29
an iis ritus quosdam deſideret J. N.? II. 42
qui eas facere poſſint? II. 32. ſequ.

O

Obedientia quid? I. 87 *
Obligatio quid? I. 6
externa & interna. I. 7
ejus correlatum jus? I. 7
ſpecie obligationis nobiliſſima eſt interna, attamen jus naturae & externam deſiderat. I. 8 * & 9
perfecta & imperfecta. I. 9
ſolvitur variis modis. I. 406
ſolutione. I. 407
compenſatione. I. 409
condonatione. I. 411
mutuo diſſenſu. I. 412
temporis lapſu & non exiſtente conditione. I. 414
morte. I. 425
ſtatus mutatione. I. 416
rei interitu. I. 417
novatione & delegatione. I. 418
Obſequium erga Deum quid? I. 131
Obſidum jura & obligationes. II. 221 *

Occa-

Digitized by Google

Occaſio quid? L. 119 *
peccandi vitanda. L. 114 *
Occidendum non eſt. L. 179
Occupatio quid? L. 222
quomodo fiat? L. 242
per univerſitatem & per fundos. I. 243
bellica unde derivanda? L. 147
Ochlocratia. In eam facile degenerat democratia. II. 117. 124
Odium, quid? L. 80
Officioſitas quid? L. 222
ad eam obligamur. L. 229
Officium quid? L. 113. 120. 172
perfectum & imperfectum. I. 173. ſequ.
abſolutum & hypoteticum. L. 175
fundamentum perfectorum officiorum. L. 175
hypotheticorum. L. 176
imperfectorum. L. 214
imperfecta aliquando in perfecta tranſeunt. I. 216
naturalia, Chriſtiana, civilia. L. 123
Oligarchia, in eam degenerare poteſt ariſtocratia. II. 177. 123
Optimum. Ad id eligendum ſumus obligati. L. 91. * I. 181 *
Ordo in familia bene conſtituta praecipuum. II. 98
naturae an principium juris naturalis? L. 76

P

Pacis externae ſtudium an principium juris Naturae. L. 73
Paciſcentium conſenſus mutuus eſſe debet. I. 396
Paciſci qui poſſint? L. 398
an & pro aliis liceat? L. 403
Pactum. Ex eo officia hypothetica. L. 175
quid? L. 385
a contractu quomodo differat? I. 385
an utile, quod initum ex ignorantia vel errore? L. 393
an, quod dolo malo elicitum? L. 394
an, quod vi extortum? L. 495
an quod factum de rebus impoſſibilibus? L. 397
vel de turpibus? L. 398
an, ſi conjuctum ſit cum alterius detrimento? L. 399
cur pacta ſint neceſſaria? L. 386
maxime in ſtatu naturali. II. 21
ea ſervanda. L. 387 ſequ.
alia unilateralia, alia bilateralia, alia obligatoria, alia mixta. I. 389
& nuda obligant. L. 300
alia expreſſa, alia tacita. L. 391
alia pure, alia ſub conditione, alia ex die vel in diem ineuntur. I. 401
ſub conditione impoſſibili vel turpi inita non valent. L. 402. ſequ.
Pactum de ſucceſſione an valeat? L. 292
reddendae viciſſitudinis quid? L. 341
de commodando. L. 357
protimiſeos, de evictione praeſtanda, vel poena in caſum poenitentiae ſolvenda. L. 357
de retrovendendo. L. 357
antichreticum. L. 369
de rebus ſ. ctiſve alienis. L. 300
Pagus qualis ſocietas? II. 18 *
Parentes jure divino an ad ſucceſſionem vocati? L. 301 *
inter eos & liberos ſocietas. II. 51
eorum poteſtas in liberos unde, & quanta ſit? II. 53. 63 ſequ.
quibus competat? II. 54 ſequ.
an & ius vitae & necis comprehendat? II. 57
an jus venumdandi noxaeve dedendi? II. 58
officia eorum erga liberos. II. 58 ſequ.
iis quid debeant liberi? II. 67 ſequ.
poteſtas eorum quomodo ſolvatur? II. 71 ſequ.
an ea ſoluta ceſſent liberorum officia? II. 72. 74
Paſſio quid? L. 25
an eam dirigat ius naturae? L. 27
Paterfamilias quis? II. 90
eius poteſtas in ſtatu naturali. II. 93
& civili. II. 94
eius ac matrisfamilias officia. II. 96 ſequ.
in ſtatu naturali ius dicit familiae. II. 93
II. 156 *
Patriae quid debeamus? II. 225
an dulce pro ea mori? *ibid.* *
Patria poteſtas, vid. *Parentes*.
Paupertas an recte imputetur? L. 152
eam bonus vir aequo animo ferre debet. L. 52 *
Pax quid? II. 217
circa eam ius imperantium. II. 216
ei an obſtet exceptio laeſionis. II. 218
nec non exceptio quod metus cauſſa. II. 219
an & cum rebellibus inita valeat? II. 220
eius ſponſores quinam? II. 209. 221
Peccatum exiguum nullum putat virtutis ſtudioſus. L. 37 *
quid? L. 117
Pecunia pretium eminens. L. 329
eius definitio Ariſtotelica. L. 329 *
Pellex quid? II. 50 *
Perfectionis definitio. L. 2 *
Perficere quid dicatur hominem? L. 2
Perfidia an obligationem perimat? L. 443
Periculo ſeſe offerre improbum. L. 155 *
alterum exponere ſine ratione iniuſtum. L. 79
Periculum rei venditae & nondum traditae quem penes eſſe debeat? II. 353
Permutatio, antiquiſſimum commercii genus. L. 333 *
contractus antiquiſſimus. L. 337

apud omnes gentes recepta. *ibid.*
quid ſit? I. 338
vel ſimplex, vel aeſtimatoria. I. 338
quid circa utramque iuſtum? I. 339 ſeq.
aeſtimatoria quomodo differat ab emtione venditione? I. 350 *
Pharisaeorum vita auſtera, ieiunia, largitiones, an actiones bonae? I. 116 *
Pignoris ius quid? I. 293
Pignus quid circa ius contractum iuſtum? I. 370
an, eo intereunte, liberetur debitor? *ibid.* *
Piſcatio, ſpecies occupationis. I. 244
Plantatio ſpecies acceſſionis & quid circa eam iuſtum ſit? I. 264
Poena quid? I. 99
eius definitio Grotiana. II. 159
vel naturalis, vel poſitiva. I. 66
conventionalis. II. 159 *
eam aliquem metuiſſe declaratur per imputationem. I. 99
qualem transgreſſoribus minetur ius naturae. I. 65
eam infligere an poſſint pares? II. 159
eam irrogandi ius eſt penes imperantem. II. 158
qui & gratiam eius facere poteſt. I. 158
eius finis. II. 160
an ad illam obligatus ſit delinquens? II. 161
quanta ea eſſe debeat? II. 164 ſequ.
an infamam eam eſſe expediat? II. 167
Πολυανδρία apud omnes gentes prohibita. II. 36
Πολυγυνία an licita? II. 36 ſequ.
pro ea qui ſcripſerint? II. 37 *
Poſſeſſio quid? I. 231
effectus dominii. I. 306
domini a nemine debet interverti. I. 310
Poſſeſſor bonae fidei loco domini eſt. I. 312
quos fructus percipiat? II. 314 ſequ.
malae fidei quos fructus reſtituat? I. 316
etiam caſum ferre tenetur. I. 317 *
Praefectura an reſpublica? II. 129 *
Praemium an & quando quis mereatur. I. 99 *
Praeſcriptio an praeſidium reperiat in iure nat. & gentium. I. 323 *
Pretium quid? I. 328
vulgare & eminens. I. 329
quomodo vulgare definiendum? I. 330 ſequ.
adfectionis quid? I. 332
eminens cur inventum? I. 333
eius requiſita. I. 334 ſequ.
vulgare, vel legitimum, vel conventionale. I. 345 *
Primogenitus an natu minoribus praeferendus in regno? II. 297. I. 143
Princeps. vid. *imperans*.
Principium iuris naturae, quid? I. 60 * I. 67
eius requiſita. I. 68
non conſiſtit in ſanctitate Dei. I. 69
nec in interna actionum iuſtitia. I. 70
nec in conſenſu omnium gentium. I. 71
nec in ſeptem Noachi praeceptis. I. 72
nec in iure omnium in omnes. I. 73
nec in pacis externae cuſtodia. *ibid.*
nec in ſtatu integritatis. I. 74
nec in ſocialitate. I. 75
nec in ordine naturae. I. 76
nec in utilitate humani generis. *ibid.*
nec in theocratia morali. *ibid.*
ſed in amore. I. 79
idque eſt principium verum, evidens, & adaequatum. I. 94
Probabiliſmi lubricum fundamentum. I. 40
Promiſſio perfecta & imperfecta: an illa tantum obliget? I. 389 *
Promittere an poſſumus pro aliis? I. 403
Proprietas quid? I. 231
eius origo. I. 237
Provincia an ſit reſpublica? II. 129 *
Provocatio ad quem ſuprema dirigenda ſit? II. 157 *
Ψεῦδος Graecis & mendacium & falſiloquium denotat. I. 201 *
Pudicitiam an vi liceat defendere. I. 186
alterius non laedenda? I. 192
eius ſollicitationi a quibuſdam gravior poena propoſita, quam ſtupro violento. I. 192 *
Pupillorum & tutorum mutua obligatio. II. 75
Puniendi qui ſint? II. 169
an & univerſitates? II. 169

R

Rapina quid? I. 321
Raptorem inter & raptam an nuptiae ratae ſint? II. 29
Recht quid Germanis? I. 9 *
Reformandi ius imperanti competens. II. 187
Regalia quid? II. 135 *
maiora & minora. *ibid.*
Regnum. vid. *imperium*. an a monarchia diff. rat. II. 116
hereditarium cuius ſit originis? I. 105 *
Religio non conſiſtit in ſola probitate vitaeque integritate. I. 117 *
Relocatio tacita. I. 363
Remiſſio quid? & quomodo fiat? I. 411
Repraeſentationis ius aequitati naturali conſentaneum. I. 209
ei an & inter collaterales ſit locus? *ibid.*
Repreſſaliae quid? & quid circa eas iuſtum ſit? II. 205
Reſervationes mentales reſpuit iusiurandum. I. 208
Res nullius quaenam? I. 241
amiſſae & furtim, vel vi ſurreptae manent in dominio prioris domini. I. 241
alienae dominis reſtituendae. I. 323
dividuae & individuae quomodo dividendae. I. 270
Reſpublicae quomodo oriantur? II. 18 & 194 ſequ.

Digitized by Google

104. ſequ.
Achaicae. II. 119
cur inſtitutae? II. 104
quomodo iuſtae a latronum coetibus differant? II 106
earum finis. II. 106 ſequ.
mixtae quid? II. 118
earum forma quae veteribus viſa ſit optima? II. 118 *
foederatae quae? II. 119
quot perſonae conſtituant rempublicam? II. 107. ſequ.
an ſine territorio conſiſtat? II. 108
pacta & decretum, per quae populus coaleſcit in rempublicam. II. 109 ſeq.
eius formam novam aliquando victores victis obtrudunt. II. 114
in omni rep. eſt imperium ſummum & ἀνυπεύθυνον. II. 120
ea everſa, cives eſſe deſinunt. II. 120
an & forma priore mutata. II. 120
Reſtitutio rei alienae, quando neceſſaria, vel non? I. 323 ſequ.
Retrovenditionis pactum. I. 357
Reus ſtipulandi vel promittendi. I. 374

S

SAcra. Circa ea ius maieſtatis. II. 183
in quonam illud conſiſtat? II. 184 ſequ.
Sanctitas Dei non eſt iuris naturae principium. I. 69
Sanitas alterius non laedenda. I. 179
Sator, ſpecies acceſſionis. I. 261
Satisfactio quid & quotuplex? I. 211
quomodo praeſtanda? I. 212
Scholarum cura pertinet ad principem. II. 188
Scotatio, ſpecies traditionis ſymbolicae. I. 276
Scriptura ſacra an principium cognoſcendi I. N.? I. 16
Scriptura loco ſermonis eſt. I. 195
quid circa eam iuſtum? I. 262
Scrupuloſa conſcientia quid? I. 41
Scrupulus quid? ibid. *
Securitas civium, finis rerumpublicarum? II. 107
in quo conſiſtat. II. 150
Senes an recte contrahant nuptias? II. 32
Sermonem homo prae brutis peculiarem habet. I. 194
quid ſit ſermo? I. 195
quomodo illo utendum? I. 196 ſequ.
Servi mercenarii cuius conditionis? II. 82
itemque obnoxii? II. 84 ſequ.
utrorumque officia erga dominos. II. 87
familiares qui? II. 90
Servilis hominum vitiis deditorum ſtatus. I. 42 *
Servitus in re aliena quid? I. 282
perſonalis & realis. I. 282
Servitus hominum obnoxia an ſit contra ius naturae? II. 78
an quis in eam ſe ipſe addicere poſſit? II. 79
quomodo finiatur? II. 88
quotuplex? II. 77
Servus quis? II. 77
Socialitas an principium I. N.? I. 75
Socidae contractus. I. 363 *
Societas quomodo conſtituatur? II. 13
quid? II. 14
ratione finis diverſae ſunt ſocietates. II. 15
aliae iuſtae & licitae, aliae iniuſtae & illicitae. II. 15
aliae ultroneae, aliae coactae. II. 16
ſimplices aliae, aliae compoſitae. II. 18
aequales vel inaequales. II. 19
initur conſenſu. II. 17
habetur pro una perſona. II. 20
Eius obligationes eaedem ac ſingulorum hominum. II. 21
quales illae ſint ratione ſociorum? II. 22
ratione aliorum. II. 23. 24
Societas contractus. I. 379
ea eſt vel univerſalis, vel generalis, vel ſingularis. I. 380 ſequ.
an ea liceat excedere, invito ſocio? I. 382
coniugalis. vid. *coniugium*.
paterna. vid. *parentes*.
herilis. vid. *ſervitus*.
familiae. vid. *familia*.
Sociorum officia. II. 25
ſibi invicem tenentur ad praeſtandam evictionem. I. 274
Solutio quid? & quid circa eam iuſtum ſit? I. 407. ſequ.
Somnia an imputentur? I. 106 *
Specificatio, ſpecies acceſſionis & quid circa iuſtum ſit? I. 259
Sponſalia quid? II. 30
Sponſio quid? & quid circa eam iuſtum ſit? II. 213
Sponſoris pacis officium. II. 209. 212
Spontanea actio quae? I. 58
Spontaneitas quid? I. 53
Status quid? II. 2
phyſicus & moralis. II. 2
naturalis & adventitius. II. 3
naturalis an hic opponatur ſtatui brutorum? II. 4
eſt ſtatus aequalitatis. II. 5
& libertatis. II. 6
in eo vigere debuit ius naturae. II. 7
non ergo in eo ius omnium in omnes. II. 9
in eo viventibus ius belli eſt. II. 10
pacta in illo maxime neceſſaria. II. 11
an tanta eius miſeria quanta vulgo illi tribuitur? II. 12
ei cur ſtatum ſocialem praetulerint homines? II. 13
ſocialis quid? II. 14
Status integritatis an principium iuris naturae? I. 72
civilis omnibus fere gentibus placuit. II. 100

ve-

vera ejus rei cauſſa. . II. 101 ſequ.
Status mutatio modus ſolvendi obligationes. I. 416
Submiſſio voluntatum quid? II. 315 *
Succeſſio teſtamentaria an & quatenus iuris naturae? I. 268
Succeſſio ab inteſtato, eius fundamentum. I. 283 ſequ.
liberorum. I. 297 ſequ.
adſcendentium. I. 301
collateralium. I. 32 ſequ.
qualis in regnis ſucceſſivis obtineat? II. 142 ſequ.
Francica & Caſtellana. II. 143
Succeſſivum imperium quid? II. 143
Superficiei ius. I. 281
Superſtitio quid? I. 132
eius effectus & cum atheiſmo comparatio. I. 133 *
Suum quid quiſque dicat? I. 175. 231
Συμβολαί, σύμβολα, συμβόλαια commercia cur Graecis dicta? I. 328
Synodi cur & quomodo indicendae? II. 187 *
Syſtema civitatum quid? II. 18 * II. 119
iſtorum diverſiſſimae ſpecies. II. 128

T

TAcere quando liceat interrogatis? I. 200
Taciturnitas, quid? I. 201
Talionis ius an locum inveniat? II. 165
Temperamentum an impediat libertatem voluntatis? I. 54
Territorium occupatum cuius ſit? I. 243
Teſtamentum. vid. *Succeſſio*.
eius origo. I. 268
quid ſit? *ibid.* & 286
an ex iure naturae? I. 287 ſequ.
quid ex mente Grotii? I. 290
Theocratia moralis an principium iuris naturae? I. 76
Theſaurus inventus cui cedat? I. 249
Tignum iunctum an ſolvi queat? I. 261 *
Timor Dei quid? I. 131
Tractatus quid? I. 389 *
Traditio quid? I. 266
an ad transferendum dominium neceſſaria? I. 275
quoduplici modo fiat? I. 276. & 284
ſymbolica. I. 276
quis per eam transferre poſſit dominium? I. 277
ex qua cauſſa per eam transferatur dominium? I. 278 ſequ.
fieri debet accipienti. I. 284
ante eam cuius in venditione ſit periculum? I. 353
Tranſactio quid? I. 389. II. 75
Tributa indicere ius maieſtaticum. II. 168
quid circa ea iuſtum? II. 179 ſequ.
Tutela quid? II. 75
& quamdiu duret? II. 75
ſuprema ius imperantium. II. 169 *
Tutorum & pupillorum mutua obligatio. II. 75
Tyrannis quid? II. 117
inter eam & monarchiam quid interſit? II. 122
Tyrannicae artes. II. 122 *

V

VAletudinis cura unicuique incumbit. I. 44
Vectigalia. vid. *tributa*.
Venatio, ſpecies occupationis. I. 244 ſequ.
Venditae, & nondum traditae rei penes quem periculum? I. 353
Venditor emtori rei venalis qualitates indicare debet. I. 351
ad evictionem praeſtandam eſt obligatus. I. 356
Veneratio quid? I. 87 *
Veracitas quid? I. 202
Verbis nemo laedendus. I. 193
eorum notione recepta utendum. I. 197
Veritas quid? II. 202
Verna quis? II. 87
Victi, in eos quomodo adquiratur imperium? II. 206
iis victor aliquando novam imperii formam obtrudit. II. 114
Vindicans rem quid b. f. poſſeſſori reſtituat? I. 312
Vindicatio effectus dominii. I. 306. 311
Vis externa an impediat libertatem voluntatis? I. 56
quando illi cedendum? I. 118
Vita eius ſervandae cauſſa an membrum abſcindere liceat? I. 165
ad eam ſervandam unuſquiſque eſt obligatus. I. 143 ſequ.
Vitia ad ea animo evellenda unuſquiſque obſtrictus eſt. I. 149
Ultronea actio quid? I. 58
Univerſitates an puniendae? II. 163
Vocatio divina ſpecialis quid? I. 147
Volenti an fiat iniuria? I. 392 *
Voluntas quid? I. 51
nihil decernit, niſi praelucente intellectu. I. 30
eius actus & natura. I. 52
ſpontaneitas & libertas. vid. *libertas*.
antecedens & conſequens. I. 57
efficax & inefficax. I. 112
excolenda eſt. I. 148
& emendanda. I. 149
alterius non laedenda. I. 189
Voluntas Dei, norma actionum humanarum. I. 62 ſequ.
eadem eſt iuſtitiae divinae fundamentum. I. 65
nihil aliud intendit, quam felicitatem noſtram. I. 77 ſequ.
Urbs quanis ſocietas. II. 18 *
Uſucapio an iuris naturae? II. 323 *
Uſurae quid? I. 367
an iure naturae licitae? I. 368
Utilitas an fons iuris? I. 76. 78
Uxor an ad maiorem, quam maritus, obſtricta ſit caſtitatem? II. 44
in eam an marito imperium competat? II. 45 ſequ.

ΠΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ ΕΣΤΑΙ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google